This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

WIDENER LIBRARY
HX K2FH I

Lt 6.185.9

Harvard College Library

FROM THE ESTATE OF

JAMES BRADSTREET GREENOUGH

PROFESSOR OF LATIN IN HARVARD COLLEGE
1883-1901

RECEIVED JULY 12, 1910

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

P. TERENTII

CARTHAGINIENSIS AFRI

COMŒDIÆ SEX

EX RECENSIONE

FRID. LINDENBROGII

CUM EJUSDEM

MSTORUM LECTIONIBUS ET OBSERVATIONIBUS

ATQUE

ÆLII DONATI, EUGRAPHII ET CALPURNII

COMMENTARIIS INTEGRIS.

HIS ACCESSERUNT

BENTLEII ET FAERNI

LECTIONES AC CONJECTURÆ OMNES, SED IN COMPENDIUM REDACTÆ

ITEM

WESTERHOVII IN SCHOLIASTAS LECTIONES AC CONJECTURÆ

QUIBUS ET SUAS ADSPERSIT

M. JO. CAR. ZEUNIUS.

Adjecto indice in Donatum et Terentium locupletissimo.

INSUPER ADDITA SUNT

CEL. RUHNKENII DICTATA IN TERENTIUM

NECNON

SELECTISSIMÆ VIRORUM DOCTORUM ANNOTATIONES.

TOM. II.

Londini:

TYPIS EXCUDEBAT J. F. DOVE;

PROSTANT VENALES APUD R. PRIESTLEY.

MDCCCXX.

Digitized by Google

Lit 6.185.9

HARVARD COLLEGE LIBRARY
JUL 12 1916
CAMBRIDGE, MASS.

BOUND APR 27 1911

Digitized by Google

COMMENTARIUM

RUFINI V. D. GRAMMATICI ANTIOCHENSIS

IN METRA TERENTIANA.

EVANTHIUS in commentario Terentii de fabula, hoc est, de comœdia sic dicit: concinna argumento, consuetudini congrua, utilis sententiis, grata salibus, apta metro. et postea sic: veteres etsi usi ipsi quoque metris negligentius jambici versus duntaxat in secundo et quarto loco, tamen a Terentio vincuntur resolutione hujus metri quantum comminuti ad imaginem prosæ orationis. Asper in commentario Terentii sic: hosce versus agere cœpisset: *ită nĕ pātrĭs ăis ādvēntūm vĕrĭtū hīnc ăbīssĕ dŏmūm.* Et deinceps quæ sequuntur quadrati. Diomedes sic: septenarium versum Varro fieri dicit hoc modo, cum ad jambum trisyllabus pes additur, et fit tale: *quĭd īmmĕrēntĭbūs nŏcēs? quid invĭdēs ămīcīs?* similiter in Terentio versus est:

Nām sī rĕmittānt quīppĭām Phīlūmĕnæ dŏlōrēs. Et in Plauto sæpe tales reperiuntur. Varro de lingua latina ad Marcellum sic: quare in hujusmodi locis poni oportet notam in transversum inter syllabas, frequentius ad extremum versum, senarium, et similes, si pro longa brevem habebunt, ut in hoc: *ămīcūs sūmmūs mĕŭs ēt pōpŭlārīs Gĕta.* Charisius sic: septenarium versum fieri dicit Varro hoc modo, cum ad jambum trisyllabus pes additur, ut præfatum est. Bassius ad Neronem de jambico sic dixit: jambicus autem cum pedes etiam dactylici generis assumat, desinit jambicus videri, nisi percussione ita moderaveris, ut cum pedem supplodis, jambicum ferias: ideoque illa loca percussionis non recipiunt alium quam jambum, et ei parem tribrachum: aut si alterius exhibuerint metri speciem. quod dico, exemplo faciam illustrius. Est in Eunucho Terentii statim in prima pagina hic

Digitized by Google

Lt 6.185.7

HARVARD COLLEGE LIBRARY
JUL 12 1910
CAMBRIDGE, MASS.

From the estate of
Prof. J. B. Greenough.

BOUND. APR 27 1911

Digitized by Google

COMMENTARIUM

RUFINI V. D. GRAMMATICI ANTIOCHENSIS

IN METRA TERENTIANA.

EVANTHIUS in commentario Terentii de fabula, hoc est, de comœdia sic dicit: concinna argumento, consuetudini congrua, utilis sententiis, grata salibus, apta metro. et postea sic: veteres etsi usi ipsi quoque metris negligentius jambici versus duntaxat in secundo et quarto loco, tamen a Terentio vincuntur resolutione hujus metri quantum comminuti ad imaginem prosæ orationis. Asper in commentario Terentii sic: hosce versus agere cœpisset: *ità nĕ pātrĭs ăis ādvēntūm vĕrĭtū hīnc ăbīssĕ dŏmūm.* Et deinceps quæ sequuntur quadrati. Diomedes sic: septenarium versum Varro fieri dicit hoc modo, cum ad jambum trisyllabus pes additur, et fit tale: *quĭd īmmĕrēntĭbūs nŏcēs? quid invĭdēs ămīcīs?* similiter in Terentio versus est:

Nām sī rĕmittānt quīppĭām Phīlūmĕnæ dŏlōrēs. Et in Plauto sæpe tales reperiuntur. Varro de lingua latina ad Marcellum sic: quare in hujusmodi locis poni oportet notam in transversum inter syllabas, frequentius ad extremum versum, senarium, et similes, si pro longa brevem habebunt, ut in hoc: *ămīcūs sūmmūs mĕŭs ēt pōpŭlārīs Gĕta.* Charisius sic: septenarium versum fieri dicit Varro hoc modo, cum ad jambum trisyllabus pes additur, ut præfatum est. Bassius ad Neronem de jambico sic dixit: jambicus autem cum pedes etiam dactylici generis assumat, desinit jambicus videri, nisi percussione ita moderaveris, ut cum pedem supplodis, jambicum ferias: ideoque illa loca percussionis non recipiunt alium quam jambum, et ei parem tribrachum: aut si alterius exhibuerint metri speciem. quod dico, exemplo faciam illustrius. Est in Eunucho Terentii statim in prima pagina hic

Digitized by Google

versus trimetrus. *ĕxclūsīt, rĕvŏcāt, rĕdĕām? nōn sī mē ŏbsĕcret.* hunc incipe ferire, videberis heroum habere inter manus ad summam paucis syllabis in postremo mutatis, totus erit herous. *Exclusit, revocat, redeam? non si mea fiat.* Ponam dubium secundo loco pedem, propius accedam. *Hĕros ātrīdēs cælītūm tēstor fidem.* Varro in VII. clausulas quoque primum appellatas dicunt, quod clauderent sententiam, ut apud Accium: *an hæc jam obliti sunt Phryges?* Nonnunquam ab his initium fit, ut apud Cæcillium: *dī bŏnī quĭd hōc?* Apud Terentium: *discrŭciŏr ănĭmī.* Idem varro in eodem lib. VII. de lingua Latina ad Marcellum sic dicit: aut in extremum senarium totidem semipedibus adjectis fiat comicus quadratus, ut hic: *heri aliquot adolescentuli coimus in Piræeo.* Trimetros versus jambicos Terentii et Plauti et cæterorum comicorum et tragicorum M. Tullius senarios dicit et nominat. Quintilianus etiam trimetros senarios nominavit. Et Flavius Caper in artibus suis trimetros versus jambicos Terentii senarios appellavit. De metris Terentii et Plauti et cæterum comicorum et tragicorum Victorinus sic dicit: quantum aut ad versum comicum spectat, ut paululum evagemur, scio plurimos affirmare, Terentianas vel maxime fabulas metrum ad disciplinam græcarum comœdiarum non custodisse, i. quas Menander, Philemon, Diphilus, et cæteri ediderunt. Nostri. n. in modulandis rhythmis seu metris, veteris comœdiæ scriptores se qui maluerunt, i. Eupolim, Cratinum, Aristophanem. prologos itaque, et primarum scenarum actus trimetris comprehenderunt: deinde longissimos. i. tetrametros subdiderunt qui appellantur quadrati: postea in sequentibus variaverunt: modo. n. trimetros, modo addito quadrante vel semisse posuerunt, i. semipede adjecto, vel integro pede jambo vel sesquipede hæc per medios actus, varie rursus in exitu fabularum quadratos, quales diximus in secunda scena locaverunt. Sed idem quadrati legitimi cum XVI. syllabis juxta jus proprium constare debeant, plerunque inveniuntur XX. aut amplius syllabarum: hinc existimantur metrum non tenuisse, nec sua lege composuisse. Quod vero ad clausulas. i. minuscula cola pertinet, quot genera versuum sunt, totidem membra pro clausulis poni possunt, et solent in canticis magis quam diverbiis quæ ex trime-

Digitized by Google

tro magis subsistunt, collocari, et præcipue apud Plautum et Nævium et Afranium. Nam hi maxime ex omnibus membris versuum; colis ab his separatis licenter usi reperiuntur in clausulis. Idem Victorinus in alio loco de jambo sic dicit: improbatur aut apud tragicos, versus ex omnibus jambis compositus: nam quo sit amplior, et par tragicæ dignitati, interponunt frequentius locis duntaxat imparibus pedum dactylicorum moras et spondeum. Similiter apud comicos laxius spacium datum est: nam et illi loca quæ proprie debentur jambis, spondeis occupant, dactyloque et anapæsto locis adæque disparibus. Ita dum quotidianum sermonem imitari nituntur, metra vitiant, studio non imperitia: quod frequentius apud nostros quæ apud Græcos invenies. Genera autem jambici metri sunt duo: nam ex iis alia integra, alia clauda, quæ scazonta seu choliamba vocant, sunt: quorum differentiam penultima versus syllaba demonstrabit. Nam si brevis contigerit, erit rectum et integrum jambicum, ita, *vĭgōrĭs āddĕ cōncĭtūm cĕlĕrēm pĕdem.* Sin vero longa, delumbe et claudum, ut est: *novĭtātĕ dūctūs nōn ēst īnsclūs lēgis.* *Lē* longa quæ penultima reperitur, metrum corrumpit. hujus repertor Hipponax. nam pro jambo inductis trochæis contra legem trimetri jambici, metrum innovavit, quod adæque ex spondeo contingit.

VERSUS RUFINI GRAMMATICI

DE METRIS TERENTII ET PLAUTI ET ALIORUM.

Agnoscit metrum, servatque Terentius artem,
Nam prologos trimetro didicit componere versu,
Scenarumque actus primos pede claudit eodem.
Ut sunt hi versus prologi:
Pŏētă cūm prīmum dŏmĭtum ād scrībēndum āppŭlit,
īd sĭbĭ nĕgōtī crēdĭdī sōlŭm dări
Pŏpŭlo ūt plācērēnt quās fēcissĕt fābŭlas.
Vōs īstæc īntro āufĕrte, dŭbĭtĕ Sōsĭa

Digitized by Google

ădesdūm paūcīs tē vŏlo. Dĭctūm pŭta.
Tetrametros sequitur quem finxerat ille Boiscus.

Quales sunt isti versus:

Mīrābŭr hŏc sī sīc ŭbīrĕt, ĕt hĕri sēmpēr lēnĭtas.

Qui sequitur dimetrus est, id est, quatuor simplices pedes habet.

Vĕrēbār quōrsum ēvādĕrĕt.

Item tetrametri similes hi de jambo:

ĕnīmvērō Dāvĕ nĭhīl lŏci ēst sēgnĭtĭæ, nĕquĕ sōcōrdĭæ.

De jambo trochaicum archilochicum unde fieri dicunt metrum.

Creticon Archilocus supra caput addit jambi.

Quales sunt isti.

Dĭī bŏnī quīd pōrtō,
Sĕd ŭbi ĭnvĕnĭām Pāmphilum,
Lætŭs ēst nēsctō quĭd.
Nĭhĭl ēst, nōndūm hæc rēscīvīt mŭla.

De jambo Hipponactico,

Ultimus amphibrachys velocem claudit jambum,
Aut bacchius erit finis discrimine nullo.
Utitur Hipponax hoc metro maximus auctor.

Quales sunt hi versus:

Nĕ fŏrte ĭmprūdēns făcĭām quōd nōlim, scĭēs căvēbo.
Nām sī rĕmāttānt quāppiām Phălūmĕnæ dolores.
Legitimum interdum subscenis ponit jambum.
obsequium amicos, veritas odium parit.
Utitur his Plautus metris et mille poetæ.
De pedibus quibus hæc consistunt metra notabis:
Dactylus aut spondeus inest, vel cursor jambus,
Aut anapæstus erit, positi discrimine nullo
Partibus in quinis: nam post celer extat jambus.
Pyrrichiusve citus finem concludere possit.

Ut sunt hi tales:

exclusit, revocat, redeam? non si me obsecret:
Quod plerisquæ omnes faciunt adolescentuli.

De nomine talium versuum sive metrorum.

Græcus apamphænonta solet memorare poeta.
Immanifesta vocant hæc carmina voce Latini.

Digitized by Google

Hunc trimetrum veteres Graii cognomine dicunt,
Quod pedibus junctis hunc scandere sæpe solebant.
Ponitur aut scazon, spondeum finis habebit

Quales sunt isti:

Nec fonte labra prolui caballino.
Nec in bicipiti somniasse Parnasso.

De metris comicis:

Tetrametros trimetrosque capit comœdia versus.
Tetrametrum primus fertur posuisse Boiscus,
Creticon Archilochus, trimetro superaddidit ingens,
Amphibrachum trimetro Hipponax supponit jambo.
Fulserat hac Plautus, pulcherque Terentius arte.

Terentianus de jambis fabularum sic dicit.

Culpatur autem versus in tragœdiis,
Et rarus intrat ex jambis omnibus,
Ut ille contra qui secundo et talibus
Spondeon, aut quem comparem receperit:
Sed qui pedestres fabulas socco premunt,
Ut quæ loquuntur sumpta de vita putes,
Vitiant jambum tractibus spondaicis,
Et in secundo, et in cæteris æque locis.
Fidemque fictis dum procurant fabulis,
In metra peccant arte, non inscitia,
Ne sint sonora verba consuetudinis,
Paulumque rursus a solutis differant.
Mage ista nostri: nam fere Græcis tenax
Cura est jambi, vel novellis comicis,
Vel qui in vetusta præcluent comœdia.
Aristophanis ingens emicat sollertia,
Qui sæpe metris multiformibus novus
Archilochon arte est æmulatus musica.

Sisenna in commentario Pœnuli Plautinæ fabulæ sic: Halonium Pœni dicunt deum et producenda syllaba metri gratia exigit jambus.

Scaurus in commentario Plauti in Pseudulo dicit: malai διαίρεσις metri causa. Scaurus in eadem fabula sic: nunc jam, jam divisit in duas syllabas metri causa.

Digitized by Google

Sisenna in Rudente sic:

Fuit extenta prima syllaba metri causa et postea sic: habiliore metro usus est, ut solet in mulierum oratione. Postea sic: latronem producit metri causa.

Idem Sisenna in Amphytrione sic:

His quatuor generibus quintum accedit, de genere versuum qui non sunt uniusmodi.

Idem Sisenna in Captivis sic:

Hic ornatu S literam metri causa amisit.

Idem Sisenna in Aulularia sic:

Hæc scena anapæstico metro est, sed concisa sunt, ut non intelligas.

Juba in libro quarto sic dicit:

Jamborum itaque exempla quæ maxime frequentata sunt subdidi: *πάτερ λυκάμβα, ποῖον ἐφράσω τόδε. Δαναὸς ὁ πεντήκοντα θυγατέρων πατήρ. ξανθῇ παλαιῇ γρηῒ πολλᾷσιν φίλη. οἵδ' ὑπὸ γὰρ ὑμῶν παρετάθη καὶ περικλέους. ἱμάτιον ἐφέρει μαλακὸν ἐρίων σικελικῶν. τοδὲ προσκεφάλαιον φησὶν ἅμα σοὶ βούλομαι.*

Videre non vult Cælium Panætius
Misera marino quæ tumida litore
Vallis perimas amne labens cærulo.
Armiger in Ida pede vago litora petens
Cærula, non aliter superans liquida malaciæ.
παρὰ σοφοῦ μάθε κλίνων ὅσα τίσαν καταμάθοι.
Rape facis, cape puer, sopor abit, cane melos.

In alio loco sic: jambicum metrum non ex solis jambis conscribitur, sed quinque suscipit pedes, id est, jambum, tribrachum, anapæstum, dactylum, et spondeum, hoc est jambum et spondeum et solutiones eorum, scilicet ex jambi solutione tribrachum. Nam si sequentem longam syllabam in duas breves solvas, fiet de jambo tribrachus. Spondei autem solutiones duas, dactylum et anapæstum. Nam si prior syllaba spondei solvatur in duas breves, fiet anapæstus: si vero secunda, fiet dactylus. Unde datur intelligi, jambica metra de jambo et spondeo fieri, et de eorum solutionibus.

De choliambo sic: est aut proceritas ejusdem versus qui unius pedis differentia nomen amittit, nam quod sexto loco, qui locus

Digitized by Google

par est, non jambus, sed spondeus vel trochæus accipitur, et a longa incipit syllaba, claudum carmen facit, et choliambicum, nominatur, ut est ὦ κλαζομένοισι βούπαλος κατέκτειθεν ἀκουσαθ' ἱππώνακτος. οὐ γὰρ. ἄλλ' ἥκω.

O quæ tenerulæ comparis tenes crinem,

Sudes in ista via latet fossa. Quod autem binis pedibus, et non singulis scanditur, vetus institutum est. quippe Herodotus antiquus historiæ auctor, cum de heroico diceret versu, quem singulis partiri pedibus moris est, ita dixit: καί σφιν ἡπίθυνα φήσω ἄλυσιν. Unde apparet heroicum singulis pedibus scandi etiam apud veteres solitum, jambicum autem binis. Idem autem ait, cum de Archilocho Pario refert, qui Gigæ fabulam optime complexus est ita, γίγεω αὐτοῦ καὶ ἀρχίλοχος πάριος κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον γεγονὼς ἐπέμνησεν ἰάμβῳ τριμέτρῳ.

Meminit autemversus ejus Herodotus, quem ana plicui, Ὃ μήτε γίγεω πολυχρύσου μέλει. Et hactenus de catalectico trimetro dictum. De octometro Boiscio idem sic dixit: octometrum catalecticum quod appellatur Boiscium. Βοΐσκος ὁ ἀπο κυζικοῦ ἀοιδὸς γραφεὺς παιήρατος, τὸν ὀκτάπουν εὑρὼν στίχον φοίβῳ τίθησι δῶρον.

Boiscus iste Cyzico novi reportor carminis:

Nam primus versum octonupedum deo dicaverat. Firmianus ad Probum de metris comœdiarum sic dicit: nam quod de metris comœdiarum requisisti, et ego scio plurimos existimare Terentianas vel maxime fabulas metrum non habere comœdiæ græcæ i. Menandri, Philemonis, Diphili, qui trimetris versibus constant. Nostri enim veteres comœdiæ scriptores, in modulandis fabulis sequi maluerunt Eupolim, Cratinum, Aristophanem, ut præfatum est. Mensuram esse in fabulis, hoc est μέτρον, Terentii et Plauti, ac cæterorum comicorum et tragicorum dicant hi, Cicero, Scaurus, Firmianus, Varro, Victorinus, Cæsius Bassus, Terentianus, Cæcilius Vindex, Sisenna, Cinna, Diomedes, Albinus, Quintilianus, Sosipater Charisius, Helenus, Asper, Flavius Caper, Aruntius, Probus, Plinius Evanthius, Sacerdos qui et Donatus, Juba.

Hæc ego Rufinus collegi mente benigna,
Discipulisque dedi munera pulchra libens.

Digitized by Google

DES. ERASMUS ROTERODAMUS

DE METRIS.

COMICI Latini multam libertatem sibi usurparunt in versibus, sed nemo largius Terentio. adeo ut apud priscos quoque fuerint qui judicarent, in hujus fabulis nullam esse carminum legem. Sed hos falli manifestum est. Rursus fuerunt qui non negarunt, ab hoc servari metrorum leges, sed ob immodicam libertatem non esse operæ pretium torqueri doctos carminum dimensione, quod et res sit immensi laboris, nec ita multum inferat frugis. At ego ab utroque genere dissentio. nam ut manifestius est, quam ut egeat probatione, Terentii comœdias versibus constare: ita qui negligendam putarunt metrorum rationem, frequenter poetæ sermonem corruperunt, dum aliam vocem pro alia subjiciunt, quod nimium sæpe usu venit scribis, in authoribus solutæ dictionis: dum addunt atque adimunt, dum verborum invertunt ordinem. Nonnihil etiam hic peccarunt eruditi, qui dum carminu genera distinguunt ac dimetiuntur, parum attenti, interjecerunt verba quædam, ut explerent versus hiatum, aut resecuerunt quod videbatur superesse. Videtur autem studio factum a Terentio, ut dissimulato carmine quam proxime accederet ad orationem solutam: quod idem affecta esse videtur Horatius in Sermonibus et Epistolis. Hinc tanta in dimetiendo difficultas, ut existimem ipsum Donatum, aut Cornutum, aut Asperum, si viverent, in locis aliquot vel hæsuros, vel inter se dissensuros. Proinde nos quatriduanam opellam sumpsimus, ut adolescentulis aliquam hujus difficultatis partem adimeremus, non quidem in omnes fabulas, sed in unam perpetuo, et in cæteris carptim: quo ceu filo adjuti, sese facilius e cæteris explicent labyrinthis. Constant autem hujus fabulæ his ferme metrorum

Digitized by Google

generibus. Jambico trimetro, qui et senarii dicuntur a numero pedum. Jambico tetrametro, qui ab aliis quadrati, ab aliis octonarii dicuntur monometrum ac dimetrum raro interjicitur. In hoc genere quovis loco pro jambo ponit tribrachyn, spondæum, dactylum anapæstum, modo totius carminis penultima syllaba sit brevis. Siquidem in hoc versu. Nullum est jam dictum, quod non dictum sit prius: omnes spondæi sunt, excepto ultimo, cujus generis et alios aliquot reperias. Eandem libertatem sumit in trochaicis tetrametris catalecticis, satis habens si totius carminis penultima sit brevis. Illud tamen ubique cavetur, ne vel trochæus ingrediatur jambicum carmen, vel jambus trochaicum. Jambicum tetrametrum interdum in fine fraudatur una syllaba, producta penultima, quoties jambico dimetro acatalectico accinitur dimeter catalecticus. Veluti si, *jam lucis orto sydere*, accinas *Cultor dei memento*. Quanquam in hoc quoque genere usurpatur, cum communis, de qua dictum est, comicorum libertas, tum illa peculiaris, quod pro penultima longa ponit interdum duas breves. Exemplum est in actus quarti scena secunda (Andriæ). *Jam ubi ubi erit, inventum tibi curabo, et mecum adductum:* hic penultima producta est. Ibidem, *orare jussit, si se ames hera, jam ad sese venias.* Item, *hanc expetivi, contigit, conveniunt mores, valeant:* in his pro penultima longa ponuntur duæ breves. Hos versus etiam scazontes appellant. Est scazontis genus diminutum: quod dimetro jambico accinit duos trochæos, velut in actus tertii scena secunda.

Adhuc Archillis quæ adsolent: hic dimeter est. *quæque oportet:* duo sunt trochæi. Contra in aliis additur pes legitimo numero. Interim prior carminis pars est trochaica, posterior jambica, et contra. Admiscentur interdum et cretici, sive amphimacri, qui pes mediam habet brevem inter extremas longas: sic ut singuli versus habeant quaternos aut ternos creticos, nisi quod hic quoque usurpatur libertas comica sicut in cæteris. Exemplum est in quarti actus scena prima. Ut malis gaudeant, atque ex incommodis. Quatuor cretici sunt, nisi quod tertius est spondeus. Ibidem, *tum impudentissima eorum oratio est:* Tres habet creticos. Quamquam arbitror prius carmen vitia-

Digitized by Google

tum mutato dictionum ordine. Etenim si sic legas, et tamen res cogit denegare, *ibi tum eorum impudentissima oratio est:* ut posterior versus excipiat synalœpham prioris, carmen probe constat. Quidam tamen malunt hic esse trimetros Trochaicos catalecticos. Jambici trimetri facilior est dimensio, cum penthemimeris finit dictionem. Velut, *effertur, imus.* Et *sic cogitabam.* Difficilior cum contra: ut, *honesta et liberali: accedo ad pedisequas:* in *be* cæsura est. Idem efficiunt crebræ synalœphæ: ut ibi, *quæ ibi aderant, forte unam aspicio adolescentulam.*

In tetrametris item jambicis ac Trochaicis durior est dimensio, si prior dimeter non finiat dictionem, præsertim si non sit jambus, aut si accedat synalœphe: ut, *Meum gnatum rumor est amare. id populus curat scilicet.*

Prior dimeter finitur in *ma*, syllabam productam: et excipitur a synalœphe *re id.* Rursus ibidem. *Qui post quam audierat non datum iri*, &c. Prior dimeter desinit in *i*, admixta synalœphe. Turbat et illud lectorem minus exercitatum, quod interdum repente miscet jambica cum trochaicis, trimetra interdum et dimetra aut monometra cum tetrametris, acatalectica cum catalecticis, cretica cum jambicis ac trochaicis: quod locis aliquot annotavimus in margine. Ea mixtura maxime fit ubi res sunt turbulentiores. Fit interdum, ut scena prior desinat in hemistichium, et ab hujus clausula incipiat scena proxima: velut in Andriæ actus tertii, scena tertia, *sed eccum video ipsum foras exire.* Dimeter est plenus cum sesquipede. Perficitur initio scenæ sequentis. *At te ibam, quidnam est?* ut sit scazon tetrameter catalecticus. Nonnunquam dictio quæ pertinet ad sensum versus sequentis, per elisionem annectitur fini præcedentis: ut in prologo Eunuchi, *qui bene vertendo et eas describendo male, ex Græcis bonis*, &c. Durius est, cum dissecta dictione prior syllaba finit versum, reliquæ incipiunt sequentem, ut Eunuchi actus tertii, scena prima: continuo si quando illa dicet, Phædriam intromittamus comessatum, tu Pamphilam. Elisiones item et synæreses, præsertim minus usitatæ apud recentiores, faciunt ut lector impeditus frequenter hæreat in carmine. Eliditur autem in comicis versibus v, consonans, ut in I scena, *sine invidia laudem invenias*

Digitized by Google

et amicos pares. Rursus ibidem, *liberius vivendi fuit potestas, nam antea,* &c. Item in scena tertia, *enimvero Dave nihil loci est,* &c. Carmen enim incipit ab anapæsto. Et ante in scena prima. Enimvero spectatum satis. Eliditur et s, tum in sine, tum in media dictione.

In sine, ut in prima scena. *Sed quid opus est verbis?* Sed quid opu'st. Elisa simul et vocali *e.*

Idem fit *in satis, nec satis digna cui committas,* &c. Rursus in prologo Andriæ, fit in medio dictionis, id isti vituperant: aliisque locis compluribus, quorum aliquot in margine annotavimus. Interdum elidunt l, ut in prima scena Andriæ, *pro uxore habere hanc peregrinam,* ego illud sedulo: ut *grinam ego il,* faciant dactylum. Hanc libertatem frequenter usurpat Homerus, dum s, elidit in ὀδυσεύς, et l, in ἀχιλεύς. Sæpenumero contrahuntur vocales, velut in his, *fuit, deos, dies, meus, suus, scias, nihil, mihi,* ut sint monosyllaba. Similiter *ei, hujus, cujus,* monosyllaba pronuntur subinde: *eorum, meorum* dissyllaba. *Liberius vivendi fuit potestas: di fuit,* facit spondeum. *Scias posse habere jam ipsum suæ,* &c. *Scias posse* spondeus est: et *suæ,* unica syllaba est. *Meum gnatum rumor est amare. Meum gna,* spondeus est. Item *antehac* dissyllabum est. Nam quod antehac fecit. Frequenter eliditur d, in *quid,* et *sed* pro vocali, et sicut in *periculum,* elidimus u: idem hic facit in *paululum* et *annulum.* Quin et syllabæ quædam aliter pronunciantur, quam apud recentiores usurpatæ sunt velut in *suspicio,* secunda producitur: unde factum est, ut quidam legant *suspectionem.* Rursum in *cave, vade, mane,* et *ubi* finalis corripitur. Minimo momento mutatur genus carminis, velut in actus quarti, scena I. Si legas, in denegando modo quis pudor est paululum.

Trimeter est jambicus. Rursus si *in* annectas fini versus præcedentis, versus constabit quatuor creticis. *Denegan-do modo-quis pu-dor est paululum.* Si in *modo,* facias pyrrhichium, erit trimeter trochaicus catalecticus. *Dene-gando modo quis pu-dor est-paululum.* Porro inter jambicos tetrametros acatalecticos et trochaicos tetrametros catalecticos, tanta est affinitas, ut interdum nihil referat eundem versum utrum per jambos an per tro-

Digitized by Google

choreus metiaris, velut in actus tertii scena quarta, *utinam mihi esset aliquid hic quo nunc me præcipitem darem.* Si *mihi* facias unicam syllabam, trochaicus est: si duas, jambicus est: quale est et in actus V. sc. I. *Satis jam satis Sino spectata erga te amicitia est mea.* Item sequens, satis pericli cœpi adire, orandi jam finem face. Licet per jambos vel per trocheos metiri. Hujus generis sunt et alii complures.

RIVII CASTIGATIO.

Cum prodiisset ampo ab hinc fere septimo Terentius, doctissimi viri Philippi Melanchthonis opera diligentiaque restitutus, una cum argumentis ejusdem et annotatiunculis: non me hercle dici potest, quantum hoc nomine statim gratulandum studiosis omnibus existimarim: idque jure adeo ac merito. Videbam enim fore brevi, ut optimus Latinitatis author, qui innumeris ante mendis scatebat, nunc paulo castigatior majori cum voluptate, atque adeo majore cum fructu, quam antea, a ludimagistris pueritiæ præ legeretur. Quæ adeo non fefellit conjectura ut distractis magno bibliopolarum commodo exemplaribus, rursus excudi cœptus sit Vitembergæ: mox a Joan. Secerio Haganoæ: post etiam Norimbergæ: præterea apud Coloniam Agrippinam, ab Euchario primum Cervicorno: iterum a Joan. Sotere: tectio denique a Joan. Gymnico viro optimo, et mihi vetere necessitudine conjunctissimo. Adhæc Moguntiæ aliquoties et Argentorati: ut de cæteris taceam. Interim cum ipse quoque eum authorem studiosis quibusdam enarrandum suscepissem, sensi tandem, id quod erat, Melanchthonem gravioribus rebus occupatum, utque ipse pro sua modestia ingenue fatetur, veteribus exemplis haud satis instructum, non ab omnibus omnino mendis (absit invidia dicto) comici nostri fabulas vindicare potuisse. Et jam per totam prope Germaniam nulla facile præter Philippi exemplaria probabantur, aut manibus studiosa juventutis terebantur. Id eximia viri authoritas effecerit, an ipsa

Digitized by Google

res atque utilitas extorserit, nihil habeo dicere. Quæ nos quidem res primum movit, ut perquisitis antiquis exemplaribus et manu scriptis et impressis, locos plurimos depravatos, quos ille inemendatos reliquerat, corrigere conaremur. Quid nostra diligentia consequuti simus, aliorum esto judicium. Hoc certe jure affirmare posse videor, ex impressis nullum uspiam extare hodie exemplar, quo in exemplari plures loci correcti sint, quam in eo, quod nos aliquando in publicum daturi sumus. Id ita esse cum res, ut puto, testatibur, tum editio olim nostra, si cum aliis conferatur. Etenim vi summa jampridem atque omni ope, et plus demum quam pro virili parte, uti omnium ante nos recognitionem vincere nus, adnitendum mihi existimavi. Interim locos plurimos a nobis. quanta licuit, cum fide et religione, tum diligentia, studio labore castigatos, pristinoque, ut opinor, nitori integritatique reddites publicavimus, et quidem nullo majore verborum apparatu: quandoquidem, ut ille canit, Ornari res ipsa negat, contenta doceri. Quod si laude merita, qui unum alterumve in authore quopiam illustrant aut restituunt locum, non fraudantur, cur non ipse quoque sperem nonnullam me a studiosis gratiam initurum, qui tot in Terentio locos, fortasse non inepte prorsus, diligenter quidem, et magna cura certe, ab omnibus mendis vindicaverim? Tametsi haud sane dissimulavero, hærere ipsum me plerisque in locis, et quædam, de quibus parum adhuc liqueat, ampliare, et quid in his potissimum sequar, haud dum exploratum satis habere, in tanta præsertim exemplarium antiquorum cum dissentione et discrepantia, tum monstrosa aliquibi etiam depravatione: ut suis locis ostendemus. Quod cur tandem me fateri ingenue pudeat? Par est autem, quod publice a nobis studiosorum utilitati datur, id quale etiam cunque bonæ consulere. Præstet alius quivis, quantum nos: nec dubitem omni asseveratione confirmare, parum adeo fore, quod in Terentio quis desyderare habeat. Variam interdum ex veterum authorum citationibus, et antiquorum inter se codicum repugnantia, lectionem indicavi: ita demum, quid mihi videatur, conjecturis subditis ostendens, liberum ut tamen lectori judicium semper relinquam. Qua in re mihi nihil fuit potius, quam ut

Digitized by Google

Donati, ubicunque liceret, fidem sequerer, interpretis undecunque doctissimi: ab eoque ne transversum quidem, ut aiunt, digitum discederem: sed citra superstitionem tamen, et cum judicio semper. Cæterum cum plerosque fore suspicemur, qui, quod carminis rationem ignorent, vix apte satis his de rebus judicare queant: visum est subjicere nonnulla hic, quæ velut januam patefaciant, et viam, ut dicitur, præmuniant imperitioribus: quo certius de recognitione nostra judicium facere, et sententiam ferre possint. Igitur comici Plautus et Terentius metro fere utuntur vel jambico, vel trochaico vel utroque simul confuso. Jambicum vel monometrum est, quod duobus pedibus simplicibus constat: vel dimetrum, quod quatuor: vel trimetrum, quod sex, qui et senarii dicuntur M. Tullio et Fab. Quintiliano: vel tetrametrum, quod octo: qui et quadrati appellantur, et octonarii. Ex hisce trimetro comici et tetrametro maxime utuntur: aliis raro, et in medio fere (sicuti Priscianus annotavit) distinctionis causa. Quod ad pedes attinet jambici, magna libertate comici indifferenter ubivis ponunt, jambum, tribrachyn, anapæstum, dactylum, spondeum: in fine plerumque, aut jambum, aut pyrrhichium, nunquam nisi in scazonte spondeum. Utitur Terentius sæpe in jambico, pede quatuor syllabarum brevium proceleusmatico, idque per resolutionem spondei: ut in Andria, *mala mens, malus animus, quem quidem ego si sensero*: hic secundo loco est proceleusmaticus. In eadem: *tibi generum firmum, et filiæ invenies virum:* hic prima regione idem pes. Et autem duplex jambici genus: alterum rectum perfectumve vocatur, alterum σκάζοντα ἢ χωλίαμβον: cujus penultimam in fine longam esse oportet. Utriusque meminit Ovidius, cum canit, *liber in adversos hostes stringatur jambus,* Seu *celer, extremum seu trahat ille pedem,* utitur identidem poeta jambico tetrametro catalectico, id est, cui syllaba in fine desit: quo in catalectico, sibi inter alia hoc quoque permittit, ut pro penultima longa haud raro duas breves ponat, quod facile qui versus in suos pedes digerere volet, sic habere comperiet. In trochaicis comici indiscrete interdum dactylos, vel trochæos ponunt, nimirum quo pene dissoluta et pedestri simillima esse videa-

Digitized by Google

tur personarum sermocinatio: cujus ipse Priscianus meminit, apud quem Victorinus non minus libere, quam vere ait, comicis, dum quotidianum sermonem imitari nituntur, metra vitiare studio, non imperitia quod et Terentianus testatur hisce versibus, *fidemque fictis dum procurant fabulis, In metro peccant arte, non inscitia.* Tanta autem affinitas est in trochaicos et jambicos tetrametros, vix ut discernere interdum possis: unde nimirum fit aliquoties, ut quos forte aliquis jambicos esse crediderit, iidem trochaici verius censeri queant. Cujus rei cum alia multa exempla sunt, tum commodissimum fuerit ex Andria, scena prima actus quinti: ubi duos primos versus, vel per jambos aliquis, vel per trochæos metiri possit, nisi quod insequentes versus per trochæos esse metiendos indicant. Inde error eorum, qui jambicos quadratos esse adnotarant, cum quivis non rudissimus plane harum rerum, trochaicos esse videat. Hic illud obiter, quamvis leve, admonendum puto: mire interdum poeta de industria sententiam genere ipso metri juvare videtur: velut ibi, *Dii boni, boni quid porto? sed ubi inveniam Pamphilum? Ut metum in quo nunc est adimam, atque expleam animum gaudio,* &c. Ubi trochaici carminis cursu et volubilitate festinationem repræsentat servuli insolenter exultantis, et alacritate nimia gestientis quo circa passim trochæos, tribrachos, anapæstos admiscuit: pedes scilicet, quibus celeritas plerunque a cæteris item poetis exprimi solet. Similiter in Eunucho subitum egressum puellæ perturbatæ celeritate ipsa pedum expressit: ubi Phædria, sed quid hoc est, inquit, quod timida subito egreditur Pythias? Hoc dedita opera poetam ita fecisse, vel illud indicio fuerit, quod cum cæteri hujus scenæ versus jambici sint, unus hic trimeter trochaicus esse videatur. Et alioqui solet interdum poeta mutare metri genus, cum ventum est ad παρασκευὴν scenæ sequentis: velut in And. act. I. scena. IV. et rursus act. III. scena. IV. Iterum act. IV. scena. I. In Hecyra act. III. scena III. Præterea in Phorm. II. scena II. Sic alias sæpe. Tale illud quoque ex Adelphis, *cæteros ruerem, agerem, raperem, tunderem et prosternerem.* Cui est aliquod aurium judicium, is facile sentiet, cur sit poeta trochaico usus hoc loco: nimirum ut sensum quodam velut cursu pedum citorum juvaret: quod et

Digitized by Google

principem poetarum Virgilium sepe facultasse constat. Nam ut tarditatem rei difficultatemque exprimere cum vult, crebris spondeis : ita cum celeritatem et velut impetum et festinationem, dactylis frequentibus utitur. Prioris exemplum illud est ex tertio Æneidos, *annixi torquent spumas et cærula verrunt*. Posterioris illud ex quarto, *idem omnes simul ardor habet, ruptantque ruuntque. Littora deservere*, &c. Sed nimis multa, de re præsertim levi. Observabit hæc aliaque id genus per se ipse lector studiosus. Illud non ignorandum, comicos, s, literam consonantem haud secus elidere solitos, ac si vocalis esset, idque frequentissime: quod et Ennium in heroicis, et vetustissimos quosque facere consuevisse, ut et Virgilium interim, docti annotarunt; velut in Andria, *herus me relictis rebus jussit Pamphilum:* hic prima regione anapæstus est, s, eliso. In Eunucho, jugularas hominem. quid ille? Th. Mutus ilico. Hic in verbo *jugularas*, s, eliditur : ut sit secundo loco anapæstus, tertio jambus. Nisi quis dicere ausit pronomen *ille*, velut ablato altero l, corripi, more imitationeque Græcorum, quod (ut ego sentio) paulo fuerit coactius. Quamvis apud hosce fateor alteram nonnunquam de geminatis consonantibus in versu tolli κατὰ παρέλλειψιν, quo syllabà positu longa corripi queat. Et solent Latini in multis (ut diligenter adnotavit Priscianus) initium aliquod accipientes a Græcis, ab angusto in effusum licentiæ spatium hoc dilatare. Sed hoc suæ cujusque conjecturæ relinquo. Illud quidem non est ut inficiari queam, videri interdum l, elidi apud comicum nostrum, quoties adeo pronomen *ille:* ut in Eunucho, *Manendum est soli sine illa, quid tum postea?* In Heauton. *Nec tibi ille est credere ausus, quæ est æquom patri.* In Adelphis, *quid is fecit? De. Quid ille fecerit? quem neque pudet.* In Hecyra, *non tibi illud factum minus placet quam mihi Lache.* In Phormione, *ille qui illam unabat fidicinam, tantummodo*, &c. Sunt id genus sexcenta apud Terentium. Fuisse autem cum non geminaretur l, in hoc pronomine, videor ex Sex. Pompeio deprehendisse libro I. παρελλείψει contraria figura est διπλασιασμός, qua ipsa frequenter poeta utitur ad producendam syllabam aliqui brevem: ut in Adelphis *reliquum* pro *reliquum*, et alibi *rettuli, repperi*, atque id genus alia.

Digitized by Google

Sed pergamus. V quoque consonantem comici perinde ac vocalem in media dictione elidunt: quod apud Terentium in dictionibus *incidia*, et *enimvero*, fieri videmus: apud quem ipsum *cujus*, *hujus*, *ejus* similesque particulæ monosyllabæ fere sunt: quod ita demum frequens est, ut non putem de eo subjicienda exempla. Illud præterea sæpenumero usu venit, ut prima versus sequentis, qui a vocali incipiat, ab ultima superioris absorbeatur; velut in illo. *Ex Græcis bonis Latinas fecit non bonas:* ubi *ex*, absorbetur ab adverso *male*, quo versus præcedens clauditur. Et in prologo Hecyræ, *ego interea meum non potui tutari locum.* Prior syllaba in pronomine *ego* pertinet ad versum superiorem. Contra apud Virgilium, ultima præcedentis initio quandoque insequentis absorbetur: quale est. *Ecce furens animis aderat Tyrinthius, omnemque accessum lustrans.* Cujusmodi versus ὑπέρμετροι dicuntur, sicuti præter alios Diomedes ostendit. Qualis ille etiam, apud Terent. in Andr. *Tuus pater modo me prehendit, ait tibi uxorem dare sese hodie.* item alia multa, &c. Sic enim ex observatione antiquorum codicum legimus, nec secus Donatus, ut quidem et Romana habet, et Veneta editio, consentientibus et aliis quibusdam. Hic igitur illud *se* in fine prioris, absorberi necesse est initio sequentis, quod et alias fit apud eundem. Sunt autem versus trochaici, et qui volet metiri, sic plane habere comperiet. Talis est ille ex Hecyra, *disjunxit illum ab illa, postquam et ipse sese.* Et illam, *et hanc quæ domi erat cognovit satis.* Tales etiam apud Plautum sæpe occurrunt: velut in Aulularia, *censen' talentum magnum exorari potesse ab istoc sene*, &c. Quid autem mirum, si in trochaicis, jambicisque reperias ὑπερμέτρους, cum in Sapphicis etiam invenias apud Horatium? Utuntur comici et diæresi identidem, quomodo in Adelphis *tam* semel atque iterum disyllabum legitur, ut et apud Plautum nonnunquam. Ita apud Catullum, *soluit:* apud Horatium, *syluæ:* apud Statium, *suäsit.* Et contraria huic figura Synæresi, quæ et ἐπισυναλοιφὴ, dicitur, qua duas in unam syllabam contrahunt: ut, *servibas*, pro, serviebas, *scibas*, pro, sciebas: sicuti apud Virg. *Ferreique Eumenidum thalami*, et sæpe alias. Frequens etiam est apud Terentium in versuum mensione συναλοιφὴ, quæ

Digitized by Google

fit cum in diversis dictionibus, vocalium inter se coeuntium altera velut obliteratur, et ἔκθλιψις, quoties, *m.* cum vocali præcedente excluditur. Quanquam non semper idem elidi solitum apud veteres testatur Priscia. lib. I. velut apud Terentium in Eunuchi act. III. scena 3. *Una ire cum amica imperatorem in via.* Est enim secundo loco tribrachys. Quod si, m. elidatur, erit ibidem Pyrrhichius, cui nullus in jambico locus. Sic alibi. *Primum istam quam habes, unde habes vestem?* taces eodem modo apud Juvenalem,—*cum propter plurima tum his Præcipue causis,* Satyra IX. De figuris cæteris nihil hic dicendum puto.

ANTONIUS GOVEANUS

DE VERSIBUS TERENTIANIS.

Terentiani versus aut jambici sunt, aut trochaici. Jambici pedes duos recipiunt, jambum et spondeum, et in quos ii dissolvuntur, nullos præterea. Trochaici item duos, trocheum et spondeum, et in quos ii dissoluuntur, nullos præterea. Jambici aut monometri sunt, aut dimetri, aut trimetri, aut tetrametri. Monometri unam habent mensuram, hoc est, pedes duos, duas dimetri, tres trimetri, hoc est, pedes sex, unde a Latinis senarii dicti sunt. Tetrametri quatuor, hoc est, pedes octo: qui et octonarii a Latinis, et quadrati, et longissimi dicuntur. Monometri et trimetri justæ semper sunt mensuræ, et veri semper jambici, hoc est, pedem ultimum semper habent jambum. Dimetrorum et tetrametrorum justæ quidem sunt mensuræ, qui acatalectici vocantur, iique veri semper apud hunc authorem sunt jambici. Injustæ quidam mensuræ sunt, et ii non semper veri sunt jambici, sed ut plurimum spondeum, aut dactylum ultima sede recipiunt, dicunturque Scazontes. Injustæ autem esse versus mensuræ modis duobus accidit. aut enim justo syllaba minores sunt, aut majores: illi, catalectici: hi, hypercatalectici sunt nominati. Dimetri ut multi sint catalectici, ita nulli hypercatalectici reperiuntur. Nunc, trochaici aut dimetri sunt, aut tetrametri, catalectici omnes, vel hypercatalectici, et ii octo-

Digitized by Google

nari: nulli siquidem dimetri hypercatalectici sunt. Nimis fuere ingeniosi qui denarios versus in Terentio sunt commenti, qui pentametros jambicos, qui dimetros redundante pede, qui dimetros creticos, qui creticos monometros redundante pede, qui e crético uno versum brevissimum, qui creticos in quibus pro cretico poneretur molossus, poneretur et jambus, qui senarios jambicos hypercatalecticos, qui monstra illa versuum e trochaicis et jambicis conflata. Porro nec ab jambicis ad trochaicos, nec ab iis ad illos transit poeta, nisi (quæ vetus doctorum fuit opinio, longo a me intervallo renovata) res id aut postulet, aut certe ferat. Quomodo autem id res aut postulet, aut ferat, suis locis in iis commentariis docebimus, quos in Terentium paramus. Quæ poetarum more licere sibi voluit Terentius (quæ quidem pauca sunt) hæc animadverti: in unam contrahit syllabam *meus, tuus, suus, deus, deum, deos, deæ, prior, puer, rei, eho, fuit, ea:* in duas *eadem, eodem, duarum.* dissolvit *tam* in syllabas duas, in tres *vero*, in quatuor *virginem*, in quinque *ejusmodi. Redducere, redductus, relliquus* geminata effert consonante. Literam, quæ in *optimus* extrema est, tollit frequentissime: extrema prioris versus vocali est cum ad inchoandum sequentem utatur: est cum, si forte vocalis sit, a vocali quæ sequentem inchoat versum elidi velit, quemadmodum quæ sequentem inchoat ab ea interim absumitur vocali quæ præcedentem cludit. Hæc judicio nostro sunt, quæ de versibus Terentianis et præcipi debuerunt necessario, et vere potuerunt.

JULII CÆSARIS SCALIGERI LIBER,

DE COMICIS DIMENSIONIBUS.

Ad Silvium Cæsarem filium.

Quibus artibus poetarum ingenia excolerentur, cum esset a nobis duobus libris explicatum: non prius absolutum fuisse opus illud videbatur, quam addita de versibus comicis commentatione institutum teneremus. Nam cum de origine, generibus, partibus fabularum, quæ in scenam afferrentur, et ab aliis olim, et a nobis ipsis suo loco sic disputatum: in animo habebamus, totum hoc negotium legare iis, qui de pedum quantitate, deque versuum

Digitized by Google

ratione conscripserant. Verum cum et maximus vir Erasmus, et post eum plerique alii ita hanc confiscre provinciam aggressi sint, ut et ille his non pauca reliquisse, et hi eadem illa aut nescisse, aut præteriisse visi sint: conatus sum, Sylviane fili, hac quoque opera ostendere animum erga te nostrum: ut quem in locum naturæ ope teipsum evehere mirabamur, nostris auspiciis promoveri, ac provenire ea possis. Nam cum permecessaria per se cognitio est ipsa, tum etiam si non esset, videntur tamen viri illi talem effaciase, sive ad eorum magnitudinem intueare, quam ad hujusmodi lucubrationem demisissent: sive negligentiam spectes, qua mutilam depravatamque relinquerent. Ac primum quidem quam Erasmus affert, vereor ut accipienda sit dubitatio: sit, neque certis pedibus astricta comœdia. Nam quamquam Quintilianus hoc dixisse videtur, non tamen pedum leges potius, quam trimetrorum præscriptionem desyderavit: neque in omnibus, sed in Terentianis tantum: quarum gratiam, quam elegantiæ orationis atque puritate consequutæ essent, diminutam putabat licentia versuum longiorum: cum tamen Plautus nihilo sit in trimetris frequentior. Hoc autem amplius eadem in quæstione peccat Priscianus: quosdam esse, qui in Terentii fabulis extare metra negent, atque eosdem tamen ait, illa quasi arcana quædam, sibique solis cognita profiteri. Quid enim est hoc? negare numeros in versu quopiam, eosdemque numeros in eodem versu eo solos dimetiri posse? Hanc sententiam more suo de illo mutuatus Erasmus, commodiorem fecit: dividit enim eam, ejusque partes ad diversa refert judicia. Alios inquit negare, alios quasi inutilem eam investigationem existimare. Quorum utrunque cum ipse rejecisset: quod erat priore loco, merito quasi judicatum omisit. Alterius autem rationem hanc reddere instituit, non operam perdere nos indagandis versuum generibus, hac enim diligentia efficit, ut quæ librariorum incuria transpositæ voces sint, suis eas sedibus restituantur. Ego vero neque hoc esse necessarium video, et plus conferre adsolutæ orationis libertatem. Nam neque ubivis transpositæ voces, versus tollent connexionem: et frequentissime deprehendimus, ob numeri necessitatem ita transpositas, ut si eandem sententiam in epistolam sis allaturus, cogaris aliis

Digitized by Google

sedibus digerere: veluti cum Terentianus Simo ait: *si sensero hodie quicquam in his te nuptiis, Fallaciæ conari, quo fiant minus.* Nam priore versu multa invertas sine dispendio numerorum: in altero autem et quotidiano sermone, et forensibus contentionibus aliter loquare. Itaque si librarii ita scripsissent: *fallacia conari, quo minus fiant:* ex eorum temeritate hoc fructus capiamus, ut minore negotio imitemur. Hoc igitur non negamus nos, versuum legibus duci nos ad verborum sedes investigandas: sed in eo ullam esse utilitatem, hoc negamus: imo vero conducere interdum magis, si transposita sint, quo ordine orationem nostram instituamus. Sed profecto hac opera plus fuit laboris sumptum, quam captum utilitatis: ut non sine causa miraremur, summos viros tantum studii in dimetiendis illis versibus posuisse, Priscianum, Donatum, Asperum, Jubam, Scaurum, Probum, Sulpitium, Varronem ipsum. Quorum frequentiæ cum mihi in mentem venit, apparet illico aut obscura diligentia, qui infecto negotio eguerint successore: aut res ipsa perdita, quæ vel ab uno alterove tantorum virorum nequiverit confici. Quare ea quoque causa, sed potissimum ea, inquam, esse potuit, ut ad hanc contemplationem studium nostrum adhiberemus. Neque enim sola res petenda jam est nobis, sed ipsa contentione de clarissimis autoribus victoria reportanda. Atque ut eorum judicia hac quoque in parte emendemus, simul ad hanc operam incitemus ingenia literatorum: ut non minimam pronuntiandi rationem ex hac commentatione consequi sese posse putent: quemadmodum cum intellexerint neque aspirationem, neque sibilum, neque mutam inter se conspirare potuisse, ut prima syllaba in voce hac, *isthic*, produceretur. Qua in voce eadem qui putant sibilum extrudi in pronuntiando, neque morem servarunt, neque etymologiam observarunt. Nam Æoles, quos Latini maxime sunt imitati, quod alii ἐθλὸν dicerent, ipsi ἐσλὸν pronuntiabant. ita in verbo, *isthic*, satius fuit mutam abjicere, et fuit ratio: nam, *is*, pronomen integrum manet: cauda autem illa, quam vocant syllabicam adjectionem, nullo dispendio expuncta etiam leniori relinquit locum conjunctioni. Præterea multis in locis animadvertas, posituram consonantium non producere vocalem: sed

Digitized by Google

suapte natura niti brevitate: ut, *in*, *sed*, *ad*, *quod*, *aliud*, *simul*: in quibus qui putarunt oportere postremum elidi elementum, vehementer errarunt. Sed longe facilius in disjunctis vocibus correptam vocalem tenuere, quam in conjunctis ita pronuntiabant, ut positura nihil afferret more brevitati. *Sic insidias*, *et inferos*, primam producere dixerunt: *indicationem* autem et *incautum*, corripere. Quare si hoc in uno tractu ac tenore faciebant, multo commodius interposito eo intervallo, quod separatis vocibus debetur, efficere debuere, nam si dicas, *in sedibus*, atque ibi præpositio brevis sit, quæ in ea compositione longa fuisset: quanto aptius brevis erit, si dicas, *in diem*: quæ si compones, brevis quoque erit? Præterea animadvertemus, quam celeriter multas vocales pronuntiando expediverint, ut etiam cum sequentibus obscurarint. Sic enim in illis, *scias*, *suæ*, *tuæ fuit*, *dies*, *deos*, *prius*: quæ efficiebant monosyllaba: ita ex duobus comparativis, *potius*, *melius*, duos constituebant pyrrhichios. Nam quemadmodum mensuremus versum illum ex Andria? *Dabit nemo. inveniet inopem potius*, *quam te corrumpi sinat*. Necesse enim est ex duabus vocibus his, *potius quam*, unum pedem fieri. quod ut efficias, multa prius, ac mirabili eget interpolatione. Ergo vulgo ita quoque locutos puto, non laturos scenarum barbariem, quæ de medio sumeret sermonem. In hac tamen re et disceptarunt multi, et non pauci errarunt: sicut et illi, qui reddere voluerunt rationem versuum: cum alii essent curtissimi, alii adeo longi, ut mihi libeat cum Plautino trapezita jocari, dum unum scribo explevit mihi totas ceras quatuor: quantus ille est ex Eunucho: *et magnifica verba: verba dum sint, verum si ad rem conferentur*, *vapulavit*. Quanquam, hic quoque ab illis dissentio, aioque duos versus esse priorem trochaicum dimetrum brachycatalecticum, alterum octonarium. Nam sic pronuntiavit, ut cum dixisset. *Et magnifica verba:* substitit affixitque ibi propositum in verbis: postea simul cum re mutavit sententiam, ut pro factis facta redderet, et verba minitaretur. Priscianus distinctionis causa breviores insertos versus dicit. Verum neque ille distinctio hæc quid esset, declaravit: neque nos, quid sibi velit, sane scimus. Nam quæ distinctio esse de-

Digitized by Google

bet, non solum eadem in scena, sed etiam persona? quæve in prima scena gravissimæ comœdiæ Amphitruonis? Ipso enim ingressu statim nusquam sibi constat. Aut qualem in ea scena, in qua Pamphilus de patris duritia queritur? qui in eodem argumento propositoque perstaret conquestionis, et tetrametris illud inservit dimetrum: *quod si sit, pereo funditus.* Alii, ut sibi videbantur, acutiores, e rebus ipsis duci, non solum pedum statum, aut cursum, sed etiam versuum tractus prodidere: in re perturbata mutari versus, pedesque ipsos confundi: in celeritate trochaicos trudi: gravibus personis statarios sermones confieri ex spondeis. Afferunt huc non tam pro teste, quam pro judice Virgilianam prudentiam, divinam illam sane mihi: qui rem, verborum nitore hac numerorum concinnitate oculis subjiciat. Ego vero ut horum diligentiam veneratus sum, quam equidem tanto studio in meis poematis exprimere conatus fuerim: ita in comœdiis falsam simul atque supervacaneam animadverti. Nam si in personarum statibus diversis, si in contrariis negotiis, si in fabularum partibus maxime inter se dissimilibus, idem pes, idem pedum ordo, idem carminum genus ostendatur: jam nulla causa est, quin horum sententia, tanquam vana explodatur. Ergo in divina fabula, ac vere thesauro, quam levi nimis de causa Trinummum inscripsit Plautus, protasis trimetro jambico tota constat: item epitasis tum catastrophe; Stichus e contrario, tota trochaicis longis. In Mostellaria adolescenti Philolacheti homini perdito luxu, atque otio corrupto, quique unam modo rem ageret, ut inserviret ventri, dati versus sunt omni pedum pene genere pleni. Tranioni autem servo trepido, in re desperata, versus compositi, atque sibi ipsis constantes. Seni Teuropidæ viso gravi, parco, læto, aucta re, amoro maritimorum metu periculorum, senarii jambici. Quid gravius Amphitruone? quid magis statarium, quam finis fabulæ conversæ? concluditur tamen fabula trochaicis. In Sticho autem tam jambis potant, quam trochæis. Gurgulio currens in re nova, novo nuntio vehitur trochæi rotis. At Acanthio in Mercatore haud absimili in re quadratis utitur jambicis: at iisdem in Terentiana Phormione Geta pari in negotio. Ergasilus vero parasitus in Captivis, tam

Digitized by Google

trochaicis, quam aliis: cum tamen similem ageret cursuram. Quemadmodum et Dinacium puer in Stichо nuntii autor novi, utrisque mistim usus est. Præterea trochaicis Harpax Cacula militaris in Pseudulo dum lenonem quærit. Trochaicis Erotium meretrix in Menechmis, ut obsonium comparandum curet. At e contrario trochaicis Lysiteles adolescens et gravis, et frugi in Trinummo: et Chremes senex, vir bonus, ac prudens in Andria, seria in primis de re, paterno animo, constanti conquestione. Quod si ad Davum respiciant, qui sequenti scena jam otium atque tranquillitatem imperando sibi, bellissimos fundit trochaicos, jam ipsi illa de celeritate aliquid consultius remittant. Postea profecto istos comicos nostrates, ut in mentem venerant res arripuisse eisque numeros accommodasse reor. Isti vero legumlatores novi, plerique hoc suis obtinent ingeniis peculiare: semel alicubi si quid deprehendere, illico pro lege habent. Atqui longo multoque opus est studio, est opus consilio prudenti, acri judicio opus est: quanquam equidem non negarim, fabularum initiis ubi animos, auresque spectatorum trimetris versibus imbuissent: ipsi sibi suo quasi jure agerent, deinceps interspersis alicubi ejusdem generis senariis, idque neque semper, neque coactos, neque consulto factitasse existimamus. Fuit tamen hoc illis in more positum, ut narrationibus trimetros majore ex parte adaptarent: neque solum in argumentis, aut prologo, aut protasi, sed etiam apud personas eas, quæ etiam aliud agerent. Quemadmodum cum Davus in Andria, de aliis rebus loquens, alia utitur versuum dimensione. ubi ad narrationem deventum est, de navi fracta apud Andrum, ad trimetros divertitur. *Ad hæc mala, hoc mihi accedit etiam. hæc Andria.* Eadem diligentia in epistolis, in Pseudulo ab longis in senarios deflectitur. In Asinaria quoque quod pactum conscriptum est inter adolescentem, et lenam, senariis expletur: quoniam sit narratio quædam: quanquam ne hic quidem semper. Nam longis versibus narrat in Rudente Grippus, eventis fortunæ sese bene acceptum. At in eadem senex somnium trimetris. Ex utrisque vero, atque etiam aliis mistis Sosia Amphitruonis: quanquam ubi ad manus ventum est, jamborum vim atque alacritatem minutisne gyro flectit,

Digitized by Google

ac vibrat. Cum igitur tam inconstantem legem videamus, ut illis poetis neque curæ fuerit, uti facerent, neque salvo puri sermonis nitore efficere potuere, uti numeris essent astrictioribus: nos sic inventa, aut quemadmodum existunt, permittamus, aut si quid sinistri sese offerat, ne odiose extorqueamus: præsertim cum licentiæ vitium cum Græcis, unde sumpsissent, sibi commune, licentia, uti solet, auxere. Illud vero, quod aliqui dubitando, quidam etiam asseverando negabant, fabulas Terentianas trimetris circunscriptas, falsum esse deprehendimus. Nam et apud eum poetam plus esse hujus carminis invenies: et contra, apud Plautum quadratos, aliaque longiorum genera. Andria pene ex æquo divisa in utrunque genus est. Haud enim ita multo ab longis senariorum numerus superatur. In Eunucho, et Heautontimorumeno, item. At in Adelphis pene ex quadrante longi ab senariis exceduntur. Phormionem potior senariorum numerus conficit. Hecyra laxior fabula, ac pedestrior est: itaque omnium Terentianarum, ad sermonem quotidianum quam proxime accedit. est tamen in ea senariorum plus tertia parte. At contra. Plautina Amphitruo, et Rudens, vix totus quadrans expletur senariis. Asinaria, Epidicus, quam tantopere ipse autem laudat, Mostellaria, Menæchmi, Miles, Mercator, Pseudulus, Aulularia, Basina, Gurgulio, Bacchides, aut ex utrisque æque constant, aut etiam minus habent senariorum. Captivi vero, et Persa, et Pœnulus plus dimidio textæ sunt longis. Trinummus legebatur hactenus tota quadratis, aut non multo brevioribus. Eam nos ita restituimus pristinæ sinceritati, ut ad quingentos senarios excusserimus. Quorum tamen numero præstant longi versus duplo. Quam operam etiam cum Truculento impendissemus: paulo minus ducentis reformatis, tantam longiorum invenimus multitudinem, vix ut illorum hi essent pars quinta. Atque is labor non temere susceptus est: cum tam facile mendacium. Quintiliani autoritate tegeretur. Nam isti magni viri, dum nihil inexcussum volunt, et fastidiunt leviora, plus profecto nominis usurpant, quam ponant operæ. Quemadmodum Priscianus quoque, cui de anapæsto sententia excidit satis absurda, cum dixit: erit autem probabilis jambicus

Digitized by Google

versus, at tragœdiis aptus, si secundum, et quartum pedem, non alios feceris, quam jambos, aut eum, qui tribrachus est, aut anapœstus: quoniam sunt pares. Qua enim audacia fretus anapœstum tribracho parem dixit. Nam quod ait paribus sedibus anapœstum recipi: verum est. Sic enim extat in Pluto Aristophanis: ὃς ἀργαλέον πρᾶγμ' ἐστὶν, ᾧ ζεῦ καὶ θεοί. Et his in eodem versu: οἰδ' ἐξετρέποντο, κ' οὐκ ἐδύκουν μ' ἀρᾶν ἔτι. Verum hoc est illi adeo frequens, ut nullus pudor Latinis sit jam futurus, quibus linguæ ratio persuasit, ne hoc attentius curarent: præsertim cum tragœdia quoque hoc admiserit, gravius sane ac longe castius poema. Observantior Sophocles: Euripides minus obnoxius; nam minus pepercit illis sedibus. γλῶτταν δ' ἐνωρχήσασαν ἰδίᾳ τῆς φρενός. Et in Hecuba; καὶ σμίκρον ἔχομι, πάντ' ἂν ἀρκούντως ἔχοι. Neque solum anapœstum paribus sedibus posuit illis, sed etiam in ultima, ut in Oreste: αὐτανεργὸς, αἴπερ καὶ μόνοι σώζουσι πόλιν. Quem si tribrachyn voces, syllabam nunc respicias, non legem illam, qua ultima habetur indifferens. Erasmus autem recte sedibus imparibus dicebat, pro jambo receptum spondeum, dactylum, tribrachyn, anapœstum: proceleusmaticum autem omisit, quoniam excidisset memoria: et creticum, quem sane putaret non admitti. Nam si in eam sedem posse recipi sperasset, non multa carmina subvertisset. Proceleusmaticus autem proxime ad naturam dactyli accedit, differens syllabarum numero, temporum tractibus par. Tribus autem modis excipitur pes ille. Aut enim mollis est, atque adminiculis quibusdam similior factus dactylo: ut, *genua labant: ariete; parietibus.* Duabus enim vocalibus constitutis, prior consonantis vim quandam videtur obtinere. Aut est apertior, ut in versu Enniano: *capitibus nutantis pinus, rectosque cupressos.* Aut est coactus, ademptis consonantibus quibus syllabarum brevitas impeditur. cujusmodi est in Andria: *sine invidia laudem invenias, et amicos pares.* Itaque ad eum versum cum devenisset Erasmus, neque agnoscere vellet proceleusmaticum, quem in suis legibus non constituisset, et putaret duriusculè fieri, si Æolicum digamma auferretur, ut exiret proceleusmaticus: sustulit tamen, ut excipieretur tribrachus in duabus prioribus syllabis hujus nominis, *invidia*, et ex duabus postremis

Digitized by Google

vocalibus una syllaba concreta esset. Verum ut in natura, ita in arte illius imitatrice faciendum nobis est, nihil aut otiose, aut superfluo agere. Ergo ut constet ratio dimensionis, si recipias proceleusmaticum, unum tantum moliris, cum tollis digamma. Si malis tribrachum, et hoc tibi idem curandum est, ut tollas: et præterea duabus confertis syllabis obscuranda oratio. Nam si nihil refert pronuncies*ne* *invidia*, *an invida*, quid intelligamus? quod si (ac verius quidem est) ita pronunciemus, ut quasi sonum consonantis prior vocalis obtineat, jam non sit tribrachus amplius, sed anapestus. Nam ita pronunciari in quibusdam proceleusmaticis jam diximus, et apparet ex illo versu poetæ. *Stellio, et lucifugis congesta cubilia blattis.* Et apud Horatium: *ut Nasidieni juvet te cœna beati.* Nam idem nomen aliter: *Nasidienus ad hæc.* Quare in priore versu, omnes erant spondei præter quintum. Sic enim etiam Catullus, pituitæ, primam eam produxit: *mucusque et mala pituita nasi.* Non corripuit Horatius: *nisi cum pituita molesta est.* Sed trisyllabum posuit: ita ut media littera Æolicum sit digamma: quod et elicitur ex judicio Ælii Stolonis, qui a petendo vitam duci ratus est. Verum quod in, *invidia*, fecit, ut unam ex duabus efficeret syllabam, commodius confecisset in, *injuria*, illo versu: *quo jure, quoque injuria præcipitem me in pistrinum dabit.* Sicut in, *perfidia*, prologo Amphitruonis: *non ambitione, neque perfidia, qui minus.* Id quod si animadvertisset, non sustulisset pronomen *me*, quod magna cum emphasi, ac gestu ad timorem personæ positum est: et omnibus in exemplaribus legitur. Tolli autem Æolicum elementum in ea voce, palam est etiam versu illo Phormionis: *qui sæpe propter invidiam adimunt diviti.* Neque enim mirum est advenitium literam de medio tolli quasi peregrinam. Est enim *vides*, *ἰδες*: sicut in verbo *vivo*: fuit enim *βιϝῶ*: eo versu: *liberius vivendi fuit potestas, nam antea.* Pœo enim non admodum vegetum, contentumque fuisse literæ illius pronuntiationem: sicuti neque in *ovo*, neque in *ove*, cum libitum esset. quæ ut asperrima est apud Germanos, ita pene vocalis apud Vascones, non consonans: nedum ut duplex uspiam sit. Sed nequaquam par ratio fuit aut necessitas, ut eliceretur idem digamma, in

Digitized by Google

verbo hoc, *inveniet:* eo versu ex Andria: *dabit nemo inveniet inopem potius, quam te corrumpi sinat.* Nihilo enim mutatur versus dimensio, sive tollatur, sive relinquatur: quare, contra quam sensere, nullo pacto debeat tolli. In conjunctione quoque hac, *enimvero,* durius fit, si eximatur. Quid enim esset, *enimero?* Sed unam syllabam fuisse, *enim,* cum vellent arbitror. siquidem Græcum fuit ἦν, ἠνὶ. At quasi pro consonante accepere, ut ostendimus, in Stellio, *invidia, injuria.* Quod si cui paulo asperior videatur pronuntiatio: is non meminit, ea ratione, *cui,* esse monosyllabum: et *Pompei,* bisyllabum: et, *cai,* monosyllabum, et *hui:* et quod omnium durissimum est, *huic.* Proceleusmaticos autem aliis duobus versibus animadvertere quidam, utroque ex Andria: *mala mens, malus animus: quem quidem ego si sensero. Tibi generum firmum, et filiæ invenies virum.* Ac de priore quidem non est disceptandum. In posteriore autem mollior est: propterea quod antiqui pronomina, *mi,* et *ti,* monosyllaba pronuntiabant ab Æolensibus accepta, μοὶ, τοὶ: tu, τύ: τέ, te, sic enim in Gurgulione accipiendum est: *curato. ego tibi quod amas, jam huc adducam. Tibi,* proceleusmaticum hic quoque facient, neque errabunt. Hoc tantum agebamus, ut intelligeres secundiorem fluxum earum syllabarum ad proceleusmaticum, quarum duæ in unam redigi atque coalescere possint. De cretico autem, quem isti omni conatu subterfugere, pluribus rationibus, atque exemplis est disputandum. Nam si in heroicum admittitur, si in tragœdia, quod est poema clarum, nobile, elatum, castum, locum invenit: quare in medium ac vulgatum sermonem non recipiatur? Est igitur apud poetam: *et naufragum scyllacæum.* Dicent non fuisse emendatum librum. At Vari et Tuccæ judicio emendatum fuit hoc. At est in emendatissimo libro Georgicon, quod supra adduximus: *stellio, et lucifugis.* At est Euripidæ cum alibi, tum in Hecuba: δυοῖν δὲ παίδοιν δύο νεκρὼ κατόψεται. Cum tamen dicere potuisset: παίδοιν δυοῖν. Itaque nos quoque in Nemesi, studuimus gravitati, et auribus: *Heu genus nefandum.* Nam abjecta interjectione, exanguis oratio est: item si dicas, *heu gens nefanda.* Et alio loco posuimus, *sinistra:* potuisset dici, scæva. Sed paucis aures poeticæ datæ

Digitized by Google

sunt. Præterea si dactylus et anapæstus in jambi loca suffecti sunt, quorum utervis una illum et syllaba et tempore superaret, quare eam licentiam sermonis eadem puritas non coegerit recipere quasdam voces, in quibus esset creticus? præsertim cum e puris creticis aliquot versus constent. Præterea, ea nomina, verbaque, *deus, dies, fuit, mea, sua, tua,* eo pertinent, ut cum collectionem in unam syllabam patiantur, doceant nos in cretico idem quoque fieri posse, ut emolliantur pronuntiatione. Ad hæc, si omnium morosissimus pes, ac pene ferus, ἀντιβακχίος, in heroicum receptus est apud Homerum: cum *αἰγίπτιον*, et *ἀνδροτῆτα*, facit ut dactylum primoribus syllabis amplectantur: nulla causa est, quin rationes etiam autoritatibus fulciantur. quas Erasmus si diligentius recensuisset, non transtulisset præpositionem, ex, in Eunuchi prologo: sic, *qui bene vertendo, et eas describendo male, ex Græcis bonis, Latinas fecit non bonas.* Quod equidem ut non improbo, ita consilium non laudo: quo adductus est, ut id faceret, ob amphimacrum vitandum. At si his rationibus non acquiescat, exemplis saltem credere cogatur: quæ quanquam habebam pene infinita, tamen et multa omisi, in quibus possent tergiversari: et alia firma pene innumera, ne tædium parerent. paucis igitur contenti simus. Ex Hecyra igitur cum illud possemus adducere: *eam calamitatem vestra intelligentia:* supercedimus duabus de causis: quoniam et ipsi liquidam non geminant in postrema dictione: et nos, pronomen, quod primo loco positum est, monosyllabum agnoscimus; quare audiamus ex Asinaria: *forte si tussire occæpsit, ne sic tussiat.* Puto autem sic legendum præcipient: *fors si tussire.* Nam ii magis erunt ferendi, quam qui putabunt conjunctionem, *si*, corripi: ut in, *nisi*, et in, *siquidem.* Quare alia quæramus, ex Gurgulione: *sitit hæc anus, quantillum sitit, modica est, capit.* Item in his duobus, binos: *pervelim sepultam. sed quom adhuc naso odos meo. Sedatum te quam longe a me abest. lumen hoc vide.* Videamus alios multos, in eadem: *sed gradiorem gradum ergo fac ad me obsecro.* Ubi, *fac*, longum est contra recentiores. *Salve anus. egon' salva sim, quæ sicca sum siti? Jamne ego huic dico? quid dices? me periisse, age.* Item ex Andria: *sive ista uxor, sive amica est, gravida e Pamphilo est.* Quo e versu

Digitized by Google

ut creticum tolleret, non veritus est universæ orationis detrahere ornamentum: pronomen illud scilicet, quod in secundo loco statim legitur. Videamus ergo etiam ex Eunucho: *quæ cum amatore suo cum cænant ligurium*. Nam hic non possumus effugere, quin aut prima in sede creticus sit, aut in quinta, nam si secundam vocem non collidas, sed integram relinquas in dimensione; sicut frequenter fit, et Plautus voluit sibi licere in Pseudulo: *si de damnosis natis, aut de amatoribus*. Creticus sit inevitabilis in quinta. Nam prima syllaba natura, non positione longa est. *Canare*, enim medium natura, producit. Sin collidas, jam in prima sede hoc eveniat, eadem validissimus ratione: qualis etiam ex Heautontimorumeno: *itane comparatum esse hominum naturam omnium*. Quem versum qui trochaicum putent, nugas agunt. hæc enim fuga neque necessaria est, et est frustra. Nam in prologo Adelphorum, quæ pars esse debet politissima: *iudicio de scipso erit: vos eritis judices*. In eadem fabula. *Quam aut hic nunc manere tandiu aut nunc persequi*. Inepte divertunt ad trochaicos. Quid enim in illo dicent? *Ille futilis, somnium, sineres vero illum tuum?* etenim trocheos extorquere nequeant ex eo. Et in Eunucho: *sed neminem curiosum intervenire nunc mihi*. Quem Erasmus versum pro senario imprudenter sese meritum esse putat. Et in Hecyra: *a Myrrhina hæc sunt mea uxore exorta omnia*. Et in Pœnulo: *perque meos amores, perque Adelphasium meam*. Et in Amphitruone: *inimicos ossa sum semper obtuerier*. item in Asinaria: *deum sibi invocet, quam lubebit, propitium*. Et in Aulularia. *Nempe sicut dicis. quid hic? non poterat de suo?* Ex Casina: *aut quasi lumbricus terram quidem te postules*. Sicut ex Captivis: *inde me continuo recipiam rursum domum*. Ex Casina alterum: *quid facies? concludere in fenestrum firmiter*. Quod si dicant elidi sibilum, quemadmodum in Rudente: *illustriores fecit fenestrasque indidit*: objicies illud ex Aulularia: *Ædepol mortalem parce parcum prædicas*. Quo loco si jurandi adverbium pronuntiatum autument ab antiquis per medias syllabæ exemptionem: alium opponas e Pseudulo: *nunc tuo cum filio liber acubat omnia*. Ubi si dicant, *ad*, præpositionem in compositione etiam correptam enuntiari consuevisse: quæramus nos, quare in aliis carminum generibus nullis

Digitized by Google

licuerit hoc. Quod si respondeant in causa esse pedestrem ac vulgarem orationem: hinc instemus nos, non valde meritam esse illius vilitatem, ut tam accuratis astricta numeris creticum aspernaretur. Itaque verbum substantivum aliquando miris torsere modis: ut in Milite Plautus: *censen' vero adeo esse parcum, et misere vivere? Dicas uxorem tibi esse necessum ducere.* Apertius vero in Gurgulione, simplici sibilo pronuntiatur: *huic anui non satis est soli eapem esse hanc quidem.* Ceterum quis eximet a cretico versum illum ex Trinummo? *Sit taciturnitati clam fidei ac fiduciæ.* Nisi qui ad trochiacam aram illam misere confugerit? Quare illo obruantur ex Gurgulione, quem jambicus, ut sese in omnia vertant, quia sit, efficere nequeant *liberi lepos, ut veteris vetusti cupidos sum.* Atque initio quidem arbitror vocalium tenuiorum mollitie factum, ut subirent pedes alieni: sic dicimus, χρεώ, πηληιάδεω πόλεως, πλέων: ut bacchum etiam receperimus illo versu: *et lævis ocreas lento ducunt argento.* At hunc versum spondaicum putat Diomedes vir doctus. non male: ut mollior vocalis subeat fortiorem. Sic creticum interposuit, ut spondæum faceret *aureo.* Quod si in tragœdia cretici sunt, in heroicis bacchius et antibacchius, ut taceam anapæstum, tum Homeri, βορέης ζεφυρός τε: tum Virgilii, *Fluviorum rex Eridanus*: non videntur fuisse tot monstra necessaria, quot isti eximendis elementis crearunt, in *quidem*, in *sicut*, in *simul*, atque aliis: neque excludendas integras fuisse voces, aut alias spurias ingenuis supponendas, quod fecisse Erasmum et supra ostendimus, et ex his patet. Nam in Eunucho, *despectam*, posuit: *despicatam*, sustulit: *habeat despicatam, et quæ nos semper omnibus cruciant modis.* Auxit etiam errorem alia culpa, cum ex eadem fabula versum fingit ex putis creticis: *siccine agis? quis tu homo es? quid tibi vis? quid cum illa rei tibi est?* Quem tamen jambicum quadratum agnoscas. Pari infelicitate et illum ex Andria creticis conclusit, qui esset senarius integer: *in denegando modo quis pudor est paululum*, restituta namque per initium præpositione, quam ille nimis confidenter sustulerat in prioris finem, tollet illius et errorem, et audaciam: simul deprehendes crassam culpam: qui creticum ex tribus vocibus confectum sperarit illis *quis pudor est.* Verum ille vir curiosior paulo fuit

Digitized by Google

emendandis autoribus. Nam et apud Senecam: *arcum intensio frangit, animum remissio:* eum ibi dixit esse inversum senarium, atque ipse sic invertit: *remissio animum frangit, arcum intensio.* Dixisset commodius, quod ad pedes attinet, sic legi posse: nunc cum necessitatem affert, causam suam facit deteriorem. Nam et sic senarius est: et in aliis apud eundem autorem senariis non observatas magis leges intelligas, quam in comœdiis aut aliis fabulis, unde ille sumeret. Quod si acrius contemplere, longe concinnior sententia est: quam deformat ille inversione sua. Nam sententia tametsi æqualiter de arcu, et de animo, pronuntiat per contraria, tamen vult arcum referre ad animum, quoniam de animo quærit statuere. Itaque non ab eo incipere, sed in eo sententiam terminare oportuit: præsertim cum præter expectionem de animo sentiat. Nihil enim mirum, intensione arcum, at mirum remissione animum frangi. Quare et crescit oratio, et talis est, ut quavis pedum dispositione potior sit. Ita curiosa hæc ingenia sæpenumero judicio carent. De comicorum versuum materia, partiumque quantitate, satis disputatum est; de ipsarum partium numero deinceps videamus. Principio, quod antea in libris de arte poetica statuimus, hic repetendum est, versus per initia curtos fuisse, duobus ad summum contentos pedibus. Id quod et ratione comprehenditur: siquidem partes toto corpore priores sunt. et exemplis: sic enim ortum esse primum senarium in Apollinis pugna, quam cum Pythone conseruit, ex illa simplici acclamatione: *ἰὴ παίαν.* Quam cum et iterarent, et frequentarent, natum aiunt senarium: quo tantopere in suis oraculis postea ille celebrarit. *Ἰὴ παίαν, ἰὴ παιὰν, ἰὴ παιάν.* Qua de causa apud autores fabularum, invenias unica voce contentum versum: ut in Eunucho: *occidi.* Sed et monosyllabum interdum: ut in Hecuba: *φεῦ.* Et eadem geminata voce, distinctæ voces, ut in Pluto, ut in Oreste: *ἆ, ἆ.* Et conjuncta: ut in Philoctete Sophoclis: *Ἀτταταῖ.* Repetitis deinde tractibus productiores facti: ut in Nubibus: *Ἰού, ἰού.* Hoc quoque ita in Trinummo duplicatum fuit, ut dimeter fieret: *O Callicles, O Callicles.* Ergo cum duo pedum essent genera, alterum motorium; alterum statarium: qui versus ex motoriis constarent, in iis binos pedes singulis collectos tractibus

Digitized by Google

feriebant: qui autem e statariis conflabantur, satis habebant suum cuique sedi pedem referre. In priori classe fuit pyrrhichius: cujus versus Enopolios dictus est: quo usi sumus nos toto pœmatio, quod dicaveramus Sileni natalibus. *Modo citus ego pede celere magis ago numeros: abeoque Venere duce loca super alia volans.* Et Euripides in Oreste: χρέος ἐμόλετέ ποτε: ναυκλάδον ἀπὸ λέχεος. Ejusdem generis est, jambus, trochæus, tribrachus. In secundo censu spondeus habetur, dactylus, anapæstus, proceleusmaticus, creticus, amphimacrus, bacchius, palimbacchius. Neque vero sine ratione fuit hoc. In his namque pedibus, accentionum natura quatuor, aut quinque temporibus frequens est. Ergo statarii versus ex pedum numero nomen obtinuere: ita ut heroici, quoniam sex spondæis constarent, senarii dicerentur: motorii autem non item: qui ob celeritatem satis habuerunt, ex dimidio tantum nomen sibi retinere: propterea quod bini prodirent simul: atque ita factum est, ut quibus essent pedes bini, ii monometri vocarentur: quibus quatuor, dimetri: quibus sex, trimetri: quibus octo, tetrametri. Hæc apud Græcos. Latini autem his nominibus etiam alia addidere: non ab dimensionibus, quæ binos caperent pedes, sed a pedum numero, quaternarios, senarios, octonarios: tanto commodius, cum unica voce etiam imparibus constitutos pedibus nominabant. Quinarios, septenarios. Nam hos Græci brachycatalectici adjectione agnoscunt, quanti sint. Octonarios autem etiam quadratos appellavimus: quemadmodum in cubica figura anguli octoni sunt: ita cum eandem quadrantalem dicerent, eodem nomine hosce versus insignitos voluere. Nam constituta quadrata superficies, si fluat atque postea sistatur, quadrantal creat. quare corpus hoc Latini Græca voce tesseram vocitarunt: non a laterum numero, ut quidam putavere, sunt enim sex: sed ab radice constitutionis: sic enim appellant mathematici. Præterea cum seniarii plus in usu fuissent, primusque Boistus produxerit octonarios, ab illo tractu longos nominavere. Ergo neque Gellius Ennianos versus quadratos recte appellavit trochaicos illos: *hoc erit tibi argumentum semper in promtu situm. Ne quid exspectes amicos, vata quod possis agere.* Neque Varro in septimo de lingua

Digitized by Google

Latina. illos ex Eunucho: *heri aliquot adolescentuli coimus in Piræo.* Siquidem Ruffinus autor est, eundem Varronem ita sensisse, versum septenarium fieri, cum ad senarium pes trisyllabus adderetur: additque exemplum iisdem numeris, ex Hecyra: *nam si remittant quippiam Philumenæ dolores.* Non solum igitur a se dissentit ipse, verum etiam errat definiendo. Nam et major est septenario, et trisyllabus pes bacchius præsertim, jambo non solum est adventitius, sed etiam alterius tractus diversi, neque dignus qui in jambici definitionem admittatur, et ridiculum est, non potius septenarium ex septenis fieri, sicut ex senis senarium, quam e senario et uno pede: tanto minus trisyllabo. Sed profecto magnos viros autoritas sæpe texit etiam male sentientes: sicut Ciceronem quoque fugit ratio, cum in prima quæstione Thusculana septenarios vocat illos: *heu reliquias semiassi regis denudatis ossibus, Per terram sanie delibutas fœde diu vexarier.* Erasmus Varronem secutus, tetrametrum nihilo felicius explicavit illis verbis, jambicum tetrametrum interdum in fine fraudari una syllaba producta penultima, quoties jambico dimetro accinitur dimeter catalecticus. Nam quid attinebat dicere penultimam productam? neque enim necessarium hoc est: quo loco et tribrachus esse potest et dactylus: quorum syllabæ postremæ breves sunt. Aut quæ est illa explicatio, quasi cum dicas, homini interdum pes deest, quoties integro semihomine, alteri semihomini pes deest. At vero quis nescit tetrametros, non e duobus dimetris, sed ex quatuor dimensionibus constare? si quis vel partim consideret rationem, quarum singulis æquale jus sit in versu: vel originem ipsam intuatur. Neque enim Boistus ille, aliusve quispiam, dimetro dimetrum aptavit: sed trimetrum, quem tum longissimum invenerat, monometrum addidit. Præterea quis hoc audiens, non putet esse nefas cæsuram facere in quinto pede, si quidem ex duobus dimetris tetrametrum est consarcinandum. Quid quod idem abusus est dimetri trimetrique appellatione, nam imprudenter versum illum ex Andria jambicum pentametrum dixit esse *hoccine credibile est aut memorabile:* qui esset trimeter brachycatalecticus. Neque enim idem esse *μέτρον*, et pedem, supra diximus: sed *μέτρον* capere motorios

Digitized by Google

pedes duos: quare si pentrametrum jambicum exigas et a Græco poeta, et a Latino, tanto altero majorem ostendat. quem errorem etiam in illo continuavit: *novi rem omnem. sed est Simo intus? est.* Ergo nihil mirum sit, qui motoriis pedibus auferat sua jura, ad statarios immerito transferre. Illum enim versum ex Andria: *ut malis gaudeant, atque ex incommodis:* ausus est creticum dimetrum nominare. qui tamen pes cum non solum syllabarum numero, sed etiam temporum quantitate prolixior, quam spondeus fit: quare solus unam dimensionem non expleat, si spondeus implet? Eum tamen secutus Rivius, parem erroris admisit proportionem. Siquidem trochaicis anapæstum interseri nonnunquam scripsit causa celeritatis. quod dictum cum illo superiore maxime convenit. idem namque sentiunt cum ille creticum ad jambum, hic anapæstum referat ad trochæum. At qui pes ita esset quatuor præditus temporibus, ut duo simul unam syllabam efficerent plenam ponderis et gravitatis, non potuit inter cursores illos annumerari: præsertim cum jambo similior esset anapæstus quam trochæo. uterque enim a brevibus incipit, in longam desinit. Quanto enim gravior est jambus trochæo, tanto est anapæstus dactylo. Quare non levi de causa factum est, ut gravissimi poematis gravissima pars chorus ad gravissimi pedis majestatem sese conferret, scilicet anapæstum. Quid quod ille nullam posuit rationem, propter quam trochæus esset jambo volubilior. At vero et nomen Græcum excitabat nos, et suberat ratio. Nam qui et syllabarum numero, et temporum ratione par esset jambo, non potuit eo esse celerior nisi sane temporum, temporaque deferentium syllabarum situ, qua una re illi fieret dissimilis. Trahit enim trochæus syllaba priore vocem ita, ut in posteriore emollescat, ac quasi evanescat jambus e contrario celeritatem professus, gravitatem præstat. Itaque sanguinarius pes, et promtus ad vulnerandum, indicat et impetum primo, et statariam pugnam mox. Id quod Hipponax cum acerrimo ingenio vir animadverteret, quam rationem impetus in pede agnovisset eam in peculiarem pedi versum transtulit: ut sicut jambus in syllaba longa pertinax pugnaret, sic jambicus versus in longum pede incumberet. Leviorem enim ratus jambum, quam ut

Digitized by Google

ad impressionem faciendam satis esset, in quintam prælato sedem, succedere ei spondeum fecit, quare id quoque judicio consecuti sumus nos, propius ad naturam partium accessurum fuisse totum versum, si jambus imparibus, trochæus paribus sedibus constituti fuissent. Cujus rei exemplum, quoniam res est minus usitata, e nostris poematiis subjiciemus unum ex jambicis: *malis fortuna Cornucopiæ fundit* alterum ex trochaicis: *si plaudit malis fortuna, quid justis fit?* Qui flexus numerorum si cui absurdus videtur, is meminerit aurium consuetudinem violentam esse: novamque atque inusitata non tam semper admirari, quam sæpe respuere. Verum magnopere nostra interest, qui quoad licet Aristotelis exemplo rerum causas vestigamus, venerari rationem, propter quam cum jambo sedem assignarent prisci, maluerint pares retinere. Nam si in dactylico senario una tantum satis fuit, quinta scilicet: sive ille fuit spondaicus, una item fuit satis, quippe sexta: quare trochæo impares, alias jambo constituere? nam hoc sane præter naturam factum videtur. Etenim per initia si solis aut jambis aut trochæis versus constabant, videtur sane primam quamque sedem illos arripere debuisse. Quibus verbis ut respondeam, sane primum sic agam, non esse rerum naturam secutos veteres poetas: multa illis pro libidine facta fuisse, multa fortuito excidisse, quæ postea pro legibus probarentur. Unum illud satis constat, cum trochæo sedem primam retinerent, non inconsulto diversam ab ea, et aliis imparibus adverso pedi jambo assignasse. Quare autem hanc huic, illam illi reddiderint, sane haud facile est intellectu, atque hic quidem ita sentit Priscianus: quoniam, inquit, in secundo pede cum dimetiendo feriretur versus, minor ei loco mora debita est. Nam mihi contra videtur, majorem moram deberi in pronuntiando, ubi tempore ipso immoramur. Et falsum esset ibi positum pedem, quoniam feriretur: sed contra. verum esset, ibi feriri, quoniam pes poneretur. At hoc quærimus nunc nos, quam ob causam ibi positus sit. Præterea si ea ratio est, quomodo constabit in trochaicis, qui ibidem feriuntur, ut igitur quæstionis rationem apud nos putemus, intelligamus secundum verborum inventionem esse, at a longis incipiamus, et in breves deduca-

Digitized by Google

sur. Nam quamquam brevis syllaba natura sua prior est, quam longa, quippe simplicior est: tamen per initia inventionum cunctabantur primum. quæ ratio est, ut vocum fines in pronuntiatione obscurentur. Ita enim meditantis, et consulti animi suspendere vocem, non precipitare. Quamobrem tam in versibus, quam in prosa oratione, postremarum syllabarum habita ratio est nulla. Trochæum igitur antiquiorem fuisse jambo, et dactylum anapæsto par est. Ergo trochaicum versum jambico priorem. Quare cum primæ quæque sedes trochæo fuerint peculiares, alteræ illi relictæ sunt. Præterea cum trochæus esset pes volubilis, statim sese ingressit in versum. Jambus autem grassator ille idem fecit, quod civilibus in rebus plurimis consuevimus. In oratione ipsa, ut principiis gravis ac sedata sit, pugnam quoque cautius aggredimur: tum illa incitatu effervescit: sic ad saltum ubi comparamus nos, fortius pedem figimus, ut statariæ moræ majorem impetum subjiciamus. Sic Aristoteles omnium bonarum artium dominus, motum omnem sub finem esse probavit concitatiorem. Ita proposito spondeo, et jambo, satius fuit ab hoc illum excipi. Præterea recentissima quaque memoria fere metimur ipsas res. quare assignata prima sede trochaico, ultima quoque necessario trochæo finitur. Quæ sedes, primam dico, si jambi fuisset, in ultima jambum nullum haberemus: nunc ut in ea ille sit, pares sedes illi attribuendæ fuere: ut recentissimo sono, quippe novissimo, aures spectatorum caperentur. Quæ de universa re dicenda erant, fere habes Sylvi: quare deinceps ad ea, quæ particulatim animadversa sunt, descendamus. Atque equidem, ut sese offerent, ita ea describam. Sit ergo quod affert ab Adelphico versu: *quid is fecit? quid ille fecerit? quem neque pudet.* Cum enim agnosceret senarium, neque rationem inire posset dimensionum, abstulit alteram ex liquidis in pronomine, *ille:* id quod ut ego quoque fateor, et posse, et solere fieri: ita hic duo dico. Primum, ab eo creticum quarta in sede esse constitutum: quem tamen pedem adeo evitaverit, ut everterit multa. Deinde versus aut ipsum disjecisse, aut aliorum incuria solutos præterisse. Sic enim legendi sunt: *quod tristu es? rogitas me, ubi nobis Æschinus Siet, quid tristu ego sim? dixine*

Digitized by Google

hoc fore? quid is Fecit? quid ille fecerit? quem neque pudet. Ubi verbum, *siet*, unica syllaba concretum sit. Sic etiam ex Andriæ illo sibilum abstulit, non unde debuit: *quis igitur est relictus objurgandi locus?* Sibilum inquit, in pronomine, *quis*, elidi-tur. At vero cum necessario jambicus sit, nullo pacto ad eum modum secare possis, sed ex participio tollendus est. Sed et illum male dimetitus est: *perii obsecro: tam infandum facinus mea tu, ne audivi quidem.* Quem dicit esse trochaicum catalecticum: cum sit integer quadratus jambicus, neque ad trochaicum torqueri possit. Sicut et præcedentem illum: *forte ad nos redierit. vise amabo num sit jam. faxo scias.* Nam ut evaderet amphimacrum, non est veritus trahere sui trochaici caudam etiam ultra octo pedes: nisi argutet, *scias*, esse monosyllabum, sed cum omnes illi sint quadrati, etiam hunc jambicum malim, nulla facta in prima voce collisione. *Quo ille abire ignavos possit longius, nisi si domum.* In prologo autem Andriæ, eo versu: *nam in prologis scribundis operam abutitur:* cum diceret vocis hujus, *prologis*, primam syllabam esse a Terentio productam, addidit sane rationem frivolam: Latina, inquit, consuetudine: quibus mos est eam præpositionem productam habere. Nam in Latinis verbis producant, in Græcis autem abstineant, nisi alia vis subsit: sicut in hac voce, ubi liquida illa geminatur, sicut in Heautontimorumo: *oratorem voluit esse me, non prologum:* et ex prologo Truculenti: *sed relliquam dat operam, ne sit reliquom.* Et illo: *ut pernoscatus ecquid spei sit reliquum.* Nam nisi hoc soliti essent facere, mille aliæ viæ erant ad eadem pene verba versu concludenda, ut rem novam evitaret. Verum nova nequaquam erat: sed ab Homero usque: nam in hymnis μέλος, in Iliade χώρια, atque alia produxit. Etiamque nunc multæ nationes adeo crasse eam literam pronuntient, ut intus esse aspiratio videatur, Gabali, Arverni, Græci, Germani, Ligures, Taurini. Cæterum etiam alia ratio est, ut et versus ille prologi constet, neque liquida geminetur. Sane si eam vocem quæ in eo versu prima est, non collidas: quod sæpe alibi et in ea, et in aliis factitatum est, sicut in Eunucho: *una ire cum amica imperatorem in via.* In secunda enim sede dactylus est, neque præpositio colliditur. Ita

Digitized by Google

in illo si conjunctionem, *nam*, non collidas, nihil innovabis: præsertim cum in promptu habuit, ut pro, *nam*, subjiceret, namque. Verum ut diximus etiam in alio prologo idem factum est, ut geminaretur, et recte minus vero recte a Donato in Hecyræ prologo. *Prope jam remmotum injuria adversarium.* Nam tametsi geminari consuevisse fatemur, tamen non eum fuisse locum, eam affectandi novationem, qui sibi jambum, quamdocunque posset, asciscceret. Sicuti non minus infeliciter Priscianus: qui cum reducit geminare mutam diceret, idque exemplo probare vellet, attulit dimetrum Horatianum ex Epodo: *redducet in sedem vice.* Nam quod aiat, si negem? neque enim necessitate pedis persuadebitur nobis. Quid si contendam non esse factum ab Horatio, qui quoad potest, jambos etiam aucupatur? Quare igitur abjecerit genuinum pedem, quare admiserit spuriam literam, ut illum excluderet? Melius fecisset, si ex Hecyra illud: *remissam opus sit vobis, an redductam domum.* Neque mirum, quæ in, *reddo*, geminetur. In scena quoque primi actus quinta, cum Pamphili orationi intervenisset Mysis, atque suis uterque seorsum affectibus uteretur, versus interseruit diversos quoque poeta, quos Erasmus confudit: sic igitur legendi sunt: *hoccine est humanum factum, aut inceptum? hoccine officium patris? Quid illud est? Proh Deum atque hominum fidem, quid est, si non hæc contumelia est?* Sic enim etiam alio genere Mysis utitur iterum: *miseram me, quod verbum audio?* Cui respondet illud Pamphili: *quod si fit, pereo funditus.* In eadem autem scena versum illum: *proh Deum atque hominum fidem, nullone ego:* appellat dimetrum pede redundante, laxe sane nimis. Nam quamobrem non quinarium? quare non trimetrum brachycatalecticum? quis unquam audivit versum ullum pede esse redundante? nonne ipse ille versus talis est hoc ipso pede, quem dicis redundare? Illud quoque male dignoscere visi sunt: cum actus secundi putarunt initium, caudam esse postremi versus, quo clauditur actus primus, sic, *ne ad morbum hoc etiam, teneo. quid ais Byrrhia?* Nam ut hoc primum dicam, multo satius est, ut initia actuum integra sint, quam fines. Deinde apparet properatio in Myside abeunte, ut Glycerium consolaretur. Itaque abrupit sermonem, atque abiit. Præterea

Digitized by Google

inter actus vetus comœdia interserebat *προσφήματα*, choros, deverbia, apostrophas, atque alia ejusmodi. Nova comœdia raro gregem, nisi in fine. Aliquando etiam Choragum legimus apud Plautum. Omnino autem tibicen canebat: quod e Pseudulo licet perspicere. *Dum concenturio in corde sycophantias, tibicen vos interea hic delectaverit.* Tanto igitur intervallo, quomodo Charinus Mysidis explesset versum, quem non audiret? In eadem vero scena, ita perverse legit, ut alterum novenarium faciat, alterum, senarium relinquat: sic, *quæso ædepol Charine, quoniam id fieri quod vis non potest, velis Quod possit. nihil aliud nisi Philumenam volo.* Cum tamen duo priores optimi sint octonarii: sic, *quæso ædepol Charine, quoniam id fieri, quod vis, non potest, Velis quod possit. nihil aliud nisi Philumenam volo.* Etiam priore consilio monometrum vocat illum: *ah quanto satius est.* Dimeter enim est brachycatalecticus. Sed et nulla necessitate mutat, *abi*, in abin', sive, abeas, cum frustra putat alioqui constare non posse versum. Nam et trochaicus est si collidas: et jambicus, si non collidas nam et maxima est vis ejus vocalis quæ est ultima in verbo, *abi*. Sic Virgilius, eo pulcherrimo versu, quo Theocritum æmulatus est: *ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.* Et asperatio prohibet collisionem. sicuti illi: *Hecyra est huic nomen fabulæ. hæc cum data est.* Sic imprudenter nimis elidit sibilum ex pronomine illius versus; *sed istud quidnam est? hodie uxorem ducis? aiunt. Pamphile,* Qui tamen rotundissimus sit octonarius, neque usquam coactus. Nam quod monet, in nomine, *suspitio*, tertiam a fine produci, verum est: sed neque nova res, neque sine ratione, nam et Plautus ita scripsit: *et ne in suspitione ponatur stupri, et clandestina ut celetur suspitio.* Et satis liquet coaluisse duas vocales in unam. Namque ab eo quod esset suspicitum, suspicitio fuit: itaque cum erit brevis, tunc intelligetur syncope: cum longa, synæresis: ex eo quoque versu in Andria: *an non dixi hoc esse futurum? dixti quid meritus es? crucem.* Prisciani autoritate dicit tolli verbum substantivum. Quo in loco mihi oblatam sentiam occasionem duos simul emendandi magnos viros: illum qui errarit, hunc qui non correxerit. Est enim integer octonarius. Illud vero ejus proprium est, cu-

Digitized by Google

jus culpam in alium transferre nequeas. Nam verbum substantivum, *adfuerunt*, trisyllabum professus est eo versu: *cum in pariundo aliquot adfuerunt liberæ*. Qui tamen versus senarius jambum habet in quarta: ferendus tamen erat quasi lapsus, nisi altero errore culpam cumulasset, cum primam auferri jubet syllabam ex eo versu, *aufugistin? hera factum satin' id tibi placet?* Integer enim senarius est, etiam citra ablationem, spondeis duobus, anapæsto, duobus dactylis, et postremo jambo. Ibi temere transfert syllabam inferioris in superiorem: contra debuit transferre in Hecyra, neque transtulit: *quæ dico parvipendent porro hoc jurgium ad Uxorem, hæc cujus fiunt consilio omnia*, sicut interjectionem quoque debuit ascribere priori versui in Adelphis, ut sic legeretur: *Syre præceptorum plenus istorum ille. phy, Domi habuit unde disceret. fit sedulo.* Restituisset etiam in Hecyræ versu verbum, ut sit septenarius, ac par priori: sic *tecum ferantur, dixi ita ut jubes faciam pater.* Non debet errati censeri loco, illud in Andria eo versu: *tu rem impeditam, et perditam restituas? hem quo fretus sim.* In quo dicit, *hem* extra versum ab alio additum potius: quam positum a poeta: cum tamen mutila sit sine eo sententia: et sibilum elidi videmus etiam in multis locis. Sic audacter nimis aufert verbum, *cupio* ex illo Eunuchi: *cupio aliquos parare amicos beneficio meo.* Cum tamen commodius eximeret vocem sequentem, sine ullo carminis detrimento, etiam sententia rotundiore. Sed aut sit proceleusmaticus primus pes, et alter amphimacrus: aut pronomen possessivum: quod postremo in loco est, demittatur in versum alterum subsequentem, qui nihilominus sit senarius: sic: *meo. id amabo adjuta me, quo id fiat facilius.* Nam *facilius*, eodem modo trisyllabum est, quo *potius*, trisyllabum. Eligat autem lector, quod magis erit ex animi sententia: quandoquidem etiam apud Lucretium, *aliud*, ita bisyllabum accipitur, ut cauda dactyli sit. Iniquior fuit illi versui ex Hecyra ex quo, *dum*, particulam expletivam exemit: qui tamen cum sequentibus, cumque præcedentibus octonarius sit: *mane dum sodes. timeo, ne aliud credam, atque aliud nunties.* Hoc ibi cum adimit, ita alibi æque importune addit de suo: ut ad eum versum ex Eunucho: *par pari*

Digitized by Google

referto, quod eam mordeat. Modo addit *nunc*, modo *mox*, modo *sic*, modo nescio quid. Ego vero nihil immutandum censeo de consilio poetæ : qui integrum proverbium sicut circunserebatur, ita interseruit trochaico tractu. quare audacius etiam, *remordeat*, suppositum est. Nam si quid addas, versus non constet : si nihil addas, ad concinnandum trochaicum nihil est opus. Et non solum hoc exemplo in omnibus legitur exemplaribus, sed etiam eadem fide recitatum a Cicerone in epistola ad Lentulum. Verum apposuit pari audacia adverbium, *nunc*, ei versui : *alio pacto honeste quo modo hinc abeam, nescio.* Neque enim vocalis eliditur, sed perstat longa ante aspirationem adverbii, *hinc :* et trochaicus decurrit octonarius catalecticus. Sicut in verbo monosyllabo nulla item collisio fit, neque in adverbio, eo versu, *ora me, obsecro te vero Phædria, i intro, hoi, het.* Corrupit etiam syllabarum quantitates : ut in illo ejusdem fabulæ : *sic est, inveniam hodie parem ubi pol referam gratiam.* Ausus est dicere adverbium *hodie*, primam producere : quoniam, inquit, idem sit, ac si dicas, *hoc die.* At quod nusquam est, narrat. Nam cum est, hoc die, propter positionem producitur. Nam suapte natura breve pronomen est : sicut ejus compar, *hic.* Grecum enim est, ὅ, Quare illud Virgilianum : *hoc erat alma parens.* Non solum propter interrogationem, sed etiam ob syllabæ servitutem, legunt, *hocce*, ii qui existimati sunt doctiores. breve enim fuisse vel inde deprehenditur, ubi consonante amissa in adverbio, *hodie*, correptum est : quod etiam exemplo invenias ex versu Hecyræ : *visum est. certone ? certe Deus sum si hoc ita est. verum reperies.* Est enim pronomen, *hoc*, secunda syllaba dactyli, qui in quinta sede est : quamobrem versus, de quo nunc controversia est, septenarius est jambicus, in convivio autem poetico, illum ex Eunuchi prologo : *habeo aliam ulta quæ nunc condonabuntur :* ait mendosum esse : neque enim scasontes in ea genera carminum admitti : itaque ut metrum corrigeret, linguam Latinam depravavit, cum supposuit, *condonabitur.* Nam quis dicat, *tu condonaberis a me commentarios ?* An vero etiam ἀπροσώπως ausus est, et rectum apponere tamen casum ? At ego puto veteres excitandi spectatores gratia, nævos hosce aspersisse : neque in ea re falsus

Digitized by Google

sum. Nam qui decuit minus, spondeo claudere jambicum, quam dactylicum sistere? At quantum decoris addit affectui, cum diximus in inferiis filiolæ nostræ, sororis tuæ lectissimæ Sylvi: *heu heu quonam animam, quo carmine compellabo?* Sed de his numeris in tertio libro poetices tibi satis est disputatum. Ita gravitatem, et lenitatem, et constantiam animi ostendens Terentius, remisit de jambi acerbitate: neve sine exemplo fecisse eum arbitrere, habebis ex prologo Amphitruonis unum: *quod ego huc processi sic cum servili schema.* Est enim, σχῆμα. quanquam non sum nescius viros doctos sublata aliunde syllaba, schemate, legere solitos: quare aliud habeas ex Asinaria: *age nunc reside jam cave modo ne graxis.* Neque enim sequentur analogiam, qui *graxeris*, legerint. nihilo sane melius, quam si *faxeris* et *occepseris*, pro faxis, et occepsis, malint, sicut in Captivis: *numquam isthuc dixis, neque animum induxis tuum.* Accipies etiam unum ex eadem fabula: *avis me fere consimilem faciam, ut prædixti.* Adducerem et ex Casinæ prologo, nisi suspicarer verba esse transposita: *Clerumenæ hæc vocatur comœdia, Græce.* Sicut ex eodem alterum: *ratione utuntur: ludis neminem poscunt*, sed profecto et alibi multis locis, et in Pœnulo: *gerræ germanæ atque ædepol* λῆροι λήρων. Ac ne in illis quidem servavit Latinitatem: *ne te iratus suis sævis dictis protelet, scio.* Substituit enim pro *sævis dictis*, sævidicis. et sævidicum, mobile nomen est, cui igitur hærebit? an ille invenit usquam in naturæ legibus, accidens sine substantia? In eadem autem scena etiam pedum numerus eum fugit. nanque jambicum senarium hypercatalecticum dixit illum: *non possum adesse, ah quid agis? quo abis Antipho? mane.* Habet enim duos dactylos alterum alteri subeuntem ante postremum jambum. Æque autem incommode ex Heautontimorumeno brachycatalecticum nominavit illum, in quo periculum potius imminet, ne quid redundet: *et illam simul cum nuncio tibi hic ego affuturam hodie scio.* Est enim quadratus jambicus. Sicut illum quoque minus bene octonarium hypercatalecticum: *probe huic filium scis esse? audivi in Asia. non est pater.* Nam si jambum in prima sede statuas, et creticum in secunda ob positionem, aut dactylum ex natura syllabæ, septenarius est. Sed, *audii*, pronunciandum est, ut,

Digitized by Google

referto, quod eam mordeat. Modo addit *nunc*, modo *mox*, modo *sic*, modo nescio quid. Ego vero nihil immutandum censeo de consilio poetæ : qui integrum proverbium sicut circunserebatur, ita interseruit trochaico tractu. quare audacius etiam, *remordeat*, suppositum est. Nam si quid addas, versus non constet : si nihil addas, ad concinnandum trochaicum nihil est opus. Et non solum hoc exemplo in omnibus legitur exemplaribus, sed etiam eadem fide recitatum a Cicerone in epistola ad Lentulum. Verum apposuit pari audacia adverbium, *nunc*, ei versui : *alio pacto honeste quo modo hinc abeam, nescio.* Neque enim vocalis eliditur, sed perstat longa ante aspirationem adverbii, *hinc* : et trochaicus decurrit octonarius catalecticus. Sicut in verbo monosyllabo nulla item collisio fit, neque in adverbio, eo versu, *ora me, obsecro te vero Phædria, i intro, hoi, het.* Corrupit etiam syllabarum quantitates : ut in illo ejusdem fabulæ : *sic est, inveniam hodie parem ubi pol referam gratiam.* Ausus est dicere adverbium *hodie*, primam producere : quoniam, inquit, idem sit, ac si dicas, *hoc die.* At quod nusquam est, narrat. Nam cum est, hoc die, propter positionem producitur. Nam suapte natura breve pronomen est : sicut ejus compar, *hic*. Grecum enim est, ὅ, Quare illud Virgilianum : *hoc erat alma parens.* Non solum propter interrogationem, sed etiam ob syllabæ servitutem, legunt, *hocce*, ii qui existimati sunt doctiores. breve enim fuisse vel inde deprehenditur, ubi consonante amissa in adverbio, *hodie*, correptum est : quod etiam exemplo invenias ex versu Hecyræ : *visum est. certone? certe Deus sum si hoc ita est. verum reperies.* Est enim pronomen, *hoc*, secunda syllaba dactyli, qui in quinta sede est : quamobrem versus, de quo nunc controversia est, septenarius est jambicus, in convivio autem poetico, illum ex Eunuchi prologo : *habeo aliam ulta quæ nunc condonabuntur* : ait mendosum esse : neque enim scasontes in ea genera carminum admitti : itaque ut metrum corrigeret, linguam Latinam depravavit, cum supposuit, *condonabitur.* Nam quis dicat, *tu condonaberis a me commentarios?* An vero etiam ἀπροσώπως ausus est, et rectum apponere tamen casum? At ego puto veteres excitandi spectatores gratia, nævos hosce aspersisse : neque in ea re falsus

Digitized by Google

sum. Nam qui decuit minus, spondeo claudere jambicum, quam dactylicum sistere? At quantum decoris addit affectui, cum diximus in inferiis filiolæ nostræ, sororis tuæ lectissimæ Sylvi: *heu heu quonam animam, quo carmine compellabo?* Sed de his numeris in tertio libro poetices tibi satis est disputatum. Ita gravitatem, et lenitatem, et constantiam animi ostendens Terentius, remisit de jambi acerbitate: neve sine exemplo fecisse eum arbitrere, habebis ex prologo Amphitruonis unum: *quod ego huc processi sic cum servili schema.* Est enim, σχῆμα. quanquam non sum nescius viros doctos sublata aliunde syllaba, schemate, legere solitos: quare aliud habeas ex Asinaria: *age nunc reside jam cave modo ne graxis.* Neque enim sequentur analogiam, qui *graxeris*, legerint. nihilo sane melius, quam si *faxeris* et *occepseris*, pro faxis, et occepsis, malint, sicut in Captivis: *numquam isthuc dixis, neque animum induxis tuum.* Accipies etiam unum ex eadem fabula: *avis me fere consimilem faciam, ut prædixti.* Adducerem et ex Casinæ prologo, nisi suspicarer verba esse transposita: *Clerumenæ hæc vocatur comœdia, Græce.* Sicut ex eodem alterum: *ratione utuntur: ludis neminem poscunt*, sed profecto et alibi multis locis, et in Pœnulo: *gerræ germanæ atque œdepol* λῆροι λήρων. Ac ne in illis quidem servavit Latinitatem: *ne te iratus suis sævis dictis protelet, scio.* Substituit enim pro *sævis dictis*, sævidicis. et sævidicum, mobile nomen est, cui igitur hærebit? an ille invenit usquam in naturæ legibus, accidens sine substantia? In eadem autem scena etiam pedum numerus eum fugit. nanque jambicum senarium hypercatalecticum dixit illum: *non possum adesse, ah quid agis? quo abis Antipho? mane.* Habet enim duos dactylos alterum alteri subeuntem ante postremum jambum. Æque autem incommode ex Heautontimorumeno brachycatalecticum nominavit illum, in quo periculum potius imminet, ne quid redundet: *et illam simul cum nuncio tibi hic ego affuturam hodie scio.* Est enim quadratus jambicus. Sicut illum quoque minus bene octonarium hypercatalecticum: *probe huic filium scis esse? audivi in Asia. non est pater.* Nam si jambum in prima sede statuas, et creticum in secunda ob positionem, aut dactylum ex natura syllabæ, septenarius est. Sed, *audii*, pronunciandum est, ut,

Digitized by Google

Asia, sit anapæstus. Sin malis trochaicum, non collidas adverbium, *probe*, et erit anapæstus prima in sede, eritque octonarius, trochaicus, catalecticus, et *Asia*, bisyllabum. In Phormione frustra laborat transponendo verba, ut numeris consulat, eo versu: *ut ad pauca redeam, ac mittam illius ineptias.* Mavult ita legi: *ad pauca ut redeam.* At vero verbum, *redeam*, bisyllabum esse, vel sexcentis locis, ubi opus est, constat. Eximit etiam vocalem hujus præpositionis, *per*, eo versu Adelphorum. *Per oppressionem ut hanc mihi eripere postulet.* At vero, quid fuerit dicere, *propressionem?* nempe frigidum admodum est, ne dicam absurdum, novum fugæ genus, quo evitet creticum fatalem illum: cum tamen adeo molliter pronunciari possit, ut vix divertat a natura spondei. Sed jam vereor ne quis eorum, quos ille multis locis premit fabulis atque irridet, reponet ei gratiam: cum in verbo, *postulo*, sciant ab ipso exemptam mediam vocalem. Magno enim in periculo est, ne ab illis barbarus appelletur: propterea quod Germani, præsertim nostrates Vindelici, Carini, Norici, item Suevi, Saxones ita illud verbum pronunciant, vix ut eam vocalem exaudias. Verum equidem, neque irridebo maternos avos meos, neque hominis consilium, quippe qui memor sim ejus versus ex Casina: nunc ne tu respondere postules me tibi. Non igitur judicium reprehendo, sed judicii locum. Ei enim versui optime atque pulcherrimo quadrato, ex Andria, hanc injuriam faciebat: *cum is nihil promereat: postulare id gratiæ apponi sibi.* Verum et hic nihil necesse habeas concidere, et primam natura cum corripiat, non potuit sibilus impedimento esse in illo Casinæ versu, quin unico tantum tempore proferretur. factum enim est ex posse, et tolere. Neque enim literas geminabant, quod etiam durat in præterito, *tetuli*: et *teram* simplici elemento scriptam in libris augurum, ait Varro. et hoc monet nos plurimis locis Verrius, ejusque interpres atque imitator Festus. Ceterum Erasmus utinam eam curam alium in versum transtulisset, ad nomen hoc, *periculo* potius quam tolleret omnem sermonis elegantiam, atque adeo Atticismum: quippe pronomen, *hoc*, est autem ex Andria is: *sine omni periculo. nam hocce haud dubium est, quin Chremes.* Præsertim cum anapæstus esse potuerit in

Digitized by Google

primo pede. Nam, *omnis*, primam corripit natura, ductum enim est παρὰ τὸ ὁμῶς. Universitas enim fit ex rerum conjunctione. Est enim universum, extra quod nihil est. Neque illas mutam ac liquidam potuisse cogere syllabam ad producendum, et pueri sciunt, et Priscianus docet ex Callimachi versu. Major vero difficultas objicitur in nomine hoc, *voluptas:* ex quo ille vocalem mediam auferendam censet, eo versu Andriæ: *quod voluptates eorum propriæ sunt. nam mihi immortalitas.* Nonnihil vero est, si sit ita pronunciandum, *voltas.* nihil enim ad Theutonicum sonum accedere potest proprius: atque hoc ut effugeremus, aut constitueremus creticum in prima, aut etiam anapæstum. Correpta enim conjunctio est alibi, vel judicio illius: quare hic quoque esse. At frustra viderer laborate: quoniam duo versus in Casina sunt, nihilo nobis secundiores. *Sine tuos ocellos deosculer voluptas mea. Quid deosculer te? quæ res? quæ voluptas mea?* Nam nisi, *volup.* legas, aut facias anapæstum, sane aspera est pronunciatio. Sed *voluptas*, fuit volupetas, a volo et peto, quæ omnia cum sint brevia, non immutarunt naturam. Nam sic quoque corripias in versu ex Heautontimorumeno, si ita legas ex Bembi codice: *nec mihi fas esse ulla me voluptate his frui.* Quanquam codex ille, de quo vir doctissimus atque sanctissimus metitur nostros, plus habuit tum apud nos venerationis, ob vetustatem, tum apud illum opinionis ob novitatem, quam quantum re ipsa præstare valuerit. Omitto enim quæ ad privatarum vocum pertinent rationem. nam eas in Originum libris tibi satis explicatas puto. At quod ad versuum ipsorum tractus spectat, operæ pretium est animadvertere multos, qui non constent: veluti e Phormione hunc: *quæ si astu non providentur, me aut herum pessundabunt.* Ita dico apud hosce qui creticum recipiunt nullum: in nostratibus autem mollius legitur sic: *quæ si non astu providentur.* Ubi octonarius est. Item ex Heautontimorumeno sic legit: *pergin' mulier odiosa esse? nullamne ego rem in vita mea.* At in nostris sic legitur: *venire in mentem mi vir oh pergin' mulier esse? ullamne ego.* Ubi vides, si addas omnia illa verba, quæ præcedunt exprobrationem senis, versus fiat stadio longior. at illi octonarii sunt. Verum lepor quoque in verbis est illis, *Oh*

Digitized by Google

pergin' mulier esse. plus enim est esse mulierem, quam odiosam. In altero autem sequente: *rem unquam volui, quin tu in ea mihi advorsatrix fueris Sostrata?* Videtur syllaba redundare. sed *mi*, pronunties, non *mihi*. Bembus autem ita legit, ut una deficiat: sic: *volui: quin tu in ea mihi fueris advorsatrix Sostrata?* Locutionem quoque non leviter pertranseas. Ille enim dicit, nullamne rem volui? sane tolerabilis sermo, cum verbo hoc, *volo*. Nam negatio quæ est in nomine, in verbum transit, et fit, ullam rem nolui. Non possis vero dicere cum verbo substantivo, nullane res est; quonam modo nanque esset, si non est? neque melius procedit ille ex eadem quem nos sic: *sustulisti sic est fictum domina, ergo herus damno auctus est.* Ille sic: *sustulisti. sic est factum. domin', ergo herus damno auctus est.* At duo sunt, quæ dissuadent esse recipiendum. Primum versus, qui trochaicus sit: quare in quinto pede jambum statuit: nos anapæstum. Et minus simile veri fuit, domi educatam, atque herum latuisse erat enim modica domus, quæ vel cœna Bacchidis premeretur. quare inepta fuisset interrogatio. Neque fuisset auctus damno, quoniam domi educasset: sed quoniam filiam, cui dos paranda esset. Itaque non foris educandam dedit, sed exponendam. Præterea plus impendii est, si foris educantur liberi, quam si domi. Sed et ille in Eunucho, toto verbo longior est, temere repetito. *Id' que adeo visam. visam si domi'st. quis nam hinc a Thaide exit?* Sed ubique videtur non minimi judicii quispiam neglectis numeris leporem quæsisse orationis. sicut in eadem fabula: *nihil præter promissum.* At nos legebamus: *nihil prætermissum.* Verum hic argutia etiam dimensionibus suum reliquit locum, si *nihil*, sit monosyllabum, quod frequentissimum est, vult dicere, Phædriam nihil præstaturum eorum, quæ militi pollicebantur, neque quicquam illum præter promissum laturum: sed in eadem lepor quoque nitidissimus est, iis versibus: *illum liquet mihi dejerare mensibus Sex, septem prorsus non vidisse proximis.* Nostri vulgate nimis legebant, sex vel septem. Cæterum et a numero excluditur conjunctio, et a sermonis puritate: sicuti cum, dicimus, quinquaginta plus minus annos natus sum. Illud quoque lepidius videtur in Heautonti-

Digitized by Google

morumeno: *confitere tu? au obsecro, istuc inimicis siet:* quam quod legitur ab Erasmo et aliis: *confitere tuum non esse? ah obsecro te, isthuc inimicis siet.* Splendidior est oratio repetita negatione sensu non verbis: et necesse est ita legi, quoniam præcedentes versus hic concinnat: quos versus tam Bembus, quam Erasmus male disponit. Bembus sic: *subditum se suspicatur. subditum? ain' tu certe. sic erit mi vir.* Erasmus sic: *subditum se suspicatur subditum? ain' tu? certe inquam mi vir.* Verum uterque longior est Erasmianus una syllaba: alter autem etiam pluribus. quare ita legendi sunt, ut sint trochaici octonarii catalectici: *subditum se suspicatur. subditum? ain' tu? certe inquam. Mi vir. confitere tu? au obsecro, isthuc inimicis siet.* Sic etiam ex Adelphis, illis duobus versibus, neuter est audiendus. Bembi codex sic: *obsecro mea nutrix, quid nunc fiet? quid fiet rogas: Recte ædepol spero. modo dolores mea tu occipiunt primulum.* Erasmus sic: *obsecro mea tu nutrix quid nunc fiet? quid fiet rogas? recte.* Ergo Erasmus male collocat adverbium, *recte:* Bembus male omittit pronomen, tu: ut sint jambici quadrati. Hæc quidem manifesta lectio, at illa ambigua, utra probior sit? In Heautontimorumeno vetus exemplar sic habet: *hunccine erat æquum ex illius more, an illam ex hujus vivere? et Quod illum insimulat durum, id non est nam parentum injuriæ Uniusmodi sunt ferme: paulo qui est homo tolerabilis. Scortari crebro nolunt, nolunt crebro convivarier.* Bembus et aliquot eximit verba, et alia serie digeret numeros. *Hunccine erat æquum ex illius more, an illum ex hujus vivere? Et quod illum insimulat durum, id non est. Nam parentum injuriæ, uniusmodi sunt ferme. Scortari crebro volunt, volunt convivarier.* Sed numeros obterit Bembus, quarto versu: in quo et trochæum invenias tertia sede, et jambum sexta: quare errorem subesse necesse est, et confundit versuum tum genera, tum quantitates. Nostra autem lectio horum nihil: sed asperior visa est in sententia: cum tamen non sit. nam ita dicit: patres duros nihil remittere de imperio, quod exerceant in liberos: omnia animi laxamenta prohibere. at qui paulo est tolerabilior, aliqua sane patiatur: sed non crebro ea fieri. Mutavit autem numerum verborum Terentius, cum in singulari dixit, *paulo qui est tolerabilis* debuerat subdere, *non vult crebro scortari liberos suos, non*

Digitized by Google

vult crebro convivari. Sed retulit numerum ad universitatem patrum. At in singulari tolerabilem posuerat, quoniam rariores sunt. Ita mutat numerum in Eunucho: *Eunuchum porro dixti velle te, quia solæ stuntur his reginæ.* Quam mutationem aliquis minus commodam cum putaret, sublatis illis verbis, *paulo qui est homo tolerabilis:* quæ vitia prohiberent patres in nostra lectione, ea fecit patrare flagitia filiis in sua. Hæc sunt Sylviole fili, quæ laboriosissima opera excussi tibi: majorene tædio tot ineptiarum, an metu, ne pari inscitia capere. Omisi vero multa carmina controversa, aut ambigua, alia vasta: quæ etiam si ad sanitatem redigantur, at cura ista nostra vel sic longe minora sint. Verum enimvero neque tibi puerilia videri debent, qui ista ætate literariæ laudis aditum omnem explorare juberis ab indole tua, quæ magna ac multa promittit nobis: neque mihi plebeia adeo, in quibus, omissis studiis gravioribus, tantos illos viros elaborare aliquid non pœnituit. Qui si quibus in locis lapsi sunt, vel hoc ipsum eis debeatur, quod nos excitarint ad veritatem. Cujus splendorem, fili mi, quovis nomine chariorem habere debes. Magnum fuit Erasmi nomen, præsertim in Germania litêris re nascentibus: majus futurum, si ille minor esse voluisset. Nunc fretus ingenii sui magnitudine, multa tractare aggressus est, paulo minus accurate: ita a nominis claritate profecta confidentia præcipitem illum egit, non sine dispendio multorum studiosorum: qui omnes cum docti esse vehementer exoptarent, pauci autem laborarent omissis ærumnis, quæ ipsis in antiquorum lectione multæ exequendæ erant, compendium nacti eorum quæ Erasmus in unum coegisset, ei de omnibus fidem ita habuere, ut etiam extantibus priscorum monumentis, unde, ille vel aliquando non bona fide accepisset, Erasmi nomen non pro teste, sed pro judice, citent, atque alieni laboris non quasi beneficiarium faciant autorem. Quare vobis omnibus ejus nominis studiosis, inter quos me quoque sane esse non nolim, commode ostendimus, atque opportune quid cujusque judicii sequeremini. Quod si quis, ut est ingenium quibusdam barbarum ac ferum, pertinacius negligat foveatque ignaviam suam: te saltem habeamus ab erroribus ejusmodi segregatum.

Digitized by Google

P. ANTESIGNANUS

ANTONIO, THEOPHILO ET JOANNI SARÆIS. S. D.

* * * * * *

VERSUS autem hic jambici aut trochaici sunt omnes: atque utrique aut monometri, aut dimetri, aut trimetri, aut tetrametri: et rursus aut acatalectici, aut catalectici, aut brachycatalectici, aut hypercatalectici. Jambici ab jambo pede, et trochaici a trochæo nomen habent. Jambici igitur sunt in quorum sedem aliquam jambus, aut in ultimam pro jambo pyrrhichius ingreditur: trochaici, in quibus datur trochæo locus. Jambici sive trochaici monometri sunt qui una mensura, hoc est, pedibus duobus constant: dimetri qui mensuris duabus, et pedibus quatuor: trimetri qui mensuris tribus, ac pedibus sex, unde et senarii dicti sunt: tetrametri sive quadrati qui mensuris quatuor, octo vero pedibus, unde et octonarii a Latinis nominantur. Monometri, dimetri, trimetri et tetrametri in quibus nihil abundat, neque desideratur quicquam, acatalectici nuncupantur: catalectici qui syllaba una breviores, et brachycatalectici qui duabus: hypercatalectici vero in quibus aliquid redundat. E jambicis in usu sunt maximo apud Terentium trimetri sive senarii acatalectici, et tetrametri sive octonarii tum acatalectici tum catalectici: in rariori dimetri acatalectici et trimetri catalectici. E trochaicis usitatiores sunt tetrametri catalectici: minus usitati dimetri catalectici et trimetri item catalectici. Reliquorum generum exempla non nisi rarissima apud hunc autorem inveniuntur. Jambici trochæum non ferunt, neque phyrrichium nisi loco ultimo: at trochaici neque jambum, neque pyrrhichium. Quatuor pedes brachysyllabum, spondeum, dactylum et anapæstum tam jambici quam trochaici quavis sede re-

Digitized by Google

cipiunt, præterquam ultimam si acatalectici, et penultimam si catalectici fuerint: quibus in locis jambici jambum, et trochaici trochæum proprie requirunt. tamen in catalecticorum regione penultima brachysyllabus et nonnunquam dactylus pro trochæo collocantur: atque pro jambo quivis pes, cui in cæteris jambicorum sedibus daretur locus. in ultima vero catalecticorum sede pro jambo in jambicis, et pro trochæo in trochaicis ponitur semipes, hoc est, prima pedis illius syllaba: nempe brevis pro jambo, et pro trochæo longa. sed cum cujusvis versus ultima sit anceps, pro priore jambi, longa: et contra, brevis pro prima trochæi collocatur. Pyrrhichius etiam in jambicis acatalecticis pro jambo ultimum locum occupat: at alibi nusquam visitur. Proceleusmaticus raro sese offert: ei tamen nullo refragante datur locus et in jambicis et in trochaicis. Creticos, amphibrachos, et bacchios quidam omnino respuunt: illos alii ægre quidem admittunt: sed eos prorsus rejiciendos nequaquam censent. Nos ubique fere quo pacto et horum et illorum opinio defendi posset indicavimus, uni versui duos dimensionis modos assignantes ad eum usque locum qui dissensionis esset terminus: sæpe etiam ad rem ipsam plenius explanandam brevissimis scholiis adhibitis. Ac primus quidem modus, quæ tres hos pedes recipit, planus, simplex, expeditus et evidens est. non enim novit insolitas et asperas illas diæreses, synæreses, et crebras literarum elisiones, quæ posteriore dimensionis ratione iis sunt perscrutandæ: qui nulla non diverticula, quosvis anfractus, et omnia suffugia quærunt, quo monstra illa (ut ipsi loquuntur) exterorum pedum possint evitare. Præcipua effugia consistunt in diæresibus, synæresibus, et elisionibus. Diæresi unam syllabam in duas dividunt: nos hanc duobus in apice punctis appositis designavimus: ut, *cui, dei, dii, diis, iam:* cum e monosyllabis fiunt disyllaba: *cuique deinde, proinde,* cum e disyllabis trisyllaba judicantur. Synæresi duas syllabas in unam contrahunt, quam hac nota priori vocali superposita indicatam voluimus. Illa igitur et sequens vocalis, quæ in aliis poetis atque in hoc juxta primum dimensionis modum duas efficerent syllabas, in unam coeunt, cum alteram scansionis rationem,

Digitized by Google

quæ exteros illos pedes non recipit, intuebimur: ut in vocabulis sequentibus, *abĕo, abĕat, redĕam, redĕat, adĕo, ăhu, ăis, ăit, ăin', ăiebas, ălienus, ălis, ălio, audĭo, audĭat: circuĭtione, cŏemisse, commĕare, confĭtĕor, consilĭi* (idem judicium de reliquis genitivis singularibus, et nominativis pluralibus in *ii*: ut, *negotĭi, gaudĭi, pretĭi, cetarĭi, lanĭi.* quidam malunt legere *consili, negoti, gaudi, preti) cŭjus, cupĭo: dĕambulatum, dĕæ, dĕorum, dĕûm, dĕum, dĕos, Dĕmea, denŭo, dispendĭo, dĭu, dĭutius, Dorĭo, dŭarum, dŭas, dŭos: ĕa,* et in cæteris casibus, *ĕjus, ĕjusmodi, ĕum, ĕundem, ĕam, ĕa, ĕodem, ĕam, ĕorum, ĕis, ĕò* adverbium, *ĕho, eripŭit, etĭam: fĭant, fĭet, fortunatĭor, fŭit, fŭerunt, fŭere, fŭisse: grandĭuscula, gratĭa, gaudĕant: Hegĭoni, hŭjus, hŭjusmodi: ilignĕis, illĭus, indŭit, injurĭa, intrŏire* (quasi duæ essent dictiones, *intro ire: intrŏibas,* quasi *intro ibas:* sic in *antĕhac, postĕa quŏad,* quasi *ante hac, post ea, quo ad. Me ipsum* et *te ipsum* pro duabus dictionibus sumit semper Terentius ideo *e* semper eliditur in *me* et *te) istĭus: liberĭus: manĕo, mĕus, mĕa, mĕum* per omnes casus (sic *tŭus, tŭa, tŭum,* et *sŭus, sŭa, sŭum) mĭhi,* (alii malunt legere *mî.* sic *nil, non nil* pro *nĭhil, nonnĭhil) misericordĭa: necessarĭo, nuntĭare, nuptĭæ, nuptĭis: omnĭa* (sunt qui in hoc nomine primam ancipitem esse velint. nam ab ὁμῶς, deductum volunt:) *patrŭum, perdĭunt, perdĭint, Phanĭum, Phormĭo, Phormĭonem, prĭor, prĭoreis, prĭus, psaltrĭa, pŭer: rĕi: scĭo scĭas scĭens, nescĭebam scĭebat servĭebas.* (quidam legunt *scibam, nescibam, servibas) solĭus, somnĭum, succenseam, sumptŭosa: timĕo: vĭa, vidĭa, uspĭam.* Hæc fere sunt quæ contrahere coguntur ii, qui creticos, bacchios, et amphibrachos in Terentianos versus non admittunt. Crebris etiam utuntur elisionibus, quibus literam unam tollunt e dictionis initio, vel medio, vel fine: aut etiam e calce duas. Id apostrophi nota' quæ literæ rejiciendæ admoveatur, placuit indicare: tamen cum literæ *n* applicatur non abjiciendam sed abjectam innuit: ut, *adeón', aín', vidén',* pro *adeóne, aísne, vidésne:* ubi et hoc obiter monendum, vocalem præcedentem, brevem hac interrogationis nota fieri, etiam si natura produceretur: quidam ancipitem esse arbitrantur. E principio tollitur *v*, ut in dictionibus sequentibus *v'erebamini, v'erò, v'erum, v'erus, v'ix, v'oluntate, v'oluptas, v'os,* quas

Digitized by Google

ut exteris illis pedibus locum nullum præbeant, ità efferunt, *erebamini, ero, erus*, &c. in *voluptas* tamen potest *s* ante *pt*, ut ante mutam cum liquida Græcorum more correptum censeri. E medio eliduntur *a*, *u* vocale et consonum, *l*, *s* et *t*: *a*, ut *pa'rare*, quasi *prare*: *u* vocale, ut *discipu'li*, *secu'lum*, *pericu'lum* per omnes casus (sunt qui malint legere *discipli*, *seclum*, *periclum*, *periti*, *periclo*, &c.) *postu'lo*, *postu'lare*, quasi dicas *postlo*, *postlare*: *v* consonum, ut *adjuv'erit*, *div'itias*, *enimv'ero*, *inv'eniet*, *inv'idia*, *subv'enite*, quasi legas *adjv'erit*, *diitias* (vel ut alii malunt *ditias*) *enimero*, *ineniet*, *inidia*, *subenite*. *l* deperditur sæpe in pronomine *ill'e*, *ill'a*, *ill'ud* per omnes casus, *ill'ic*, *ill'uc*: tum *i* corripitur, *ile*, *ila*, *ilud*, &c. ut et nonnulli etiam legunt. in *paulu'lum* eliduntur *l* et *u*, ut legatur *paulum*: quod et alii alterius loco reponunt. *s* abjicitur in *hujus'modi* et *ejus'modi*, ut antepenultima corripiatur. In *ist'e*, *ist'a*, *ist'ud* et reliquis casibus, *istu'c*, *ist'ic*, *ist'æc*, *ist'orsum*, quidam *s*, alii *t* malunt elidere, ut *i* breve censeatur. In fine dictionum sæpe absumuntur *d* et *s* ante quasvis literas: sed ante consonantes ipsæ solæ: ante vocales vero, non solum ipsæ, sed vocalis illas præcedens. atque hæc fere sunt in quibus absorbetur *d*, *ad'* (et in compositio *ad'sum* (*apu'd*, *id'*, *quid'* (maxime ante pronomen *iste*, *ista*, *istud*) *quod'*, *sed'*. *s* in terminationibus *as*, *es*, *os*, excludendum non offendi, nisi in *dies'*, *narras' res'*, et *taces'*. in *is* parce, idque dum breve est, veluti in nominativo, *anguis'*, *mensis'*, *pestis'*, *is'* cum est pronomen: in genitivo, ut *adolescentis'*, *venustatis'que*: in verbis, ut *agis'*, *credis' dicis'*, *obtundis'*. In *magis'*, et *satis'* passim absorbetur *s*: sunt tamen qui in illis locis malint legere *mage*, et *sat*. In dictionibus in *us* breve desinentibus elisionem admittunt etiam ii qui creticis bacchiis, et amphibrachis utuntur: ut in *opus'*, *heros'*, *stolidus'*, *ipsus'*, *dehortatus'*, *ejus' hujus'*, *quibus'*, *summus'*, aliisque innumeris. qui pedes illos rejiciunt, *us* productum etiam interimunt, ut in *rus'*. audent etiam elidere *b* in *ob'*: l in *simul'*: *m* ante consonantes in *quidem'* et *enim'*: atque *t* in *erit'*, *excessit'*, *facit'*, *liceret'*, *occidit'*, *oportet'*, *studet'*, et similibus. sic in *quot'* et *ut'*. Sed de diæresi, synæresi, et elisione hactenus. Illud et hoc loco monendum, apud hunc autorem passim inveniri vocales finales non elisas (quod hac nota

Digitized by Google

" expressimus) inter alias vocales: idque in uno atque eodem versu: et contra, in versibus diversis vocalem finalem prioris a vocali sequentis absorberi: et rursus primam secundi versus ad finem prioris pertinere. idem judicium de dictionibus in *m* desinentibus, cum sequitur vocabulum a vocali incipiens. Cæterum vocales illæ finales non elisæ, quæ natura aut diphthongo producerentur, hic fere corripiuntur: interdum tamen invariatæ manent, et maxime ante *h*, quod hic sæpe ita plenam vim habet consonantis, ut præcedens brevis in *m* vel aliam consonam desinem positu longa censeatur. Horum omnium exempla huc congerere supervacaneum esse duximus, cum nusquam lectori non sint obvia futura, in quamcunque hujus libri paginam oculos converterit. Illum itaque his principiis et præceptionibus instructum eo dimittam, modo et illud addiderim, nos uni versui geminam dimensionem apposuisse, non solum ubi incidit disceptatio ob alienos illos pedes, sed etiam in versibus ambiguis: cum scilicet idem versus simul et in jambici acatalectici, et in trochaici catalectici numeros venire poterat. Sunt et alia ratione versus ambigui, præcipue tetrametri catalectici: in quorum sede septima ponitur brachysyllabus, in aliis vero regionibus nullus consistit jambus, neque etiam trochæus: ut actus 2. Andriæ, penultimo scenæ, 2. versu.

Nisi vides, nisi senis amicos oras, ambis. C. *Bene mones.*

Hic versus regione prima tertia et septima brachysyllabum habet: secunda dactylum: quarta, quinta, et sexta, spondeum: ultima syllabam longam, quæ versum illum catalecticum esse demonstrat. Sed ambigere quispiam merito possit, jambicusne, an trochaicus censeri debeat: cum ibi nullus sit jambus qui jambicum, neque trochæus, qui trochaicum possit indicare. Judicium igitur aliunde petendum est: nempe a vicinis versibus, qui trochaici sunt omnes: quo circa et hic trochaicus est judicandus. quanvis enim jambici et trochaici sæpe inveniantur intermisti: hoc tamen est ita temperandum, ut quo plures ejusdem generis in unum digerere queamus, id omnino conemur. neque vero hujus rei gratia, vel etiam ob alias quascunque comi-

Digitized by Google

corum versuum leges, eorum diligentiam imitandam existimo, qui etiam contra omnium probatorum et receptorum codicum testimonia nihil non in Terentio sibi licere invertere autumant, modo versum ad unguem suis numeris constare demonstrent: in quorum tamen observatione ipse Terentius de industria negligens fuisse perspicitur. Nos Terentio numeros, non Terentium numeris astringendum arbitramur. quapropter nihil unquam ob metri rationem immutavimus in contextu: nisi duo, aut plura eaque fide digna in idem consentirent exemplaria: lectionis tamen varietatem ubique fere ad marginem apposuimus: una cum literis et notis, quæ diversam indicent dimensionem ab ea: quam receptiori et in contextu positæ lectioni assignavimus. (Valete Sarræi. eximia spe adolescentuli. Lugd. Idib. Aug. 1556.)

* * * * * *

Digitized by Google

JOACHIMI CAMERARII

DE

COMICIS VERSIBUS

DIATRIBA.

DE Plauto fabularum istarum autore pauca dicam, in primis ut constet quo tempore vixerit. Hunc incidere in ætatem Catonis: quo et ipso censore mortuum esse, scripsit Cicero, ante se Cos. CLX. annis, hoc est, ab V. C. circiter D. P. Claudio, L. Portio Coss. Cujus ætatis, in quam Nævius quoque includitur, participes fuere ultra citraque Ennius, Cæcilius, Pacuvius, Terentius. Pacuvium quidem ac Cæcilium male locutos, Cicero ait. Ennium et Nævium probat. Sed nostro studio relictus est Plautus et Terentius tantum. De his igitur petenda forma Latinæ locutionis, et sternendum quasi solum, super quo oratio bona et diserta, verbis et sententiis apte constructa collocetur. Non enim compositio, neque veluti ædificatio qualis esse debeat illius, hinc cognosci et disci potest. Etiam munditiæ et nitori, et, ut ita dicam, innocentiæ ac integritati sermonis antiquitas officit, cum quia omnium rerum est sua elaboratio et perpolitio, quæ perfectio existimanda: tum quod studium elegantiæ ut in vita, sic sermone quoque illa non usurpavit. Quapropter posteriores in sermone priorum nonnulla mutarunt emendantes, formam certe componendo, et quasi coagmentando atque reconcinnando reddiderunt et pulchriorem et meliorem. Hæc jam illa est certa et constans, atque omnium eruditionis atque bonarum artium cupidorum imitationi sola proposita, Ciceronis, et eorum qui ætate

Digitized by Google

illa vixerunt: sed Ciceronis, ut principis et autoris Latinæ linguæ, de quo alibi disseruimus copiosius, cum contra reprehensores hujus studii disputaremus. Hæc autem qui perspexerit, in Plautinis et Terentianis scriptis ita versabitur, ut quasi materiam orationis bonæ, et si fas nobis est dicere, eloquentiæ Latinæ ab illis sumat, neque in delectu vel verborum vel figurarum sermonis allucinabitur. Sed de hoc jamdudum satis. De comico autem carmine etsi alii scripsere, quæ et magnifacio et probo, tamen nostro quoque studio existimo adhuc loci aliquid relictum esse. Cum res illa quidem ejusmodi sit, ut penitus comprehendi, et omnium etiam diligentia quasi enucleari his temporibus nequaquam posse videatur. Quo autem est difficilior labor, eo assiduitatis plusculum in vestigando adhiberi convenit. Nihil autem tam est abstrusum, de quo non aliquid, si sæpius et studiose exquiratur, erui posse sperandum sit: τὸ γὰρ ζητούμενον, inquit Sophocles, ἁλωτὸν, ἐκφεύγει δὲ τἀμελούμενον. Minus autem certe turpe est, in eo à quo quamplurimos magnitudo et obscuritas deterruerit, quantumvis modicos, quam illorum vestigiis insistentem nullos progressus fecisse. Si tamen est adeo digna res, ubi quis nervos intendat suos, ut ait Terentius. Quod quidem ita esse nobis persuasum est, et senserunt omnes qui aliquam famam eruditionis litterarum et doctrinæ consecuti fuerunt. Cum quidem non solum bestiæ demulceantur numeroso sono, sed solitudines etiam atque silvæ quasi afficiantur, ita respondeant carminibus. Qui musarum reliquias in cura bonarum artium non amplectetur, vel etiam contemnet, eum nos quidem nimis aut fastidiosum aut barbarum quoque esse judicabimus. Etsi fatemur in hac parte supervacaneum, et in quodam inconcesso amore musarum insanum studium impendi non oportere, ne sequentes, volucres illas, hoc remigio destituti, ut de Pyrenæo fabulæ tradunt, in exitium nos præcipitemus.

Sed ad rem accedamus: pauca quidem quasi præfati de horum scriptorum genere. Comicus poeta fuit Plautus. Comœdia autem est poema δραματικὸν, hoc est, expositio numerosa, id est, carmine comprehensa, et in actionem implicita, seu collata in personas, argumenti ficti, de rebus, casibus, negotiis sumtis, e

Digitized by Google

vita communi, et quasi cotidianis eventis. Hoc carminis genus de tragœdia fluxit, ut Horatius docuit, qui Thespin dicit invenisse ignotum genus tragicæ musæ: atque addit:

Successit vetus his comœdia non sine multa
Laude.

Initia autem fuisse admodum parva et rudia, cum hilares, post labores exactos, diebus festis concinerent aliquid, et alii, et idem Horatius in *epistola ad Augustum* perhibet, ubi dicit, ab innoxiis jocis libertatem hanc ad intolerabilem licentiam provectam fuisse. Qui primus autem comœdiam scripserit, non constat. In libro qui Aristoteli inscribitur *de poetica*, inter alia et hæc leguntur: Siculos sibi vendicare inventum comœdiæ, fuisse enim Epicharmum ante Chonnidem et Magnetem: et uti nominis quoque testimonio. Esse enim certe comœdiam non ἀπὸ τοῦ κώμου, sed ἀπὸ τῶν κωμῶν, id est, non *de hilaritate* et *exultatione*, sed *de pagis* appellatam. Sed ab Atheniensibus pagos non κώμας, verum δήμους vocari. Similiter et quosdam Peloponesios ait suum facere inventum tragœdiam, quod fabulæ δράματα dicantur, cum tamen Atheniensibus in usu non sit verbum δρᾶν, sed πράττειν. Ibidem et hoc scriptum est. Ab eo demum tempore comœdiæ autores celebrari, quo formam illa et speciem quandam nacta fuerit, cum principio obscura esset, et autores ipsius laterent. Sed comœdia quæ priscis temporibus in usu fuit, qua nominatim hi aut improbos aut inimicos suos perstringebant, principium etiam virorum vitam et mores reprehendentes, hæc igitur antiqua dicta est. De cujus licentia κωμωδεῖσθαι vulgo dixere eos, qui probris lacesserentur. Hujus autor vetustissimus nominatur Sannyrio. Sed excellentes fuere, temporibus belli Peloponesii,

Eupolis atque Cratinus, Aristophanesque poetæ.

Hæc postea fuit mutata, cum dolerent, ut inquit Horatius, *cruento dente lacessiti*. Tum nomen obtinuit Mediæ, quæ dissimulato nomine vitia tantum exagitaret:

——————————Quinetiam lex,
Pœnaque lata malo, quæ nollet carmine quenquam
Describi.

Digitized by Google

Atque ferunt Eupolin in mari submersum, ab iis quos maledictis læsisset. Tum igitur tragœdiarum fere argumenta detulerunt in scenam, retexta ad ridiculum modum: deque hoc genere chorus paulatim defluxit. In quo præ cæteris clarus fuit Plato comicus. Hanc secuta est nova comœdia, in qua primas tenuit Menander, potiente rerum Alexandro magno: atque hæc chorum omnino non habet, sed ornatu vario et multiplici personarum insignis est. Atque hæc indicanda breviter et strictim putavi, de initiis ac progressionibus comœdiæ apud Græcos. Apud Latinos autem, scenicos ludos institutos fuisse C. vel ut alibi, T. Sulpitio Bætico (vel ut alibi, Petico, alibi Potico) C. Licinio Stolone Coss. notavit Valerius: et paulatim ludicram artem ad satyrarum modos perrexisse, a quibus primus omnium poeta Livius ad fabularum argumenta spectantium oculos et animos transtulerit. Cicero autem scripsit, Livium primum omnium fabulam dedisse, annis fere CCCCX. post Romam conditam: fuere autem celebrati primum ludi Romani patrum et equitum, qui et magni, ludicrum autem equi et pugiles, ut Livius memorat, lib. I. qui et ludorum plebeiorum mentionem fecit lib. XXVIII. Idem Livius quo tempore et qua de causa instituti et ludi scenici dicti sint, copiose eadem quæ Valerius, retulit lib. VII. Quod tempus est urbis circiter CCCIX. Idem tamen lib. XXXVI. scripsit, ob dedicationem ædis matris magnæ primos ludos scenicos factos, Valerium Antiatem esse autorem, Megalesia appellatos, quod tempus distat a priore annis pluribus CLXV. Cicero Livium fabulam docuisse, ut retulimus, scripsit in *Bruto*, et prima *Tusc.* Claudio et Tuditano Coss. anno U. C. CCCCX. Hoc Gellius retulit in annum DX. ideoque fuere qui apud Ciceronem numeros mutandos censerent. Quod nobis fieri oportere non videtur, cum ipse Cicero indicet, alios hæc aliter exposuisse et res sint inexplicabiliter confusæ. Sed postquam componere fabulas argumentosas poetæ Latini cœperunt, sequentes et vertentes Græcorum scripta, in hoc genere magna licentia usi fuerunt. Cum autem essent Latinorum propria quædam poemata, ut Atellanorum, videntur libertatem illam in Græcis et Latinis argumentis poetæ Latini, non tam fuga laboris et cupiditate edendi sua, ut Hora-

Digitized by Google

tius putat, quam necessitate quadam custodiisse, ne aures civium peregrinitate offenderentur. Ita factum puto, ut nequo intra trimetros constiterint, neque Græcorum exquisitionem et quasi normam, ad quam numeros illi exegerant, hi servarint. Sed nunc deinceps de ratione horum, et carminum comicorum structura, quæ nostra diligentia observavit, quæque postulare videtur lecti fabularum Latinarum, breviter quidem disseremus: ita tamen, ut fortasse nondum ab aliis demonstrata, indicemus. Metra præcipua sunt novem, jambicum, trochaicum, dactylicum, anapæsticum, choriambicum, antispasticum, ionicum a majore, ionicum a minore, pæonicum. E quorum numero nunc eximemus jambicum et trochaicum, deque iis quæ videbuntur, dicemus. Jambicum metrum a principe pede nomen habet: qui a conviciis appellatus fuit, ut placet Aristoteli: cumque sit maxime conveniens sermonibus (nam fortuito etiam loquentes, jambos crebros proferimus)

Hunc socci cepere pedem, grandesque cothurni,
Alternis aptum sermonibus, et populares
Vincentem strepitus, et aptum rebus agendis.

ut ait Horatius. Hoc carmen cum purum est et integrum, omnibus in locis jambos habet: ut apud Catullum,

Phaselus ille quem videtis hospites
Ait fuisse navium celerrimus.

Et Horatium,

Beatus ille qui procul negotiis.

Quo autem gravius paulo in tarditate procederet jambus,

Spondeos stabiles in jura paterna recepit
Commodus et patiens, non ut de sede secunda
Cederet aut quarta socialiter.——

Sed neque tragici hoc, in primis Latini, servarunt, et comici omnibus in locis collocarunt pedes sine discrimine, quinque: dactylum, anapæstum, tribrachyn, spondeum, jambum:

Syllaba longa brevi subjecta vocatur jambus.

Deos, cliens, ferox, quæ si ambæ breves sint, Pyrrichius is pes vocatur: *lege, here, grave.*

Digitized by Google

Spondeus habet duas longas: *exlex, concors, amens.*

Tribrachys tribus brevibus constat: *domine, canere, misera.*

Anapæstus, duabus primis brevibus, postrema longa: *silices, rabies, patiens.*

Dactylus, prima longa, sequentibus duabus brevibus: *litera scribere, musica.*

In Latinis comicis rari jambi sunt, etiam in trimetris, qui sunt senarii. In integro tamen jambico, vult esse ultimus pes hic, aut propter ultimæ indifferentiam Pyrrichius, quasi definiens numeros ac versum. Sicut in dactylico, quintus dactylus. Horum loco cum spondeus ponitur, ii versus tum σπονδαΐζοντες et σπονδαϊκοὶ dicuntur, ut

Armatumque auro circumspicit Oriona.
Apollinarem conveni meum scazon.

Claudicare enim hi versus putantur, et σκάζοντες nominantur, et χωλιαμβοί. Comici autem, ut dixi, numerus ideo minus distinxerunt, ut similitudo sermonis communis custodiretur. Itaque Cicero in *Oratore* sic ait: *at comicorum senarii propter similitudinem sermonis, sic sæpe sunt abjecti, ut nonnunquam vix in his numerus et versus intelligi possit.* Hæc confusio cum est maxima, tum carmina vocantur ἀπεμφαίνοντα, id est, *immanifesta*, et ἀνάρμοστα,

Exclusit, revocat, redeam? non si me obsecret.

Qui versus, si producas penultimam, erit dactylicus σπονδαΐζων.

Tres unam pereunt adolescentes mulierem:

Totus dactylicus, præter ultimum jambum. Hoc genus et ad octonarios producitur a comicis, qui sunt τετράμετροι: a Latinis etiam quadrati vocantur. Habet apud eosdem et κατάληξιν, ita ut ad senarium additus amphibrachys, id est, syllaba brevis longa brevis: aut bacchius, id est, syllaba brevis longa, (ultima enim syllaba omnis versus est indifferens) hoc numeros perficiat:

Nam si remittant quippiam Philumenam.

hic est τρίμετρος. Addantur illæ tres syllabæ, *dolores*, et erit jam τετράμετρος καταληκτικός. Nam in hoc genere alii pedes, quam

Digitized by Google

supra memorati, non nominantur. Sed neque servarunt hoc, ut ante καταλληξιν semper esset jambus: neque non pro syllaba longa catalectica sæpe duas breves posuerunt:

Ædepol lenones, meo animo, novisti Lusce lepide.

Ante καταλληξιν τρίβραχυς est:

Tacuisse mavellem, haud male meditate male dicaces.

Ante καταλληξιν est spondeus:

Bene ego istam eduxi meæ domi, et pudice.——
——Si hujus miseret.

Ante καταλληξιν est dactylus:

Nunquam me orares quin darem: nunc illum te orare melius est.

Lius est, in unam syllabam concrescunt. Hi versus appellantur hipponactei, ab autore, et Latine septenarii: tum enim, Priscianus ait, Varronem scripsisse, fieri septenarium, cum ad senarium jambicum trisyllabus pes addatur, hoc modo:

Quid immerentibus noces? quid invides amicis?

Talia sunt Aristophanea in *Pluto*, quorum primum hoc:

Ὦ πολλὰ δὴ τῷ δεσπότῃ ταυτὸν θύμον φαγόντες.

Trochaicum carmen est jambicum commutatum. trocheus a volubilitate et ratione nomen habet, contrarius pes jambo, constans longa et brevi, *scribe, musa, verba*. Hoc jambum non admittit, quemadmodum neque in jambicum trocheus ingreditur. Etsi reperitur etiam in Græcis τροχαϊκὸν τετράμετρον καταληκτικὸν, in cujus quarto loco ponitur jambus, ut in *Nebulis:*

Ὦ θεώμενοι κατερῶ πρός γ' ὑμᾶς ἐλευθέρως. Idque εὐπολίδειον ἀσύστατον vocarunt.

Sed multo majore licentia Latini usi fuerunt, et passim, ut videtur, inseruerunt jambos. Docent autem ita fieri hoc carmen, si ad senarium jambicum addamus creticon, qui ἀμφίμακρος, id est, syllaba longa brevis longa: ut *aurifex*, hoc modo,

——————— Dii boni,
Boni quid porto, sed ubi inveniam Pamphilum?

Digitized by Google

Et postea σκάζων,

Μαίης ἀντιπάτροιο θοὸν τέκες ἰθυντῆρα.

Et mox καταληκτικὸς εἰς συλλαβήν,

Οὐχὴ κεράσταν ὄνποτε θρέψατο ταυροπάτωρ.

Et πεντάμετρος deinde, vel καταληκτικὸς εἰς συλλαβάς:

Οὔνομ' ὅλον δίζων ὃς τᾶς μέροπος πόθον.

Atque ita usque ad δίμετρα καταληκτικὰ εἰς συλλαβήν, κολλίοπα et νηλεύστῳ. Nam in hoc genere μονόμετρος ἀκατάληκτος fieret unus pes. Metimur enim omnia genera carminum pedibus duplicatis, præter dactylicum. Idque et Rufinus testimonio Herodoti comprobavit, veteres factitasse: nam dactylica oracula reddita fuisse ait τύνῳ ἑξαμέτρῳ. Gygis autem facinoris meminisse Archilocum in jambico versu τριμέτρῳ, qui hujusmodi quidam ibi ascribitur,

Οὔ μοι γε Γύγεω τοῦ πολυχρύσου μέλει.

Est ergo et elegiacus dactylicus, quem, ut scimus, tribus dactylicis pedibus, additi anapæsti duo, absolvunt,

Ὅττι δὲ μοῖρα παθεῖν οὔ τι δέδοικα παθεῖν.
Lis est cum forma magna pudicitiæ.

Ita penthemimeris utraque conjuncta, et ipsa facit spondeum, ut sic pedes quinque dactylici construantur. Est autem penthemimeris τὸ μὴ πενθημιμερὴς, id est, quinaria, cum syllaba in verbo superest post pedes duos:

Arma virumque cano.

Hepthimimeris, τὸ μὴ ἑφθημιμερὴς, cum fit hoc post tres pedes,

Mnesthea Sergestumque vocat.

Sed in aliis versuum generibus metra duplicatis pedibus procedunt, ut in jambico est hoc μονόμετρον ἀκατάληκτον, id est, habet duos pedes integros,

Pessima mane.
Optume, odio es.

Δίμετρον hoc:

Verebar quorsum evaderet.

Digitized by Google

Τρίμετρον:

Obsequium amicos, veritas odium parit.

Τετράμετρον hoc:

Quid faciam nunc? si tres viri me in carcerem compegerint.

Atque hactenus producti jambici versus exempla adduxisse satis fuerit, etsi grammatici: πενταμέτρου quoque formam adjiciunt. Illum autem tetrametrum reperisse Boiscum quendam Cyzicenum, ἐπίγραμμα indicat, tetrametri ἀκαταλήκτου, et καταληκτικοῦ, quod legitur in commentario Rufini de metris Terent.

Βοΐσκος ὁ ἀπὸ Κυζικοῦ, παντὸς γραφεὺς ποιήματος,
Τὸν ὀκτάπουν εὑρὼν στίχον Φοίβῳ τίθησι δῶρον.
Boiscus ille Cyzicenus scriptor omnis carminis
Versus pedum octo repperit, Phœboque dedicavit.

Verum ad καταλήξεις revertamur. Est igitur καταληκτικὸς, cum deest quo minus versus compleatur, syllaba una:

Data, mox ego huc revertar:

Jambicus δίμετρος καταληκτικός. Sit enim *revertero*, nam et hac forma usi verbo fuerunt, erit jam ἀκατάληκτος.

Si mihi perget quæ vult dicere, ea quæ non vult audiet.

Trochaicus Archilochius, id est, τετράμετρος seu quadratus καταληκτικός. Sit enim, *audientur*, erit trochaicus τετράμετρος omnibus numeris absolutus.

Hypercatalecticus versus est, in quo syllaba una abundat: hujus exemplum de dactylicis adducunt,

Alloquitur Venus. O qui res hominumque deorumque.
Jactemur doceas, ignari hominumque locorumque.

Verum diligentiores in dactylico genere ὑπερκατάληξιν et βραχυκατάληξιν, nominari oportere negant, sed καταλήξεις εἰς συλ-

Digitized by Google

λαβὴν, aut εἰς δύο. Ex Plauto Priscianus, δίμετρον jambicum ὑπερκαταληκτικὸν esse hunc voluit,

Hospitio publicitus accipiar.

De quo nos dubitare, neque hanc distinctionem servasse, ante indicavimus.

Βραχυκαταληκτικὸς dicitur, cum toto pede deficitur versus integritas. Ut si μονόμετρος sit, *eheu mihi*, βραχυκατάληξις erit, *eheu*. Priscianus δίμετρον hunc retulit, *ita peregre adveniens*: de quo supra. Et jam fassi sumus, hæc neque observari, neque exquiri potuisse a nobis, et haud scio an a nullo possint omnium qui nunc vivunt, in tam tenui scientia musices antiquæ, et hac depravatione exemplorum.

Sciendum autem, comicos Latinos, prologos et primas fere scenas, pertexuisse senariis jambicis, qui sunt τρίμετροι ἀκατάληκτοι. Plautus tamen et in *Amphitruone* et alibi, in primis statim scenis numeros mutavit. A trimetris autem ad longiores pervenerunt, ut τετραμέτρους,

Mirabor hoc si sic abiret, et heri semper lenitas.
Ne forte imprudens faciam quod nolit, sciens cavebo.
Quid? credebas dormienti hæc tibi confecturos deos?

Nec non concidisse reperiuntur versus, ut subjicerent longis breviores. Nec non confudisse numeros, ut miscerentur trochei et jambi: de quibus jam satis dictum. Hoc autem silentio prætereundum non est, in jambico et trochaico creticum non esse: quamvis de Archilochii trochaici structura ille præcipiens, Rufinus ut ferunt, hoc scripserit:

Creticon Archilochus supra caput jambi.

Nam cretici ratio, qui est, ut diximus, ἀμφίμακρος, temporum quinque, ab hoc genere est alienior. Itaque quidam inculcantes jambicos et trochaicos versus hunc pedem, audiendi, mea quidem sententia, non sunt. Et si, ut verum fatear, hoc dixisse illi videntur, in his versibus reperiri verba in quibus creticus insit: ut, *edepol*, et similia, de quibus postea. Non quod in versu jam

Digitized by Google

sit creticus, sed quod in illis esset verbis, si totis syllabis plane proferrentur. Hæc sententia est, ut puto, Scaligeri, viri eruditi, qui *de versibus comicis* edidit brevem libellum: itaque in eo requisivimus nonnulla, quæ minus explicarentur nobis, et viderentur secundum Platonem, *τοῦ παρὸς δεῖσθαι βοηθοῦ, αὐτὰ οὔτ' ἀμύνασθαι, οὔτε βοηθῆσαι δυνατὰ αὐτοῖς.* Ad numeros versuum comicorum expediendos assumenda sunt ea quæ Græci *πάθη* nominant *λέξεως*, quibus et dilatantur et contrahuntur dictiones. Idque nimirum tum loquentes communiter fecerunt, ut pluribus aut paucioribus syllabis verba enunciarent, quam nos descriptura, aut secundum rationem versuum nobis notam. De qua re nunc etiam breviter quædam memorabimus.

Dilatantur verba dissolutione, seu divisione syllabarum, quæ est *διαίρεσις*. Ut *iam*, *διασυλλάβως*. Quod et Scaurum Rufinus ait indicasse, qui diceret in *Pseudolo*. Nunc *iam*, esse tres syllabas, et Plautum divisisse *jam* in duas. Tale est indicatum in eadem fabula, *malai*, *τρισύλλαβον*. Sic et *quis*, *qui*, *quæ*, et casus horum diviserunt:

Qui per virtutem peritat, non interit.

Legendum, *qui*, *διασυλλάβως*: si est vera scriptura, de quo quæreretur illo in loco. Sed exempla in Plauto jam multa indicavimus. Apud Horatium lib. II. *Carm.*

Ramis quo obliquo laborant.

Est enim versus jambicus dimeter *ὑπερκαταληκτικός*. Huc pertinet *calim*, pro *clam*, ut Festus ait. Et in diversis verbis hiatus vocalium. Quod tamen non fecisse Latinos, nisi poetas quosdam, Cicer. in *Oratore* scripsit, qui ut versum facerent, sæpe hiaverint. Ennium semel, Scipio invicte: et se:

Hoc motu radiantis etesiæ in vada ponti.

Sed sunt et apud Maronem hujus divisionis exempla:

Et longum formose vale, vale, inquit, Iola.
Insulæ Ionio in magno.
Ter sunt conati imponere Pelio Ossam.
Glauco et Panopeæ et Inoo Melicertæ.

Digitized by Google

Apud Horatium, lib. I. *Carm.*

Ossibus et capiti inhumato.

Apud Lucretium, lib. V.

Passim per cœli volvunt se inania templa.

Et lib. II.

Vivam progeniem qui in oras luminis edant.

Ubi tamen et διαίρεσις esse potest dictionis *qui:* ut et in hoc versu.

At contra quæ amara atque aspera cunque videntur.

Et apud Horatium rursum lib. III. *Carm.*

Jam virum expertæ male ominatis parcite verbis.

Et *Sermon.* lib. I. Satyra IX.

Si me amas inquit, paulum hic ades.

Item cum retinetur litera m, ἀνέκθλιπτος, tum collisio usitata fieri non potest, ut:

Insignita fere tum milia militum octo.

Ut Horatius:

Nil opus est te circumagi.

Lucret. lib. III.

Namque papaverum aura potest suspensa, levisque.

Et libro I.

Corporum in plumbo est.

Et rursus:

Plus in se corporum esse.

Et mox:

Corporum augebit numerum.

Digitized by Google

Et paulo post:

Corporum atque loci.

Et rursum lib. III.

Sed dum abest quod avemus.

Et libro II.

Cæteraque cum ita sunt.

Et hoc:

Nam quod fluvidum est.

Atque etiam vocalium concursum et contractionem interposita litera d, prohibuerunt. Sicut in *redeo*, *redhibeo*, *redarguo*, *redoleo*, *reduncus*, et in diversis dictionibus, *mederga*, *tedhoc noctis*. Ita longæ illæ manent, si natura longæ sunt. De his exempla quædam Plautina promiscue ponam, pauca illa quidem, sed de quibus similes loci facile explicari posse videantur:

Jam hi ambo et servus et hera frustra sunt duo.

Jam hi am, est jambus, vel soluta dictione *jam*, vel retenta litera m.

Quot pondo tedesse censes nudum, non edepol scio.
Ille opere foris faciundo lassus noctu advenit.
Quanquam invita te carebo, animum ego inducam tamen.
Te heri me vidisse, qui hac noctu in portum advecti sumus.
Blepharonem ut re divina facta mecum prandeat.
Nimis bella es atque amabilis, et si hoc esset meum hodie.

Qui versus omnes διαιρέσει explicari poterunt. Contractio syllabarum crebrior est. Et apparet, fuisse linguam Latinam magis aptam ad voces cogendas, quam distrahendas. Hoc illud etiam indicat, quod retulit Cicero lib. II. *de Divinatione: cum M. Crassus exercitum Brundusii imponeret, quidam in portu caricas Cauno advectas vendens, Cauneas, clamitabat. Dicamus*, inquit Cicero, *si placet, monitum ab eo Crassum, caveret ne iret.* Sonuisse enim apparet illud, *cauneas*, contractum hoc, *cave ne eas*. Hæc indicantur

Digitized by Google

nominibus συναλοιφῆς et ἐπισυναλοιφῆς. Synalœphe, quæ et συναίρεσις proprie vocatur, cum duæ syllabæ in unam veluti confluunt. Ut Phæton δισσύλλαβον, pro trisyllabo Phaeton.

Cum te dejectum crudeli fulmine Phæthon.

Nam a et e lingua Latina diphthongum faciunt. *Deinde, proinde,* δισυλλάβως Lucret. Tandem coierunt τρισυλλάβως. *Nihil, nil: mihi, mi: mehe, me:* si vis, κατ' ἔκθλιψιν, u, pro consonante, *sis, ille et terris, illet. Sceptroque innixus eburneo. Eburno: pendent lychni laquearibus aureis:* δισυλλάβως:

Libra diei noctisque pares ubi fecerit horas.

Diei, vel, *die,* duabus syllabis. Tale et *rei,* συνηρημένως.

Sic *dii, di* sunt: et *iit, it: periimus, perimus:* ἐπισυναλοιφὴ autem longius patet, cum, qualescunque vocales contrahuntur, deque duabus syllabis una fit: quod sæpe nobis mirifice factum videtur in lingua Græca et Latina, cum in sua fieri nemo miretur, quia minus considerat. Secundum autem diversarum linguarum naturam diversitas in his est. Sed exempla ἐπισυναλοιφῆς, ad quam quidem et ἔκθλιψις et συνίζησις referenda, hæc sunt, fuit, una syllaba. Lucret. lib. V.

Et ambiens multa perussit.

Et:

Et equorum ducllica proles.

Ubi et σύλληψις esse potest *duel.* Et;

Et sonitu sterilia.

Item:

Nunc scio quid sit amor.

Sco, κατ' ἐπισυναλοιφὴν legendum, ut Diomedi placet. *Sodes,* si audes. *Sultis,* si vultis, κατ' ἔκθλιψιν. Suam, *sam:* suum, *sum:* suis, *sis:* eum, *im: eapse,* ea ipsa: *sapsa,* se ipsa:

Postquam lumina sis oculis bonus Ancus reliquit.
Virgines nam sibi quisque domi Romanus habet sas.
Quo res sapsa loco sesc ostentatque jubetque.

Digitized by Google

Tuus, *tus:* tua, *ta:* suæ, *se:* aut συλλήψει μονοσυλλάβως, sicut *suavis.* Est et crebra ἔκθλιψις, et postea contractio: ut amaverunt, decreverat, commoverit: *amarunt, decrerat, commorit.* Et apud Lucretium:

Irritat virtutem animi.

Pro *irritavit.* *Sultis,* pro si vultis:

Pandite sultis genas et corde relinquite somnum.

Omnino autem quo minus corriperetur pronunciatio, non obstitit veteribus, u pro consonante: ut *sine invidia laudem invenias.* Est enim *sin inid.* τρίβραχυς. Audivi, *audii.* Eliditur et litera m, *multum ille et terris.* Hanc collisionem vocant. Etiam litera b, non obstitit interdum contractioni syllabarum: ut, *abi,* μονοσυλλάβως prolatum: συγκοπὴ est concisio, cum syllaba diminuitur verbum. *Nis,* pro nobis: *scilicet,* pro scias licet: *capsis,* pro cape si vis. *Emem,* pro eundem. *Cette manus,* pro cedite. *Actæ non alio rege puertiæ,* pro pueritiæ:

Evasti? credo metues, doctusque cavebis,
Vixet, cui vitam deus et sua dextra dedisset.
Motus quoque surpere debet.
Quæ me surpuerat mihi.

Extritio autem proprie unius tantum literæ est, ut illa ἔκθλιψις literæ m, et literæ u, pro consonante: et *caldior, lamnæ,* pro calidior, laminæ: isthic, priore brevi: ab *oles,* pro ab illis: antiqui enim literam non geminabant, ut inquit Festus: qui et *fenstram* dixere, quam posteriores τρισυλλάβως fenestram. *Senx,* vel *snex,* pro senex. Edepol, *edpol.* Virgines, *virgnes.* Semine oriundi. Sed magis universum apud Lucretium, *semne* et universum. Sic et in *evenat,* extrita i litera videtur, ut apud Ennium, referente Nonio:

Senex siem, utinam mortem oppetam priusquam evenat.
Quod in pauperia mea senex graviter gemam.

Digitized by Google

Quin etiam initiales syllabas quasi absorbentes minus expresserunt. Sed ad extritionem revertamur. Delituit igitur in Latina lingua sæpe ac multum in pronunciatione, littera s.

Samnis Spurcus homo vita illa dignus locoque.
Formido quid ago, da Venus consilium.
Pandite sultis genas
Puncto temporis reddant.

Huc referenda illa quæ a Cicerone memorantur, *multimodis, vasargenteis, palpet crinibus tectifractis:* pro multis modis, vasis argent. palmis et cr. tectis fr. Et illæ *συγκοπαί*, secundum quas *tali*, et *ala* extitit, de taxillis et axilla: et *meum factum, exitium*, pro meorum factorum, et exitiorum: quæ in quibusdam usitatæ admodum fuerunt, *deum, numum aureum, liberum.* Quinetium duorum virorum judicium, aut trium virorum capitalium, aut decem virorum litibus judicandis, ait se Cicero, dicere nunquam, quomodo ergo? nimirum *συγκεκομμένως*, *duum virum*, et trium *virum*, et decem *virum.* Item siet, sit. *E* rep. pro ex: *pomeridianis* quadrigas, pro postmeridianas. His addantur *ἀποκοπαί*: *viden' ain' satin' men' mihin'* de quibus abscissum est ne. *Exin, dein, proin*, amputato de: *famul*, pro famulus. Lucretius:

Ossa dedi terræ proinde ac famul infimus esset.

Volup, animal, exemplar, de quibus recisum est e. illi, pro illic. Jam de productione et correptione vocalium multa dici possent. *Fuit, fieri:* extenta priore syllaba. *Inclitus*, ut ait Cicero, prima brevi. Secundum hæc fiunt mirificæ collisiones, elisiones, detritiones, et comprehensiones literarum ac syllabarum, et pronunciatione vera, quam sæpe nos non possumus conjecturis nostris consequi, versus procedunt: in quibus scriptura non raro, præsertim in dilatando, numeros non servat. Sed nunc et eorum, de quibus multo minus diximus, quam dici potuisset, et tamen satis fuisse manifestum indicium videtur, Plautina exempla afferamus: et ita tandem hanc quasi commentatiunculum finiamus:

Similem rem ipse in legem jussit esse Juppiter.

Digitized by Google

Aut corripitur, *esse*, aut est κατ' ἐπισυναλοιφὴν, *similem*, διασύλλαβον:

Ut conquisitores fierent histrionibus.

Histrionibus, κατὰ συνίζησιν. Nisi maluerit aliquis conquæstores:

Qui ne quo placeret alter, fecisset minus.

Qui ne quo, spondeus, pronunciatione mediam syllabam absorbente:

Qui cum Amphitruone abivit hinc in exercitum.

Et mox:

Nunc hodie Amphitruo veniet huc ab exercitu.

Hinc in exe, et *huc ab exe*, spondei sunt pari ratione concisionis, in brevitate syllaba quasi evanescente:

In tabernaculo: id quidem hodie nunquum poterit dicere.

Simplicissimum est, ut legatur, *tabernaclo:*

Quid in tabernaclo fecisti? victus sum, si dixeris.

Quid in ta, trocheus. Vel ut notavimus: *quid in*, κατὰ διαίρεσιν anapæstus, et *taberna*, spondeus:

Ridiculi caussa, vel hunc rogato Sosiam.

Nam hanc veram lectionem puto: vel hunc μονοσυλλάβως pronunciandum:

Quin, si tu voles, domi servi qui sunt castrabo virot.

Dmi, μονοσυλλάβως κατ' ἐπισυναλοιφήν.

Portitorum simillimæ sunt januæ lenoniæ.

Aut portitum κατὰ συγκοπὴν, aut simillimæ, κατ' ἐπισυναλοιφὴν pronunciandum:

Da meus ocellus, da mea rosa, da mi anime, da mea voluptas.

Digitized by Google

Aut sic, *da mus ocel.* Aut sic, *da ma rosa,* et *mea voluptas,* o, brevi absorpto διασυλλάβως: vel *ma voluptas:*

Lenonis hæ sunt ædes, male istis eveniat.

Pronunciandum evenat κατ' ἐκθλιψιν literæ i.

Credam pudor si cuipiam lenoni siet.

Pronunciandum cuipiam διασυλλάβως κατὰ συναίρεσιν et συνίζησιν:

Voltis ne olivas aut pulpamentum, aut capparim?

Olivas διασυλλάβως, ut notavimus, et ut in versu Lucilii *maluisti* τρισυλλάβως, in proœmio primi libri *de Finibus:* vel potius, *Voltine,* extrita litera s. Quis autem scit utra potius pronunciatio actori arriserit:

Fateor: abi deprome: age tu interea huic somnium.

Abi de, spondeus: *huic som,* spondeus: κατ' ἐπισυναλοιφὴν et συνίζησιν:

Superstitiosus hic quidem est, vera prædicat.

Quidem est ve, spondeus κατ' ἐπισυναλοιφὴν: hæc collisio creberrime occurrit in comicis versibus:

Qui perjurum convenire vult hominem, mitto in comitium.

Ni re vult, spondeus, elisa u, pro consonante:

Quo is homo insinuavit facto se ad te? per Dionysia.

Quo is ho, τρίβραχυς κατὰ διαίρεσιν syllabæ *quo:*

Nam eum pater ejus subegit: nunc mea mater irata est mihi.

Nam eum pater, dactylus est: *ejus sub:* aut dactylus liquescente s. aut trocheus, κατ' ἐπισυναλοιφὴν, ut *ejus,* una sit syllaba:

Hujus quæ locuta est quærere aiebas, filiam.

Digitized by Google

Hujus κατ' ἐκτασιν, una syllaba: sicut, *aiebas*, duæ:

Ego ad anum recurro rursum. Lampadio obsecro.

Aut est, *ego ad anum*, anapæstus pronunciatione e initiale colliquante: aut etiam prioris hoc cum versus ultimæ dictionis finali syllaba, ut sæpe sit, collidente.

Videar fortasse in his alicui nimis diu morari, et non necessariam, vel etiam inutilem operam consumere. Veruntamen ego de re neque prorsus negligenda et digna liberalibus studiis, et a plerisque tractata negligentius, dicendum hoc loco aliquid putavi: quod quidem ejusmodi esse confido, ut qui forte voluerint in his versari accuratius, mediocrem occasionem exercendi studium suum habituri esse videantur. Etsi autem hæc sunt præcipua, per quæ poterunt numeri versuum comicorum expediri et quasi exolvi, tamen et alia quædam ad hanc curam assumenda sunt, et in primis syllabarum productio, quæ ἔκτασις, ac correptio, quæ συστολὴ nominatur. Fit autem ἔκτασις, vocali interdum producta natura brevi: ut *fuit*, et *fieri*, quod supra retulimus. Interdum geminata consonante, ut *relligio*, *redduco*, *repperit*, συστολὴ autem, syllaba correpta: ut *omitto*, et *rejicio*, et συναιρέσει *reicio*, ut:

Tityre pascentes a flumine reice capellas.

Ita putatur ἐκτεταμένον, *vitam dederitis in undis*: et *transieritis aquas*. Etsi quibusdam natura flexionis postulare videtur, ut in hujusmodi verbis, *ri*, syllaba producatur, et illa corripiatur κατὰ συστολήν. Hæc et superius indicatorum παθῶν, de Homero etiam nunc quædam demonstrabimus, Ιλ. σ.

Ὑιεῖ ἐμῷ κλυτὰ τεύχεα δόμεναι παμφανόωντα.

Est enim δόμεναι, quasi δόμναι, sicut abietibus, et ariete, et parietibus: et hoc Ennianum:

Capitibus nutantes pinus, rectasque cupressos.

In quibus tamen συλλήψεις sunt, pronunciato i, pro consonante, sicut hoc versu Οδ, γ'.

Πόλλ' ἐπιμήρι' ἔθεμεν.

Digitized by Google

Est enim μέρι' ἔθε, dactylus: νῦν δ' αὐτέ με φιλὲ ἀθήνη: vel ut alibi, φίλαι ἀθήνη: et ἔξοχα γάρ μιν ἐφίλατο παλλὰς ἀθήνη, pronunciandum enim quasi gemino λλ, ut φι longum fiat. Sicut Ιλ. β'.

Ἴλιον ἐκπέρσαντ' εὐτείχεον ἀπονέεσθαι.

Quasi ἀππ. Tale et illud ἄρες, quasi ἄῤῥες esse videtur. Ita et φιλομείδης ἀφροδίτη, habet λο syllabam productam. Et hic versus similiter pronunciationis productione sustentatur, Ιλ. γ'.

Ἀιδοῖος τέ μοι ἐσσὶ ἐφίλε ἑκυρὲ δεινός τε.

Nam et aspiratio brevis vocalis pronunciationem remoratur, et ῥεδει, est quasi ρεδδει: sicut ἔδδεισε δ' ἐλένη. Rursum. Ιλ. έ.

Καὶ νύ κεν ἔτι πλέονας λυκίων κτάνε δῖος ὀδυσσεύς.

Etsi poterat facere καὶ νύκ' ἔτι πλέονας, tamen illud maluit, nimirum pronunciatione versum expediente, quatuor brevibus syllabis unam longam et duas breves sonantibus: sicut Οδ. ζ'.

Καὶ τότε φαιήκων ἐς πόλιν ἴμεν ἠδ' ἐρέεσθαι.

Est enim πόλιν ἴμεν, dactylus non syllabis, sed veteri pronunciatione, quam nos exprimere lingua aliena non possumus. Hoc loco in mentem mihi venit versus quem Scaliger adduxit ex Euripidis *Oreste*, in quo esset ἐπισυναλοιφή:

Αὐτουργός: οἵπερ καὶ μόνοι σώζουσι πόλιν.

Sed nos et in editis ab Aldo exemplis et in explicatione reperimus σώζουσι γήν. Hoc igitur relinquamus. Ιλ. ύ.

Μόρσιμον δὲ οἱ ἔστ' ἀλέασθαι.

Ubi manifesta est συγκοπὴ, et illud μόρσιμον quasi μόρσμον. Sicut et in hoc, Ιλ. ώ.

Ἐκτὸς μὲν δὴ λέξον γέρον φίλε.

Digitized by Google

Est enim plane, γρον φλε. Quemadmodum et Od. ή.

Μήδ' οὕτω φίλον διὶ πατρὶ γένοιτο.

Ubi φίλον est quasi φλον. Jam in hoc Il. β'.

Βωμοῦ δ' ὑπαΐξας.

Συναίρεσις est:

Ἕως ὃ ταῦθ' ὥρμαινε.

Il. ά. cum sit primus pes ἀμφίβραχυς alienus carmine heroico: θεραπεύεται τὸ μέτρον συνιζήσει, secundum Eustath ὡς ὦ, producta syllaba ὅ. Aristoph.

Εἰρκύνη, οἱ γεωργοὶ τοὔργον ἐξέλκουσι κἄλλος οὐδείς.

Οἱ γεωργ. spondæus συνιζήσει. Il. ξ'.

Ὤκεον δὲν πλευρῶνι.

Hesiodus:

Νείκεα καὶ δῆριν ὀφέλλειν.

Il. autem ώ. in hoc:

Χωόμενος ᾧ τινι δήπω ἀδελφεὸν ἔκτανεν ἕκτωρ.

Est συνίζησις.

In hoc vero Il. θ'.

Ἠὼς μὲν κροκόπεπλος ἐκίδνατο πᾶσαν ἐπ' αἶαν.

Et hoc, Il. β'.

Πολυστάφυλον θ' Ἱστιαῖαν.

Et hoc, Il. έ.

Ὅστ' ὦκα ῥέων ἐκέδασσε γεφυράς.

Et paulo ante:

Ὅς' ῥα καμάνδρου,
Ἀρητὴρ ἐτέτυκτο.

Digitized by Google

Et hoc, Ιλ. ή.

Σὸν δήτοι κλέος ἔσταν ὅσον ἐπικίδναται ἠώς.

Et hoc, Οδ. έ.

Κλῦθι ἄναξ ὅστις ἐσσι.

Et hoc, Οδ. λ'.

Καὶ ῥ ἔσχεν δύο παῖδας, ἀμφιονά τε ζῆθόν τε.

Παῖδας ἀμφ· spondeus liquescente litera σ, ut in superioribus versibus omnibus cursui hæc numerorum obstaret, nisi removeretur pronunciatione.

Nam si versibus aliquis alienos pedes, qui sunt proceleusmaticus, et creticus seu ἀμφίμακρος, aut nescio quos alios inserit, cum constet heroici carminis proprios pedes esse, dactylum ac spondeum. Jambici, jambum, spondeum et spondeo æquales. Trochaici, trocheum et spondeum et huic æquales, et alios alius generis. Illum igitur qui admiscet alienos, non audiendum putamus, corrumpentem carminis modos, et numerorum rationem dissolventem. Sed pronunciatio hæc omnia quondam nullo cum negotio et sine omni insuavitate explicuit. Quare non assentior, neque Plutarcho, qui Homerum studiosum bonæ narrationis, compositionem neglexisse scribit, et primum statim versum ἄμετρον extulisse:

Μῆνιν ἄειδε θεὰ πελιηάδεω ἀχιλῆος.

Non enim ille ita extulit ut Plutarchus, multo minus ut nos, secundum perscriptas literas: neque Scaligero infulcienti creticos in jambicos modos. Etsi ad hoc delabitur ut *voluptas*, anapæsticam velit esse dictionem: id quidem melius, sed illæ συγκοπαὶ pronunciationis rectius expediunt numeros, mea quidem sententia, et antiquitate teste, cujus unum etiam nunc exemplum adducere visum, Hesiodi:

Ἄσηρη χεῖ μα κακὴ, θέρειδ' ἀργαλέη, οὐδέποτ' ἐσθλή.

Digitized by Google

Est enim θρεῖ et γη. Sed de hac re, cum tantum jam verborum fecerim, plus quidem quam initio instituerat me facturum esse, nunc desinam, et hæc nostra judicio aliorum submitto: et quod restat, observationem et curam harum rerum diligentium studio committo. Quantulamcunque autem operam hanc industriæ meæ cupio omnes boni consulere, quod bonos et bonarum artium cupidos scio esse facturos: ii enim neque ullam in literis exquisitionem nimis parvam et futilem ducunt, neque hos conatus judicii nostri poterunt despicere:

Περὶ δὲ τῶν ἄλλων, οὐ φροντὶς ἱπποκλείδῃ.

Digitized by Google

DE RATIONE METRI TERENTIANI

JO. LENGIUS.

DE Metris Terentianis ut multa dicam, neque instituti nostri brevitas patitur; et plurimi, qui de hac re scripserunt, viri doctissimi supervacaneum fere fecerunt. Sed quoniam in variis hujus auctoris lectionibus dijudicandis metri ratio haud parum juvat, idcirco pauca quædam, quæ huc spectant, præmittenda duximus.

Versus igitur, quibus utitur Terentius, sunt plerumque vel trimetri sive senarii, vel tetrametri seu octonarii: dimetris quidem nonnunquam, sed rarius, utitur; monometris rarissime.

De Senariis.

Notum est Senarios olim perfectos sex pedibus jambis constitisse: qualis est,

Amantium iræ amoris integratio est.

Sed præter hunc versum nullibi me purum jambicum apud hunc auctorem deprehendisse memini: quod etiam facit ut credam, proverbiale hoc fuisse dictum, ab antiquiore aliquo poeta mutuatum. Deinde autem receptum est, ut præter pedem jambum tribrachyn (qui fit et resolutione jambi) etiam spondeus et omnes pedes qui sunt ejusdem cum spondeo temporis (præter amphibrachyn) in sedibus imparibus, nempe prima, tertia, quinta admitterentur; locos pares *i. e.* secundum, quartum, sextum occupante interim solo iambo. Hujusmodi versus apud Græcos tam comicos quam tragicos usitatissimi, apud nostrum auctorem interdum, sed minus frequenter, apparent: ut,

Accede ad ignem hunc, jam calesces plus satis.

Postremo igitur, ut metrum comicum ad sermonem vulgarem propius accederet, de sede sexta tantum sive ultima soliciti esse cœperunt, ut ipsam semper jambus occuparet; in cæteris autem,

Digitized by Google

dummodo trochæum excluderent, satis habuerunt, si vel tribrachyn, vel spondeum, vel spondeo (quoad tempora) parem dactylum, anapæstum, proceleusmaticum pro libitu usurparent. Per trochæum autem, quem nunquam admittit carmen jambicum, istum semper intelligo pedem, cujus primam syllabam longam sequitur altera brevis, qui maxime jambo contrarius est. Quod ideo hic obiter moneo, quia Cicero et Quintilianus hunc pedem choreum plerumque appellant, illum autem alterum tribus brevibus constantem trochæum vocant: contrarium vero facit Hephæstion, et plerique grammatici; quos ideo sequimur, ne a more recepto discedere videamur.

Proceleusmatici quidem minus frequenter occurrunt quam cæteri pedes supra memorati, sed nonnunquam tamen adhibentur: ut,

Qui sæpe propter invidiam adimunt diviti.

sæpius autem in prima sede, et in iis dictionibus quæ ad flexum vocis magis accommodantur: ut,

Ita popu*lus studio stupidus in funambulo.*
Minime equi*dem me oblectavi, quæ cum milite.*

Quinta vero sedes vel proceleusmaticum vel tribrachyn raro admittit; ne scilicet nimius sit brevium syllabarum concursus, quem, prope finem versus, aures non facile patiuntur.

De Tetrametris.

Tetrametri seu octonarii sunt vel jambici, vel trochaici. Rursus jambici tetrametri sunt vel acatalectici, vel catalectici. Acatalectici vocantur, qui justam mensuram octo pedum semper habent, quorum ultimus est jambus:

Nil tam difficile est, quin quærendo investigari possiet.

Jambici catalecti (qui et scazontes dicuntur) sunt quibus in fine una deest syllaba, sedem septimam sive penultimam occupante jambo: ut,

Salu | tant ad | cænam | vocant | adven | tum gra | tulan | tur.

Digitized by Google

In catalecticis tamen, apud comicum nostrum, pro jambo sæpe ponitur spondeus vel dactylus in sede penult. vel etiam tribrachys: ut, Hec. II. 2

Novi: et quæ dicis omnia esse ut dicis animum induco.
Et te hoc mihi cupio credere, illam ad vos redire studeo,
Si facere possim ullo modo. L. Quæ res te facere id prohibet?

Trochaici tetrametri apud hunc auctorem sunt plerumque catalectici, *i. e.* quibus in fine una deest syllaba brevis, quo minus constent octo plenis pedibus, quorum septimus est trochæus: ut,

Pro pec | cato | magno | paulum | supplici | i satis | est pa | tri.

loci reliqui tribrachos, spondeos, dactylos, anapæstos admittunt, jambo semper excluso, qui nunquam trochaicum ingreditur carmen, uti nec trochæus jambicum. Nec tamen tantum interest inter trochaicum et jambicum versum, quin, qui nunc trochaicus est catalecticus, possit modo fieri jambicus acatalectus, si unicam duntaxat syllabam initio præponas: ut,

Cum faci | em vide | as vi | detur | esse | quanti | vis pre | ci.

Trochaicus est; sed si legas,

Qui, cum | faciem | videas | vide | tur es | se quan | tivis | preci.

fit jambicus acatalectus; hoc enim modo neque hunc ingreditur trochæus, neque illum jambus. Hinc etiam sæpe fit ut propter syllabam aliquam communem idem versus possit aliquando vel trochaice vel jambice mensurari: ut,

Eho, non tu dixti esse inter eos inimicitias, carnufex?

cum enim ultima in *eho* sit brevis, trochaicus est versus; at si vel longam facias, vel *nonne* pro *non* legas, e trochaico statim fiet jambicus acatal. et propterea trochaici a nonnullis appellantur jambici ab initio catalectici: quod Aristoteles etiam facere videtur, ubi hunc versum ex jambis Archilochi citat, *Rhet. l.* 3. *c.* 17,

Χρημάτων δ' ἄελπτον οὐθέν ἐστιν οὐδ' ἀπώμοτον.

Atque exinde nemini mirum videri debet, si trochaicos cum

Digitized by Google

jambicis in eadem scena sæpe mistos videat, cum ab his ad illos tam facilis sit transitus.

Trochaicis acatalectis parcius uti videtur, atque ibi solum ubi fabulæ partes turbatiores aguntur, ita ut vix numerum sentire possis: ut, Phorm. I. 3. 1.

Adeon' rem redisse, ut qui mihi consultum optume velit esse.

et in iis ipsis locis multo majori numero catalecticorum semper immiscentur. Et certe felicissima ubique arte id agit poeta, ut rerum quæ aguntur turbatam vel tranquillam rationem carminis etiam ratio confusa vel expedita semper exprimat. quod etiam facit ut plurimum voluptatis iis prorsus pereat, qui ad hunc auctorem legendum neglecta vel non intellecta metri ratione accedant.

Tetrametris nonnunquam interseritur dimeter jambicus: ut,

Verebar quorsum evaderet.
Amore abundas Antipho.

aut trochaicus: ut, *Proh Deum atque hominum fidem.* rarius monometer, ut, *quid illud est.*

Sed de his non opus est ut quidquam dicam, cum et raro occurrant, et ex iis quæ de trimetris et tetrametris diximus, facile possint intelligi.

De Licentia Metri Terentiani.

Diximus supra, carmen jambicum a comicis usurpatum, præter pedem jambum, etiam spondeum, aliosque pedes, qui sunt ejusdem cum spondeo mensuræ, frequentius admittere. Dubitatur autem interea inter doctos, annon et pes creticus sive amphimacer, qui spondeum excedit, in metro Terentiano locum habeat. quamquam enim alii nunquam admittendum esse censeant; alii tamen admittunt, sed parcius. Et certe siquis ad normam Virgilianam omnes nostri comici voces vocumque pronunciationes expendendas esse credat, nullo modo pedem istum effugere poterit. Sed cum heroicum carmen longe a comico scribendi modo distet, dubitandum non est quin et alius quoque pronunciandi mo-

Digitized by Google

dus huic, alius illi conveniat. Comœdia quippe popularem fere sermonem nobis exhibet; cujus apud omnes gentes mos est, ut ea dictiones, quæ frequentius occurrunt, contractiore modo sæpe pronuncientur, et veluti in unam coeant. quod tamen si vel in oratione gravi vel in heroico carmine fieret, ridiculum videretur. Hoc modo apud auctorem nostrum voces *quid, quod, sed,* &c. cum voce sequenti quodammodo coalescere interdum videntur: ut,

Nihil propter hanc rem; sed est *quod succenset tibi.*
Quidnam est? puerile est. quid est? *nihil. quin dic, quid est?*

ubi, ne pes creticus admittatur, *sed est* et *quid est*, quasi in unam coire syllabam credimus. Quod autem hic de pede cretico vitando diximus, de cæteris etiam intelligendum est qui spondeum excedunt. sic vox *nihil*, in primo pede prioris versus modo allati, monosyllaba est; quanquam in quarto pede sequentis eleganter disyllabice pronuncietur. eodem modo non solum voces *magis* et *satis*, sed etiam *quidem, simul, apud*, et *tamen*, vel ultimam literam sæpe elisam habent, vel in unam syllabam contrahuntur: ut,

Ne hoc quidem *tacebit Parmeno. Oh dubiumne id est?*
Et simul *conficiam facilius ego quod volo.*
Præsto apud *me esse aiunt: egomet convivas moror.*
Tamen vix *humane patitur, verum si augeam.*

Muretus quidem ut hanc licentiam efugiat, legit *Tamen humane vix patitur*———sed in nullis MSS. ita legitur, neque latina videtur ea verborum collocatio. Et certe quanquam frequentes istæ sive collisiones sive elisiones syllabarum illorum auribus insolitæ videantur, qui omnia ad Augustani ævi normam exigere solent; non absurdæ tamen iis videbuntur, qui vel Enniani seculi reliquias legunt, vel popularem loquendi morem, quem supra memoravimus, paulo attentius considerant. nec fortasse mirabuntur, si primam syllabam in *ille, ipse, iste,* &c. vel ultimam in *vide, cave, jube, domi, heri,* &c. sæpe correptam videant. ob eandem etiam rationem sæpe fieri solet ut *dii deos, ait, scio, mihi, meus, tuus, suus* (nonnunquam *tibi* et *sibi*, ut putat Faernus) in unam syllabam contrahuntur, aut vox *jam* in duas

Digitized by Google

extendatur. In vocibus *ejus*, *hujus*, *cujus*, sunt qui primam syllabam corripiendam, et *s* finale in secunda elidendum, ante consonam, more antiquo, censent: quorum sententiam etsi non prorsus improbamus, melius tamen versui consuli posse censemus, si eæ voces in unam syllabam inter pronunciandum contrahantur, adeo ut eodem fere modo proferantur quo apud Anglos *his* et *whose*: ut,

Si illum relinquo, ejus *vitæ timeo; sin opitulor*, hujus *minas.*

Interjectiones, jurandi adverbia, et voces fictitias, pro libitu loquentis vel produci vel corripi, ipsa comicæ locutionis ratio suadet ut credam; neque opus esse, ut pro *at at* scribatur *at at at*, vel *æpol* pro *edepol*, quæ vox sæpe primam corripit apud hunc auctorem. Nemo non observat voces esse quasdam quæ diversam quantitatem apud diversæ ætatis scriptores habent: sic vox *suspicio* contra mensuram hodiernam, plerumque apud nostrum auctorem secundam syllabam producit. quod ne fieret, Goveanus in ejus locum reposuit *suspectio*; sed sine ratione, cum idem fieri videas apud Plautum;

Et ne in suspicione ponatur stupri. Amph. I. 2. 27.
Suspiciones omnes ab se segreget. Asin. IV. 1. 29.

Et apud Phædrum in prologo lib. 3.

Suspicione siquis errabit sua.

Nec a ratione fortasse alienum videbitur, si syllaba natura brevis interdum, quasi data opera, producatur, quo magis emphatice mentem loquentis exprimat. Sic *Phorm.* V. 6. 75.

Quin novo modo ei faceres contumeliam.

Quo in loco Phormionis personæ admodum convenire mihi videtur, si prima syllaba in *novo* comice producta sit. Agnosco quidem Faernum, ut et Waseum, aliter hunc versum metiri, nempe contrahendo vocem *novo* in unam syllabam, et primam in *ei* producendo: sed hæc ratio impeditior videtur. quod si cui neque horum neque nostra hujus versus expediendi ratio placeat,

Digitized by Google

nec iste turbatum a Mureto verborum ordinem, contra omnium MSS. fidem, si velit, amplectatur. ita enim Muretus legit:

Novo modo ei quin faceres contumelias.

sed an hæc verborum collocatio venusta sit, doctis judicandum relinquo.

Cum tantam itaque licentiam sibi nonnunquam sumserint comici, ut metrum suum ad popularem loquendi morem magis accommodarent; mirum non erit si frequentius ista libertate utantur, quam vel ipsi carminis heroici scriptores sibi interdum permiserunt. Hinc *m* finale vel vocalis ante alteram vocalem in sequenti dictione sæpe non eliditur: ut,

Ego cum illo quocum tum uno rem *habebam hospite.*
Jamdudum te amat, *jamdudum illi facile fit.*
Eho vero laudas qui heros *fallunt? in loco.*

nec euphonia sua caret hæc elisionis omissio.

Initium quoque sequentis versus sæpe in scansione fini præcedentis annectendum est: ut,

Rationem, est hercle inepta, ne dicam dolo,
Atque *absurda. pisces cæteros purga, Dromo.*

S finale ante consonam sæpe exteri, non opus est ut memorem, cum nemo, qui vetustiorum poetarum reliquias versat, hoc ubique fere fieri non videat.

Atque hæc de comicorum licentia quasi obiter attigisse sufficiat. qui plura cupit, Gabr. Faerni emendationes adeat, hominis in hoc genere versatissimi? vel Chr. Wasei nostratis libellum qui *Senarius* inscribitur, sive *de legibus et licentia veterum poetarum*, ubi tota res fusissime explicatur, et innumeris confirmatur exemplis. Et certe si ad hanc liberiorem veterum poetarum normam viri ingenio et doctrina spectatissimi Goveanus et Muretus satis attendissent, haud tantum sibi in immutando Terentio licentiam, contra optimorum codicum auctoritatem, temere arripuissent. Sed dum omnia ad hodiernas metri Virgiliani regulas cogere studuerunt, verborum ordinem invertere, voces mi-

Digitized by Google

natiores pro libitu addere vel detrahere, versus nunc hoc, nunc alio modo secare non sunt veriti; adeo ut nonnullis in locis tua plane Terentio venustas periisse videatur. quis enim hunc verborum ordinem Terentiana elegantia dignum dicet?

Omnes in lauta te et bene parte aucta putant.

Neque ab exemplari Muretiano satis sibi cavisse videtur Cl. Heinsius: qui quanquam plurimis in locis emendationes Faerni e lib. Bemb. secutus sit, ordinem tamen verborum a Mureto turbatum ita saepe non emendavit, ut, utraque simul admissa lectione, ne metrum quidem ipsum constet. quod ne temere dictum videatur, unum aut alterum exemplum apponam. Heaut. V. 4. 12. olim ita legebatur,

Non sunt hæc jam parentis dicta. non si ex capite sis meo.

qui versus, cum jambicus inter trochaicos Mureto ferendus non videretur, ita ab illo est mutatus:

Non sunt hæc jam dicta parentis. non si ex capite sis meo.

cum autem recte moneret Faernus voculam *jam* in omnibus deesse MSS. sic melius constare trochaicum; sustulit eam Heinsius, sed ordinem verborum sequentium *dicta parentis* non animadvertit, qui ita neque jambicus neque trochaicus erit, nisi legas, ut olim, *parentis dicta.* Sic Adelph. V. 2. 14. cum olim legeretur,

Alia cura. porro autem dum studeo illis ut quam plurimum;

Muretus (ut constaret trochaicus) ita invertit,

Alia cura. porro autem illis dum studeo ut q. p.

Faernus e MSS. pro *porro* restituit *heia,* quod et versum sanat absque ista inversione. Heinsius autem admissa voce *heia,* dum sequentium verborum ordinem antiquum restituere neglexit, versum prorsus corrupit. Eodem modo si inter voculas duas, (quas simul constare metri ratio vetat) utri utra locum cedat, ambigatur; interdum, posthabita metri ratione, utramque admittit; in-

Digitized by Google

terdum contra, irreptitiam simul cum genuina delet. Sic cum huic versui olim,

Sine me vacuum tempus ne quod dem mihi,

deesse aliquid ad metrum viderat Muretus, ex conjectura *dem* mutavit in *duim*; Faernus autem e cod. Bemb. pro *vacuum* reposuit *vacivom*: Heinsius, contra metrum, utramque simul mutationem retinuit. Sic *Heaut.* IV. 5. 19.

Quod ei es pollicitus. garris. unde id? a tuo patre.

cum aliquid metro superesse deprehenderetur, Muretus ex ingenio suo delevit vocem *tuo*, Faernus ex auctoritate MSS. delevit *id*; editio Heinsiana utramque vocem sustulit, metro rursus depravato. Quod pluribus in locis fieri videbit, quicunque editiones Mureti, Faerni, atque Heinsii invicem conferre operæ precium fore existimabit.

Digitized by Google

FRANCISCUS HARE, S.T.P.

DE

METRIS COMICIS.

QUI cum fructu legere velit, quæ de metris comicis dicturus sum, domo afferat oportet eorum cognitionem, quæ in vulgatis carminis condendi regulis continentur; neque enim prima prosodiæ elementa tradere hujus instituti est. Qui iis leviter imbutus est, novit brevem syllabam unius esse temporis, longam duorum; pedes autem ex syllabis componi; et ex iis unum esse duorum temporum, pyrrichium; tres trium, trochæum, jambum, tribrachyn; quatuor, temporum quatuor, spondeum, dactylum, anapæstum, et amphibrachyn; (sed hic ultimus ad metra Terentiana intelligenda prorsus inutilis) tres ex pedibus simplicibus quinque temporum, bacchium, antibacchium, et creticum; unum denique sex esse temporum, nempe molossum: sed hi quatuor ad pæonicum genus spectant, de quo nihil hic dicturus sum.

Ex pedum dissyllaborum geminatione vel conjunctione oriuntur metra, quæ Græci διποδίας seu συζυγίας dixere, numero sedecim.

1. Ex pyrrichio geminato fit proceleusmaticus, temporibus spondeo æqualis, adeoque in simplicium pedum numero merito ponendus.
2. Ex geminato trochæo, trochæo-trochæus, seu ditrochæus.
3. Ex geminato jambo, dijambus.
4. Ex geminato spondeo, dispondeus.
5. Ex trochæo et pyrrichio, pæon primus.
6. Ex pyrrichio et trochæo, pæon tertius.
7. Ex jambo et pyrrichio, pæon secundus.
8. Ex pyrrichio et jambo, pæon quartus.
9. Ex trochæo et jambo, choriambus.

Digitized by Google

10. Ex jambo et trochæo, antispastus.
11. Ex pyrrichio et spondeo, ionicus a minore.
12. Ex spondeo et pyrrichio, ionicus a majore.
13. Ex trochæo et spondeo, trochæo-spondeus, seu epitritus secundus.
14. Ex spondeo et trochæo, spondeo-trochæus, seu epitritus quartus.
15. Ex jambo et spondeo, epitritus primus.
16. Ex spondeo et jambo, epitritus tertius.

Ex hisce metris quatuor solum ad præsens institutum faciunt, secundus scilicet, quartus, decimus tertius, et decimus quartus.

In hæc quatuor metra, aliave quæ iis sunt temporibus æqualia, omnes versus Terentiani, exceptis pauculis pæonici generis, ut mox videbimus, resolvi possunt. his igitur probe cognitis, nihil erit in metris Terentianis quod non vel tironi facillimum videbitur, præter licentias, de quibus suo loco.

Metra autem quæ quatuor supra memoratis temporum ratione paria sunt, et eorum vicem sustinere possunt, sequens tabella exhibet.

Trochæo-trochæo seu ditrochæo	Trochæo-spondeo seu epitrito secundo	Spondeo-trochæo seu epitrito quarto	Spondeo-spondeo seu dispondeo

Sunt temporibus æquales,

Ditribrachys	Tribrachy-spondeus	Spondeo-tribrachys	Spondeo-dactylus
Tribrachy-trochæus	Tribrachy-dactylus	Dactylo-trochæus	Dactylo-spondeus
Trochæo-tribrachys	Tribrachy-anapæstus	Dactylo-tribrachys	Spondeo-anapæstus
	Trochæo-dactylus	Anapæsto-trochæus	Anapæsto-spondeus
	Trochæo-anapæstus	Anapæsto-tribrachys	Dactylo-anapæstus
			Anapæsto-dactylus
			Didactylus
			Dianapæstus.

Unaque cum iis metrorum viginti quinque numerum conficiunt; quæ juxta alphabeti ordinem in quinque classes distributa lectori ob oculos ponere utile putavi, cum exemplis singulorum adjunctis, locisque unde sunt desumpta.

Digitized by Google

1. A. A. Dianapæstus. *iter hac-habui.* Eun. V. VIII. 35.
2. A. D. Anapæsto-dactylus. *tĕ amō-quo magis.* Ad. IV. V. 46.
3. A. S. Anapæsto-spondeus. *videō-sentum.* Eun. II. II. 5.
4. A. Tr. Anapæsto-tribrachys. *itidem-pătria.* Eun. II. II. 4.
5. A. T. Anapæsto-trochæus. *prius au-dite.* Eun. V. VIII. 37.

6. D. A. Dactylo-anapæstus. *est genus-hominum.* Eun. II. II. 17.
7. D. D. Didactylus. *quid lacry-mas pater.* Ad. IV. V. 45.
8. D. S. Dactylo-spondeus. *ut tuo a-mori.* Eun. V. VIII. 46.
9. D. Tr. Dactylo-tribrachys. *interea-aliquĭd.* Heaut. II. IV. 11.
10. D. T. Dactylo-trochæus. *suppedi-tare.* Eun. V. VIII. 46.

11. S. A. Spondeo-anapæstus. *quid con-libuit.* Eun. V. VIII. 26.
12. S. D. Spondeo-dactylus. *nemo est-principi°.* V. VIII. 48.
13. S. S. Dispondeus. *pannis-annis.* II. II. 5.
14. S. Tr. Spondeo-tribrachys. *multum ac-cipere.* V. VIII. 45.
15. S. T. Spondeo-trochæus. *ut spes-nulla.* Eun. II. II. 9.

16. Tr. A. Tribrachy-anapæstus. *adeo ut-etiam.* Hec. II. I. 24.
17. Tr. D. Tribrachy-dactylus. *nisi vi-des nisi.* And. II. II. 36.
18. Tr. S. Tribrachy-spondeus. *homine-quoquo.* Eun. V. VIII. 53.
19. Tr. Tr. Ditribrachys. *hodie-item-alia.* And. II. II. 17.
20. Tr. T. Tribrachy-trochæus. *mea quidem-hercle.* And. II. II. 10.

21. T. A. Trochæo-anapæstus. - *missa-facio ef-.* Ad. V. IX. 34.
22. T. D. Trochæo-dactylus. *dum stu-des dare.* Eun. V. IV. 28.
23. T. S. Trochæo-spondeus. *vis po-tiri.* Heaut. II. III. 81.
24. T. Tr. Trochæo-tribrachys. - *fundite-emite.* Ad. V. IX. 34.
25. T. T. Ditrochæus. *vis a-mare.* Heaut. II. III. 81.

Hi sunt pedes compositi, seu metra quibus ad metra Terentiana explicanda opus erit, quos omnes compendii gratia ditrochæos dicere liceat, cum ditrochæis vel puris vel impuris pares sint. Horum vero numerus augeri possit, si longam syllabam in dactylo vel anapæsto in duas breves resolvendo eorum loco proceleusmaticum suffeceris, ut *quam quidĕm redeat ăd,* Heaut. V. III. 8. sed hoc rarissime factum est, nec ullus fere proceleus-

Digitized by Google

matici usus, nisi cum in fine versus dactyli vel cretici locum sustinet, quod sæpissime fit. Quin et e metris supra positis ista in quibus pes posterior est dactylus, vel ubi nimius syllabarum brevium concursus, rarius usurpantur. optima contra illa sunt, in quibus primus pes trochæus vel trocheo par, vel anapæstus; alter vero vel spondeus, vel anapæstus. Purus enim ditrochæus est levior numerus et tripudiis quam sermonibus aptior, ideoque levitatem istam adjunctione tardioris pedis temperare visum est.

His de metris præmissis, jam ad versus ipsos accedamus; quos ut penitius intelligamus, ante omnia hoc principio loco, utpote quo tota fere res innitatur, ponendum est, versus comicos cujuscunque generis non per simplices pedes, sed per metra seu διποδίας dimetiendos esse.

Hoc præceptum, quod est quantivis pretii in re metrica, Græcis unico debemus. Quibus non est copia consulendi de hac re Hephæstionis Alexandrini libellum de metris, qui jam diu est rarissimus, adeant vetera scolia in Aristophanem, vel Triclinii in Sophoclem: in iis videbunt versus omnes per integra illa scripta per διποδίας dimensos. quod apud Græcos tam constans fuit, ut inde nomina versibus indiderint, ac *trimetros* et *tetrametros* dixerint, quos Latini non sine magno rei metricæ incommodo, *senarios* et *octonarios*. Hinc enim factum est ut vetus illa per metra dimensio paulatim in desuetudinem abierit, et una cum ea rei metricæ scientia, quod ad hæc versuum genera, fere interciderit. Qui enim metrorum subsidio destitutus, de versus mensura judicare nequit, nisi ex pedum simplicium numero, nec ipse veterum comicorum scripta apte et numerose leget, neque si ab aliis recitentur, numerum in iis aliquem deprehendet; nec unquam sciet, num versus suis numeris constet, nisi ad digitos exigat, quod non molestum modo, sed et nimis quam absurdum; cum et nimiam id inter legendum vel audiendum moram, præterquam res patitur, postulet, gratiamque omnem et venustatem numerorum ab aure, cujus unum est de numeris judicium, et cui delectandæ præcipue inserviunt, in totum eximat. Contra, qui versibus comicis per metra dimetiendis assueverit, statim ex ipso

Digitized by Google

versus sono, simulac audierit, facile intelliget cujus generis sit, an in parte aliqua quantitas deficiat, aut aliquid vitii sit in numeris; nec opus est ad judicium de his ferendum, ut in concilium digitos adhibeat.

Hæc ita esse res ipsa comprobabit exemplis quæ mox afferam ex *trochaico* genere desumptis. Sentio quidem me hic ab aliis rei metricæ scriptoribus abire, qui de *jambico* genere primo loco solent agere, ut antiquissimo et facillimo: sed doctissimorum virorum venia dicere liceat, utroque nomine eos vehementer falli. Primum enim clarissimo ex *Aristotelis* libro de Poetica testimonio constat *trochaicum* genus fuisse antiquissimum. Hæc enim ille c. 4. Τό, τε μέτρον ἐκ τετραμέτρου (τροχαϊκοῦ) ἰαμβεῖον ἐγένετο. τὸ μὲν γὰρ πρῶτον τετραμέτρῳ ἐχρῶντο, διὰ τὸ σατυρικὴν καὶ ὀρχηστικωτέραν εἶναι τὴν ποίησιν. λέξεως δὲ γενομένης, αὐτὴ ἡ φύσις τὸ οἰκεῖον μέτρον εὗρε. μάλιστα γὰρ λεκτικὸν τῶν μέτρον τὸ ἰαμβεῖόν ἐστι. Quod si hoc secus se haberet, tamen si quæ de re metrica scripturus sum, facilius intelligentur ea primum tradendo, quæ ad *trochaicum* genus spectant, hæc est idonea ratio, cur hanc potius quam illam viam insistamus. Hæc autem ratio quantum altera facilior sit, et non modo rei metricæ imperitorum captui accommodatior, sed et rei ipsi de qua agitur, aptior atque utilior, non opus est ut verbis meis dicam; lector ipse statim expertus re ipsa deprehendet.

Sed antequam vera ex Terentio exempla adducam, fictis exemplis, uno scilicet verbo sæpius repetito, singula versuum genera lectori ob oculos ponam, quo clarius et planius eorum naturam, quantitatem, et numerum perspiciat. In *trochaico* igitur genere, *trochaici tetrametri integri* exemplum hoc esto.

Phormi-onem = Phormi-onem || Phormi-onem = Phormi-onem.

Hoc est perfectissimi *trochaici tetrametri* exemplum. *διποδίαι* enim seu metra quibus constat, sunt omnia ex *trochæo* et *spondeo*, id est ex epitritis secundis conflata, quæ hujus generis summa laus est. *Trochaici* enim generis proprium est, ut *trochæus* sit in locis imparibus, sive in priore metri parte; in altera vero *spondeum* vel *spondeo* parem, ut prius dixi, malit, ne justo levior et mobilior sit. Hunc versum *integrum* dixi, quo-

Digitized by Google

niam constat ex quatuor metris sive διποδίαις integris; quod genus Græci ἀκατάληκτον dixere, ut distinguatur ab aliis, in quibus aliquid vel deficit, vel superat. Si versus una syllaba excurreret ultra debitam tetrametri mensuram, ὑπερκατάληκτον dixere; si una syllaba deficeret, καταληκτικὸν; si pede integro, βραχυκατάληκτον. Atque hæc vocabula Latini rei metricæ scriptores sua etiam fecere, cum verbis e Latio sumptis eorum vim haud æque commode exprimere potuerint. Ut hujus autem versus naturam et venustatem intelligas, ad singula metra paululum subsistas oportet; quod si feceris, videbis non modo nullam in medio versu cæsuram fieri, sed et singula metra intra suos quodammodo limites conclusa, integris dictionibus finiri, ita ut nusquam unum idemque verbum in diversa metra distrahatur: quod etiam in veris exemplis plerumque fieri comperiemus, ut hoc indicio, si dubium aliquando inciderit (quod interdum fit) ad quodnam genus versus referendus sit, *jambicum* dico an *trochaicum*, si ad *trochaicum* genus reducendo, verba in metrorum finitionibus crebris cæsuris incidantur, hoc inquam indicio satis certo cognosci possit alterius esse generis. Ut hæc quæ dixi hujus carminis propria esse lector facilius deprehendat, versum quem exempli loco adduxi in bisegmenta hac nota ‖ distinxi, bisegmenta vero in metra hac =, metra denique in pedes ex quibus constant hac -. Atque harum notarum primam per totam hanc editionem in versibus tetrametris, qui etiam *quadrati* a Latinis rei metricæ scriptoribus dicuntur, semper adhibui; alias vero duas notas iis tantum in locis, ubi metrum impeditius visum est, et molestiam aliquam lectori parum in his exercitato creare potuisset.

His de hoc ficto exemplo dictis, ad illud vera quædam e Terentio sumpta jam expendamus; qualia sunt hæc ex Eun. IV. VI. 1.

Tu. Cred° equid^em - illum = j^am adfu-tur^um esse ‖, ut ill^am a m° - eripi = at; sine-veniat.

Atqui - s^i ill^am = digit° at-tigerit ‖ un°, ocul^i - ilic° = effodi-entur.

Usque ad^eo e^o - illius = ferre - pos^sum in ‖ epti^am -, et magnifica verba,

Verba - dum sint = : ver^um en^im - s^i ad rem ‖ confe-rentur =, vapulabit.

Ch. Thais -, ego jam = dud^um hic - ads^um. Th. O ‖ mi Chre-mes, t^e ips^um = expec-tabam.

Digitized by Google

Scia ta - tarb^{am} hanc = propter - t^{e} esse ‖ fact^{am} ? et -, ade^{o} ad = t^{e} atti-ner^{e} hanc
Omnem - r^{em} ? Ch. Ad me = ? qui ? quas^{i} - istuc ‖. Th. quia dum-tibi cor = rorem - stadeo
Redder^{e} - ac re = stituer^{e} -, hæc atq^{ue} ‖ hŭjŭsmo-di sum = multa - passa.

Quibus addas hæc ex Heaut. III. III. 1.

Ch. Quid istuc - ques^{o} est = ? quĭ istic - mos est ‖ Clitiph^{o} -? Itane = fier^{i} o-portet ?
Cl. Quid ego - feci = ? Ch. Vidin - ego te ‖ modo man^{um} - in sin^{um} = huic mere-trici —— *et v. 6.*
Homin^{em} a-micum = reciper^{e} - ad t^{e}, atq^{ue} ‖ ejus a-micam = subagi-tare.
Vel her^{i} in - vino = qu^{am} immo-destus ‖ fuisti -. Sy. Factum = . Ch. Quam mo-lestus.

Et Adelph. II. I. 1.

Sa. Obse-crō popu = lares - ferte ‖ miser^{o} atq^{ue} - inno = cent^{i} auxilium :
Salve-ait^{e} inop^{i} = . Æs. Oti-ose ‖, nunc jăm - ilic^{o} = hic consiste.
Quid re - spectas = ? nihil pe-ricli est ‖; nunquam - d^{um} eg^{o} ader^{o} = , hic te-tanget.

Et Hec. IV. I. 1.

Perii -, quid agam = ? quo me - vertam ‖ ? quid vi-ro meo = respon-debo
Misera - ? n^{am} audi = visse - vocem ‖ pueri - visust = vagi-entis.

Et ex Phorm. III. I. 1.

En^{im} ver^{o} - Anti = phō mul-timodis ‖ o^{um} istoc - anim^{o} ēs = vitupe-randus :
Itane - t^{e} hinc ab = isse^{e}, et - vitam ‖ tuam tu-tand^{am} ali = is dedisse ?
Alios - tuam rem = credi-disti ‖ magi^{s} quam - tet^{e} ani = mad versuros ?
N^{um} ut ut e-rant ali^{a} = , illi - certe ‖, quæ nunc - tibi dom^{i} = est, con-suleres.

Qui hos versus attentius expendet, comperiet unum tantum ex iis esse, in quo bisegmentum non integra dictione claudatur ; in eo vero, non simplicem vocem distrahi, sed præpositionem solum, quacum composita est : et tum in bisegmentis, tum in metris fere omnibus, si qua dictio in duo metra dividatur, sectionem ita fieri, ut syllaba in quam accentus cadit, non divellatur e sequentibus, sed una cum iis eidem metro accedat.

Atque hæc de hac prima *trochaici tetrametri* specie dicta sint, qua quidem Terentius rarissime utitur, nisi in initiis scænarum ; atque ibi raro invenies plus uno versu hujus generis adhiberi, adeo ut in toto Terentio vix sint totidem alia, quot hic adduxi. In hoc autem versu ut venustas aliqua sentiatur, partes ejus tardius proferendæ sunt, quod et ipsa in initiis scænarum collo-

Digitized by Google

catio quodammodo ostendit, cum sermo in primo congressu ipsa natura duce fere semper lentior sit.

Versus quo maxime gaudet in *trochaico* genere, quique jucundissime et summa cum venustate decurrit, una syllaba ab hoc deficit, inde dictus *tetrameter catalecticus*, Latini *septenarium* dixere, ad hunc modulum factus,

Phormi-onem = Phormi-onem || Phormio-nem = Phormio.

qui constat ex tribus ditrochæis et cretico, pro quo, prima syllaba in duas breves resoluta, sæpe adhibetur proceleusmaticus. Hujus formæ exempla in Terentio ubique obvia. E multis hæc habe ex Andr. II. II. 22.

Redeunt^{i} - intere^{a} = ex ip-sa re || m^{ihi} inci-dit su=spici^{o} : hem,
Paulul^{um} - obson^{i} = : ipsus - tristis || : d^{e} inpro-viso = nuptiæ :
Non co-hærent =. Pa. Quorsumn^{am} - istuc || ? Da. Ego me - continu^{o} = ad Chremem.
Nihil or-nati =, nihil tu-mult^{i}, ac||cess^{i} : intr^{o} - aspe=xi. Pa. Scio.
Magnum - signum =. Da. Num vi-dentur || conve-nir^{e} hæc = nuptiis ?
Pa. Non, o-pinor = Dav^{e}. Da. O-pinor ||, narras - ? non rect^{e} = accipis.
Certa - res est =. etiam - puer^{um} inde || abiens - conve-ni Chremis,
Oler^{a} et - piscicu=los mi-nutos || ferr^{e} obol^{o} - in ce=nam seni.

Et Eun. V. VIII. 45.

Quod des - paulul^{am} = est, ne-cess^{e} est || mult^{um} ac-cipere = Thaidem,
Ut tn^{o} a-mori = suppedi-tare || possit - sine sumpe=tu tuo.
Ad ŏmni^{a} - hæc magis = oppor-tunus ||, nec magis - ex u=su tuo,
Nem^{o} est. - principi^{o} = et habet - quod det || : et dat - nemo = largius.
Fatuus - est, in=sulsus -, tardus ||, stertit - noctesq^{ue} = et dies.

Et Adelph. V. IV. 1.

Nunq^{uam} ita - quisquam = bene sub-ducta || ration^{e} - ad vi=tam fuit,
Quin res -, ætas=, usus - semper || aliquid - adpor=tet novi ;
Aliquid - moneat =, ut illa - quæ te || scire - credas =, nescias ;
Et quæ - tibi pu=taris - prim^{æ}, in || experi - und^{o} ut = repudies.

Hecyræ denique illa III. V. 20.

Ego me - scio ca=visse -, n^{e} ulla || merito - contu=melia
Fier^{i} a - vobis = possit -: idque || si nunc - memorar^{e} = hic velim,
Quam fi-del^{i} animo =, et be-nigno in || ill^{am} et - clemen=ti fui,
Vere - possum =; ni t^{e} ex - ips^{a} hæc || magis ve-lim re=sciscere.

Sed de hac *trochaici catalectici* specie hæc satis. est et alia *catalectici* species quam cretici loco claudit molossus, qui versus Sca-

Digitized by Google

son Hephæstioni dicitur; sed nulla hujus generis exempla sunt in Terentio, nihil igitur opus at de eo plura hic dicam.

Est vero in *trochaico* genere præter has species insignis etiam *dimeter catalecticus*, seu posterius bisegmentum *tetametri catalectici*, cujus hæc forma est.

Phormi-onem = Phormio.

Hujus generis versiculi singuli tantum occurrunt, nec sæpius simul repetiti scænam vel scænæ partem constituunt, sed tetrametris eleganter immiscentur. Iis tamen parcius utitur Terentius. Exempla sint hæc.

Proh de^{um} - atq^{ue} homi=num fidem. *Andr.* I. V. 10.
Quod s^{i} ab-esset = longius. *Adelph.* IV. I. 8. et
Dicam-, non ede=pol scio. *Hec.* IV. I. 5.

Primum etiam hujus versus bisegmentum, seu *dimeter acatalectus* est Plauto frequens, sed apud Terentium nusquam. Nec omittendum est apud Terentium Andr. IV. I. 14. unum esse exemplum *trochaici tetrametri brachycatalecti*, cui scilicet integer pes deest ad tetrametrum complendum.

Non verentur = : illic ubi nihil || opus est-, ibi ve=rentur.

His de *trochaico* genere dictis, in quo lector nullam difficultatem sentiet qui hæc exempla probe tenet, nisi quæ ex licentiis oritur, siquidem metrice legere expedite queat, omissis literis quæ per synalœpham eliduntur; transeo ad *jambicum* genus, quo maxime confici veteres utuntur, ut sermoni et rebus agendis omnium commodissimo. De hoc autem genere sciendum est, quod in paribus locis pedem illum postulet, unde ipsi nomen est. Atque hoc ex ipsa versus *jambici* natura profluit, cum a *trochaico* derivetur, qui *jambicus* fit, si principio syllabam vel semipedem apponas; quod cogitatum etsi neminem fugere potuisset, si de *trochaico* genere rei metricæ scriptores primum agere cœpissent, nescio tamen an cuiquam in mentem venerit ante Doctiss. Bentleium nostrum. Is certe primus id me summonuit ante annos complures, cum inter vario sermone confabulandum, de Terentii versibus forte verba faceret, pauca quidem, sed quæ homini non prorsus ἀμούσῳ satis essent. Hoc autem

Digitized by Google

pacto syllaba brevis, quæ in *trochaico* versu secunda fuit, in *jambico* tertiam sedem occupabit, i. e. secundus pes erit jambus, atque ita porro in ceteris paribus locis. Sed ea veteres comici usi sunt licentia, ut in omni sede præter ultimam spondeum vel spondeo parem reciperent, unde exurgit non minor metrorum in hoc genere congeries, quam quæ genus *trochaicum* ingreditur: sed ab hac nova pedum compositorum mole lector liberabitur, cum perspiciet, quomodo versus *jambicus* a *trochaico* deducatur. *Trochaici tetrametri catalectici* exemplum hoc erat.

Phormi-onem=Phormi-onem ‖ Phormi-onem=Phormio.

appone syllabam principio, et ex hoc versu fiet *jambicus tetrameter acatalectus,*

Proh Phormionem, Phormionem, Phormionem, Phormio.

quod in metra jambica distinctum hanc formam induet,

Proh Phor-mio=nem Phor-mio=nem Phor-mio=nem Phor-mio.

quo nihil invenustius; sin syllabam quam principio addideras, virgula apposita a sequentibus abscindas, metra quæ supersunt, erunt omnia eadem quæ prius, nempe *ditrochæi:* unde sequitur *jambicum tetrametrum acatalectum* commode spectari posse, ut compositum ex syllaba seu semipede, tribus ditrochæis, et cretico seu dactylo, cum ultima versus syllaba communis sit; aut si primam cretici syllabam in duas breves resolvas, proceleusmatico. Ut scias igitur, an hujus generis versus sit numeris suis integer, non opus est, ut ad pedes *jambicos,* seu metra ex iis composita confugias; rejecta ab initio syllaba vel semipede, qui sæpe duabus constat syllabis, quære modo, an supersint tres ditrochæi cum cretico, vel pede cretico pari: quod si rem ita se habere compereris, certo scis ad versum recte constituendum nihil desiderari; quantitas sua, numerus illi suus constat.

Atque hinc lector clare videat, quantum in re metrica tradenda factum sit compendium agendo primum de *trochaico* genere, et ex illo *jambicum* deducendo, contra quam vulgo fit; cum hoc pacto qui unum novit, ambo noverit; nullum erit ei negotium cum pedibus *jambicis,* iisve pedum compositionibus seu metris, quæ genus *jambicum* constituunt; quæ et scire la-

Digitized by Google

bor est, et si scias, non tamen statim intelligas, utrum versus ex iis conflatus recte se habeat, necne: quod facillime dignoscitur, si syllaba vel semipede ab initio rejecto, in *trochaicum* redegeris. Atque ad modum hunc *jambicos tetrametros* in hac editione ubique in medio versu distinguendos curavi; syllabam etiam vel semipedem ab initio in omnibus *jambicis* virgula resecui, quoties vel minimum difficultatis inerat ad dignoscendum, utrum unam, an duas syllabas abjicere oporteret. Hujus autem generis exempla hæc habe ex *Eun.* II. III. 21.

Haud' similis - virg° est = virgi-num no‖strarum - : quas ma=tres student
De'missis - umeris = esse -, vincto ‖ pector°-, ut graci=læ sient.
Si'qua est ha-bitior = paulo -, pugilem esse ‖ aiunt- : dedu=ount cibum :
Tamĕt'si bo-na est na=tura-, reddunt ‖ cura-tura = juncea.

Et III. V. 35.

Ad'hortor - properent =. dum appa-ratur ‖, virg° in - concla=vi sedet,
Sa'spectans - tabulam = quandam-pictam : ibi ‖ inerat - pictura= hæc, Jovem
Quo pacto - Danaæ = misisse - aiunt ‖ quondam in - gremium imbrem = aureum.

His adjungas Heaut. II. I. 1.

Quăm in'iqui - sunt pa=tres in - omnes ‖ adule-scentes = judices :
Qui æquum' esse - censent = nos a - pueris ‖ ili-co na=sci senes ;
Neque il'larum ad-fines = esse - rerum ‖, quas fert - adule=scentia.
Ex' sua li-bidi = ne mode-rantur ‖, nunc quæ est - non quæ olim fuit.

Et V. II. 34.

Dŭm ĭs'tis fu-isti = solus-, dum nulla ‖ alia - delec=tatio,
Quæ' propior - esset =, te indul-gebant ‖ ; tibi da-bant : nunc = filia
Postquam' est in-venta = vera, in-vita est ‖ causa-qua te ex-pellerent.

Sed nihil opus pluribus in hoc genere exemplis, cum sint tanto numero ubique obvia. ex his satis liquet *jambicum tetrametrum acatalectum* a *trochaico t. c.* nihilo differre, nisi quod syllaba ab initio sit auctior; atque hinc fit, ut sæpe inter se misceantur, quasi generis ejusdem essent.

Altera *jambici tetrametri* species, qua plurimum utitur Terentius, quæque ex priore oritur, syllaba a fine resecta, est versus *jambicus tetrameter catalecticus*, cujus exemplum hoc esto.

Proh' Phormi-onem = Phormi-onem ‖ Phormionem= Phormi:

constat nimirum ex syllaba seu semipede, tribus ditrocheis, et spondeo vel pede spondeo pari, anapæsto, seu tribrachi qui ob

Digitized by Google

ultimam syllabam communem, anapæsti vicem sustinet. hoc igitur modo si resolvas *jambicum tetrametrum catalecticum*, statim deprehendes, versus suis numeris constet necne; nec opus est ut ad alia metra exigas, ut intelligas an quicquam aut nimium sit, aut deficiat.

Sed ut *jambici catalectici* naturam idolemque penitius intelligas, exemplum quod dedi, in hanc formam refingi oportet.

Proh' Phormi-onem = Phormi-ō, proh || Phormi-onem = Phormi.

Hujus enim carminis venustas in hoc præcipue consistit, ut in quarta sede sit *jambus*, isque voce integra finitus. quod sequentia Terentii exempla liquido ostendent. Eun. II. II. 25.

Con'currunt - læti = m^{lbi} obvi-am cup^{li}pedi - nari^{i} = omnes:
Ce'tari-i, lani=i, co-qui, far^{li}tores - pisca=tores,
Quibus' et re - salv^{a} et = perdi-ta pro^{li}fuer^{am}, et - prosum = sæpe:
Sa'lutant -: ad ce=nam vo-cant: ad || ventum - gratu=lantur.

Et III. IV. 1.

Her^{i}' aliquot - adule=scentu-li co^{li}imus - in Pi=træo
In' hunc di^{em} - ut de = symbo-lis es^{li}semus -. Chære^{am} = ei rei
Præ' feci-mus: dat^{i} = annu-li: locüs ||, tempus - consti=tutum est.
Præ'teriit - tempus =, qu^{o} in lo-co di^{li}ct^{um} est, pa-rati nihil est.
Hom^{o}' ipse - nusqu^{am} est =: neque sci-ō quid || dic^{am}, aut - quid con=jectem.
Nunc m^{lhi}' hoc ne-goti = cete-ri de^{li}der^{e}, ut - illum - quæram.

Quibus adde III. V. 44.

D^{um} hæc' mecum - reput^{o}, ad=oersi-tur la^{li}vat^{um} in-terea = virgo:
It', lavit -, rediit =; deind^{e} e^{am} - in lect^{um} || illa - conlo=carunt.
St^{o} ex'spectans -, si quid = m^{lhi} impe-rent. venit || un^{a}, heus t^{u} -, inquit =, Dore
Cap^{e}' hoc fla-bellum =, ventul^{um} - huic sic || facito, - dum la = vamur:
Ubi' nos la-verimus =, si vo-les, la^{li}vat^{o}. ac-cipio = tristis.

In omnibus his exemplis, in quarta sede est *jambus* in integram vocem absolutus. atque ita plerumque fit; ne tamen hoc perpetuum putes, est etiam ubi hanc sedem occupet non modo tribrachys, qui est temporibus jambo par, sed etiam spondeus, et spondeo par anapæstus, isque non voce integra finitus. quod liquet ex his Hec. II. II. 5.

1. La. Phi'dipp^{e}, ets^{i} - ego meis = m^{e} omni-bus sci^{o} ĕsse || - ad-prim^{e} - obsec quentem,
2. Sed' non ade^{o} - ut mea = facili-tas cor^{li}rumpat - iller^{um} animos:

Digitized by Google

3. Quod' tu sĭ i-idem face=res, magis - in r^{em} et ‖ nostram, et - vostr^{am} id = esset.
4. Nunc' vide^{o} in - illa=rum po-testat^{e} ‖ esse t^{e} -. Ph. Heia - vero.
5. La. Adi'i tĕ he-ri de = fili^{a} : ut ven^{i} ‖, itid^{em} in-cert^{um} a=misti.
6. Haud' ita de-cet, si = perpetu-am vis ‖ ess^{e} ad-fini=tat^{em} hanc,
7. Ce'lare - t^{e} iras =, si quid - est pec^{ll}cat^{um} a - nobis =, profer:
8. Aut' ea re-fellend^{o} =, aut pur-gando ‖, vobis - corri-gemus.

In horum versuum secundo, tertio et sexto in quarta sede est anapæstus; in quarto, quartam sedem occupat *jambus*, sed non in vocem integram desinit; in octavo, pro *jambo* est spondeus, nec ille integra dictione finitus. adde quod secundus et tertius nullis sunt numeris, nisi pro communi secandi ratione aliam substituas, quasi constarent ex primo *trochaici tetrametri* bisegmento sive duobus ditrochæis, et *jambico dimetro catal.* hoc modo.

Sed non - ade^{o} ut = mea fa-cilitas ‖ cor'rumpat - illor^{um} = animos.
Quod tu - sĭ idem = faceres, magis in ‖ r^{em} et' nostr^{am} et - vostr^{am} id = esset.

Ea vero Terentii ars est, ut hanc in numeris perturbationem haud facile invenias, nisi ubi res ipsæ quoque de quibus agitur perturbatiores sunt. In rebus pacatis, tranquillis, lætis, secundis numeri quoque festivi sunt, nec leniter modo sed et jucunde incedunt: versumque ita constitutum in vera sua bisegmenta facile resolvas, *jambicum* scilicet *acatalectum*, et *jamb. dimetrum catalecticum*, ut in hoc exemplo,

Se'lutant - ad ce=nam vocant ‖, ad'ventum - gratu=lantur.

atque hæc bisegmenta sæpe seorsum posita versiculos constituunt, et quibusvis tetrametris permiscentur.

Majoris bisegmenti, seu *jambici dimetri acatalecti* exemplum fictum hoc sit.

Proh' Phormi-onem = Phormio. ——— vera autem hæc.

1. Verebar, quors^{um} e=vaderet. Andr. I. II. 5.
2. Mise'ram me -, quod verb^{um} = audio?
3. Quod' si fit -, pereo = funditus.
4. Nam' quid ego - dicam = de patre? Andr. I. V. 6. 10. 18.
5. Rogi'tare -, quasi dif=ficile sit.
6. Quod' poteris -, ab ea = pellito. Eun. II. I. 3. 9.
7. Ita' prors^{um} ob-litus = sum mei. II. III. 14.

Ut horum numeros teneas, censendi sunt constare ex syllaba seu semipede, ditrochæo, et cretico aut cretici vicario proceleusmatico, ut in exemplo quinto.

Digitized by Google

Alterius bisegmenti, sive *jambici dimetri catalectici* exemplum fictum sit,

Proh' Phormionem = *Phormi*; vera autem hæc.

Date' : mox eg° - huc re=vertor. Andr. III. II. 5.
Id a'nus m^ihi in-dicium = fecit. Adelph. IV. IV. 9.
Ad' grediar -. Bacchis = salve. Hec. V. I. 5.

sed hæc apud Terentium rariora sunt; ex tribus, quæ adduxi, duo prima sunt versuum Bacchiacorum clausulæ, de quibus suis locis.

His de *trochaicis* et *jambicis tetrametris acatalectis, catalecticis, eorumque bisegmentis dictis*, paucula adjicienda sunt de versibus *hypercalecticis*, quos si conferas cum *trochaico tetrametro acatalecto*, videbis alios asse una syllaba a fine auctiores, alios vero una syllaba auctiores ab initio. prioris generis, *trochaici scilicet tetrametri hypercatalectici*, sunt hi;

Ne t^u hoc - mihi po=sterius - dicas ||, Davi - factum = consili° - et dolis. *And.* III. II. 29.
Adcers^e - ut de = lectet - hic nos ||. ill^e ex-clamat = minime - gentium. *Eun.* IV. I. 11.
Reppe-risti = tibi quod - placeat ||, an nond^um - etiam =? Sy. De fal-lacia. *Heaut.* III. III. 35. *Et*
Tu for-tasse = quid me - fiat ||, parvi - pendis = dŭm illi - consulas. IV. III. 37.

Jambici tetrametri hypercatalectici hi sunt;

Ego' de me - facio = conjec-turam || nem° est - meor^um = mior^um-hodie. *Heaut.* III. III. 13.
Quin' mihi mo-lest^um est =. Cl. Pergis - hercle ||. Sy. Verum - dico = quod vi-detur. 21.
Cui' quanto - fuerat = præsta - bilius ||, ubivis - genti^um = ager^e se-tatem. *Hec.* III. I. 4.

Sin hos *hypercatalecticos* conferas cum utriusque generis *catalecticis*, priores sunt *trochaico catalectico* uno pede auctiores, posteriores autem *jambicum catalecticum* uno pede excedunt. sed de his satis, quorum usus tam infrequens est, ut utriusque generis in toto Terentio vix plus decem sint.

Quod ad horum vero bisegmenta, nescio an *trochaici t. h.* posteriore usus sit *Hec.* IV. I. 4.

Quod si - rescie=rit pepe-risse eam.

Et *jambici t. h.* priore, *Eun.* II. I. 6.

Ne ĭstuc tăm in-iquo = patiar^e animo.

Licet utrumque Plauto sit satis frequens.

Digitized by Google

His igitur relictis, accedo ad *jambicum trimetrum*, quem Latini *senarium* dixere, versum longe nobilissimum, et omnium maxime a scænicis poetis frequentatum; cujus tanta venustas, ut Quinctilianus dixerit, etiam Terentii *scripta plus gratiæ habitura, si intra* TRIMETROS *stetissent*. Ad versus hujus constitutionem intelligendam, ei qui probe tenet quæ de *jambico tetrametro acatalectico* dicta sunt, verbum satis erit; istius enim versus normam in animum revocet, quæ hæc fuit,

Proh' Phormi-onem = Phormi-onem ‖ Phormi-onem = Phormio.

Ex hac unum quemvis ditrochæum eximat, reliqua *jambicum trimetrum* conficient hac forma,

Proh' Phormi-onem = Phormi-onem = Phormio.

Ut *trimetri* igitur numeros statim ac audieris teneas, constare censeas ex syllaba seu semipede, duobus ditrochæis, et cretico, seu proceleusmatico, qui cretico par. si *trimetrum* in has partes resolvas, ilico deprehendes absque aliis auxiliis, integer sit necne.

Hujus generis omnia ubique plena sunt. exempli loco sint hæc ex *Eun.* I. I.

Quid' igitur - faciam =? non e-am, ne = nunc quidem
C^um^ ac'cessor - ultr^o^? and = potius - ita me = comparem,
Non' perpe-ti mere=tricum - contu=melias?
Ex'clusit -: revocat =: redeam -? non, si = m^e^ obsecret.
Siquid^em^' hercle - possis =, nihil pri-us, neque = fortius:
Ve'rum s^i^ in-cipies, = neque per-tendes = naviter,
Atq^ue^' ubi pa-ti non = poteris, cum nem^o^ = expetet,
In'fecta - pac^e^, ultr^o^ = ad eam venies =: indicans
Tē a'mar^e^, et - ferre = non poss^e^ -; act^um^ est, = ilicet.
Per'ist^i^. e-ludet =, ubi te - victum = senserit.

Sed quod de nonnullis *tetrametris* dixi, de *trimetris* quoque quibusdam dicendum est, aliam scilicet secandi rationem interdum adhibendam esse, ne legitima verborum pronuntiatio nimium violetur, et numeri invenuste incidantur. sed vix tria sunt in toto Terentio hujus generis exempla: duo tantum scribenti hæc occurrunt, quorum alterum est in *Eun.* III. I. 52.

-tromit-tamus = commis-satum = tu' Pamphilam.

alterum in *Heaut.* II. III. 66.

Facile - stires = desi-deri^o^ id = fi'eri tuo.

Digitized by Google

hos versus, ut aliquo sint numero, videor resolvendos esse in duos ditrochaeos, syllabam seu semipedem, et creticum.

De hoc autem carminis genere unum porro monendum restat; nempe ut in *tetrametris* generibus sunt quidam versus, qui mensuram *trochaici tetrametri catalectici*, et *jambici tetrametri catalectici* uno pede excedunt, ita in hoc genere sunt quidam, qui uno pede, justo *trimetro* prolixiores sunt, quos *jambicos septenarios* dicas, quales pauculi sunt in Terentio, plures apud Plautum; de quorum tamen magna parte merito dubitari possit, utrum satis sani ac sinceri sint. hujusmodi sunt hi ex *And.* IV. IV. 3.

Puer' hercl^e est -. mulier =, tun ad-posuist^i = hunc? ub^i - illic est?

Et v. 6.

Quid' turb^ae est - apŭd forum? quid - illic = hominum - litigant?

Hic quidem versus, si singulis syllabis detur maxima sua quantitas, erit T. t. c. sed id parum convenit homini perturbationem magnam simulanti, et præ metu raptim verba præcipitanti: quid quod nullum certum est in Terentio exemplum, *trochaicum tetrametrum catalecticum jambicis trimetris* immiscendi. nec nisi rarissime fit apud Plautum. vid. *Heaut.* I. I. 20. Aliud autem *septenarii* exemplum habemus hac ipsa in scæna, *v.* 16.

Mi'rum ver^o - impu=denter - mulier = si facit
Mere'trix. Ch. Ab - Andri^a = est an-cill^e hæc =, quant^um in-telligo.

Si *meretrix* non e margine traducta sit, vel collocanda est post *mulier*, et sic prior erit *septenarius*, aut sequenti apponenda est, ut hic, et tunc ille uno pede augebitur. his addas *Hec.* III. IV. 16.

Et^c' etiam - tu nunc = hic stas-? Pa. Ĕt quidem = t^e exspec-tō. Par. Quid est?

sed hujus versus lectionem mihi suspectam esse ad locum dixi. Superest ut moneam, versibus *tetrametris* et *trimetris*, præter cola illa de quibus prius dixi, interdum immisceri brevissima quædam commata; unius syllabæ, ut *non*, Eun. IV. IV. 32. duarum, ut *in jus*, Phorm. V. VIII. 44. trium, ut *flos ipse*, qui est *jambicus monometer catal.* Eun. II. III. 28. *Occidi. Eun.* II. III. 1. et *Dorio*, Phorm. III. II. 1. qui sunt *trochaici monometri catal.* quatuor, seu quæ metrum jamb. integrum constituunt, ut

Digitized by Google

quid illud est? And. I. V. 2. Esse denique quæ metrum *jambicum hypercat.* constituunt, ut *dis'crucior-animi;* Adelph. IV. IV. 1.

Est quidem in vulgatis editt. exemplum etiam commatis *jambici dimetri brachycatalecti:* Phorm. I. IV. 18. *Homi'nem.* An. *Stă-illico.* Ge. *Hem.* Sed *hominem* ad versum præcedentem rejiciendum esse, ad locum dixi: nec plus uno hujus generis memini apud Plautum. Pers. IV. IV. 116.

Abi' argentum - effer huc.

His paucis absolvi quicquid scire opus est ad intelligendum omnia illa carminum genera, quæ a *trochæo* vel *jambo* nomen suum sortiuntur; quatenus ad metrorum Terentianorum intelligentiam eorum cognitio necessaria est. De his autem duplex quæstio moveri potest; altera, quamobrem tantam carminum varietatem adhibuerit Terentius, et non potius intra *trimetros* steterit, quod voluit Quintilianus. Consilii hujus rationem multi e rebus ipsis petendam arbitrantur, et Terentium variis versuum generibus usum fuisse, ut rei de qua agitur naturam numerorum concinnitate spectatorum oculis melius subjiceret. sed vereor ut hoc responsum satis firmum sit, cum locorum inspectione constet in fabularum partibus maxime inter se dissentientibus idem carminis genus adhibitum, in continuis autem negotiis diversa. Est quidem ubi numeri rebus mire conveniunt; causam tamen tantæ varietatis opinor hanc unicam fuisse, ut eo magis poeta spectatorum animos reficeret et tædium levaret; cum ipsæ etiam orationis virtutes fastidium pariant, nisi gratia varietatis adjutæ. Gaudent enim omnes varietate, et sicut oculi diversarum aspectu rerum magis detinentur, ita aures crebris numerorum atque adeo versuum mutationibus oblectantur. Quod cum ipsius Quintiliani judicium sit, miror voluisse elegantissimas Terentii fabulas solis *trimetris* astringi, cum et alia genera sint venustissima, et sine illis gratissima numerorum varietas omnis fere periisset. Hinc est quod in scænis quæ ex *tetrametris* solis constant, sæpius de alio genere ad aliud transitur; sed hoc tanto fecit judicio Terentius, ut in ipsis quoque narrationibus ad aliam rem transi-

Digitized by Google

tus simul fiat. vid. Eun. II. II. 24. et III. V. 44. In hac demique versuum varietate Latini secuti sunt Græcos, Græci vero naturam, cui semper grata est vicissitudo.

Quod ad alteram quæstionem, cur diversorum generum versus Terentius misceat, et nunc *trimetrum tetrametris*, nunc *tetrametrum trimetris* inserat, nunc in diversis *tetrametrorum* generibus idem faciat; hoc quoque factum arbitror ob easdem fere causas, et ut in prolixioribus scænis dormitans lector ad aures arrigendas excitetur; sed semper commodis in locis, et ubi res ipsa mutationes ejusmodi vel suadere vel pati saltem videatur. Duo vero genera, quod antea monui, tam parum inter se distant, ut eorum mistura merito nulla censeri debeat, *trochaicum* dico *t. c. et jambicum. t. acat.* cum sola inter versus eos differentia sit, quod alterum ab initio alter una syllaba vel semipede excedat. Atque hæc de *trochaicis et jambicis* generibus dicta sint. Sunt vero in veteribus comicis præter hæc, exempla quædam generis etiam pæonici, versus scilicet bacchiaci et cretici; quos apud Plautum magno numero et in omni fere fabula invenias, sed in Terentio tam pauci sunt, ut ne uni quidem paginæ implendæ sufficiant: de quibus ad loca sua satis dixi, ut iis hic immorari plane supervacaneum sit.

Pergo igitur ad alteram hujus instituti partem, eamque longe difficillimam, de *licentiis* dicere, quibus veteres comici usi sunt, earumque modos et rationes exponere. In quibus intelligendis cum viderem me parum adjutum a rei metricæ scriptoribus, quorum tractatus hac in parte sunt supra quam dici potest steriles et jejuni, cum eorum nemo in rem altius penetrarit, aut quicquam solidi tradiderit, præter vulgaria illa quæ in triviis nota sunt; decrevi ante omnia *licentiarum* causas et origines quantum potui investigare, et nisi plurimum fallor, quænam fuerint, non obscure deprehendi.

In primis igitur sciendum est *licentias* comicorum, quod ad partem earum longe maximam, unius esse generis, et in id ferri, ut popularem pronuntiandi consuetudinem repræsentent. Cum enim comœdia in eo tota sit ut vera vitæ humanæ sit imago, non satis erat eas sibi materias sumere, quæ e quotidiana vita

Digitized by Google

erant deprompta, humilemque illum et depressum populi sermonem imitari; oportuit insuper eandem quoque pronuntiandi rationem, quantum poterat, assequi, qua populus in congressibus et colloquiis familiaribus uteretur. Hic verus *licentiarum* fere omnium fons, quæ tantum eruditis negotium fecerunt; hinc est quod comicis poetis licuit, quod alii nulli poetarum generi concessum est. Cetera poemata scripta sunt ut legantur; comœdiæ vero (ut tragœdiæ) ut audiantur. Ut igitur eorum numeros intelligamus, et verborum modos rite æstimemus, non tam ad literas quæ se oculis ingerunt, insitamque earum quantitatem attendendum est, sed ad sonos quos efficerent cum in ore populi ferrentur, qualesque ad aures accederent.

Quomodo verba pronuntiarent Veteres Romani, ea præsertim quæ in colloquiis sunt frequentioris usus, idque iis temporibus, cum floreret adhuc respublica, nec dum civilibus armis fracta uni in imperium cessisset, nemo dixerit; nec profecto in ulla lingua vera pronuntiandi ratio certo sciri potest, nisi ab iis qui viva voce loquentes audierint eos, quibus lingua de qua agitur, fuerit vernacula. Nobis igitur, cum Romana lingua per tot jam sæcula in usu communi esse desierit, longe facilius est ex versuum comicorum constitutione et licentiarum usu pronuntiandi consuetudinem, quam ex pronuntiandi modo versuum et licentiarum rationes investigare. Hoc tamen nemo non sentit, qui vel leviter animum ad hæc advertat, in sermone et colloquio familiari verba multa, ea præsertim quæ in frequentissimo sunt usu, quæque nullam in se emphasin habent, nec sententiam multum adjuvant, sed quasi vincula quædam orationis partibus invicem nectendis inserviunt, quales sunt articuli, præpositiones, interjectiones, conjunctiones, et adverbia non pauca; nemo inquam est, qui non sentit hujusmodi verba quodammodo præcipitari et nimia celeritate ferri; in verbis etiam vel prolixioribus, vel durioris soni, quæque difficilius proferuntur, literas alias emolliri, alias supprimi, vocesque alias in medio, alias in fine syllaba truncari, verasque syllabarum quantitates mire corripi; multis denique modis effici ut quam minimum temporis inter confabulandum verbis proferendis insumatur, nisi ubi vehementior loquentis af-

Digitized by Google

fectus, aut rei de qua agitur natura postulet, ut in hoc vel illo verbo insignior mora fiat.

Si quis adeo harum rerum incuriosus est, ut nihil unquam de pronuntiatione linguæ sibi vernaculæ cogitarit, quid velim facile intelliget, si in animum revocet, quid ipse senserit, si unquam homines exteros audierit sermone peregrino et sibi prorsus ignoto colloquentes. nonne ipsi visi sunt miris modis verba præcipitare, incidere, devorare, et dimidiata plurima proferre, ut nihil plane et distincte exaudiri potuerit? Immo qui eatenus linguam exoticam tenent, ut scripta oculis subjecta probe intelligant, illis ipsis homines lingua ista confabulantes tanta celeritate verba fundere videntur, ut non modo literæ, aut syllabæ, sed integra etiam verba sæpe eos fugiant. quod vero nos de exteris colloquentibus sentimus, idem illi etiam de nobis. Quod ostendit hoc omnibus linguis natura insitum esse, ut celerius proferantur, quam legantur, cum multa quæ plene scribuntur, non tamen plene pronuntientur; sed inter loquendum alia premantur penitus, alia mutilentur, ab aliis asperi aliquid abradatur, aliis sua quantitas insigniter imminuatur; alia denique tam raptim efferantur, ut non modo duæ tresve syllabæ, sed interdum etiam duo vel tria verba in unum coaluisse videantur.

Ut hæc pronuntiandi ratio in scæna etiam servaretur, necesse fuit ut poetæ in versibus compingendis non tam spectarent, quid oculus postulet, quam quid ab aure desideretur; qualemque publice recitati sonum effecturi essent, potius quam qua specie essent tacite lecti.

Hæc vera origo atque unicus, opinor, fons *licentiarum* fere omnium, quæ in veterum comicorum scriptis occurrunt, quæque tantas offensiones objiciunt lectoribus harum rerum imperitis, et eruditis etiam, qui causas earum investigare neglexerunt. Pleræque enim omnes eodem tendunt, ut veras syllabarum quantitates imminuant, et prosodiæ legibus producenda corripiant, quo ad popularem loquendi consuetudinem ipsa quoque pronuntiatione propius accedant: quam dum consectantur, longitudo illa ex consonantium positione orta frustra iis obstat; in syllabæ quantitate æstimanda ad vocalis solummodo naturam, quæ syl-

Digitized by Google

labæ quasi anima est, respiciunt; si ea brevis sit, syllabam pro libitu corripiunt. Idque non in ultimis modo verborum syllabis factitatum est, sed in aliis etiam quibusvis, mediis, primis, nisi contra obstet accentus; acutum illum intelligo tenorem, qui in omni voce unus est, syllabamque quam acuit præ ceteris intendit, et intendendo veræ ejus quantitati aliquam novam addit; cum intentione illa major aliquantum mora in acuta pronuntianda insumatur: alias positionem facile negligunt, præcipue quidem illam quæ ex eadem consona geminata oritur, cum antiquitus ejusmodi voces litera simplice scriptæ essent; dein illam quæ fit ex muta et liquida, aut ex quibusvis aliis consonis quæ in vocis initio connecti possunt, nulla vocali interposita. Sed nec intra hos fines se continuerunt; quæcunque consonæ brevem vocalem excipiant, sive in eadem, sive in diversis vocibus, longitudinem quæ exinde syllabæ accrescit, pro nihilo habent, et si versus ita postulet, ilico corripiunt: immo, quod magis mirere, malunt hac corripiendi licentia uti, etiamsi facile ab ea cavere potuissent, quam vocem dissyllabam cujus prima brevis est, in diversos pedes distrahere, cum crebræ cæsuræ orationem nimis exquisitam et elaboratam, numerosam nimis et a pedestri sermone remotam faciant.

Quod videtur etiam in causa fuisse, cur toties creticos quamvis uno tempore justo longiores, ditrochæorum partes fecerint. Hoc enim sæpenumero ab iis factum quivis facile viderit; sed creticos quatenus creticos non receperunt, cum iste pes ab his generibus omnino abhorreat: hos igitur pedes, licet revera creticos, ac proinde quinque temporum, versibus suis immiscent quidem, sed sub alia quadam specie; nunc utique dactyli, nunc anapæsti, prima scilicet vel ultima pro correpta habita, nunc spondei, extrita media vocali, vicem sustinent. Maluerunt scilicet prosodiæ leges aliquantum violare, quam a sermonis natura et pronuntiandi consuetudine nimium recedere; cum istis legibus obsequi non potuerint, nisi crebris cæsuris uterentur, et verborum creticum pedem constituentium ultimas syllabas a prioribus sæpissime divellerent. Hoc autem non modo in singulis verbis, cum cretico pares essent, factum est, sed sæpe etiam cum

Digitized by Google

duæ voces ad pedem istum efficiendum concurrerent. Licentiæ hujus unum exemplum, sed insigne admodum dabo ex Plauti Trinummo. II. I. 172.

Quæ' neque fu-tura nec = facta sŭnt - tamen illi sciunt.

in hoc versu cuivis manifestum est duos esse pedes creticos, sed qui dactylorum plane vicarii sunt. innumera sunt licentiæ hujus apud illum exempla; nec pauca in Terentio, licet hac, ut et aliis fere omnibus, Plauto longe parcius utatur; quod inter præcipuas Terentii laudes merito recensendum est, qui quamvis in licentiis, sive earum numerum sive genera spectes, adhibendis tam parum sibi indulserit, sermonem tamen tanta arte temperavit, ut Plautino minus assurgat, et pedestrem multo magis referat. sed de his hactenus.

Alterum, quod plurimi est in hoc argumento ponderis, est accentus quem dixi, seu tenor, quo verbum secundum legitimam pronuntiandi rationem modulatur. Ut enim ille non temere movendus nec syllaba quam occupat, ex longa in brevem mutanda, ita aliarum syllabarum quantitas, ejus præsertim quæ acutam proxime præcedit, ab eo plurimum pendet; et maximarum licentiarum ratio inde est petenda. Quod ut intelligamus, hæc pauca principii loco de natura et vi accentus probe tenenda sunt.

Primo, in omni voce esse acutam, eamque unam tantum.

Secundo, ultimam nunquam esse acutam, ideoque in dissyllabis priorem semper acui; unde fit ut ultimæ exilius sonent, et obscurius audiantur.

Tertio, in polysyllabis secundam, si longa sit, acutam esse; alias tertiam ab extrema; intra trium enim syllabarum numerum, sive hæ in verbo solæ sint, sive ultimæ, acutam semper contineri: ideoque, si plures acutam præcesserint, omnes graves esse, pariter ac illas, quæ sequuntur.

Quarto, cum syllabæ, quam acutus tenor occupat, ex intentione ejus, nova quædam quantitas accedat, istud incrementum quantitatis de syllaba proxime præcedente quodammodo detrahi videtur, dum vox loquentis per eam rapte fertur, ut ad acutam veniat, in qua insignior mora facienda. hinc usu venit ut syllaba

Digitized by Google

acutæ proxima pro correpta habeatur, breviorque acuta videatur, etiam cum ipsa quoque brevis est. Exempla hujus infra afferam clarissima.

Quinto, accentus legitime migrat ex penultima in ultimam longam, quoties voci alicui enclitica adjuncta est, cum hoc pacto ultima non amplius ultimam, sed ab ultima secundam sedem occupet. e. g. in *deæ* acuitur prima, in *deæque* secunda.

Sexto, in dissyllabis quorum prior brevis est, altera longa, si cæsura in diversos pedes distrahantur, accentus necessario migrat in ultimam; quod ideo licitum fuit, quia fieri non poterat ut poetæ hac licentia non uterentur; ipsa metri necessitas excusat. Nec vitari potest in cujusvis generis *jambicis*, quoties versus ab hujusmodi voce incipit; et si in talem desinat, quæcunque vox præcesserit, ultima ejus syllaba si longa sit, a ceteris divulsa fiet prima pedis cretici, adeoque in pronuntiando acuetur. quod valet etiam in *trochaicis catalecticis*, qui hac in parte ab *jambicis* nihil differunt.

Septimo, in trisyllabis metri conditio interdum mutat accentum, facitque ut e prima in secundam migret; cum scilicet syllaba brevis ante mutam et liquidam producitur: ut si secundam in *volucres* producas, quæ extra metrum et in ore populi semper corripitur. sed non licet contra in trisyllabis accentum e secunda in primam vel tertiam movere, mediamque licet positione sola longam corripere; cum eo legitima pronuntiandi ratio nimium immutetur, nec immutationis idonea satis causa audienti, quo minus offendatur, se ostendat. est quidem ubi Plautus hac etiam licentia utitur, sed parcius; e. g. vi eorum quæ quarto loco dicta sunt, corripere licet secundam in *voluptatis*, sed non idem licet in *voluptas*, quamvis hoc quoque a Plauto sæpius fiat.

Unum porro monendum superest de pronuntiatione consonarum *i* et *u*, quæ non tam dure efferendæ sunt, ac apud nos fieri solet, sed molliore sono, quique proxime accedat ad illum quo pronuntiamus *y* et *w*; quod et ab aliis dudum observatum est, et verum esse abunde constat ex resolutionibus syllabarum quæ ab istis literis incipiunt, quæ nunquam tam crebræ fuissent, si veteres literas eas eodem quo nos modo pronuntiassent: cum

Digitized by Google

majus tum fuisset inter ejusdem literæ sonos, quibus nunc consona, nunc vocalis efferretur, discrimen, quam quod ex altera in alteram transitum facile pati potuisset. e. g. inter *pariete* et *pargite*, quomodo nos efferimus, pernimium interest, inter *pariete* vero et *paryete* parum admodum: sic *tenuia* et *ten-uia* idem fere sonant, sed *tenuia* et *tenvia* cum vau, sono multum diversa sunt. Atque hæc observatio de veris harum literarum sonis est maximæ sæpe utilitatis: *v* vero consonam sic pronuntiari solere clarissime ostendit vox *cauneas*, cum sono referret *cave ne eas*. Cic. de Divin. II. 40.

His autem principiis ex pronuntiationis in sermone familiari usitatæ, et accentus natura desumptis innixi, omnium fere licentiarum quibus comici veteres usi sunt, rationes facile expediemus. Quod ad illas, quæ alterius sunt generis, ex iis etiam plures ex sermonis et colloquii natura oriuntur; aliæ libertati isti imputandæ sunt quæ aliis etiam poetis ex metri necessitate concessa est, quæque ex eo *poetica licentia* dicitur, in qua Latinis præiverunt Græci, imprimis vero Homerus. Sed ut distinctius agam de licentiis hisce, quæ ex diuturna Plauti et Terentii lectione observavi, huc fere redeunt.

Primo, monosyllaba quævis, ea præsertim quæ sunt frequentioris in sermone usus, pro libitu corripiunt, licet obstet non positio modo, sed in nonnullis etiam vocalis longa, vel diphthongus. Exemplo sint hæc.

a	aut	ob	quod
ab	dein	per	hic
abs	e	sed	hæc
ad	ex	vel	hoc
an	haud	ut	huic
at	in	proh	hunc
et	neo	qui	hanc
atq' *vel* ac	nunc	quid	hoc *abl.*

hac				est
huc	cum	rem	*corripiuntur ante vocales.*	estn'
hinc	dum	quam		sunt
mihi *monos.*	hem	quem		vult
is	jam	quam		vis *a volo*
id	nam			it*e*.
nihil				

Digitized by Google

Ad, *ab*, *abs*, *ob*, *an*, *in*, *con*, in compositione etiam sæpe corripiuntur, cum brevis sit omnium vocalis. " Observat curioseque animadvertit (ut Gellii verbis utar, l. 2. c. 17.) M. Tullius *in* et *con* præpositiones tunc produci atque protendi, quum literæ sequerentur, quæ primæ sunt in *sapiente* atque *felice:* in aliis autem omnibus correpte pronuntiari." Quæ vero in sermone correpte pronuntiabantur, in versibus quoque comici pro arbitrio corripuerunt. Et quod de *in* et *con* dixit Cicero, in aliis etiam præpositionibus et particulis locum habuisse plurimis exemplis constat, quæ infra suo loco afferam. Sed an ad illorum modum ante easdem aut alias quasdam literas producte etiam in sermone dicerentur, cum id non ab ipsius rei ratione, sed ex linguæ consuetudine penderet, nobis frustra hodie quæritur.

Secundo, in dissyllabis multis quæ sunt frequentissimi in sermone usus, priorem pro libitu corripiunt, si vocalis brevis sit, ut in

ante	inde	quippe	hujus
autem	inter	unde	[2] ille
ergo	intro	ambo	illic
etsi	intus	[1] ejus	illuc
forte	nempe	cujus	illino
ipse	eccum	perque	esse
ipsus	eccam	nunquid	estis
iste	ecquis	quicquid	essent
istic	ecquid	unquam	posse
istuc	idne	usque	adde
istiuc	quodque	usquam	redde
			[3] omnis.

Quibus adeas, *hercle* [4] *neve* et *sive*.

Tertio, in dissyllabis, quorum prior brevis est, alteram quoque sæpissime corripiunt. ut in

1 *Ejus*] In *ejus*, *cujus*, et *hujus*, ut prior corripiatur, *i* consona in vocalem vertitur, et cum vocali præcedente diphthongescit; diphthongum autem ante vocalem corripi ad Græcorum exemplum poetis Latinis familiare est: et hinc fit quod cum *modi* composita sæpe *us* abjiciant, et dicimus *eimodi*, *cuimodi*, *huimodi*.

2 *Ille*] Prior in *ille*, *ipse*, et *iste*, corripitur per omnes casus, et secunda fere in *illius*, *ipsius*, et *istius*.

3 *Omnis*] Priorem in *omnis* videntur pronuntiasse, ut Itali in *agno*.

4 *Neve*] *Neve* et *sive*, cum pyrrichii locum obtinere videntur, opinor pro monosyllabis potius habenda esse, et licet plane scribantur, contracte pronuntiari oportere, ut *neu* et *seu*; et inde esse quod *siv'* corrupta sit, *And.* I. III. 2.

Sive istâ uxor, - sive æmica est - gravida e = Pamphilo est.

Digitized by Google

hos versus, ut aliquo sint numero, vides resolvendos esse in duos ditrochaeos, syllabam seu semipedem, et creticum.

De hoc autem carminis genere unum porro monendum restat; nempe ut in *tetrametris* generibus sunt quidam versus, qui mensuram *trochaici tetrametri catalectici, et jambici tetrametri catalectici* uno pede excedunt, ita in hoc genere sunt quidam, qui uno pede, justo *trimetro* prolixiores sunt, quos *jambicos septenarios* dicas, quales pauculi sunt in Terentio, plures apud Plautum; de quorum tamen magna parte merito dubitari possit, utrum satis sani ac sinceri sint. hujusmodi sunt hi ex *And.* IV. IV. 3.

Puer' hercl^e est -. mulier =, tun ad-posuist^i = hunc? ub^i - illic est?

Et v. 6.

Quid' turb^ae est - apŭd fo=rum? quid - illic = hominum - litigant?

Hic quidem versus, si singulis syllabis detur maxima sua quantitas, erit T. t. c. sed id parum convenit homini perturbationem magnam simulanti, et præ metu raptim verba præcipitanti: quid quod nullum certum est in Terentio exemplum, *trochaicum tetrametrum catalecticum jambicis trimetris* immiscendi. nec nisi rarissime fit apud Plautum. vid. *Heaut.* I. I. 20. Aliud autem *septenarii* exemplum habemus hac ipsa in scæna, *v.* 16.

Mi'rum ver^o - impu=denter - mulier = si facit
Mere'trix. Ch. Ab - Andri^a = est an-cill^a hæc =, quant^um in-telligo.

Si *meretrix* non e margine traducta sit, vel collocanda est post *mulier*, et sic prior erit *septenarius*, aut sequenti apponenda est, ut hic, et tunc ille uno pede augebitur. his addas *Hec.* III. IV. 16.

Er^e' etiam - tu nunc = hic stas-? Pa. Ĕt quidem = t^e exspec-tō. Par. Quid est?

sed hujus versus lectionem mihi suspectam esse ad locum dixi. Superest ut moneam, versibus *tetrametris* et *trimetris*, præter cola illa de quibus prius dixi, interdum immisceri brevissima quædam commata; unius syllabæ, ut *non*, Eun. IV. IV. 32. duarum, ut *in jus*, Phorm. V. VIII. 44. trium, ut *flos ipse*, qui est *jambicus monometer catal.* Eun. II. III. 28. *Occidi. Eun.* II. III. 1. et *Dorio*, Phorm. III. II. 1. qui sunt *trochaici monometri catal.* quatuor, seu quæ metrum jamb. integrum constituunt, ut

Digitized by Google

quid illud est? And. I. V. 2. Esse denique quæ metrum *jambicum hypercat.* constituunt, ut *dis'crucior-animi;* Adelph. IV. IV. 1.

Est quidem in vulgatis editt. exemplum etiam commatis *jambici dimetri brachycatalecti:* Phorm. I. IV. 18. *Homi'nem.* An. *Stă-illico.* Ge. *Hem.* Sed *hominem* ad versum præcedentem rejiciendum esse, ad locum dixi: nec plus uno hujus generis memini apud Plautum. Pers. IV. IV. 116.

Ab'' argent^{um} - effer huc.

His paucis absolvi quicquid scire opus est ad intelligendum omnia illa carminum genera, quæ a *trochæo* vel *jambo* nomen suum sortiuntur; quatenus ad metrorum Terentianorum intelligentiam eorum cognitio necessaria est. De his autem duplex quæstio moveri potest; altera, quamobrem tantam carminum varietatem adhibuerit Terentius, et non potius intra *trimetros* steterit, quod voluit Quintilianus. Consilii hujus rationem multi e rebus ipsis petendam arbitrantur, et Terentium variis versuum generibus usum fuisse, ut rei de qua agitur naturam numerorum concinnitate spectatorum oculis melius subjiceret. sed vereor ut hoc responsum satis firmum sit, cum locorum inspectione constet in fabularum partibus maxime inter se dissentientibus idem carminis genus adhibitum, in continuis autem negotiis diversa. Est quidem ubi numeri rebus mire conveniunt; causam tamen tantæ varietatis opinor hanc unicam fuisse, ut eo magis poeta spectatorum animos reficeret et tædium levaret; cum ipsæ etiam orationis virtutes fastidium pariant, nisi gratia varietatis adjutæ. Gaudent enim omnes varietate, et sicut oculi diversarum aspectu rerum magis detinentur, ita aures crebris numerorum atque adeo versuum mutationibus oblectantur. Quod cum ipsius Quintiliani judicium sit, miror voluisse elegantissimas Terentii fabulas solis *trimetris* astringi, cum et alia genera sint venustissima, et sine illis gratissima numerorum varietas omnis fere periisset. Hinc est quod in scænis quæ ex *tetrametris* solis constant, sæpius de alio genere ad aliud transitur; sed hoc tanto fecit judicio Terentius, ut in ipsis quoque narrationibus ad aliam rem transi-

Digitized by Google

tus simul fiat. vid. Eun. II. II. 24. et III. V. 44. In hac demique versuum varietate Latini secuti sunt Græcos, Græci vero naturam, cui semper grata est vicissitudo.

Quod ad alteram quæstionem, cur diversorum generum versus Terentius misceat, et nunc *trimetrum tetrametris*, nunc *tetrametrum trimetris* inserat, nunc in diversis *tetrametrorum* generibus idem faciat; hoc quoque factum arbitror ob easdem fere causas, et ut in prolixioribus scænis dormitans lector ad aures arrigendas excitetur; sed semper commodis in locis, et ubi res ipsa mutationes ejusmodi vel suadere vel pati saltem videatur. Duo vero genera, quod antea monui, tam parum inter se distant, ut eorum mistura merito nulla censeri debeat, *trochaicum* dico *t. c. et jambicum. t. acat.* cum sola inter versus eos differentia sit, quod alterum ab initio alter una syllaba vel semipede excedat. Atque hæc de *trochaicis et jambicis* generibus dicta sint. Sunt vero in veteribus comicis præter hæc, exempla quædam generis etiam pæonici, versus scilicet bacchiaci et cretici; quos apud Plautum magno numero et in omni fere fabula invenias, sed in Terentio tam pauci sunt, ut ne uni quidem paginæ implendæ sufficiant: de quibus ad loca sua satis dixi, ut iis hic immorari plane supervacaneum sit.

Pergo igitur ad alteram hujus instituti partem, eamque longe difficillimam, de *licentiis* dicere, quibus veteres comici usi sunt, earumque modos et rationes exponere. In quibus intelligendis cum viderem me parum adjutum a rei metricæ scriptoribus, quorum tractatus hac in parte sunt supra quam dici potest steriles et jejuni, cum eorum nemo in rem altius penetrarit, aut quicquam solidi tradiderit, præter vulgaria illa quæ in triviis nota sunt; decrevi ante omnia *licentiarum* causas et origines quantum potui investigare, et nisi plurimum fallor, quænam fuerint, non obscure deprehendi.

In primis igitur sciendum est *licentias* comicorum, quod ad partem earum longe maximam, unius esse generis, et in id ferri, ut popularem pronuntiandi consuetudinem repræsentent. Cum enim comœdia in eo tota sit ut vera vitæ humanæ sit imago, non satis erat eas sibi materias sumere, quæ e quotidiana vita

Digitized by Google

essent deprompta, humilemque illum et depressum populi sermonem imitari; oportuit insuper eandem quoque pronuntiandi rationem, quantum poterat, assequi, qua populus in congressibus et colloquiis familiaribus uteretur. Hic verus *licentiarum* fere omnium fons, quæ tantum eruditis negotium fecerunt; hinc est quod comicis poetis licuit, quod alii nulli poetarum generi concessum est. Cetera poemata scripta sunt ut legantur; comœdiæ vero (ut tragœdiæ) ut audiantur. Ut igitur eorum numeros intelligamus, et verborum modos rite æstimemus, non tam ad literas quæ se oculis ingerunt, insitamque earum quantitatem attendendum est, sed ad sonos quos efficerent cum in ore populi ferrentur, qualesque ad aures accederent.

Quomodo verba pronuntiarent Veteres Romani, ea præsertim quæ in colloquiis sunt frequentioris usus, idque iis temporibus, cum floreret adhuc respublica, nec dum civilibus armis fracta uni in imperium cessisset, nemo dixerit; nec profecto in ulla lingua vera pronuntiandi ratio certo sciri potest, nisi ab iis qui viva voce loquentes audierint eos, quibus lingua de qua agitur, fuerit vernacula. Nobis igitur, cum Romana lingua per tot jam sæcula in usu communi esse desierit, longe facilius est ex versuum comicorum constitutione et licentiarum usu pronuntiandi consuetudinem, quam ex pronuntiandi modo versuum et licentiarum rationes investigare. Hoc tamen nemo non sentit, qui vel leviter animum ad hæc advertat, in sermone et colloquio familiari verba multa, ea præsertim quæ in frequentissimo sunt usu, quæque nullam in se emphasin habent, nec sententiam multum adjuvant, sed quasi vincula quædam orationis partibus invicem nectendis inserviunt, quales sunt articuli, præpositiones, interjectiones, conjunctiones, et adverbia non pauca; nemo inquam est, qui non sentit hujusmodi verba quodammodo præcipitari et nimia celeritate ferri; in verbis etiam vel prolixioribus, vel durioris soni, quæque difficilius proferuntur, literas alias emolliri, alias supprimi, vocesque alias in medio, alias in fine syllaba truncari, verasque syllabarum quantitates mire corripi; multis denique modis effici ut quam minimum temporis inter confabulandum verbis proferendis insumatur, nisi ubi vehementior loquentis af-

Digitized by Google

fectus, aut rei de qua agitur natura postulet, ut in hoc vel illo verbo insignior mora fiat.

Si quis adeo harum rerum incuriosus est, ut nihil unquam de pronuntiatione linguæ sibi vernaculæ cogitarit, quid velim facile intelliget, si in animum revocet, quid ipse senserit, si unquam homines exteros audierit sermone peregrino et sibi prorsus ignoto colloquentes. nonne ipsi visi sunt miris modis verba præcipitare, incidere, devorare, et dimidiata plurima proferre, ut nihil plane et distincte exaudiri potuerit? Immo qui eatenus linguam exoticam tenent, ut scripta oculis subjecta probe intelligant, illis ipsis homines lingua ista confabulantes tanta celeritate verba fundere videntur, ut non modo literæ, aut syllabæ, sed integra etiam verba sæpe eos fugiant. quod vero nos de exteris colloquentibus sentimus, idem illi etiam de nobis. Quod ostendit hoc omnibus linguis natura insitum esse, ut celerius proferantur, quam legantur, cum multa quæ plene scribuntur, non tamen plene pronuntientur; sed inter loquendum alia premantur penitus, alia mutilentur, ab aliis asperi aliquid abradatur, aliis sua quantitas insigniter imminuatur; alia denique tam raptim efferantur, ut non modo duæ tresve syllabæ, sed interdum etiam duo vel tria verba in unum coaluisse videantur.

Ut hæc pronuntiandi ratio in scæna etiam servaretur, necesse fuit ut poetæ in versibus compingendis non tam spectarent, quid oculus postulet, quam quid ab aure desideretur; qualemque publice recitati sonum effecturi essent, potius quam qua specie essent tacite lecti.

Hæc vera origo atque unicus, opinor, fons *licentiarum* fere omnium, quæ in veterum comicorum scriptis occurrunt, quæque tantas offensiones objiciunt lectoribus harum rerum imperitis, et eruditis etiam, qui causas earum investigare neglexerunt. Pleræque enim omnes eodem tendunt, ut veras syllabarum quantitates imminuant, et prosodiæ legibus producenda corripiant, quo ad popularem loquendi consuetudinem ipsa quoque pronuntiatione propius accedant: quam dum consectantur, longitudo illa ex consonantium positione orta frustra iis obstat; in syllabæ quantitate æstimanda ad vocalis solummodo naturam, quæ syl-

Digitized by Google

labæ quasi anima est, respiciunt; si ea brevis sit, syllabam pro libitu corripiunt. Idque non in ultimis modo verborum syllabis factitatum est, sed in aliis etiam quibusvis, mediis, primis, nisi contra obstet accentus; acutum illum intelligo tenorem, qui in omni voce unus est, syllabamque quam acuit præ ceteris intendit, et intendendo veræ ejus quantitati aliquam novam addit; cum intentione illa major aliquantum mora in acuta pronuntianda insumatur: alias positionem facile negligunt, præcipue quidem illam quæ ex eadem consona geminata oritur, cum antiquitus ejusmodi voces litera simplice scriptæ essent; dein illam quæ fit ex muta et liquida, aut ex quibusvis aliis consonis quæ in vocis initio connecti possunt, nulla vocali interposita. Sed nec intra hos fines se continuerunt; quæcunque consonæ brevem vocalem excipiant, sive in eadem, sive in diversis vocibus, longitudinem quæ exinde syllabæ accrescit, pro nihilo habent, et si versus ita postulet, ilico corripiunt: immo, quod magis mirere, malunt hac corripiendi licentia uti, etiamsi facile ab ea cavere potuissent, quam vocem dissyllabam cujus prima brevis est, in diversos pedes distrahere, cum crebræ cæsuræ orationem nimis exquisitam et elaboratam, numerosam nimis et a pedestri sermone remotam faciant.

Quod videtur etiam in causa fuisse, cur toties creticos quamvis uno tempore justo longiores, ditrochæorum partes fecerint. Hoc enim sæpenumero ab iis factum quivis facile viderit; sed creticos quatenus creticos non receperunt, cum iste pes ab his generibus omnino abhorreat: hos igitur pedes, licet revera creticos, ac proinde quinque temporum, versibus suis immiscent quidem, sed sub alia quadam specie; nunc utique dactyli, nunc anapæsti, prima scilicet vel ultima pro correpta habita, nunc spondei, extrita media vocali, vicem sustinent. Maluerunt scilicet prosodiæ leges aliquantum violare, quam a sermonis natura et pronuntiandi consuetudine nimium recedere; cum istis legibus obsequi non potuerint, nisi crebris cæsuris uterentur, et verborum creticum pedem constituentium ultimas syllabas a prioribus sæpissime divellerent. Hoc autem non modo in singulis verbis, cum cretico pares essent, factum est, sed sæpe etiam cum

Digitized by Google

duæ voces ad pedem istum efficiendum concurrerent. Licentiæ hujus unum exemplum, sed insigne admodum dabo ex Plauti Trinummo. II. I. 172.

Quæ ' neque fu-tura nec = facta sŭnt - tamen il=li sciunt.

in hoc versu cuivis manifestum est duos esse pedes creticos, sed qui dactylorum plane vicarii sunt. innumera sunt licentiæ hujus apud illum exempla; nec pauca in Terentio, licet hac, ut et aliis fere omnibus, Plauto longe parcius utatur; quod inter præcipuas Terentii laudes merito recensendum est, qui quamvis in licentiis, sive earum numerum sive genera spectes, adhibendis tam parum sibi indulserit, sermonem tamen tanta arte temperavit, ut Plautino minus assurgat, et pedestrem multo magis referat. sed de his hactenus.

Alterum, quod plurimi est in hoc argumento ponderis, est accentus quem dixi, seu tenor, quo verbum secundum legitimam pronuntiandi rationem modulatur. Ut enim ille non temere movendus nec syllaba quam occupat, ex longa in brevem mutanda, ita aliarum syllabarum quantitas, ejus præsertim quæ acutam proxime præcedit, ab eo plurimum pendet; et maximarum licentiarum ratio inde est petenda. Quod ut intelligamus, hæc pauca principii loco de natura et vi accentus probe tenenda sunt.

Primo, in omni voce esse acutam, eamque unam tantum.

Secundo, ultimam nunquam esse acutam, ideoque in dissyllabis priorem semper acui; unde fit ut ultimæ exilius sonent, et obscurius audiantur.

Tertio, in polysyllabis secundam, si longa sit, acutam esse; alias tertiam ab extrema; intra trium enim syllabarum numerum, sive hæ in verbo solæ sint, sive ultimæ, acutam semper contineri: ideoque, si plures acutam præcesserint, omnes graves esse, pariter ac illas, quæ sequuntur.

Quarto, cum syllabæ, quam acutus tenor occupat, ex intentione ejus, nova quædam quantitas accedat, istud incrementum quantitatis de syllaba proxime præcedente quodammodo detrahi videtur, dum vox loquentis per eam rapte fertur, ut ad acutam veniat, in qua insignior mora facienda. hinc usu venit ut syllaba

Digitized by Google

acutæ proxima pro correpta habeatur, breviorque acuta videatur, etiam cum ipsa quoque brevis est. Exempla hujus infra afferam clarissima.

Quinto, accentus legitime migrat ex penultima in ultimam longam, quoties voci alicui enclitica adjuncta est, cum hoc pacto ultima non amplius ultimam, sed ab ultima secundam sedem occupet. e. g. in *deæ* acuitur prima, in *deæque* secunda.

Sexto, in dissyllabis quorum prior brevis est, altera longa, si cæsura in diversos pedes distrahantur, accentus necessario migrat in ultimam; quod ideo licitum fuit, quia fieri non poterat ut poetæ hac licentia non uterentur; ipsa metri necessitas excusat. Nec vitari potest in cujusvis generis *jambicis*, quoties versus ab hujusmodi voce incipit; et si in talem desinat, quæcunque vox præcesserit, ultima ejus syllaba si longa sit, a ceteris divulsa fiet prima pedis cretici, adeoque in pronuntiando acuetur. quod valet etiam in *trochaicis catalecticis*, qui hac in parte ab *jambicis* nihil differunt.

Septimo, in trisyllabis metri conditio interdum mutat accentum, facitque ut e prima in secundam migret; cum scilicet syllaba brevis ante mutam et liquidam producitur: ut si secundam in *volucres* producas, quæ extra metrum et in ore populi semper corripitur. sed non licet contra in trisyllabis accentum e secunda in primam vel tertiam movere, mediamque licet positione sola longam corripere; cum eo legitima pronuntiandi ratio nimium immutetur, nec immutationis idonea satis causa audienti, quo minus offendatur, se ostendat. est quidem ubi Plautus hac etiam licentia utitur, sed parcius; e. g. vi eorum quæ quarto loco dicta sunt, corripere licet secundam in *voluptatis*, sed non idem licet in *voluptas*, quamvis hoc quoque a Plauto sæpius fiat.

Unum porro monendum superest de pronuntiatione consonarum *i* et *u*, quæ non tam dure efferendæ sunt, ac apud nos fieri solet, sed molliore sono, quique proxime accedat ad illum quo pronuntiamus *y* et *w*; quod et ab aliis dudum observatum est, et verum esse abunde constat ex resolutionibus syllabarum quæ ab istis literis incipiunt, quæ nunquam tam crebræ fuissent, si veteres literas eas eodem quo nos modo pronuntiassent: cum

Digitized by Google

majus tum fuisset inter ejusdem literæ sonos, quibus nunc consona, nunc vocalis efferretur, discrimen, quam quod ex altera in alteram transitum facile pati potuisset. e. g. inter *pariete* et *pargite*, quomodo nos efferimus, pernimium interest, inter *pariete* vero et *paryete* parum admodum: sic *tenuia* et *ten-wia* idem fere sonant, sed *tenuia* et *tenvia* cum vau, sono multum diversa sunt. Atque hæc observatio de veris harum literarum sonis est maximæ sæpe utilitatis: *v* vero consonam sic pronuntiari solere clarissime ostendit vox *cauneas*, cum sono referret *cave ne eas*. Cic. de Divin. II. 40.

His autem principiis ex pronuntiationis in sermone familiari usitatæ, et accentus natura desumptis innixi, omnium fere licentiarum quibus comici veteres usi sunt, rationes facile expediemus. Quod ad illas, quæ alterius sunt generis, ex iis etiam plures ex sermonis et colloquii natura oriuntur; aliæ libertati isti imputandæ sunt quæ aliis etiam poetis ex metri necessitate concessa est, quæque ex eo *poetica licentia* dicitur, in qua Latinis præiverunt Græci, imprimis vero Homerus. Sed ut distinctius agam de licentiis hisce, quæ ex diuturna Plauti et Terentii lectione observavi, huc fere redeunt.

Primo, monosyllaba quævis, ea præsertim quæ sunt frequentioris in sermone usus, pro libitu corripiunt, licet obstet non positio modo, sed in nonnullis etiam vocalis longa, vel diphthongus. Exemplo sint hæc.

a	aut	ob	quod
ab	dein	per	hic
abs	e	sed	hæc
ad	ex	vel	hoc
an	haud	ut	huic
at	in	proh	hunc
et	nec	qui	hanc
atq' *vel* ac	nunc	quid	hoc *abl.*

hac				est
huc	cum	rem	*corripiuntur ante vocales.*	estu'
hinc	dum	quum		sunt
mihi *monos.*	hem	quem		vult
is	jam	quam		vis *a volo*
id	nam			ire.
nihil				

Digitized by Google

Ad, ab, abs, ob, am, in, con, in compositione etiam sæpe corripiuntur, cum brevis sit omnium vocalis. " Observat curioseque animadvertit (ut Gellii verbis utar, l. 2. c. 17.) M. Tullius *in* et *con* præpositiones tunc produci atque protendi, quum literæ sequerentur, quæ primæ sunt in *sapiente* atque *felice:* in aliis autem omnibus correpte pronuntiari." Quæ vero in sermone correpte pronuntiabantur, in versibus quoque comici pro arbitrio corripuerunt. Et quod de *in* et *con* dixit Cicero, in aliis etiam præpositionibus et particulis locum habuisse plurimis exemplis constat, quæ infra suo loco afferam. Sed an ad illorum modum ante easdem aut alias quasdam literas producte etiam in sermone dicerentur, cum id non ab ipsius rei ratione, sed ex linguæ consuetudine penderet, nobis frustra hodie quæritur.

Secundo, in dissyllabis multis quæ sunt frequentissimi in sermone usus, priorem pro libitu corripiunt, si vocalis brevis sit, ut in

ante	inde	quippe	hujus
autem	inter	unde	[2] ille
ergo	intro	ambo	illic
etsi	intus	[1] ejus	illæc
forte	nempe	cujus	illino
ipse	eccum	perque	esse
ipsus	eccam	punquid	estis
iste	ecquis	quicquid	essent
istic	ecquid	unquam	posse
istuc	idne	usque	adde
istino	quodque	usquam	redde
			[3] omnis.

Quibus adeas, *hercle* [4] *neve* et *sive.*

Tertio, in dissyllabis, quorum prior brevis est, alteram quoque sæpissime corripiunt. ut in

1 *Ejus*] In *ejus, cujus,* et *hujus,* ut prior corripiatur, i consona in vocalem vertitur, et cum vocali præcedente diphthongescit; diphthongum autem ante vocalem corripi ad Græcorum exemplum postis Latinis familiare est: et hinc fit quod cum *modi* composita sæpe ut abjiciant, et dicimus *eimodi, cuimodi, huimodi.*

2 *Ille*] Prior in *ille, ipse,* et *iste,* corripitur per omnes casus, et secunda fere in *illius, ipsius,* et *istius.*

3 *Omnis*] Priorem in *omnis* videntur pronuntiasse, ut Itali in *agne.*

4 *Neve*] *Neve* et *sive,* cum pyrrichii locum obtinere videntur, opinor pro monosyllabis potius habenda esse, et licet plane scribantur, contracte pronuntiari oportere, ut *neu* et *seu;* et inde esse quod *siv'* corrupta sit, *And.* I. III. 2.

Sive istâ utor, - sive æmica est - gravida e = Pamphilo est.

Digitized by Google

apud	forum	bonas	[2]cave	tacens
enim	fores	bonos	mane	vides
ehem	idem	malis	nega	videt
fere	levi	malos	roga	videt
foris	manus	domi	tace	lubens
foras	manum	domo	vide	sedens
heri	manus *in plural.*	domum	amat	erat
parum	miser	puer	dedi	erant
quidem	minas	pater	dedit	erit
simul	modo	patris	dabit	foret
tamen	[1]aves	patri	dari	abest
velut	oves	herus	dolet	potes
utrum	boves	heri	habet	potest
	novæ	hero	habent	velim
amor	novo	herum	solent	velis
color	novum	senex	studet	velint
pudor	dolis	soror	student	volunt
fidem	viris	uxor	tacet	lubet
Jovem	bonis	abi	taces	licet.

Quarto, in polysyllabis compositis, si prima syllaba componens brevis est extra compositionem, in compositione quoque sæpissime corripi solere, (quod de monosyllabis prius observavi, quodque valet etiam in compositis ab *ante* et *inter*) exempla hæc, ne plura congeram, ostendunt.

advenis	arcesso	interest	indiligenter
abduco	cognatus	interminatus	ingenium
absurde	colloquor	ignavus	integer
adsitis	commodare	ignoro	invidia
advenis *verb.*	incedo	inpingo	inveniri
affines	incepto	intelligo	oblecto
ancilla	incertus	impero	obsecro
antehac	indignus	imperium	occultus
antiquus	interim	imprudens	ostendo

Quinto, quæ acuuntur in tertia ab extrema, interdum acutam corripiunt, si positione sola longa sint, ut *optime*, *servitus*, *pervelim*, *Pamphilus*, et pauca alia, quo cretici mutantur in anapæstos. idem factum est in *neutiquam*, licet incipiat a diphthongo. inter-

1 *Aves*] *V* in *aves* et similibus videtur in vocalem verti, et voces proinde pro monosyllabis habendas esse.

2 *Cave*] In *caveto* etiam, *negato*, et *rogato* Plautus secundam corripit.

Digitized by Google

dum quidem in verbis hujus formæ dubium est, utrum prima an ultima sit quæ pro correpta habeatur, ut in *expedi*, *centuplex*, *perdidit*, &c.

Sexto, in polysyllabis syllaba quæ acutam proxime præcedit, sæpe corripitur, etsi non positione modo, sed et vocali longa sit. vi eorum quæ de accentu dicta sunt, ut in

ărgentum	ministremus	volŭntatis	cicătrices
ŏrnatus	magĭstratus	volŭptatis	obĕdirent
Alĕxandrum	pugĭllatum	venŭstatis	vidĕbatur
gubĕrnator	potĕstatis	senĕctutis	verĕbamini:
		supĕllectilis	

Plautus hac licentia usus est etiam cum syllabam producit dipthongus, ut in *audivi*. In nonnullis etiam cum syllaba acuta brevis est, ea quæ illam proxime præcedit, etsi vocali longa animata, tamen corripitur, ut in *amicitia* et *pudicitia*.

Septimo, in quibusvis verbis vocalem longam vel diphthongum finalem sequente vocali corripiunt, et pro arbitrio negligunt longitudinem ex positione sola ortam; et quasvis syllabas pro brevibus habent, quarum vocalis brevis est, siquidem accentus non eas intendat. Plautus quidem ipsam acutam quoque in nonnullis corripuit, ut in

dedisse	modestæ	fenestras	Philippus
necesse	sceleste	papillas	Philippoi
libello	puellam	sagittas	sinistram.

Terentius vero nusquam, quod sciam, nisi in *tametsi* et *favillæ*, quas in vulgi quoque ore corripi solere credibile est. quod de aliis etiam maximam partem dicendum arbitror.

Octavo, in unam sæpissime contrahunt syllabas in quibus duæ quævis vocales concurrunt, ut

	ea in solea	*ia* in scias	
		ie in hodie	*oi* in proin
ai in ain	*ei* in dein	*ii* in rediit	*ui* in huic
	eo in adeo	*io* in otiose	*uo* in duobus.
	eu in deus	*iu* in diu	

Exempla hujusmodi sunt magno numero,

[1] mihi	eum	eorum	fuere
nihil	eam	earum	fuisse.

1 *Mihi*] *Mihi* et *nihil* sunt semper fere monosyllaba, vel certe rarissime in duos pedes distrahuntur.

Digitized by Google

ais	eo	eodem	fuissent
ait	rei	eadem	sciunt
meus	spei	eamus	videat
tuus (per omnes casus)	fidei	filii	taceo
suus (per omnes casus)	diei	perii	docuit
deus	die	aiebat	commoveo
dea	via	fui	transeuntem
duo	quia	fuit	gaudii
	trium	fuisti	jurgium

[1] mulier	eveniat	grandiuscula	potuerit
melius	perveniat	tardiusculus	rejiciat
suavius	divitias	comprehendit	introiit
probior	etiam	reprehendit	abieram
nequior	ineptias	deosculor	abiero
sexcenties	certiorem	dehortatus	redierit
via	occasionem	aperiuntur	perierim
quia	tumultuosa	[2] ejiciat	perlimus.

Nono, verba sæpe breviant exterendo vocalem vel syllabam e media voce, vel resecando a fine. quorum prius *syncope* dicta est, alterum *apocope*.

Exempla syncopes sint hæc.

erpite	dixti
surpuit	justi
exporge	sensti
amisti	audistin
commisti	dixe
promisti	decesse
præscripsti	exoessis
exclusti	scissem

Eodem modo in dissyllaba contrahuntur

alterum	quo pacto hæc voces e creticis fiunt spondei.
militis	
nominis	
[3] virginem	
clamitans	
paululum	
[4] liberæ	
liberet.	

1 *Mulier*] In hac voce plurimisque aliis, in quibus vocalis prior est *i*, contractio fit mutando *i* in consonam, quæ, ut ante dictum est, pronuntianda est ut nostrum *y*. atque hac ratione pedes proceleusmatici in versuum finibus sæpe in dactylos vel creticos contrahuntur, ut in *mulierem, mulieres, abiero, perierim, redierit, præ-terieris.* quæ pronuntianda, *mul-yerem, mul-yeres, ab-yero, per-yerim, red-yerit, præter-yerit.* neque syllaba quæ *i* in consonam versam præcedit, mutatione ista semper producitur. hujus exempla plura sunt apud Plautum, ubi *mulier, potius, probior*, et similes voces pyrrhichii loco sunt, quasi duorum tantum essent temporum.

2 *Ejiciat*] In vocibus hujus formæ prior *i* cum altera in unam coalescit, et tum *i* duplex cum vocali prima diphthongum induit.

3 *Virginem*] Non satis constat utrum in hac voce vocalis media elidenda sit, an prima corripienda; posterius malim, cum in multis animadvertas, vocalem brevem ante duas consonas quorum prior est *r*, corripi. contra vero affertur hic versus *Ennii*,

Virgines nam sibi quisque domi Romanus habet sas.

Sed satis multa apud *Ennium* exempla sunt, in quibus versus hexameter incipit ab anapæsto.

4 *Liberæ*] Eadem contractio fit in *liberare, liberius, periculum*, et similibus.

Digitized by Google

Apocopes exempla hæc habe.

itan	tun	in pro *ine*	'star'
satin	paramu'	haben	potess'
egon	sanun	viden	animul'.

Denique in multis non modo *s* finale pro libitu abjiciunt, sed vocalem etiam quæ proxime præcedit. exempla sunt innumera in quibus *s* abjicitur cum dictio desinit in *us;* sed vocalem quoque cui adjuncta est, resecuit sæpe Plautus, idque non in nominibus tantum, ut in *servus*, sed in verbis etiam, ut in *volumus*, *attulimus*, &c. Eadem quoque licentia, cum vox desinit in *is*, non modo *s* abjicitur, ut in *magis*, *nimis*, *pergis*, *tristis*, quod a Terentio factum, sed *is* etiam, ut in *similis*, *consimilis*, *exorabilis*, *corporis*, *Veneris*. Interdum *s* abjecta, *i* corripitur, neque *s* modo sed *is* quoque a fine detrahitur, etiam cum natura longa est; exempla, ubi *s* detracta *i* corripitur, sunt *multis* et *miris*, ex quibus facta sunt *multimodis* et *mirimodis:* posterior quoque in *nobis* et *vobis* eadem licentia aliquoties apud Plautum corripi videtur, et nonnunquam totum *is* abjici, nisi pro iis legendum sit *bis* et *vis*, quorum prius pro *nobis* antiquos dixisse annotavit Festus: hujus autem licentiæ clara exempla sunt, *paratis*, *imperiis*.

His addas quod *es* interdum abjicitur in *res*, et *res est* ex eo sæpius fit monosyl.

Atque hæ fere sunt rationes, quibus veteres comici veras verborum quantitates solent imminuere, corripiendo nempe et contrahendo. Et hujus generis est licentiarum pars longe maxima: earum vero causæ ex populari loquendi consuetudine et pronuntiationis natura petendæ sunt. Sed et aliæ nonnullæ sunt alterius generis, quæ scilicet insitas verborum quantitates augent, et in prosodiæ leges peccant, ut syllabas natura breves producant; quæ fere sunt hujusmodi.

Primo, synalœphas crebro negligunt, et vocalium concursus, nec vocalem ne brevem quidem elidunt, his præcipue locis; se-

1 *Star'*] Clara, ni fallor, apud Plautum exempla sunt hujus licentiæ, qua *s* finale in verbis modo infiniti abjicitur sequente consona, qua licentia nulla apud Italos frequentior.

Digitized by Google

quente diphthongo, ante pausam, in bisegmentis, et cum alia persona dicentem excipit.

Secundo, in dissyllabis quibusdam priorem non raro producunt, ut in *ei, rei, spei.* quæ tunc *i* duplici scribi solent. Plautus etiam eadem licentia usus est in *tuus, suus, eum, deus;* qua licentia nulla minus venia videtur digna; numquam certe eam adhibuit Terentius.

Tertio, finales syllabas breves in quavis sede ante diphthongum producunt, ut *īd aurum, sēd æquum, īnaudivit;* nec non ante vocalem quamvis in bisegmentis, et vi cæsuræ; id quod Plautus sæpe fecit in vocibus dactylicis, cum in vocali exeunt sequente consona; sed et vocalem brevem sequente etiam vocali sæpius produxit in bisegmentis.

Quarto, *re* in compositis sæpius producunt, consonam quæ sequitur geminando, ut in *redux, reduco, retulit.*

Quinto, in polysyllabis sæpe producunt antepenultimam, contra prosodiæ leges, si in eam cadat accentus, ut in *conventitia, conductitium, projectitiæ, emissitiis,* et aliis in *itiis* desinentibus. sed Plautus hac licentia usus est etiam in dissyllabis, cum encliticæ adjectione accentus movetur, *Ærūque, Lactēque,* in quibus vel secundas produxit, vel *que* in duas syllabas resolvit. idem etiam in vocibus quaternis aut quinis syllabis constantibus primam, brevem licet, plus semel produxit, ut in *amarentur, amatoribus, amatorie.*

Sexto, *i* et *u* breves in primis aut mediis syllabis ante vocalem producunt, ut in *īerit, fŭerit, plŭerat, audīerat, habŭerit.*

Septimo, unam syllabam in duas resolvunt, vel resolutione diphthongi, ut in *hospitæ, Cliniæ, aquæ,* vel *i* et *u* consonas in vocales mutando, ut in *iam,* quod sæpe fit dissyllabum, *larvæ, larvatus, milvus,* &c. quæ mutatio non dura, aut coacta videbitur, si quæ prius dixi de legitima literas has, cum consonæ sunt, pronuntiandi ratione, in animum revocemus. et hac forte licentia *quid* et *que* interdum Plauto producta sunt.

Octavo, *h* consonæ sæpe vim habet, ut syllabam brevem positione longam reddat, vel ut vocalis finalis quæ præcesserat, non elidatur. Hoc Plauto perpetuum. sed Terentius parcissime.

Digitized by Google

Hæc autem ea fere sunt quæ de licentiis dicenda habui, quarum quasdam in prosodiæ leges et pronuntiandi rationes nimium peccare non diffitendum est. Sed istæ pleræque omnes Plautinæ sunt; Terentius et modum adhibuit, quod ad licentiarum numerum, et miro delectu usus est, quod ad earum genera, et a non paucis penitus abstinuit.

Is quidem tam caste egit, tam parcus fuit in licentiis utendis, iis præsertim quæ veras verborum quantitates augent atque intendunt, ut sæpe in *jambicis*, cum licentiam adhibitam putes, dum in legendo legitimæ pronuntiationi et sectioni in ditrochæos obtemperas; si tamen versum ad veros pedes exigas, nullam ei sustentando licentiam necessariam esse deprehendas. vide And. I. 5. 54.* And. I. 5. 14.* And. IV. 1. 58. Eun. III. 5. 12. Eun. IV. 3. 23 et 4. 6.* Eun. V. 1. 17.* Heaut. III. 1. 6.* Heaut. V. 1. 50.* Hec. IV. 1. 46. Hec. IV. 2. 29.* Phorm. I. 2. 96.* Phorm. III. 1. 10. Phorm. III. 2. 44. Quæ cum recogito, Terentium ad veras vocum quantitates magis quam ad pronuntiandi rationes animum in pluribus advertisse arbitror; ideoque muto jam sententiam in iis ex locis laudatis, quibus signum hoc * apposui, et eorum sectiones ad veras verborum quantitates refingi velim, contra ac putabam, cum notas ad ea scriberem, Plautinis licentiis æquo tum forte addictior.

Sed et ipse quoque Terentius in earum usu nimius videbitur iis, qui novis solum Augustei seculi poetis legendis assueverint, nullum vero in veteribus hisce legendis tempus posuerint. Ab his quæretur, cur non Terentius eandem in numeris puritatem servaverit, ac Græci in suis comœdiis, aut Latini etiam ipsi in tragœdiis componendis. Quod ad Græcos, si Terentius eos non assecutus est hac in parte, in aliis enim non raro superavit, id non poetæ sed linguæ culpa fieri puto, quæ tam dura, tam aspera, tot consonis obsessa, tot elisionibus obnoxia, ut quod Quintilianus dixit, " Sermo ipse Romanus non recipere videatur illam solis Atticis concessam Venerem, quando eam ne Græci quidem in alio genere linguæ obtinuerint." quod de numerorum et versuum apud Græcos puritate et suavitate non minus verum est, quam de alia quavis comœdiæ Græcæ præstantia, unde tanta illis quam

Digitized by Google

mirantur omnes venustas. Quod vero tragœdias Latinas spectat, ex Seneca male judicatur de illis qui Terentio erant vel antiquiores vel ætate pares, cum apud eos etiam numeri multo sint impuriores quam apud tragicos recentiores. Quod si ipsi etiam Terentio longe castiores fuerint, et parcius multo licentiis uterentur, id diversis scribendi generibus imputandum est. Cum comœdia, ut pluribus dixi, vulgarem et loquendi et pronuntiandi consuetudinem imitetur; tragœdia vero, ut in argumentis longe majoribus versatur, ita dictione quoque sua, et eloquendi ratione a plebe longissime recedit. Tragœdia enim est poema nobile, elatum, grandi lentoque passu incedit, amat lecta, pulchra, sonora verba, nec quicquam eorum quæ profert, aut præcipitari velit, aut obscure premi. Hinc tragœdia in numeris etiam tantum a comœdia distat, et licentiæ in hanc frequentissime receptæ, quæ in altera nequaquam essent ferendæ.

De comicorum enim licentiis in genere, jure dicas, quod Terentianus elegantissimis versibus dixit de singulari illa, qua in jambicis spondeum vel dactylum in secundo vel quarto loco posuerunt.

Sed qui pedestres fabulas socco premunt,
Ut quæ loquuntur sumpta de vita putes,
Vitiant jambum tractibus spondaicis,
Et in secundo et ceteris æque locis.
Fidemque fictis dum procurant fabulis,
In metra peccant arte, non inscitia,
Ne sint sonora verba consuetudinis. &c.

Jambi quidem sedes Græci quoque comici vitiarunt *tractibus spondaicis;* et id insigne est discrimen inter eos et tragœdiæ scriptores. sed hoc Græci raro. Latini vero, ut Prisciani verbis utar, " in multis initium aliquod accipientes a Græcis, solent ab angusto in effusum licentiæ spatium hoc dilatare." quod ut dixi, linguæ plurimum vitio vertendum est. Latine quippe scribentes salvo puri sermonis nitore haud efficere potuere, ut in vitæ communis rebus exprimendis, numeris astrictioribus uterentur.

Quod ad eas autem licentias quas adhibuit Terentius, ne lectori minus exercitato vel minimam offensiunculam objicerent,

Digitized by Google

ubicunque in prosodiæ regulas peccatur, signo aliquo quænam esset licentia, indicavi: syllabis præter morem correptis accentum brevem, productis longum apposui; eorum etiam alterum appinxi omnibus syllabis in quibus synalœpha vel ecthlipsis negligitur; et nonnunquam iis etiam syllabis quarum quantitas minus cognita est. *o* etiam finale verborum, ut puerorum præjudicio occurratur, qui plerumque pro correpto habere solent, cum in id accentus metricus cadit, accentu longo notavi. ubi vero in voce aliqua binæ syllabæ in unam contrahuntur, id literis margini appositis semper ostendi. Ad hæc, cum sæpe fiat ut metrum seu διποδία in pedes diversis modis resolvi possit, e quibus ille eligendus qui legitimæ pronuntiationi minime officit, numerosque minime sonoros reddit; ejusmodi metra hac nota - in pedes suos distinxi. Nihil denique omissum est, quod excogitare potui, ut metri Terentiani intelligentia facillima redderetur, et ad tironum captum prorsus accommodata. Cum vero versus comici ad tibias canerentur, superest ut de iis pauca quædam dicam, quæ satis sint ad intelligenda illa quæ in fabularum harum titulis habentur.

De his multi multa et valde diversa; quæ ne recensere quidem, nedum excutere vel otium est vel animus. Constat apud omnes primis temporibus tibias ex arundine fuisse; eam vero quæ radicem antecesserat, lævæ tibiæ convenire, quæ cacumen, dextræ, inquit Plinius l. 16. c. 36. ex Theophrasto, cujus verba sunt, *τὴν μὲν πρὸς τῇ ῥίζῃ ἀριστερὰν εἶναι, τὴν δὲ πρὸς τοὺς βλαστοὺς, δεξιάν*: ex his autem dextram graviorem sonum edidisse sæpius a Donato dictum est; quod isti tibiæ convenisse, quæ angustiore esset foramine, ostendit vir clariss. Isaac Vossius in elegantissimo Libello de viribus Rythmi p. 111. ex hoc Æliani loco, qui extat apud Porphyrium in Hypomnematis ad Harmonica Ptolemæi. *Ἐὰν λάβῃ τις δύο ἀυλοὺς, τοῖς μὲν μήκεσιν ἴσους, ταῖς δὲ ἐυρύτησι τῶν κοιλιῶν διαφέροντας, καθάπερ ἔχουσιν οἱ Φρύγιοι πρὸς τοὺς Ἕλληνικοὺς, ἐυρήσει παραπλησίως τὸ εὐρυκοίλιον ὀξύτερον προϊέμενον φθόγγον τοῦ στενοκοιλίου. Θεωροῦμεν γέ τοι τοὺς Φρυγίους στενοὺς ταῖς κοιλίαις ὄντας, καὶ πολλῷ βαρυτέρους ἤχους προβάλλοντας τῶν Ἑλληνικῶν.*

Digitized by Google

Ea quæ de Tibiis in titulis dicta sunt, juxta fabularum seriem sic se habent:

1	2	3
Tibiis paribus dextris et sinistris.	Tibiis duabus dextris.	Acta primum Tibiis imparibus, deinde duabus dextris.
4	5	6
Tibiis Sarranis.	Tibiis paribus.	Tibiis imparibus.

Sed quædam ex his non satis sincera esse liquet cum ex codicum varietate, tum ex Donato, juxta quem,

Secunda acta est tibiis dextra et sinistra.	Quarta tibiis dextris.	Sexta tibiis Sarranis.

Ut hæc autem intelligamus, observandum est veterum tibicines duas simul tibias inflare solitos esse, quæ si dextra manu, dextraque oris parte tenerentur, *dextræ* dictæ sunt: quæ vero læva manu, lævaque oris parte, *sinistræ*. hunc apud illos morem fuisse antiqua marmora et nummi magno numero ostendunt. *Duas vero dextras*, non *pares dextras*, et proinde *duas sinistras*, recte et proprie dici patet et ex his titulis, et ex notissimo Phædri loco l. V. Fab. 6. de tibicine, qui sinistram fregerat tibiam,

DUAS *quum* DEXTRAS *maluisset perdere.*

Ex tertio titulo liquet *tibias dextras* ab *imparibus* distingui, ideoque *pares* fuisse, id est paribus foraminibus, paresque sonos edidisse, quod idem pari jure de *duabus sinistris* etiam dicendum. *impares* igitur fuere duæ tibiæ, quarum dextra altera, altera sinistra. in primo igitur titulo, cum *tibiis paribus* addatur *dextris et sinistris*, in quinto vero *tibiis paribus* nihil tale addatur, censendum est vel in primo *dextris et sinistris* ex abundanti adjici, vel in quinto voces eas injuria quadam excidisse: cumque, nisi aliquid ejusmodi addatur, scire nequeamus, utrum *dextræ* an *sinistræ* fuerint, opinor *paribus tibiis* quatuor intelligi, *duas* scilicet *dextras*, cum *duabus sinistris*, et diversas fabulæ partes diversis tibiis actas fuisse; alias nempe *duabus dextris*, alias vero *duabus sinistris*; vel totam fabulam altera vice his tibiis, altera illis. Utrumque in usu fuisse non est ut dubitemus, cum ex hisce titulis constet ean-

Digitized by Google

dem fabulam non semper iisdem tibiis actam fuisse; et in eadem actione modos canticorum et diverbiorum sæpe mutatos annotarit Donatus.

Quarta fabula acta dicitur *tibiis Sarranis*, vel ut alii legunt, Serranis; sed mihi indubium est *Sarranis* veram esse lectionem, a Sarra dictis, quæ Tyro olim nomen fuit; unde Virgilius, *Sarrano indormiat ostro.* G. II. 506. et antiquior Virgilio Ennius, *Poenos Sarra oriundos*, ut locum illum laudavit Probus. mihi quidem locus non parum suspectus est, cum in nullis aliis titulis tibiæ proprio nomine indigitentur; quamvis *dextras Lydias* fuisse, *impares* vero Phrygias, post Donatum eruditi fere omnes existiment. sed ut ut hoc sit, si nec *duæ dextræ*, nec *dextra* altera, altera *sinistra* fuerint, necesse est fuisse duas *sinistras;* quas forte ominis causa *Sarranas* quam *sinistras* dicere maluerunt.

Atque hæc de vexatissima quæstione dixisse sufficiat, cum pauca licet, e rebus tamen ipsis petita sint, et proinde vera, et illa quæ de tibiis in titulis dicuntur, satis explicent. Tota enim quæstio curiosa magis, quam utilis, nec ad fabulas melius intelligendas quicquam adjuvat, cum eædem fabulæ diversis tibiis, diversæ vero eisdem agerentur. De tibiis igitur qui plura velit, adeat Jul. Scaligerum, Salmasium, Is. Vossium; præ ceteris vero C. Bartholinum, qui de earum materiis, formis, usibus, copiose atque erudite scripsit.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI ERUDITO

S. P. D.

JO. CAR. ZEUNIUS.

ETSI, cum rationem consilii, quod in Terentio curando secuti sumus, in superiori præfatione satis declarasse videamur, nec quicquam, quod nos ab illo avocaret consilio, acciderit novi, hic præfandi ambitione non opus esse videtur: nonnullorum tamen, de quibus nuper nec voluimus nec potuimus mentionem facere, hic paucis rationem reddere est visum. Eugraphii quidem scholia, quæ apud Lindenbrogium admodum sunt manca et mutila (nam in universam Hecyram, si recesseris a Prologo, plane nihil extat, atque ad Phormionem ubique lacunæ hiant, totæque desiderantur Scenæ) ex Westerhoviana editione supplevimus. Verum sæpenumero, non sine magna indignatione, Westerhovii in describendis edendisque illis supplementis, quæ certe per se ob interpretationes, quas interdum continent idoneas, contemnenda non sunt, vel incuriam, vel turpem inscitiam deprehendimus; qui cum ignoraret scripturæ compendia, nec esset quem sequeretur compilaretque, uti semper alias, illa commentariola ita fœdavit, et, quantum in homine fuit, corrupit, ut vel plane nullus, vel certe admodum miserabilis exoriretur sensus. Igitur vitia interpunctionis, et errores librariorum alios, qui facile, nemine repugnante, tolli posse videbantur, statim, ut brevitatis haberetur ratio, emendavimus; in cæteris autem locis, ne nimis audaces videremur, emendationes, quas conjecimus, uncis inclusimus, quemadmodum in priori libri parte nos fecisse

Digitized by Google

docuimus. Cum in Phormionem, inprimis a tertio Actu perpauca extent Donati scholia; copiosiores fuimus in nostris notulis adpergendis, sed tantum in locis difficilioribus, quæ videbantur, ubi interpretes vel nihil, uti fit, vel perperam, vel certe dubitantur dixerunt, sensumque suis interpretatiunculis, aut emendationibus scilicet, miserandum in modum vexarunt et turbarunt.

De triplici indice, quem adjiciendum putavimus, paucis dicendum esse existimamus. Primum quidem, qui res et verborum præcipuas explicationes apud Donatum obvias continet, omnino ex Westerhovii editione transscripsimus; cujus rei rationem et usum non est quod hic doceamus, cum omnes facile hoc in genere, opinor, consentientes habeamus. Verum de altero ex Bentlejana editione, quæ apud Batavos prodiit, sumto, verba et formas loquendi Terentianas exhibente, erunt fortasse, qui nimiam et inutilem, quæ sibi videtur, amplitudinem reprehendendam putent. Quamquam si otium nobis fuisset, rem alio quodam modo instituissemus: cum tamen classes et loca omiserimus, quæ plane inutilia et supervacua videbantur, illum non modo locis inveniendis, sed et sermoni Terentiano cognoscendo egregie prodesse censemus. Nam certe vim et usum particularum, qui sæpe varius et multiplex, adeoque perdifficilis deprehenditur, non facilius et certius cognosci et definiri constat, nisi inspiciendis comparandisque locis pluribus. Nec parum ejusmodi indice adjuvatur usus criticus, quatenus, sine librorum præstantiorum consensu et auctoritate, ex consuetudine loquendi, qua auctor aliquis est usus, probabiliter colligendum est, quid in loco dubio et controverso a manu auctoris profectum sit. Ut enim vulgo sui quisque auctor optimus fertur esse interpres; ita, ubi cætera desunt subsidia certa, sui quemque criticum et correctorem esse tutissimum existimamus. Cæterum vix opus esse putamus, ut longiores simus in afferendis causis, cur in illo indice aliam repente orthographiam induxerimus, quam quæ alibi nobis probata fuerit. Sufficit, speramus, dixisse, a nobis sine multo labore et mo-

Digitized by Google

lestia, mutari non potuisse rem, quæ per se magni momenti non esset, et præterea id habere videretur commodi, ut tirones inde possent intelligere, quæ ratio scribendi Bentlejo, hic codicum vetustorum auctoritatem sequenti, in Terentio edendo, probata fuerit. His adjunximus ipsi tertium de nominibus auctorum indicem, quorum loca vel a scholiastis, vel a Lindenbrogio laudantur, explicantur, aut certe ex similium locorum societate ac conjunctione aliquid lucis accipere videbantur. Quo facilius autem scholiastarum loca ab aliis discernerentur, litteris, quas currentes dicunt, notavimus.

Ab initio animus quidem fuit, breviter atque summatim enarrare, quicquid de metris Terentianis a Rufino, Antesignano, Erasmo, Camerario, Scaligero, Jo. Lengio, Wasio, Hario et Bentlejo disputatum est. Verum magnitudo voluminis bibliopoleque rationes impedimento fuerunt, quo minus consilio illi satisfaceremus. Igitur ne editio nostra, hoc quidem in genere, manca et imperfecta esset, Bentleji Diatriben adjungendam esse existimavimus propterea, quod ibi non modo breviter, perspicue et satis probabiliter metri rationem tractatam esse, sed etiam sine lectione illius vix fieri posse putabamus, ut pleræque hominis emendationes et conjecturæ satis intelligerentur. Eædem causæ quoque cupiditatem nostram represserunt et coercuerunt schediasma de œconomia artificioque fabularum Terentianarum hic edendi. Etsi enim Donatus, (Daceria, quæ illum fere sequitur, raro hujusmodi quicquam profert, quod non dudum sit occupatum a scholiaste,) passim per commentarios multa tradit, quæ huc pertinent, nec contemnenda sunt, quæ Heinsius in Dissertatione de Plauto et Terentio, item Victor Faustus in Diatribe de Comœdia disseruit: nonnulla tamen restare videntur, quæ probabiliter de hac re, et in usum dici possint tironum, ut apud Terentium aliud quippiam spectent, quam mera verba et formulas, quæ non semper recte, hoc est, in loco et tempore adhibentur. Etenim certe potest disseri de argumenti ratione, ac consilio, quod Terentius cum in universum, tum in fabulis singulis sequendum putaverit; de morum,

Digitized by Google

quos expresserit, et suos cuique personæ tribuerit, proprietate; de artificio, quo singulas fabulæ partes disposuerit, tractaverit et ad probabilitatem adduxerit; de Actuum Scenarumque natura et ratione. Tum quæstio philosopho haud indigna institui potest, atque ex populi moribus, ratione ingenii humani, et vitæ communis, Homerique inprimis exemplis explicari illustrarique, cur veluti meretrices sive malæ sive bonæ semper fere, raro matronæ honestæ, et virgines pudicæ nunquam loquentes in scenam producantur; cur primi Actus fere sint breviores; initia dubia et tranquilliora; progressus vehementiores turbulentioresque; exitus sedati et læti; cur personæ ridiculæ non semper et ubique omnino stultæ et excordes inducantur; stolidi et bardi adolescentes a scena Terentiana absint plane; cur ii ipsi, qui dolo insidiisque capiuntur, non ab omni cavendi prospiciendique prudentia sint alieni; atque omnino cur non, more recentiorum fabularum, virtus vitiumque ita expingatur, ut quod addi possit, reperiatur nihil; cur ne pessimus quisque quidem tandem ex scena plane tristis votique sui expers abeat. Explicari præterea debet jocorum facetiarumque urbanitas et elegantia, atque natura dialogi, interloquiorum, soliloquiorumque ostendi. Porro quando et quibus de causis servis et infimæ conditionis hominibus tribuantur sententiæ graves, doceri debet: itemque, quæ sit ratio et causa eorum, quæ vel præsentia in scena peraguntur, vel absentia et acta narrantur; cur semper fere nomen prodeuntis in scenam personæ ab alia ante recitetur; quæ sit errorum, periculorum, labyrinthorumque natura, causa, præstantia et expeditio: nec prætermitti debet locorum temporumque ratio, ubi res geri inducuntur; aliaque, quæ non sine fructu dici posse videntur. Sed hactenus. Vale, L. E. et mihi fave. Scripsi Lipsiæ, nundinis auctumnalibus, CIↃIↃCCLXXIV.

Digitized by Google

DE METRIS

TERENTIANIS

ΣΧΕΔΙΑΣΜΑ.

Ἄρσις, Θέσις, et Διποδία.

JAMBICUS versus senorum pedum Latinis veteribus *senarius* vocabatur, a pedum et ictuum numero. Horatius, Art. Poet. 251.

> Syllaba longa brevi subjecta vocatur *Jambus*,
> Pes citus: unde etiam Trimetris accrescere jussit
> Nomen jambeis, cum *Senos* redderet *ictus*
> Primus ad extremam similis sibi.

Sex, inquit, habet ictus versus senarius; et tamen Trimetrus sive *Ternarius* Græcis vocatur; quasi tres tantum ictus redderet, ob pedis celeritatem, præsertim cum totus Jambis puris decurrit. Latini igitur per *μονοποδίαν*, *singulos pedes*, hos versus dividebant; Græci per *διποδίαν*, seu *geminatos*. Inde qui Græcis est *Tetrametrus*, Varroni a pedum numero est *Octonarius*. Juba rex apud Rufinum de Metris, p. 2712. *Quod autem binis pedibus, et non singulis, scandatur jambicus, vetus institutum est.* Et mox, *Unde apparet heroicum singulis pedibus scandi etiam apud veteres solitum, Jambum autem binis.* Marius Victorinus, p. 2497. *Per Monopodiam sola Dactylica scandantur; per Dipodiam vero cætera.* Nescivit hic Bacchiacos et Creticos, quos etiam Monopodia dimetitur. Diomedes, p. 503. *Feritur senarius jambicus combinatis pedibus ter.* Terentianus Maurus, p. 2432.

> Jambus ipse *sex* enim locis manet,
> Et inde nomen inditum est *senario*:
> Sed *ter* feritur, hinc *Trimetrus* dicitur;
> Scandendo binos quod pedes conjungimus.

Digitized by Google

Ictus, Percussio dicitur; quia tibicen, dum rythmum et tempus moderabatur, ter in Trimetro, quater in Tetrametro, solum pede feriebat: Ἄρσις autem sive *Elevatio* appellatur; quod in iisdem syllabis, quibus tibicen *pedem* accommodabat, actor *vocem* acuebat ac tollebat. In *Thesi* autem sunt cæteræ syllabæ, quæ ictu destitutæ minus idcirco audiuntur. Hos ictus sive ἄρσεις, magno discentium commodo, nos primi in nostra editione per accentus acutos expressimus, tres in Trimetris, quatuor in Tetrametris:

Poéta cum primum ánimum ad scribendum áppulit,
Id sibi negotî crédidit solúm dari.
Enimvéro, Dave, níl loci est segnítiæ neque socórdiæ,
Quantum íntellexi módo senis sententiam de núptiis.

Esti revera, quod Romani voluerunt, seni in quoque Trimetro sint Ictus; qui sic exprimi possint,

Poéta cúm primum ánimum ad scríbendum àppulít,
Id sibi negótî crédidít solúm darí.

Verum quia in paribus locis, 2, 4, 6, minus plerumque elevantur et feriuntur, quam in imparibus, 1, 3, 5, idcirco eos more Græcorum hic placuit omittere. Horum autem accentuum ductu (si vox in illis syllabis acuatur, et par temporis mensura, quæ pedis Ditrochæi vel Ἐπιτρίτου δευτέρου spatio semper finitur, inter singulos accentus servetur) versus universos eodem modo lector efferet, quo olim ab actore in scena ad tibiam pronunciabantur. Hoc quoque commodi in his accentibus lector inveniet: quod statim et ictu oculi trochaicos ab jambicis, qui in eadem scena interdum locum habent, possit distinguere: si accentus scilicet in prima versus syllaba est, trochaici sunt; sin minus, jambici.

Cæsura.

Omne versuum genus suam habet *cæsuram* sive incisionem, qua verbum terminatur, et vox in decursua paulum interquiescit. Illa fere cæsura Romanis placuit, quæ in priore tertii pedis syllaba fit: ut in heroico:

Arma virumque cano | Trojæ qui primus ab oris
Italiam fato | profugus Lavinaque venit
Litora, multum ille et | terris jactatus et alto
Vi superum, sævæ | memorem Junonis ob iram.

Digitized by Google

Varro quidem apud Gellium XVIII, 15. *scribit observasse se in versu hexametro, quod omnimodo quintus semipes* (id est, prior pedis tertii syllaba) *verbum finiret.* Mirum, quod *omnimodo* dixerit, cum Lucretius jam tum variaverit,

Reddenda in ratio | ne vocare, et semina rerum.

et Catullus,

Omnia fanda nefan | da malo permissa furore.

Postea sæpius Virgilius,

Lyrnessi domus al | ta, solo Laurente sepulcrum.

Homerus autem olim sæpissime,

Οὐλομένην ἣ μύ | ρί' Ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκεν.

Non *omnimodo* igitur dictum oportuit; sed *plerumque.*

In Sapphico similiter Romani quinto fere semipede:

Pindarum quisquis | studet æmulari,
Jule, ceratis | ope Dædalea
Nititur pennis | vitreo daturus
Nomina ponto.

In Alcaico: Doctrina sed vim | promovet insitam,
Rectique cultus | pectora roborant.

In Phalæcio: Multis ille bonis | flebilis occidit:
Nulli flebilior | quam tibi, Virgili.

Sic et in jambo trimetro:

Jam jam efficaci | do manus scientiæ:
Supplex et oro | regna per Proserpinæ,
Per et Dianæ | non movenda numina,
Per atque libros | carminum valentium
Refixa cœlo | devocare sidera.

Hanc cæsuræ sedem plerumque in trimetris servant poetæ comici: ut noster:

Ne cui sit vestrum | mirum, cum partes seni
Poëta dederit | quæ sunt adolescentium:
Id primum dicam | deinde quod rem magnam.

Digitized by Google

et itidem Græci:

Οι γάρ βλεποντες | τοίς τυφλοις ηγούμεθα,
Ουτός γ' απολουθει | πάμε προςβιάζεται.

In jambicis trochaicisque tetrametris cæsura plerumque fit post ditrochæum secundum:

Demíssis humeris ésse vincto | péctore ut gracilaé sient.
Vídeo sentum squálidum ægrum | pánnis armisque óbsitum.

Illud autem inprimis notandum; cum Græci magistri per διποδίαν trimetros jambos scandere juberent, semper eos intellexisse διποδίαν ἰαμβικήν; adeo ut sic divideretur ex eorum ratione versiculus:

Ne cuí sit ve | strum mírum, cur partés senâ
Poéta dede | rit quaé sunt adolescéntium:
Id prímum di | cam, deínde quod veni éloquar.
Οἱ γάρ βλεπον | τες τούς τυφλους ηγούμεθα,
Ουτός γ' απολου | θει πάμε προςβιάζεται.

ubi vides primam dipodiam in mediis verborum syllabis desinere, totamque cæsuræ virtutem ac gratiam misere perire. Quare ego jam ab ipsa adolescentia in omnibus jambicis præter tetrametrum catalecticum, de quo postea dicam, aliam mihi Scansionis rationem institui, per διποδίαν scilicet τροχαϊκήν, hoc modo:

Po | éta dederit | quaé sunt adolescéntium:

primo semipede quasi subducto et abciso, versu autem in dactylum vel creticum exeunte. Si quidem ista διποδία ex trocheis duobus, vel uno et spondeo sive epitrito secundo constans, *commodare*, *commodavi*, et cum cæsuræ indole convenit; et verum jambei rhythmum auribus insinuat; et poetæ, dum versus hos fabricatur, præcipue mentem occupat; et, quod maximum est, in omni fere comicorum metrorum genere principatum obtinet; veramque causam, cur in una comœdia tot versuum species adhibeantur, sola demonstrat.

Varietas metrorum. Jambici, trochaici.

Quinctilianus, Institut. Orat. x, i. *In comœdia maxime claudicamus,—licet* TERENTII *scripta ad Scipionem Africanum*

Digitized by Google

referantur: quæ tamen in hoc genere sunt elegantissima; et plus adhuc habitura gratiæ, si intra versus trimetros stetissent. Mirificum sane magni rhetoris judicium! Optabat scilicet, ut fabulæ Terentianæ, quæ in primo cujusque actu et scena a trimetris inchoantur, eodem metro ac tenore per omnes actus scenasque decucurrissent. Crederes profecto hominem nunquam scenam vidisse, nunquam comœdum partes suas agentem spectavisse. Quid voluit? quod nec Menander nec ullus Græcorum fecit, Terentius ut faceret? ut ira, metus, exsultatio, dolor, gaudium; et quietæ res et turbatæ, eodem metro lente agerentur? ut tibicen paribus tonis perpetuoque cantico spectantium aures vel delassaret vel offenderet? Tantum abest, ut eo pacto *plus gratiæ habitura esset fabula*, ut quantumvis bene morata, quantumvis belle scripta, gratiam prorsus omnem perdidisset. Id primi artis repertores pulchre videbant; delectabant ergo varietate ipsa, diversaque ἤθη καὶ πάθη diverso carmine repræsentabant. Marius Victorinus, p. 2500. *Nam et Menander in comœdiis frequenter a continuatis jambicis versibus ad trochaicos transit, et rursum ad jambicos redit.* Non ita tamen agebant veteres, ut ab uno in aliud plane contrarium repente exilirent; ab jambicis in dactylicos; sed in propinquos trochaicos, ipso transitu pœne fallente. Quod ut clarius conspiciatur; omnem Terentianam copiam hic sistam, unoque et eodem pede ditrochæo universam fere emetiar.

Illud tamen prius admonendum; ut a trimetris suas fabulas, rebus sedatioribus, nostrum inchoasse; ita semper tetrametris finisse; quod fabulæ catastrophe, cum res turbulentæ paulatim et ægre consilescerent, hoc carminis genus postularet, magno spiritu effundendum. Præ omnibus tamen trochaici pleni firmum actoris latus requirebant; qui nunquam scilicet nisi in maximo affectuum tumore veniunt; efferendi, non ut quidam autumant, *tarde lenteque*, sed *clamore summo, cum labore maximo.* Unde factum, ut cum alias in διποδίᾳ spondei vel anapæsti placuerint; in his trochæi vel dactyli studio quærantur,

Crédo equidem illum jam ádfuturum, ut illam a me eripiát: sino veniat;
Atqui si illam dígito attigerit, óculi illi illico éffodientur.

qui versus, nisi toto pulmone exhausto, pronunciari apte non

Digitized by Google

possunt: in trimetris vero clamosa hæc πάθη inarescerent prorsus et obmutescerent.

Ditrochæis igitur sic constituitur jambus trimetrus:

Id | sibi negoti | crédidit so | lúm dari.
Vi | cómmodavi | cómmodavi | cómmoda.

Jambicus tetrametrus plenus:

Dum | témpus ad eam | rém tulit sivi | ánimum ut exple | rét suum.
Vi | cómmodavi | cómmodavi | cómmodavi | cómmoda.

Trochaicus tetrametrus plenus sive ἀκατάληκτος,

'Adeon' hominem esse | ínvenustum aut | ínfelicem | quémquam ut ego sum.
Cómmodavi | cómmodavi | cómmodavi | cómmodavi.

Trochaicus tetrametrus syllaba deficiens, sive καταληκτικὸς,

Quót modis con | témtus spretus? | fácta, transacta | ómnia, hem.
Cómmodavi | cómmodavi | cómmodavi | cómmoda.

Pentametrus καταληκτικὸς; qui semel iterumve adhibetur,

Sánus es? Domum | íre pergam: íbi | plúrimum est. Revo | cémus hominem. | Sta ílico.
Cómmodavi | cómmodavi | cómmodavi | cómmodavi | cómmoda.

in his omnibus commodius est, meo judicio, διποδίαν τροχαϊκὴν cæsura accommodatam et congruam, quam ἰαμβικὴν ab ea deerrantem, in metiendo versu adsciscere.

Superest tamen unus jambici generis, tetrametrus καταληκτικὸς; in quo διποδία veterum magistrorum ἰαμβικὴ sine controversia tenenda est; ob ipsam, a qua in aliis discedit, Cæsuræ concinnitatem:

Nam sí remit | tent quíppiam | Philúmenam | dolóres.
Ανδρές φιλοι | και δήμοται | και τού ποιειν | ερέσται.
Δημόσθενης | Δημόσθενους | Παιάνιευς | εγράψε.
Vi cómmoda | vi, cómmoda | vi, cómmoda | vi, cómmo.

Sed et in his διποδία τροχαϊκὴ tempus quidem et spatium exacte servat, in incisionibus tamen peccat. Cæterum utram velit rationem lector sequatur: accentus in nostræ editionis textu ambabus æque conveniunt: at in nupera quadam, universi hujus generis, quorum ingens copia est, versus prava cæsuræ distinctione jugulantur;

Concurrunt læti mi obviam cup | pediarii omnes,
Cetarii, lanii, coqui, far | tores, piscatores.

Digitized by Google

Cum sic cæsura ponenda esset,

> Concurrunt læti mi obviam | cuppediarii omnes,
> Cetarii, lanii, coqui, | fartores, piscatores.

Illud quoque in hoc genere observandum, pedem illum ante cæsuram *Mi obviam* et *I coqui* semper, ut hic, creticum vel ei ἰσόχρονον media brevi esse oportere; nullum hic apud nostrum licentiæ locum esse; non magis quam in fine senarii. Hæc versuum horum indoles et sola gratia est: quam in nostra editione incolumem habent; in prioribus vero ante nos innumeris mendis strangulatam et sepultam.

Cretici, bacchiaci, choriambici.

Porro, super hos jambicos trochaicosque, etiam creticis, bacchiacis, choriambicisque versibus, sed semel tantum singulis, utitur Terentius; eisque in monodia duntaxat, nunquam in diverbio: hi, ringente licet invidia, nobis se apud nostrum debent:

Creticus:	Tánta ve	córdia in	náta cuiquam	út siet.
	Cástitas	cástitas	cástitas	cástitas.
Bacchiacus:	Adhúc Ar	chylís quæ ad	solént quæque	opórtet.
	Honéstas	honéstas	honéstas	honéstas.
Choriambicus:	'Obstipuit	péctore con	sístere nil	cónsili quit.
	Cóntremui	cóntremui	cóntremui	cóntremisco.

Hi tamen, more Græco, novissimum sibi versum alterius generis adsumunt, ut pro rhythmi ratione cum strepitu ac canore finiantur.

Clausulæ.

De *clausulis* sic Varro apud Rufinum, p. 2707. *Clausulas primum appellatas dicunt, quod clauderent sententiam: ut apud Accium:*

> An haéc jam obliti súnt Phryges?

Nonnunquam ab his initium fit; ut apud Cæcilium,

> Di boni, quid hoc?

apud Terentium, Discrucior animi.

Huic ultimæ adde aliam ex nostro:

> Occidi.

Digitized by Google

Cæterum de *clausulis* hoc uno verbo dixisse sufficiat: *si ab eis initium fit;* liberæ sunt et nullius metri legibus adstrictæ: *sin sententiam claudunt*, a præcedentibus legem accipiunt. Scilicet post jambicos tetrametros, vel trochaicos catalecticos, ab jambo incipiunt; ut illa Accii,

An haéc jam obliti súnt Phryges?

et illæ nostri,

Præcísse me ante? núnne prius commúnicatum opórtuit?
Miserám me, quod verbum aúdio?
Múnus nostrum ornáto verbis, quód poteris; et istum sémulum
Quod póteris ab ea péllito.

Ita semper in cæteris: et ratio est, quod διποδία τροχαϊκὴ quasi uno versu continuetur,

Commúnicatum opórtuit: miserám me quod verbum aúdio?

Unde in trochaico pleno, quo διποδία consummata est, a trochæo incipit,

Próin tu sollicitúdinem istam fálsam, quæ te excrúciat, mittas.
Quícum loquitur filius?
'Et álud res nulla ália causa tám male odi, nísi quia prope est:
Quód si abesset lóngius.

Hanc sibi legem fixerunt, sancientibus aure ac rhythmo, primi artis inventores: sed in hac tamen ante nos editiones peccant. Illud porro notandum; in tetrametris solis apud nostrum, nunquam in trimetris, clausulis locum esse. Neque id omittendum, has et reliquas omnes apud nostrum clausulas in cretico terminari, *audio, pellito, filius, longius;* una tantum excepta, Hec. v, 1, quæ in spondeum exit,

Aut né quid fecíam plús, quod post me mínus fecísse sátius sit.
Adgrédiar. Bacchis, sálve.

Id tamen judicio, non casu, a poeta factum: quippe post hanc solam ex omnibus clausulam a tetrametris plenis in catalecticos scena transit, qui spondeo finiuntur:

Salvé, Lache. Edepol crédo te non níl mirari, Bácchis.

Licentia Terentiana, qua deflectit a Græcis comicis.

De licentia veterum Romanorum, tragicorum comico-

Digitized by Google

rumque, paulo inclementius loquitur Horatius, arte poet. 253. Jambicus, inquit, versus,

Tardior ut paulo graviorque veniret ad aures,
Spondeos stabiles in jura paterna recepit
Commodus et patiens; non ut de sede secunda
Cederet aut quarta socialiter. hic et in Acci
Nobilibus trimetris apparet rarus et enni.
In scenam missus cum magno pondere versus
Aut operæ celeris nimium curaque carentis,
Aut ignoratæ premit artis crimine turpi.
Non quivis videt immodulata poemata judex:
Et data Romanis venia est indigna poetis.
Idcircone vager, scribamque licenter? ut omnes
Visuros peccata putem mea, tutus et intra
Spem veniæ cautus? vitavi denique culpam,
Non laudem merui. vos exemplaria Græca
Nocturna versate manu, versate diurna.
At vestri proavi Plautinos et numeros et
Laudavere sales: nimium patienter utrumque,
Ne dicam, stulte mirati; si modo ego et vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
Legitimumque sonum digitis callemus et aure.

Candide magis de iis judicat, venustissimus in tenui materia scriptor, Terentianus Maurus, p. 2433.

Culpatur autem versus in *tragœdiis*,
Et raras intrat ex jambis omnibus:
Ut ille contra, qui secundo et talibus
Spondeon aut quem comparem receperit.
Sed qui pedestres fabulas *Socco* premunt,
Ut quæ loquuntur summa de vita putes,
Vitiant jambon trantibus spondaicis,
Et in secundo et cæteris æque locis:
Fidemque fictis dum procurant fabulis,
In metra peccant, arte, non inscitia:
Ne sint sonora verba consuetudinis,
Paulumque rursus a solutis differant.
Magis illa nostri: nam fere Græcis tenax
Cura est jambi, vel novellis comicis,
Vel qui vetusta præcluent comœdia.

Cæterum quod in utrisque vituperat Flaccus, et in comicis excusat Maurus, hoc est: quod in sedibus paribus, secunda et quarta (nempe uterque per dipodiam jambicam dimetitur: in ratione nostra erunt prima et tertia, pedes scilicet ditrochæ-

Digitized by Google

orum priores) non volubiles pedes jambum aut tribrachyn, ex rhythmi lege ac Græcorum exemplo; sed tardos spondeos sive alios eis *ἰσοχρόνους* intulerint. Totum hoc, uno exemplo, et sensu et memoria facile tenebis. Græci ad hanc formam in jambicis;

Vi cŏmmodavi | cŏmmodavi, cŏmmoda.

Latini ad istam, non semper, sed quotiescunque vellent;

Vi cŏmmendavi | cŏmmendavi | cŏmmoda.

Vides *menda* spondeum bis positum pro jambo *moda:* postremam sedem violare nunquam sunt ausi. Idem et in trochaicis obtinet:

Græci: Commodavi | commodavi | commodavi | commoda.
Latini: Commendavi | commendavi | commendavi | commoda.

In his pedibus, excepto ultimo, pro brevibus longæ syllabæ adsumuntur; quod tamen, opinor, celeri pronunciatione juvabat et occultabat actor, ne ipse a tibicine rhythmum Græcum servante discreparet.

Quod ad crimen autem hoc attinet; tragicis quidem veteribus minor est excusatio, cur non ad artis regulas versus suos exegerint; cum toto stilo et colore a communi sermone discreti, nova verba ac sesquipedalia pro lubito finxerint. Fugiebant scilicet limæ laborem; certi se in re ante inexperta et apud aures tum indoctas veniam impetraturos. Melius vero ac mitius de comicis est sentiendum. Profecto Terentius noster, si quisquam alius, in artis leges arte peccavit; studio, non ignorantia; necessitate vel saltem commoditate inductus; et qualecunque illud delicti est, magnis virtutibus redemturus. Sermo enim ea de causa propius apud nostrum ad consuetudinem accedit, quam apud Menandrum: oratio apud unum de medio sumta deque vita honestiorum civium; versus minime cavi, sed verbis sensibusque spissi: apud alterum, dum metro servire coactus est, stilus paulo elatior, et sententiæ dilutiores. Adde huc, consonantes in lingua Latina pro vocalium numero frequentiores esse, quam in Attica: adde omnia apud Latinos vocabula, monosyllabis duntaxat exceptis, esse barytona; de qua re mox plura dicam; et facile pronuncies, minoris esse operæ atque

Digitized by Google

artis, ad Menandri normam Græce scribere, quam Latine ad Terentii.

De metris in lingua nostra usitatis.

Enimvero par et æquum est, ut eandem veniam veteribus Latinis demus, quam hodiernis qui Anglice scribunt poetis concedimus: quorum nemo est, cui non indulgemus, ut syllabis interdum longis contra indolem rhythmi loco brevium utatur. Nam ut Latini omnia metrorum genera de Græcis acceperunt; ita nostrates sua de Latinis. Quo magis est dolendum atque indignandum, jam a literis renatis pueros ingenuos ad dactylica, quod genus patria lingua non recipit, ediscenda, ferula scuticaque cogi: Terentiana vero metra, quæ domi tamen et in triviis inscientes ipsi cantitant, magistrorum culpa penitus ignorare. Trochaicus tetrametrus catalecticus, ut Terentio, ita nostratibus frequentissimus est:

'Ego ille agrestis, | sævus, tristis, | párcus, truculen | tus, tenax.
'Háppy is the | coúntry life blest | with content good | heálth an' ease.

Qui trochaicus, unius syllabæ accessione, fiet jambicus tetrametrus plenus:

Thrice háppy is | the coúntry life | blest with content | good heálth an' ease.

Quin et jambicus ille καταληκτικὸς, Terentio multum et merito amatus, apud nostros quoque in magna gratia est;

Nam si remit | tent quíppiam | Philúmenam | dolóres.
He's décently | run through the lungs, | and thére's an end | o'Búlly.

Neque vero bacchiacus Terentii nostris intactus est:

Adhúc Ar | chylis quæ ad | solént quæque | opórtet.
All jóy to | great Caésar | long life, love | and pleásure.

Creticum ejus quoque lingua nostra facillime admittit;

Tánta ve | córdia in | náta cui | quam út siet.
'O the sweet | coúntry life | blést with health | peáce an' ease.

Denique et illud metrum, quod in epicis et heroicis jam diu apud nostrates regnum obtinet, ab jambico veterum senario profluxit; necessitate linguæ nostræ, quæ tota monosyllabis scatens cæsuram senarii raro admittit, quinarius factus:

Though deép, yet clear; | though géntle, yet not dúll.

Digitized by Google

Huic in fine sextum jambum appone; et extemplo habebis senarium Terentianum:

Though deép, yet clear though | géntle, yet not dully slow.

Rursus, si ab hoc Euripidis senario, qui primus omnium in Oresta venit,

Ἥκω νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας,

pedem novissimum auferas; quinarium jam habebis, perfectissimum hodierni nostri epici exemplar:

Ἥκω νεκρῶν | κευθμῶνα καὶ σκότου.
Thóugh deep, yet clear, | though gentle, yet not dúll.

In Anglico tamen hoc notes velim, tres syllabas positione longas loco brevium poni. Eas tu postea, et quam *Denhamo* veniam concedis, Terentio neges. *Perfectissimum* autem *exemplar* ideo appello; ut poetis nostratibus, ingenii sane venæque felicibus, sed eruditionis interdum modicis, quid hodierni epíci, quo numeris omnibus absolutus fiat, rhythmus geniusque sibi poscat, obiter ostendam: in versibus nempe singulis tres syllabas breves. Hoc sane confitendum est, avorum tempore, scabros asperosque versus, magno longarum pondere onustos, plerumque exiisse: hodiernos autem poetas longe eos teretiores tornatioresque dare; sed aure fortassis magistra, non arte; quæ tamen ars principio judicibus auribus dedebatur. Habent itaque, quod in longo sane opere frustra exspectandum, in epigrammate vel elegiola facile obtinendum, versus epici *exemplar;* quo et numerus brevium et sedes ostenduntur. Quamquam in nostris est et varietati locus, ut in his:

Though deép, yet clear; though géntle, yet not dull;
Stróng without rage, withóut oreflowing full.

Ictus in hoc posteriore, qui in secunda syllaba fieri solet, in prima fit; et venuste quidem; modo raro fiat, ac brevis sequatur. Et nescio equidem, an in Terentio quoque, cum trimetrum aliquoties inchoet ab *hicíne*, *hocíne*, *sicíne*, *libéra*, non in primam retrahendus sit accentus *líbera*, &c. etiam in jambico; ob τὸ ἰσόχρονον scilicet et ἰσόῤῥυθμον; cum

Digitized by Google

rhythmus, Hephæstione teste, sit metro potentior. Tale illud Plauti, Rudent. II, 6, 29.

Piscibus in alto credo præbent pabulum.

ubi *piscibus* libentius efferrem, quam *piscíbus*.

Licentia Terentiana, qua deflectit a Latinis epicis.

Sed ut redeam, unde digressus sum. Ut a Græcis comicis desciverunt Latini pro brevibus syllabis tardas infulciendo; ita vitio prorsus contrario peccarunt, corripiendo scilicet ejusmodi syllabas, quæ in Latino sermone erant longæ. Hujus autem licentiæ modum ac fines non cujusvis est reperisse; cum ex interpretibus, hi qui laxissime et ultra terminos licentiam hanc expandunt, monstra nonnunquam et portenta pro veris lectionibus tuentur; alii contra, qui nimis arctis eam finibus claudunt, syllabasque omnes ad epicorum poetarum normam exigunt, singulos fere versus miseris modis, addendo, mutilando, invertendo, contra codicum fidem, jugulant et trucidant. Illud in universum animadvertas velim, nullas eos syllabas, quæ natura et vocalis sono longæ sunt, corripuisse; sed eas tantum, quæ per vocalem quidem breves erant, positione tamen et consonantium concursu factæ sunt longæ. Hæ vero vòces et numero pauçæ sunt, monosyllabæ fere vel disyllabæ, vel cum præpositionibus compositæ; et ex ipsa sede situque commodo veniam merentur. Cum autem in ipso nostræ editionis textu singula hæc in versibus singulis per accentuum intervallum sponte se ostendant; non opus est, ut singillatim hic enumerentur. Illud tantum monebo, quod ante me opinor nemo; in primo fere versuum pede, et parcius alias, licentiam hanc exercuisse nostrum: idque rectissimo judicio; cum actor, in fine prioris versus anima recepta, plenum rapidumque spiritum posset effundere:

Sed id grátum fuisse—	Ob décem mnas inquit.
Sine invídia laudem.	Inde súmam uxori.
Sine omní periclo.	Soror dícta est, cupio.
Propter hóspitii.	Símul consílium cum re.
Hic est ille non te.	Color vérus, corpus.
Studet pár referre.	Néque Antipho ália.
Ob hanc ínimicitias.	Sed hoc míhi molestum est.

Digitized by Google

Bonum ingénium narras.	Adest óptime ipse.
Sed hic Pámphilus quid.	Solent éssc id non fit.
Is hinc béllum fugiens.	Quid huic híc negotist.
Nempe Phórmionem.	Student fácere.
In hanc nóstram plateam.	Sed ostium cóncrepuit.
Sapelléctile opus est.	Némini plúra acerba.
Sed ecca ípsa egreditur.	Quid ignáve periculo.
Ego exclúdor, ille.	Sed estne ille noster.
Négat quis! négo ait, ajo.	Tamen vix humane.
Enimvéro, Dave, nil loci est.	Tacet cúr non ludo.
Habent déspicatu.	Jubet fráter? ubi is est.
Dolet dictum imprudenti.	Omnia ómnes ubi resciscant.

Hoc, ut vides, Terentii judicium erat; ut in primo fere pede versus, ubi paratior venia est, licentia illa uteretur: idcirco excusatior, quod non ipse eam primus intulerit; sed a Plauto, Cæcilio, cæterisque tum in scena regnantibus acceptam retinuerit. Licentia certe erat; et *indigna* forte, cui Romuli nepotes indulgerent. Nam qui hodie non comicos veteres excusatum, sed defensum eunt; qui fontem rei causamque et originem deprendisse se gloriantur; popularem scilicet tunc temporis pronunciandi morem: ut necesse fuerit comicis, quæ verba communi civium sermone spretis consonantibus rapide efferebantur, ea verba in suis fabulis, quæ audiebantur scilicet, non legebantur, corripere: nec illi operoso conatu nihil dicunt, pollicentes magna nihil extricant. Quid enim? si usus tum civium communis,

Quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi,

syllabas de quibus agitur raptim pronunciabat; jam non comicorum vel licentia vel crimen est, qui mori obtemperantes eas corripiebant; sed epicorum, qui usu improbante producebant. Mutantur tantum rei; crimen ipsum non eluitur: aut hi aut illi sunt culpæ damnandi. Quibus autem culpa hæreat, scitu facillimum est. Priorem in *ille* et *esse* constanter producebant epici; noster interdum corripit, sæpius producit: quod si recte et ex usu corripit; tanto sæpius, dum sæpius producit, peccat. *Propter* apud epicos semper priore longa est; noster semel corripit, And. II, 6, 8.

Propter hóspitaï hujusce consuetudinem.

Digitized by Google

Si hoc ex consuetudine vulgi; cur intra decimum versum, et ubique alias, producit?

Nil própter hanc: sed est quod succenset tibi.

Eadem reliquorum ratio est: quibus venia quidem, præsertim hodie, lingua jamdudum emortua, facile conceditur: nisi culpam quis defendendo fecerit majorem.

Cæterum *abi, domi, redi, dari, roga, jube, tace, vide*, et siqua id genus alia quæ ultimam brevem habent, vix est ut licenter dicas, sed legitime corripi; cum veteres epici idem jus usurpaverint.

Similiter de crasi censeas; qua duæ vocales, quarum una brevis, in unam contrahuntur: ut *Diu, Deum, deorum, meum, tuum, suum, mĕorum*, &c. *fuit, fuisse:* hæc et siqua hujusmodi, jure quoties vellent contrahebant comici; quia idem epicis jus erat. Durius quidem nostratibus sonant *hujus, cujus, ejus, novo, levi* in unam syllabam contracta: verum id eo evenit, quod nos hodie male pronunciemus. Notum enim est eruditis, consonantes *i* et *u* apud Latinos eodem fuisse sono et potestate, quo hodie *y* et *w*. Pronuncies igitur *cuyus, nowo, lewi*, et mollior fiet crasis. Ita noster *twa, swa, grundyuscula, stellyonino;* plane ut Virgilius *stellyo, abyete*, &c. Eadem ratione, cum *jam* efferrent, ut nos hodie *yam;* in duas syllabas pro lubitu dissolvebant, *nunc ĭum*. Cæterum in hac editione ubi *ĭam* disyllabon est, notatur diæresis; et *cúius, húius, éius*, ubi monosyllaba sunt, super *i* habent accentum; ubi disyllaba, super *u* et *e, cíjus, hújus, éjus.*

Eïi, reii, speii, priore per ectasin producta, non indigent venia; cum Lucretius aliique olim epici idem fecerint. In nostra editione, cum producuntur, duplice i scribuntur.

Neque illud inter licentias numeres, cum comici *s* finale in syllaba brevi, sequente tamen consonante, nonnunquam abjiciunt, ut *tristi', famelicu':* siquidem idem facit passim Lucretius. Cæterum quod nos quidam docent, et in syllaba longa hoc solere fieri, et sequente vocali, et totam etiam syllabam cum *s* sæpe resecari, falluntur et fallunt. In *consimilist*, a priore nihil, sed ab *est* vocalis resecatur; ut in *palamst, necessumst. Multimodis* apud nostrum non divisim effertur *multi' modis;* sed vox una est ut *omnimodis:* et Lucretius utraque utitur.

Digitized by Google

Quin et ubi synalœphæ vis cessat, et vel vocalis quæpiam vel *m* finales non eliduntur, altera vocali eas excipiente; ne hoc quidem in licentiis ponas: qualia ista et plura apud nostrum: *omnes quí amant, mé et ætate, né ubi acceperim, quaé erat mortua, una ire cúm amica, dúm id efficias, quicum uno rém habebam.* Quippe et epici, Lucretius, Virgilius, Horatius eodem modo in hexametris: *sed dúm abest quod avemus, credimus an quí amant, si mé amas inquit, cocto núm adest honor idem.* In his autem aliisque similibus tria sunt observanda; nunquam hoc fieri nisi in verbo monosyllabo; quod verbum si in vocalem exit, oportet syllabam esse longam; ictum denique habere in prima syllaba anapæsti. Harum vero conditionum ignorantia quot nuper peperit errores? dum et in polysyllabis verbis, et in syllabis brevibus, et in aliena sede, posse fieri hoc existimabant.

Atque hactenus de licentia Terentiana, deque ejus limitibus, modicis sane illis neque incommodis: qualem hodie in poetis nostratibus patriaque lingua patienter ferimus. Quin et ausim polliceri sponsorque fore, quemvis adolescentem, vulgaris modo prosodiæ et syllabarum quantitatis callentem, lecta una alteraque editionis nostræ scena, suo Marte ac sine magistro totum hoc quod quæritur percepturum. Quo magis mirum, quosdam cætera doctissimos, sed in his rebus paulo ὀψιμαθεστέρους, tam immodica verborum pompa se et operam suam efferre: quasi tantæ molis esset Romanam nunc licentiam, quantæ olim erat gentem, condidisse. Neque tamen, si ipsi audiendi sunt, immerito gloriantur: cum ex eorum sententia nihil non veteribus comicis et licuerit et libuerit: ut tam vagæ licentiæ limites ullos posuisse, perinde sit ac Sarmatas et Gelonos intra campos suos coercuisse. Nimirum hi non ipsos poetas, non artem et rhythmi genium, sed librarios sibi duces sumunt; et tot fere licentiarum species sibi fingunt, quot in toto Plauto Terentioque vitiosæ lectiones nunc restant; unique loco, qui emendandus erat, ex altero æque mendoso patrocinium quærunt. Quid mirum igitur; si quo major iis tam falsæ metricæ notitia accrevit, eo in dies, ut queruntur, magis decreverit emendationum suarum numerus? Illud, si dubitas, exemplo sit; ubi Plauti auctoritate pedes creticos in trimetris adsci-

Digitized by Google

scunt. Locus elegantissimus est, Trinummo, i. 2. in *urbanos*, quos vocat *scurras*,

> Qui omnia se simulant scire, nec quicquam sciunt:
> Quod quisque in animo habet aut habiturust, sciunt:
> Sciunt, quod in aurem rex reginæ dixerit:
> Sciunt, quod Juno fabulatast cum Jove:
> Quæ neque fu | *tura neque* | *facta sunt* | tamen illi sciunt.

Duos illic creticos agnoscunt et accipiunt, dactylorum scilicet vicarios: neque hoc contenti, *innumera* hujusmodi portenta Plauto suo assignant, *pauca* etiam Terentio. Nos pauca illa jam ejuravimus; de innumeris olim fortasse curabitur. Interea, quid hic Plauti locus sibi postulet, videamus;

> Quæ néque futura *nec facta sunt*, tamen illi sciunt.

Hic duæ longæ corripiuntur; duo cretici veniunt, quo ne dactylis quidem, si aurem habemus, venire fas est. Hosne *numeros ut laudaverint* Pisonum proavi? quis comœdus actor, ne ipse quidem *Pellio*, vel pretio voluerit emere; vel blaterare hæc ad tibiam in scena ausus fuerit? non suas potius sibi res poetam talem habere jusserit? Si licentiarii nostri de emendatione desperarunt; humanius tamen erat, de mendo potius confiteri, quam poetam ipsum proscribere. Vide tamen, quam facilis ea ne quærentibus quidem se offerat. Tolle illud *facta;* et trimetrum, quales hic cæteri sunt, rotundissimum habes:

> Quæ néque futura, néque sunt, tamen illi sciunt.

Quin et hoc sensus ipse, non metrum solum, efflagitat: nam *quæ futura*, et *quæ sunt*, in eodem genere sunt opposita: non *futura* et *facta*. Si illud *facta sunt* a poeta esset; dixisset utique, quæ neque *fient* neque *facta sunt;* atque insuper de duobus peccatis unum lucratus esset.

Ars Terentiana.

Restat jam, ut de arte Terentiana, quæ tantopere olim celebrata est, pauca delibemus. Horatius, Epist. II, 1.

> Ambigitur quotiens uter utro sit prior, aufert
> Pacuvius docti famam senis, Accius alti:

Digitized by Google

Dicitur Afrani toga convenisse Menandro:
Plautus ad exemplum Siculi properare epiobarni:
Vincere Cæcilius gravitate, TERENTIUS ARTE.

Ubi dubium est, artemne metricam velit, an comicam. Utramque opinor; nam in utraque laude noster, tam versuum concinnitatis, quam lucidæ rerum dispositionis, primas tenebat.

Illud sane in lingua Latina notabile, ne unum quidem verbum præter monosyllaba tonum in ultima habuisse. *Déum* igitur, *virum*, *méum*, *túum* priore licet brevi pronunciabant, nunquam nisi in versu *deúm*, *virúm*, *meúm*, *turúm*. Quinctilianus, Instit. I, 5. *Est autem in omni voce utique acuta syllaba, nec ultima unquam: ideoque in disyllabis prior.* Priscianus, p. 1287. *Acutus accentus apud Latinos duo loca habet, penultimum et antepenultimum: apud Græcos autem et ultimum.* Et paulo post; *apud Latinos in ultima syllaba, nisi discretionis causa, poni non solet accentus.* Donatus, p. 1740. *Tonus acutus, cum in Græcis dictionibus tria loca teneat, ultimum, penultimum et antepenultimum; tenet apud Latinos penultimum et antepenultimum; ultimum nunquam.* Maximus Victorinus, p. 1942. *Acutus, cum apud Græcos tria loca teneat, apud nos duobus tantum poni potest; aut in penultima, ut* prælegistis, *aut ea quæ a fine est tertia, ut* prælegimus. Olympiodorus in Aristotelis Meteora, p. 29. Τότε μὲν Γραικοὶ ἐκλήθησαν, νῦν δὲ Ἕλληνες. τοῦτο δὲ τὸ ὄνομα οἱ μὲν Ρωμαῖοι παροξύνουσι, Γραῖκοι λέγοντες. ἡ δὲ κοινὴ διάλεκτος ὀξύνει. Καθόλου δὲ οἱ Ρωμαῖοι πᾶν ὄνομα παροξύνουσι διὰ τὸν κόμπον. ὅθεν Ὑπερηνορέοντες ἐκλήθησαν ὑπὸ τῶν ποιητῶν. Hoc est, *qui olim* Γραικοί *dicti, nunc appellantur* Ἕλληνες. *Illius autem verbi penultimam Romani acuunt, dicentes* Γραῖκοι; *sed communis sermo acuit ultimam* Γραικοί. *Et universim Romani in quacunque voce penultimam vel antepenultimam acuunt, propter fastum et grandiloquentiam: unde a poetis dicuntur* Ὑπερηνορέοντες, *feroces et superbi.* Cæterum quod hic fastui tribuit, id dialecto Æolicæ, unde lingua Latina partem maximam profluxit, rectius imputatur. Æolenses enim, ut notum est, Βαρύτονοι erant; et Θέος, Ἄνηρ pronunciabant, cum alii Θεός, Ἀνήρ.

Jam vero id Latinis comicis, qui fabulas suas populo pla-

Digitized by Google

cere cuperent, magnopere cavendum erat, ne contra linguæ genium ictus seu accentus in quoque versu syllabas verborum ultimas occuparent. Id in omni metro, quoad licuit, observabatur; ut in his,

'Arma virúmque cáno, Trójæ qui primus ab óris
Itáliam fato profugus Lavínaque vénit
Lítora; multum ille et terris jactátus et álto
Vi superúm, sævæ memorem Junónis ob íram.

Qui perite et modulate hos versus leget, sic eos, ut hic accentibus notantur, pronunciabit; non, ut pueri in scholis, ad singulorum pedum initia,

Italiám fató profugús Lavínaque vénit,

sed ad rhythmum totius versus. Ubi nulla vox, ut vides, accentum in ultima habet, præter unicam illam *virúm:* idque recte ob sequens encliticon *que:* quod hic semel dictum, in Terentio passim fieri animadvertes. Idem efficiunt ME, TE, SE: *Miserúm me, quod verbum audio?* quippe hæc Latinis, ut etiam *rem*, enclitica sunt, ut Græcis ΜΕ, ΣΕ. Eadem est et interrogationis vis; sive cum *ne* enclitico, sive absque *ne*. In hac igitur concinnitatis laude palmam omnibus præripuit Terentius; eamque ut consequi posset, ut et vetitos ictus effugeret, et vocabula tamen significantiora semper sub ictu poneret; non minore studio judicioque verba disposuit, et a prosæ orationis ordine decenter invertit, quam mirificus in hac materie artifex ipse Virgilius.

Priscianus de versibus comicis narrat, *Fuisse quosdam, qui abnegarent ulla esse in Terentii comœdiis metra; vel ea, quasi arcana quædam et ab omnibus doctis semota, sibi solis esse cognita confirmarent.* Ibidem ait, *Omnes quidem comicos, crebris synalœphis et episynalœphis et collisionibus et abjectionibus S literæ, fuisse usos scandendo versus suos;* TERENTIUM AUTEM PLUS OMNIBUS. Verum profecto hoc est; et causa unica, cur magistelli isti vel negarent metra esse apud nostrum, vel ut arcana quædam venditarent. Quod vero hic queritur et criminatur magnus grammaticus, non vitium est, sed virtus Terentii prima: qui synalœphas illas data opera consectatus est; quo syllabæ ultimæ liquescerent coalescerentque cum sequentibus; eoque vetiti ac vitiosi in ultimis ictus artificiose

Digitized by Google

effugerentur. Hæ vero synalœphæ, quæ tenebras olim magistris offuderunt, jam in nostra editione, percussionum intervallis distincta, ne pueris quidem negotium facessent.

Totum autem hoc, quod de ictu in ultimis syllabis cautum fuisse diximus, de secunda tantum trimetri διποδίᾳ capiendum; nam in prima et tertia semper licuit; siquidem ista sine venia conclamatum actumque erat de comœdia tragœdiaque Latina. Cum igitur hunc versum similesque apud nostrum videris,

> Malúm quod isti di deæque omnés duint:

cave vitio id poetæ verteris; etsi *Malúm* illud et *omnés* si in communi quis sermone sic acuisset, deridiculo fuisset. Nimirum aures vel invitæ patienter id ferebant, sine quo ne una quidem in fabula scena poterat edolari. Quin et Græcos ipsos eadem tenuit necessitas, eadem passa est indulgentia, Cum Aristophanes dixit,

> Δουλόν γενεσθαι πάραφρονοντος δέσποτου.

Cum Euripides,

> Ηκώ νεκρων κευθμώνα και σκοτού πυλας,

idem admiserunt in Δουλόν et Ηκώ, quod noster in *Malúm* et *omnés:* ipsi enim alibi priorem acuunt, Δούλον et Ἥκω.

In secunda igitur trimetri διποδίᾳ hoc de quo agimus non licebat. Gellius xviii, 15. *In senariis versibus animadverterunt metrici duos primos pedes, item extremos duos, habere posse singulos integras partes orationis, medios haud unquam posse: sed constare eos semper ex verbis aut divisis aut mixtis atque confusis.* Quotus quisque hoc vel intelligat? nedum ut senarios per singulos pedes scandendo tempus in hac observatione conterat? At in nostra editione vel aliud agentibus in oculos incurrit; simulque ratio, quam metrici isti tacent, plane apparet. Hoc illi voluerunt; in his et similibus senariis,

> *Venit Chremes* postridie ad me clamitans.
> Mansuetique animi officia, quid *multis moror.*

duos primos duosque postremos pedes singulis verbis claudi,

Digitized by Google

et recte: at pedem tertium quartumve non posse recte. Cur hoc? quia tum necesse est, ut ictus in ultimas syllabas cadant; quod, ut dixi, in prima ultimaque διποδίᾳ solet fieri; in media nec solet et vix unquam licet. Rarissime igitur, semel atque iterum, sed magno sententiæ lucro, admisit hoc in trimetris Terentius:

Persuásit nox, *amór*, vinum, adolescentia.
Scelésta ovém *lupó* commisi. dispudet.
Nam illud, Nosse ómnia hæc *salús* est adolescentibus,

in hac editione *saluti* est. Notandum quoque in *amór* et *lupó* priorem brevem esse, et ex musicæ rationibus ita oportere; ut apud Horatium,

Jam jam efficaci do *manús* scientiæ.
Ad pervicacis heu *pedés* Achilleï.

Et similiter in verbo trisyllabo duos ictus recipiente, si id διποδίαν trochaicam inchoat, media erit ex arte brevis,

Nísi pol filiúm multimodis éxpeto, ut redeát domum.

Ita recte hic editum, non *expecto*; ut et alia plurima, quæ ante nos vitiosa ferebantur, in omni versuum genere hic corriguntur.

Digitized by Google

C. SULPITII APOLLIN.

PERIOCHA IN TERENT.

ADELPHOS.

DUOS cum haberet Demea adolescentulos,
Dat Micioni fratri adoptandum Æschinum:
Sed Ctesiphonem retinet. hunc citharistriæ
Lepore captum, sub duro ac tristi patre,
Frater celebat Æschinus, famamque
Amoris in sese transferebat; denique
Fidicinam lenoni eripuit. vitiaverat
Idem Æschinus civem Atticam pauperculam,
Fidemque dederat, hanc sibi uxorem fore.
Demea jurgare, graviter ferre. mox tamen
Ut veritas patefacta est, ducit Æschinus
Vitiatam; potitur Ctesipho citharistriam.

In aliis editionibus, quas hic quoque sequitur Westerhovius, additur sub finem hic versus, *Exorato suo duro patre Demea*. Vid. Lindenbr. infra, in observatt. in Donat. initio, Z.

Digitized by Google

ÆLII DONATI, V. C. ORATORIS URBIS ROMÆ, PRÆFATIO IN ADELPHOS TERENTII.

HÆC fabula palliata, ut ipsum indicat nomen, e plurali numero, quum sit una: et masculino genere, quum sit comœdia: et Græca lingua, quum sit Latina, censetur. Potuit eam Terentius *Fratres* dicere: sed et Græcin ominis εὐφωνίαν perderet, et præterea togata videretur; ad summam, non statim intelligeretur *Menandri* esse; quod Terentius in primis lectorem scire cupit: minus existumans laudis proprias scribere, quam Græcas transferre. Est igitur Menandri: et a fratrum facto, quibus argumentum nititur, nomen accipit. Hujus tota actio quum sit mixta ex utroque genere, ut fere Terentianæ omnes, præter Heautontimorumenon, tamen majori ex parte motoria est. nam statarios locos perpaucos habet. Prodest autem et delectat actu et stilo. In hac primæ partes sunt, ut quidam putant, Demeæ; ut quidam, Syri. Quod si est, ut primas Syrus habeat: secundæ Demeæ erunt, tertiæ Micionis, et sic deinceps. Quanquam etiam sunt, qui putent, primas Micioni dandas, secundas Syro, tertias Demeæ. Nam quod ait Terentius, *Senes qui primi venient*, non ad partes quas dicimus, sed ad ordinem pertinet exeuntium personarum. Hæc etiam, ut cætera hujuscemodi poemata, quinque actus habeat necesse est, choris divisos a Græcis poetis. Quos etsi retinendi causa jam inconditos spectatores minime distinguunt Latini comici, metuentes scilicet ne quis fastidiosus finito actu, velut admonitus abeundi, reliquæ comœdiæ fiat contemtor, et surgat: tamen a doctis veteribus discreti atque disjuncti sunt, ut mox aperiemus post argumenti narrationem. In hac prologus aliquanto lenior inducitur: qui magis etiam in se purgando, quam in adversariis lædendis est occupatus. *Protasis* est turbulenta, *epitasis* clamosa, *catastrophe* lenis. Quarum partium rationem diligentius in principio proposuimus, quum de comœdia quædam diceremus. Hæc sane acta est ludis scenicis funebribus L. Æmilii Pauli: agen-

Digitized by Google

tibus L. Ambivio, et L. Turpione: qui cum suis gregibus etiam tum personati agebant. Modulata est autem tibiis dextris, id est, Lydiis, ob seriam gravitatem, qua fere in omnibus comœdiis utitur hic poeta. Sæpe tamen, mutatis per scenam modis, cantica mutavit: quod significat titulus scenæ, habens subjectas personis literas, M. M. C. Item diverbia ab histrionibus crebro pronunciata sunt, quæ significantur D. et M. literis secundum personarum nomina præscriptis, in eo loco ubi incipit scena. Annotandum sane, quod hæc fabula προτατικὸν πρόςωπον non habet, hoc est, personam, quæ ad argumentum nihil attineat, quæque sit assumta extrinsecus, ut est in Andria Sosia. Hanc dicunt ex Terentianis secundo loco actam, etiam tum rudi nomine poetæ. Itaque sic pronunciatam, *Adelphæ Terentii*, non *Terentii Adelphæ:* quod adhuc magis de fabulæ nomine poeta, quam de poetæ nomine fabula commendabatur (quæ de tempore hujus fabulæ et nomine dicuntur, nugæ sunt. Vide Petit. de Ord. comœd. Terent. tom. I. p. 57. Z.). In hac quidem spectatur quid intersit inter rusticam et urbanam vitam: mitem et asperam: cœlibis et mariti: veri patris et per adoptionem facti. Quibus propositis ad exemplum, vitanda perinde fugiendaque Terentius monstrans, artificis poetæ per totam fabulam obtinet laudem.

Digitized by Google

ARGUMENTUM.

EX duobus Atticis fratribus, alter quidem Demea nomine rus coluit, uxorem duxit, filios suscepit duos, Æschinum et Ctesiphonem. At alter, Micio nomine, uxorem non duxit, et filios procreare noluit: sed sibi filium fratris Æschinum adoptavit: atque ita indulgenter eduxit a parvulo, ut effuse luxuriatus adolescens, ad postremum civem Atticam virginem vitiaret, captus amore ejus. quo facto, et cum matre puellæ pepigit nuptias ejusdem, quam vitiavit. Quumque rem gestam ad patris, a quo adoptatus fuerat, conscientiam jam jamque perlaturus esset, precibus Ctesiphonis fratris sui, qui apud durum patrem atque agrestem Demeam parcius atque arctius haberetur, impulsus est, et ut eidem a lenone raperet meretricem: quo facto, multiplici errore completur fabula. Nam et Demea cum hoc ipso, id est, cum Micione litigabat, tanquam cum eo qui corruperit adolescentem adoptatum, in mores perditos, nesciens suum sibi filium Ctesiphonem esse corruptum, eluditurque a Syro et Micione per totam fabulam. Et mater puellæ jam decimo mense post raptum virginis, Æschinum credit sibi ipsi rapuisse meretricem. quæ perturbatio cito in tranquillum redacta est. Nam re comperta de vitio virginis, Micio dat civem Æschino quam concupiverat: ejusque matrem ipse accipit. Deprehenso vero Ctesiphone in amore meretricis, primo irascitur Demea: post lenitur, atque habendæ ejus meretricis licentiam præbet. *Primus actus* hæc continet, Micionis solius primo verba: et post, ejusdem et Demeæ jurgium. *Secundus actus* hæc continet, lenonis alteram rixam adversus Æschinum pro puella: ejusdem apud Syrum querelas: lætitiam Ctesiphonis: obsessionem amicæ: et ejusdem gratiarum actiones apud Æschinum. *Tertius actus* hæc continet, trepidationem matris Sostratæ et Cantharæ

Digitized by Google

nutricis ob parturientem Pamphilam vitiatam ab Æschino: Getam nunciantem dominæ suæ per errorem, quod sibi rapuerit Æschinus meretricem: reditum in scenam Demeæ: ejusdemque cum Syro ludificante sermocinationem: interventum Hegionis, cum querela apud eundem Demeam de facto Æschini, de consolatione Sostratæ. *Quartas actus* hæc continet, Ctesiphonis cum Syro colloquium: delusionem Demeæ: ejusdemque in scenam interventum, atque secundam frustrationem per Syrum factam: Micionis cum Hegione sermonem: querelam Æschini de rebus suis, ejusdemque cum Micione patre facetissimam dissertationem: Demeæ reditum in scenam ex errore, in quem eum conjecerat Syrus: et renovatum cum fratre ejusdem jurgium: processionem in scenam temulenti Syri. *Quintus actus* hæc continet, deprehensionem Ctesiphonis cum meretrice: tertium cum Micione jurgium Demeæ, ejusdemque vitæ pristinæ correptionem: et per eum multa in comœdia nova, hoc est, blandimentum circa Æschinum, et affabilitatem circa Getam: conciliationem Syri et uxoris ejus: et veniam circa Ctesiphonem: permissionemque habendæ meretricis. Servatur autem per totam fabulam mitis Micio, sævus Demea, leno avarus, callidus Syrus, timidus Ctesipho, liberalis Æschinus, pavidæ mulieres, gravis Hegio. In dividendis actibus fabulæ identidem meminerimus, primo paginarum dinumerationem neque Græcos, neque Latinos servasse: quum ejus distributio hujusmodi rationem habeat, ut ubi attentior spectator esse potuerit, longior actus sit: ubi fastidiosior, brevior atque contractior. Deinde etiam illud, in eundem actum posse conjici, et tres et quatuor scenas introeuntium atque exeuntium personarum. Facta autem hæc una est de duabus fabulis, Adelphis Menandri, et Commorientibus Diphili.

Digitized by Google

FABULÆ INTERLOCUTORES.

Æschinus adolescens.
Canthara nutrix.
Ctesipho adolescens.
Dromo servus.
Demea senex.
Geta servus.
Hegio senex.
Micio senex.
Pamphila nurus.
Sannio leno.
Sostrata matrona.
Syrus servus.

Digitized by Google

Digitized by Google

P. TERENTII ADELPHI.

Acta ludis funebribus Æmili Pauli. Quos fecere Q. Fabius Maximus. P. Cornelius Africanus. Egere L. Atilius Prænestinus, Minutius Prothimus. Modos fecit Flaccus Claudi, Tibiis Sarranis. Facta e Græca Menandru L. Anicio M. Cornelio Coss.

PROLOGUS.

POSTQUAM poeta sensit scripturam suam
Ab iniquis observari, et adversarios

Tibiis Sarranis] Daceria legendum esse censet, *acta primum tibiis Lydiis, deinde tibiis Sarranis.* Nam *tibias Lydias*, i. e. duas dextras, edidisse sonum gravem, et lugubrem, qui adeo conveniret ludis funebribus; post primam vero editionem *tibiis Sarranis*, seu sinistris, quæ sonum acutum, minusque tristem ederent, eandem repetitam esse fabulam. Sane hæc emendatio magnam veri speciem accipit ex Donati auctoritate; vide præfationem ejus in hanc fab. Z.

1 *Postquam poeta sensit scripturam*] *Postquam*, pro *quoniam*; cujus reciprocum, *quoniam* pro *postquam*. Plautus in Aulularia, prol. 9, *quoniam is moritur, ita avido ingenio fuit. Postquam poeta sensit scripturam suam.* Indifferenter omnis qui aliquid scripsisset, *scriptor* a veteribus dicebatur. D.

Postquam poeta sensit] Eadem consuetudo prologi semel signata apud Terentium perseverat, uti magis maledicis adversariis respondeat. Neque sunt prologorum officia, quæ compleat. *Postquam poeta sensit ab iniquis observari*] Ab adversariis, hoc est, a Luscio Lanuino. E.

2 *Ab iniquis*] Inimicis; ut, Æn. VIII, 292. *Fatis Junonis iniquæ. Observari*] *Observatio*, ad honorem refertur: ut, Georg. IV, 210, *prætores regem non sic Ægyptus et ingens Lydia, nec populi Parthorum aut Medus Hydaspes observant.* Sed nunc *observari*, captari significat. *Observari* ergo et honorari, et captari, et audiri significat. ut Plautus, Amph. I, 3. 9, *Observatote, ut blande palpetur mulieri.* D.

Iniquos observare] Vulgo ab iniquis observari. Quæ grammatistæ cujusdam mihi videtur correctio, cavendis, ne iniquos a scriptura observatos accuperent pueruli; quod cavere ineptum est. Jam una hæc sententia, cum vulgo aliter dicatur, scriptaram observari, aliter, adversarios eam rapere in pejorem partem; quod genus vitii inprimis fugiunt probi scriptores. Bo.

Iniquis] In Heaut. prol. v. 27. *ne plus iniquum possit quam æquum oratio.* Cic. pro Planc. c. 23. *Se iniquo a suis jactatum graviter querebatur.* R. D.

Digitized by Google

Rapere in pejorem partem, quam acturi sumus:
Indicio de se ipse erit; vos eritis judices,
Laudin' an vitio duci id factum oporteat. 5
Synapothneścontes Diphili comœdia 'st:
Eam Commorientes Plautus fecit fabulam.
In Græca adolescens est, qui lenoni eripuit

3 *Rapere in pejorem partem*] Varietas per genera verborum; et utrique sententiæ apte jungimus *scripturam suum*. *Rapere in pejorem partem*] Id est vitio dare, vituperare. D.

In pejorem partem, quam acturi sumus] Animadvertit, iniquos rapere aliter quod dictum est a Terentio, quam nos acturi sumus. E.

Rapere in perjorem partem] H. e. secus interpretari, reprehendere. Pollio Ciceroni ad Div. X. 33. *pium meum consilium raperent in contrariam partem*. R. D.

4 *Indicio de se ipse erit*] Mire expressit simplicitatem vera dicturi, quum indicaturum de se dixit, non narraturum (lib. uterque, *mire* de se *expressit, simplicitatem veram dicturus, quum indicaturum se dixerit, non narraturum*). Et *indicio erit*, pro *index erit*. *Indicio de se*] *Indicat* is, qui de se volens aliquid, et de aliis etiam prodit (iidem libri, *qui de se tantum, et adhuc invitus quidnam provulgat*): sed *confitetur* qui de se tantum, et qui invitus. *Vos eritis judices*] Bene: quia apud judices indicium profitentur, qui accusatorem adjuvant. D.

Indicio de se ipse erit] Ipse voluit de se indicium dare, uti vos judices esse possitis, id quod facit an laudandum sit, an vituperandum. E.

Indicio de se] Lucret. IV. 1013.

Indicio *quæ sui facti perscpe* fuere,

Indicare autem et *confiteri*, eodem sensu usurpat Cicero pro Arch. 11. W.

De sese ipse erit, vos j.] Vulgo obscuratis quidem verbis gravibus *se ipse*, numerisque pessimis. Observa paronomasiam in verbis indicio et judices. Bo.

5 *Laudin' an vitio*] Medium non fecit, ut appareat, si crimen non sit, laudi debere esse. D.

Pronomen *id*, interpone post *factum*, ex Bembino, Victor. et duobus regiis codd. B.

6 *Synapothnescontes Diphili comœdia est*] Nec numeri, nec genera respicienda sunt, contra sententiam remque ipsam. D.

7 *Eam commorientes Plautus fecit fabulam*] Sicut apud Græcos δράμα, sic apud Latinos generaliter *fabula* dicitur: cujus species sunt, *tragœdia, comœdia, togata, tabernaria, prætexta, crepidata, atellana, μιμὸς, rhintonica*. D.

Commorientes Plautus fecit] Apud Gellium, III, 3. negat hanc fabulam esse Plauti Marcus Varro, seu potius Accius apud Varronem, sed auctorem esse M. Aquilium. Nam Varro ipse, quantum ex verbis Gellii colligitur, non Aquilio tribuit, sed potius Plautio cuidam. Igitur cum probabile non sit, Terentium, qui statim post Plautum vixit, ignorasse, quis auctor illius esset fabulæ verus; et ipsius Varronis auctoritas nobis ea esse debeat, ut virum erroris non insimulemus: forte difficultas rei ita potest tolli, ut apud nostrum legatur *Plautius*, quod librariorum sive inscitia sive incuria postea commutavit in *Plautus*, quod erat nomen notius. Z.

Commorientes] Equidem hac in parte plus tribuo Terentio. Bo.

8 *In Græca adolescens est*] Diphili scilicet, quasi diceret, quidam adolescens est, qui lenoni eripuit meretricem. D.

Eripit non modo Donati auctoritate et Faerni codd. omnium, quibus et duo

Digitized by Google

Meretricem, in prima fabula; eum Plautus locum
Reliquit integrum. eum hic locum sumsit sibi
In Adelphos, verbum de verbo expressum extulit.
Eam nos acturi sumus novam. pernoscite,
Furtumne factum existimetis, an locum

ex nostris vetustissimi consentiunt, confirmatur, sed et versum juvat, atque convenit prologo loquenti de argumento fabulæ. Ut in prol. Eun. *In ea est parasitus.* B.

9 *In prima fabula*] Hoc est, in prima parte: ut dicimus, *in primis digitis.* non enim aut secunda, aut tertia fabula est. D.

In prima fabula] Id est, in prima parte fabulæ. ut Virg. Æn. IX, 244. *Vidimus obscuris primam sub vallibus urbem.* Dixi in aliis comœdiis, et magis in Andria, hanc fuisse consuetudinem poetis Latinis, ut crimen non esset, aliquid de Græco transferre in Latinum: verum illud esse criminis, simulata contingere, vel si id diceret, quod jam a Latino fuisset expressum. Ergo quod adolescens quidam meretricem eripit, de comœdia tractum videtur, quæ jam cum Græca fuisset, a Latino translata est. sed hæc pars comœdiæ prætermissa est, ubi *adolescens lenoni eripit meretricem.* Quod si ita est, ut ille qui transtulerit aliam comœdiam Græcam, hanc partem reliquerit, non videtur a Terentio ullum crimen admissum, si id transtulit, quod apud Græcos intactum manebat. ideo adjecit: *Eandem nos acturi sumus novam.* ut non jam hoc sit furtum, quia non a Latino dictum est: sed potius reprehensus hic locus est, qui est prætermissus. *Reprehensus* autem interdum significat iterum prehensus. Alia subinde proponitur quæstio, quod maledici homines frequentissime dicant, Terentium adjuvari a nobilioribus: erat enim opinio quod a Lælio, et Scipione, et Servilio adjuvaretur, sed hoc crimen ad gloriam revocat, et confitetur, laudabile satis esse viris talibus placere. E.

In prima fabula] Charis. lib. 2. L.

In prima fabula] Ut apud Plaut. in Cistell. V. 1. v. ult. *postrema comœdia* pro postrema parte comœdiæ. Sic *prima provincia* est prima pars provinciæ Cic. ad Div. III. 6. Contra *ultima* provincia est pars ejus extrema. Cic ad Attic. V. 16. *in ultimam provinciam se conjecit Tarsum usque.* In Heaut. V. 1. 29. *ultimæ ædes* pro postrema parte ædium. Eodem modo primus tumultus pro initio tumultus, extremus annus pro fine anni. v. Gronov. in lect. Plaut. 138. Schulting. ad Sen. suasor. III. p. 301. R. D.

10 *Reliquit integrum*] Quum aliam, (*alium* Ms. Bemb. et Ed. Anonyma; forte *illam*) transferret. *Sumsit sibi*] Libere tulit: hoc est, non furatus est: ut, *Sume, pater.* D.

Eum hic locum] Ms. R. *eum hinc locum.* L.

11 *In Adelphos*] Latine declinavit. *Verbum de verbo expressum extulit*] Hæc approbatio est, de Græco esse sublatum, non de Plauto, ut dicit adversarius. *Extulit*] Mire non dixit *transtulit*, sed *extulit*: ut ornasse Græca videatur Latino stilo. D.

Verbum de verbo] Veteres dicunt *verbum de vel e verbo vel ad verbum exprimere* pro verbum verbo exprimere. v. Cic. de Finib. III. 4. Tuscul. quæst. III. 19. Hor. de arte poet. v. 133. Barbari hodie dicunt de verbo ad verbum exprimere vel vertere, quibus tamen præivit Servius ad Æn. VIII. 19. R. D.

12 *Eam*] Adelphos scilicet. *Novam*] Veterem Græcam esse intelligimus. D.

13 *Furtumne factum*] Hoc est, vitio duci. *An locum reprehensum*] Hoc est, laudi duci. *Reprehensum*] Retentum, resumtum. D.

Locum reprehensum] *Reprehendere*

Digitized by Google

Reprehensum, qui præteritus negligentia'st.
Nam quod isti dicunt malevoli, homines nobiles
Eum adjutare, assidueque una scribere:
Quod illi maledictum vehemens esse existimant,
Eam laudem hic ducit maximam; quum illis placet,
Qui vobis universis et populo placent;
Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
Suo quisque tempore usus est sine superbia.

locum est de integro tractare. Reprehendere proprie est retrahere. Phædr. V. 8. 3. ubi v. interpret. R. D.

14 *Negligentia est*] Plauti scilicet; cujus æmulari nunc excepiat negligentiam. D.

Negligentia] I. e. voluntaria prætermissione, v. notata ad Andr. prolog. v. 20. R. D.

15 *Nam quod isti dicunt*] *Nam*, incipiendi vim habet modo: ut, Plaut. Mil. I, 1. 5. *Nam ego hanc macheram meam dico. Homines nobiles*] Scipionem Africanum significat et Lælium sapientem, et furium Pinn, (*Publium*). D.

Homines nobiles] Cicero ad Atticum lib. 7. epist. 3. *Terentii fabellæ propter elegantiam sermonis putabantur a. C. Lælio scribi.* L.

16 *Eum adjuvare*] Legitur et *adjutare*. Pacuvius in Chryse: *Adjuta mihi. Assidueque una scribere*] Non sic dicit adversarius: verum hic oratorie crimen non tangit (*Non sic dicit adversarius; verum oratorie hoc crimen insinuat*. Ms. Bemb. Hulst. et edd. vett.). D.

19 *Qui vobis universis, et populo placent*] *Universis*, qui in cavea sunt, dicit. *Populo*, qui etiam præter theatrum (*præerat theatro*. lib. uterque), id est, universam urbem. D.

20 *In bello*] Scipionis. *In otio*] Furii Pii, (*Publii.*) *In negotio*] Scilicet Lælii sapientis. D.

Quorum opera in bello] Hic Scipio Africanus est. *In otio*] Lælius sapientissimus. *In negotio*] Vel Philus vel Servilius. E.

Quodsi vero essent intelligendi, quos Donatus Eugraphiasque nominant, distributio tamen ea perquam esset ridicula. Sensus enim est: *quacunque in re*, sive in bello, sive in pace, in qua pace mox otio fruimur, mox in negotio sumus occupati. S.

In otio] I. e. in pace. Cic. ad Div. II. 17. *Si ante auditum erit otium esse in Syria* ubi v. Manut. R. D.

21 *Suo quisque tempore*] Suis in necessitatibus, ubicunque opera aliorum eget. S.

21 *Suo quisque tempore*] Quorum opera unusquisque usus est in necessitatibus suis, sine aliqua eorum superbia. Deinde subjangit, cur officium suum non compleat, ut argumentum narret, quod *senes qui primi veniunt*, argumenti continent expositionem: et breviter postulat audientiam, *facite æquanimitas*] Hoc est, æquos animos ut habeatis. E.

Suo tempore] *Suum tempus* elegantur dicitur, quod alicui commodum est. Cic. Verr. III. 60. *dicit se suo tempore esse rediturum*. Valer. Flacc. I. 543. *posunt jam me sua tempora Graii* ubi v. Burmann. Opponitur *tempus alienum*. Liv. XLII. 43. tempus est status rerum ut sæpe. R. D.

Sine superbia] Nemo Romanorum adeo est superbus, qui operam eorum in quoquam discrimine suo fastidiat. S.

Sine superbia] Et sane ompes, quos vidi interpretes referunt hoc ad *operam* Scipionis et cæterorum. Sed quid opus est ista transpositione, cum commode accipi possit de iis, qui horum virorum opera usi sunt? ut sit sensus: *quorum officium nemo repudiavit, seu, quorum officio uti nemo est dedignatus*. Sane

Digitized by Google

Dehinc ne exspectetis argumentum fabulæ:
Senes, qui primi venient, ii partem aperient,
In agendo partem ostendent. facite, æquanimitas
Poetæ ad scribendum augeat industriam.

superbia erat, auxilium a tantis viris oblatum respuere. M.

Sine superbia] Hoc referendum ad homines nobiles qui inferiorum causas sine fastu agebant. R. D.

23 Pro *partem* lege *partim*; ut Hec. prol. 6. B.

24 *In agendo partem ostendent*] Σχῆμα ἀποσιώπησις. Hic enim jam non senes accipiendi essent: immo potius cæteræ personæ. sed ipsi senes in statario charactere partem aperient: in motorio, partem ostendent. Nam duo agendi sunt principales modi, motorius et statarius: ex quibus ille tertius nascitur, qui dicitur μικτός. *Æquanimitas*] Favor et propitius animus; et deest, *vestra*. D.

Facite æquanimitas] Ovidius, *excitat auditor studium*. L.

Versus integer mihi excidisse videtur, ut legas, *facite, æquanimitas* | *Bonitasque vestra adjutrix nostræ industriæ* | *Poetæ ad scribendum augeant industriam*. Vide Phorm. prol. 35. et Hec. prol. 24. ubi idem occurrit: nec abhorret a consuetudine Terentii eosdem versus in prologis repetere. B.

Digitized by Google

ACT. I. SCENA I.

MICIO.

STORAX. non rediit hac nocte a cœna Æschinus? Neque servolorum quisquam, qui advorsum ierant? Profecto hoc vere dicunt, si absis uspiam,

1 *Storax*] Nomina personarum, in comœdiis duntaxat, habere debent rationem et etymologiam. Etenim absurdum est, comicum aperte argumenta confingere: vel nomen personæ incongruum dare, vel officium, quod sit a nomine diversum. Hinc servus fidelis *Parmeno*: infidelis vel *Syrus*, vel *Geta*: miles *Thraso*, vel *Polemon*: juvenis *Pamphilus*: matrona *Myrrhina*: et puer ab odore *Storax*: vel a ludo et a gesticulatione *Circus*: et item similia, in quibus summum poetæ vitium est, si quid e contrario repugnans contrarium diversumque protulerit, nisi per ἀντίφρασιν nomen imposuerit joculariter ut *Misargyrides* in Planto dicitur trapezita. et fere hoc modo apud alios a poetis nomina componuntur describenda per ἀντίφρασιν, quod designat *Storax*. Primæ partes, sicut in prologo ipse promisit, a senibus aguntur: quorum contentione ad argumentum relata, vita aspera cum leni, et pater comis cum severissimo comparatur. *Storax*] Storacem vocavit, non Æschinum: quo tacente, puerum, id est, Æschinum absentem credit: quia servuli adolescentibus præstolantur. ut in Andria, *Observabam mane illorum servulos venientes, aut abeuntes*. Sed quia fieri poterat, ut domino absente adesset Storax: commodissime adjecit, *Neque servolorum quisquam qui advorsum ierant. Storax! non rediit hac nocte*] Hoc alii interrogative, alii pronunciative proferunt: sed magis pronunciative dicendum. D.

Storax! non rediit] Videtur hic quanta cura sit de filio cogitare. ac primo conquisitio est, et interrogatio præcedens, quæ duplici sensu intelligi potest. Nam nomen servi cum dixisset, possumus intelligere quod non responderit: et ex hoc ceperit, quod non reversus sit filius, ut pronunciemus per confirmationem. E.

Tolle notas interrogationis, Storax enim cum vocatus non respondeat; inde scit Micio neminem adhuc rediisse. Nemo domi manebat cum sene præter ancillas. B.

2 *Neque servolorum quisquam*] Propter (*Prætor* Ms. H. et edd. vett.) Storacem, quem abesse non respondendo intelleximus. *Qui advorsum*] Proprie locatus est. Nam *adversitores* dicuntur. *Ierant*] Producte i pronunciando: quod nos addita, v, *Iverant* dicimus. Tale est illud Virgilii, Æn. II, 25, *Nos abiisse rati, et vento petiisse Mycenas*. D.

Neque servolorum quisquis] Rursus pronunciatio altera esse potest, tanquam servus vocatus responderit, et ipsum interroget. E.

Qui advorsum ierant] *Adversum ire* non solum est obviam ire, sed etiam ire aliquem quæsitum constituto tempore et loco. In primis de servis dicitur, qui veniant, ut dominos domum ducant. v. Gronov. in Lection. Plaut. p. 212. Ejusmodi servi proprio nomine *adversitores* vocabantur. v. Donat. ad h. l. et Gesner. in thes. ling. lat. R. D.

3 *Profecto hoc vere dicunt*] Absolute: non addidit *qui*. *Si absis uspiam*] Abundat *uspiam*, aut deest *profectus*,

Digitized by Google

Aut ubi si cesses, evenire ea satius est
Quæ in te uxor dicit, et quæ in animo cogitat
Irata, quam illa, quæ parentes propitii.
Uxor, si cesses, aut te amare cogitat,
Aut tete amari, aut potare, aut animo obsequi:
Et tibi bene esse soli, quum sibi sit male.
Ego, quia non rediit filius, quæ cogito!

aut quid tale, aut *ubi* (*ibi* edidit Faernus Z.) *uspiam*: significat enim scilicet *uspiam* et in loco, et ad locum. *Si absis uspiam aut ubi si cesses. Si absis*, ad parentes propitios: *Si cesses*, ad uxorem iratam refert in desertorem (forte expressum, fuit nomen veteris grammatici). D.

Si absis uspiam] Id est, alicubi otiosus vivas, melius est, tibi evenire, quod de te cogitat uxor irata: quæ utique animo conjugali de marito suspicatur, quod alteram amet, ac illi soli sit bene. E.

4 Etsi Faerni libri omnes habent, *aut ibi*; quatuor tamen e nostris recte, *aut ubi si*, h. e. *sicubi cesses*. Et sic laudat Serv. ad Æn. III, 430. B.

5 *Uxor*] Subaudiendum est, *dicit irata uxor* (*Subaudiendum est* dicit. IRATA, *uxor scilicet*. Ms. Bœnd. et edd. vett). *Quæ in animo*] Omne quod sentimus, aut cogitamus, aut dicimus: et utrumque pro oratione est. Sed illa ἐνθυμηματικὸς quæ in cogitatione est: hæc προφορικὸς λόγος dicitur, quæ in verbis est constituta. Virg. Æn. II, 124. *Et mihi jam multi crudele canebant artificis scelus, et taciti ventura videbant*. Et ipse alibi, *nunc si quis est, qui hoc dicat, aut sic cogitet*. D.

In animo cogitat] *Cum animo suo cogitare* dixit Cic. de lege agrar. II. 24. *secum cogitare*. Terent. in Eun. I. 1. 19. v. Drak. ad Liv. XLII. 50. R. D.

6 *Quam illa quæ parentes*] Erudite, non addidit in quem dicat, quia scit nomina uxoris et parentum τῶν πρὸς τὶ esse. D.

Parentes propitii] Id est, sancti et religiosi timent, ne absentibus filiis aliquid mali eveniat. Dehinc a generali ad speciale transit. *Ego quia non redit*, &c. E.

Parentes propitii] I. e. amantes liberorum. Propitius fere semper de Diis dicitur, rarius de hominibus Cic. ad Attic. VIII. 16. R. D.

7 *Uxor, si cesses*] Quare non, *si absis?* an quia justius cessanti, quam absenti succensemus? an quia irata uxor, si cesses? *Aut te amare cogitat*] Ἐπεξήγησις cum ἐξεργασίᾳ, *aut te amare cogitat*. *Aut*] Minus peccati est amori proprio cedere, quam alieno amori obsequi, nulla re impellente, sine uxore potare, aut velle delicias. Ergo αὔξησις est: nisi forte τῷ ἰδιωτισμῷ hoc putamus dictum. *Aut te amare cogitat, tete amari*] Quum duo proposuerit, alterum sumsit. Nam quum dixisset, *quæ in te uxor dicit, et quæ in animo cogitat*: intulit, *aut te amare cogitat*. D.

8 *Aut te amare cogitat, aut tete amari*] Quia *te amare* ἀμφιβόλως dixerat, cito intulit quod certum est, *aut tete amari*. Et quia illud *te* dixerat, hoc geminavit, et *tete* dixit, tanquam significantius. *Aut animo obseque*] ἐπαναφορά. D.

Nostri omnes et Faerni libri vetusti, *atquè animo obsequi*. B.

Animo obsequi] Vel animo morem gerere est facere, quæ animo lubet in Hec. III. 5. 9. v. Lambin. ad Hor. Carm. IV. 7. 20. R. D.

9 Accentus causa corrigendum est, *sibi cum sit male*. B.

Soli] Omnes ponunt comma post *soli*, ego post *esse*, et *soli* jungo cum *sibi*. S.

10 *Ego, quia non rediit filius*] Plus est quod dixit *ego*, quam si diceret *pater*. *Ego quia non rediit filius*]

Digitized by Google

Et quibus nunc sollicitor rebus! ne aut ille alserit,
Aut uspiam ceciderit, aut perfregerit
Aliquid. vah! quemquamne hominem in animum instituere, aut
Parare, quod sit carius, quam ipse est sibi?
Atqui ex me hic non natus est, sed ex fratre. is adeo 15

ἀναπλοῦς; non enim *pater* dixit. *Quæ cogito! et quibus*, &c.]. Hoc sic pronunciandum est, ut horrere videatur ipse cogitationem suam. D.

11 *Quibus nunc sollicitor rebus.*] Hoc est, quam malis: non ut uxor, bonis. *Ne aut ille alserit*] Vide, quam teneri sit amoris hic timor, in juvene (*juvenem* Z.) præsertim. *Ne aut ille alserit, aut uspiam ceciderit*] Nimium tenere amat, qui hæc in juvene pertimescit, quæ circa infantulos caveri solent. D.

Alserit] Id est, mortuus sit, quia morientes frigent. E.

Quibus nunc sollicitor] Servius Æneid. IV, 379. *Quietos sollicitat. Ne aut ille alserit*] Plautus in Milite, III, 1, 124. *Pol, si habuissem, satis cepissem miseriarum liberis: censerem emori, cecidissetne ebrius, aut de equo uspiam; metuerem, necubi defregisset rura, aut cervices sibi.* L.

Illud, *et*, recte abest a tribus nostris: in asyndetis enim concitatior est affectus. B.

Alserit] Ne frigore vespertino effectus morbo laboret. S.

Ne aut ille alserit] Legendum, nisi omnia me fallant, *illiserit*, intellecto se, græce: vid. Vechner. Scriptum antiquo more verbum *ILLAESERIT* cito depravatum est. Diversa autem esse illidi, cadere, denique aliquid præfrangere, opus non est expositu, et quod vicina hæc sunt, eo quidem nomine culpandus non est poeta, sed laudandus multo magis, cum patruum depingit singula quæque, etiam simillima, quæ nepoti hocidere possint, plane paterno animo reputantem. Bo.

12 *Aut uspiam*] *Uspium* et in loco, et ad locum significat. *Ceciderit, aut perfregerit aliquid!*] Jungendum, ut non solum *ceciderit*, sed etiam *perfregerit*: hæc sunt quæ sibi, *filio*, nemo evenire velit. D.

Omnes fere antiqui libri Faerni et nostri habent, *præfregerit*. B.

Aut uspiam ceciderit] Non dubito, quin ex hoc versu in antecedentem τὸ nunc migraverit eoque ponendum sit loco, quo positum jam vides, ut ad tria ista perfecta illiserit ceciderit præfregerit æque pertineat potius quam ad unum sollicitor. Bo.

13 *Quemquamne hominem*] Sic dicimus de ea re, quam miramur fere ab omnibus fieri. D.

In animum instituere] Beatleius præeunte Faerno edidit, *in animo*. Utrumque recte. Certe Plautus in eodem versu utramque rationem expressit. Nam Most. 1, 2, 1. *Recordatus multum*, inquit, *et diu cogitavi, argumentaque multa in pectus institui ego, atque in corde meo.* Z.

In animo instituere] I. e. animo concipere, in animum inducere. Simili locutione Plaut. in Mostell. I. 2. 2. *argumenta in pectus multa institui.* R. D.

14 *Quam ipse est sibi*] Tanquam duo sint. sed hoc poetæ comico licet. D.

Deinde thesis, quod dicit: *quod sit carius, quam ipse est sibi.* Quod supra prologus nunciavit, quod argumenti partem senes qui primi sunt, explicabunt. Nam docet quod hic adolescens in adoptionem sibi a fratre sit datus. E.

Parare] I. e. aliquid sibi proponere, constituere. Plaut in Asinar. I. 3. 16. v. Scalig. ad Catull. X. 20. R. D.

15 *Atqui ex me hic non natus est*] Quasi dicat, ex me non est, et sic afficior: quid paterer si genuissem? Ex

Digitized by Google

Dissimili studio est jam inde ab adolescentia;
Ego hanc clementem vitam urbanam, atque otium
Secutus sum. et, quod fortunatum isti putant,
Uxorem nunquam habui; ille contra, hæc omnia:
Ruri agere vitam; semper parce ac duriter 20

me hic non natus est] Quasi dicat, non est meus. *Sed ex fratre*] Hoc est, omnino non alienus est. *Is adeo*] Transitus ad argumentum subtilissimus. *Adeo* aut abundat, aut *nimium* significat. Ut in eunucho, *adolescentem adeo nobilem*. D.

Atque ex me] Charis. libr. 2. L.

Pro *atqui* in Faerni codd. antiquis et nostris plerisque est *atque*; et iidem collocant cætera sic, *hic natus non est*. Charisius p. 204. "*Atque pro et*. Terentius in Adelphis. *Atque ex me hic natus non est, sed ex fratre*. Ubi Acron: argute, inquit; nam per conjunctionem transitum fecit ad narrationem." B.

16 Pro *dissimili* tres codd. ant. quorum unus 900 annorum, habent recte *dissimilis*. Nam sic Sallust. Jug. 89, dicit *dissimilis moribus*. Noster Heaut. V, 3, 17. *consimilis moribus*. Plin. Hist. VI, 31. *cursu et colore dissimilis*. B. Cæterum post *est* Bentleius distinguit: quod opus esse non arbitror. Z.

17 *Ego hanc clementem vitam urbanam*] Ὀρθὴ διήγησις καὶ διασάφησις. *Clementem vitam*, figura ipsa, *Figura. Ipsam, vitam clementem* dicimus quæ clementes facit. *Clemens* autem est, qui colit mentem. *Atque otium*] Deest *Urbanum*. D.

Vide an legendum sit, *Ego hanc clementem vitam urbanumque otium*. Cic. Ep. Divers. XII, 1. *Ut ego quidem et urbi et otio diffiderem urbano*. B.

Clementem vitam] I. e. quietam, tranquillam quæ opponitur rusticæ quippe duriori. R. D.

Otium secuti] Sic dicuntur, qui vitam facilem eligunt. Nepos in Pelop. c. 2. interpret. ad Phædr. V. 1. 7. R. D.

18 *Secutus sum*] Bene *secutus*, quasi magistram recte beateque vivendi. *Et quod fortunatum isti putant*] Romani scilicet, qui *cælibem* quasi *cælitem* dicunt. Et item Græci, apud quos sunt hujusmodi sententiæ: ΒΙΤΑ ΦΙΛΟΣ ΕΧΟΙΝΙΩΝΠΙΩΔΟΥΜΕΝΟΝ.* Et alibi, ΓΑΜΕΙ ΠΑΜΦΙΛΟΣ ΓΑΜΕΙΤΩ ΚΑΓΑΡΙΔΗΑΙΚΗCΕΝ ΜΕ (vide Lindenbr. infra). *Fortunatum isti putant*] Me utique non uxorem ducere. Dicit autem Romanis id videri, quos spectatores habet. Menander: ὦ μακάριόν με! γυναῖκα οὐ λαμβάνω (Hadr. Junius Animadv. Append. cum post *Menandri* nomen asterismum in suo cod. videret, suspicatus est hosce excidisse versus: Ὅστις γενόμενος βούλεται ζῆν ἡδέως Ἑτέρων γαμούντων αὐτὸς ἀπεχέσθω γάμων). *Quod fortunatum isti putant*] Quidam putant sic pronunciandum, *et quod fortunatum isti putant uxorem*: et hæc bona et concinna locutio est. Et *putant* bene dicit is, cui displicet aliena sententia. *Isti putant*] Id est, hi qui ame dissentiunt. D.

Fortunatum isti putant] Hieronym. advers. Jovinian. lib. 1. *Noster comicus fortunatum putat, qui uxorem nunquam duxerit*. L.

Sententia est clara: *Quod*, scilicet uxorem habere, *isti*, qui mei dissimiles sunt studio et moribus, *fortunatum putant*, quia placet dos magna, liberis dant operam, et posteritati inserviunt. B.

Cicero Att. XIV, 13. *a ducenda uxore sic abhorret, ut libero lectulo neget quicquam esse jucundius*. Horat. Epist. I, 1, 88. *melius nil cælibe vita*. Menander: Τὸ γυναῖχ' ἔχειν, εἶναί τε παῖδων, ὦ φίλε, Πατέρα, μερίμνας τῷ βίῳ πολλὰς φέρει. W.

19 *Uxorem nunquam habui*] Si *non habeo* dixisset, poterat videri habuisse. D.

Distingue: *Ille, contra hæc omnia, ruri agere vitam*. Vid. Phorm. III, 2, 36. B.

20 *Ruri agere vitam*] Contra hæc omnia sufficerat brevitas (corrige, CONTRA

Digitized by Google

Se habere; uxorem duxit; nati filii
Duo; inde ego hunc majorem adoptavi mihi;
Eduxi a parvolo; habui, amavi pro meo;
In eo me oblecto; solum id est carum mihi.
Ille ut item contra me habeat, facio sedulo:
Do, prætermitto: non necesse habeo omnia

HÆC OMNIA *suffecerat, breviter,* seu, *si brevitate uti voluisset* Z.); sed subjunxit fratris descriptionem, ut verbis ipsis malam vitæ conditionem ostenderet. *Semper parce ac duriter*] *Semper,* licet incertam distinctionem habeat, tamen recte additum est: quia vel *ruri agere* voluptatis est: vel *parce ac duriter se habere,* virtutis. Sed *semper* ad vitium: *Parce* autem, ad servandum: *Duriter* vero, ad laborem referendum est. *Ruri agere vitam, semper parce ac duriter se habere*] Variavit, ut in Andria. D.

Duriter se habere] Elegans hæc locutio. inde *exhibere* ἀντὶ τοῦ alere. Papinianus lib. 45. de donat. int. vir, et uxor. Ulpian. l. 1. §. 6. ff. de tut. et ration. Idem l. 11. §. 1. ff. ad exhibendum: *Si forte ipse servus ex operis vel artificio suo solebat se exhibere, nunc vero cogitur vacare.* Quæ ita Græce redduntur in Ecloga Basilicor. lib. 15. pag. 169. εἰ μὴ ἄρα τεχνίτης ὢν εἰώθη ἐκ τῆς ἐργασίας αὐτοῦ τρέφεσθαι, καὶ νῦν σχολάζει. Scævola l. 5. ff. de naut. fœnor. Et *exhibitio* apud eundem l. 98. ff. de aquir. et amitt. hered. Tertullianus de Idololatr. cap. 6. *exhibitionis nostræ gratia.* Ibid. cap. 8. *Si necessitas exhibitionis extenditur, habent et alias species, quæ sine exorbitatione disciplinæ, id est, sine idoli confectura, opem victus præstent.* Idem cap. 12. *Male nobis de necessitatibus, humanæ exhibitionis supplaudimus, si post fidem obsignatam dicimus, non habeo quo vivam.* L.

Parce ac duriter se habere] I. e. se tractare, curare Plaut. in Asinar. I. 1. 64. *illum mater arcete contenteque habet.* R. D.

21 *Uxorem duxit*] Recte *duxit,* non *ducere.* semel enim hoc fecit Demea. *Uxorem duxit*] Varie per modos discurrit. *Uxorem duxit*] Adjuvandum pronunciatione est, ne singula utrinque assecuti videantur. Nam sic in fine fabulæ ait Demea, *Uxorem duxi: quam ibi miseriam vidi! nati filii: alia cura.* D.

22 *Inde ego hunc, &c.*] Mire *inde* subjungit, quum personam (corrige *personas,* nempe intelligit natos filios duo Z.) prætulerit. Sic alibi, *e prædonibus unde emerat, se audivisse abreptam e Sunio. Inde ego, &c.*] *Inde,* pro *ex quibus.* et *mihi* abundat. Et bene *hunc* dixit: quia de ipso loquebatur. D.

23 *Eduxi a parvulo*] Quos, *quod,* edd. vett. cum codd., nos *educare* dicimus, *educere* veteres dicebant: ut Æn. VI, 765, *Educet sylvis regem regumque parentem. Habui, amavi pro meo*] Quæritur quid sit *habui.* et quum multa dicantur, hoc solum verum est, *habui,* credidi, duxi, existimavi: ut alibi, *Semper ejus dicta est hæc, atque habita soror,* et, *Sic itaque habeantur, itaque dicantur.* Ergo *pro meo* subaudiendum est bis, et *habui pro meo,* et *amavi pro meo.* D.

24 *In eo me oblecto: solum id est carum mihi*] Absolute utrumque, et *in eo,* et *solum. In eo*] Quasi in ea re. *In eo me oblecto*] Nove dicit, pro, *eo me oblecto.* Plus autem significat, quam si diceret, *Solus is est carus mihi.* D.

25 *Ille ut item contra me habeat*] *Item,* similiter: *contra,* vicissim. Plautus, Mil. II, 1, 23, *Ut illa illam contra, qui est amoris cultor optimus. Facio sedulo*] Secus a dolo, id est, sine dolo, et impense. D.

26 *Do, prætermitto*] *Do* sumtum: *prætermitto* delicta. *Non necesse habeo*

Digitized by Google

Pro meo jure agere: postremo alii clanculum
Patres quæ faciunt, quæ fert adolescentia,
Ea ne me celet, consuefeci filium.
Nam qui mentiri, aut fallere insuerit patrem;
Aut audebit: tanto magis audebit cæteros.
Pudore et liberalitate liberos

omnia pro meo jure agere] Etsi licet, non necesse est patrem sævire, quia pater est. Inter *jus et æquitatem* hoc interest: *jus* est, quod omnia recta et inflexibilia exigit. *Æquitas* est, quæ de jure multum remittit. Ergo hic sensus, non necesse est, etiam si liceat, sævum esse patrem. Et mire ostendit jus suum, nisi necessitate, non esse servandum. D.

Do prætermitto] Do scilicet pecuniam in sumtus, prætermitto scilicet peccata. R. D.

Habeo] I. e. existimo, statuo. Sallust. in Jug. c. 114. ubi v. Cortium. R. D.

27 *Postremo alii clanculum*] Non alii patres: sed alii adolescentes, clanculum patres suos. D.

Pro meo jure agere] Jus enim patris est, peccata corrigere filiorum. At hic per indulgentiam dixit, non necessario sibi hoc incumbere, ut omnia peccata corrigat, sed aliquid de jure proprio obliviscatur. Deinde jam thesis illa supponitur, uti non metu, sed melius liberi amore teneantur, *pudore*, inquit, *et liberalitate liberos retinere satius*. Hic sermo magis a persona Demeæ accipiendus est, qui Micionem dicat durum præter æquum et bonum, dum clementiam custodit nimiam circa filium, sic eum in peccata provocet: quod est quasi quoddam duritiei genus, non sentire quid criminis sit, quod ad dedecus perveniat. E.

Pro meo jure agere] I. e. mea auctoritate. Suo jure aliquid agere dicitur qui quid quasi ex jure et consuetudine libere agit nemine impediente. Petron. c. 78. Gronov. ad Senec. de tranquill. animi c. 3. R. D.

28 *Quæ fert adolescentia*] Veniam addidit statim, peccata ab adolescentibus ad (*ob* recte in Ms. Bœnd. et edd. vett.) ætatem removendo. Et vide quam breviter, quam pudice, quam ignoscenter locutus est. D.

29 *Ea ne me celet, consuefeci filium*] Tribus enim vivitur modis, natura, consuetudine, et ratione. D.

30 *Nam qui mentiri, aut fallere insuerit patrem*] Separatim subaudiendum est, *insuerit*, πρὸς τὸ *mentiri*. D.

Pro *insuerit* alii codd. *insueverit*: apud Martianum Capellam p. 160. *instituerit*. Sed pro *insuerit*, cujus forma repugnat sequenti *audebit*, repone *ita uti fit*; h. e. ut mos est. Vid. And. I, 1, 53. Eun. IV, 2, 2. Heaut. V, 2, 4. Atque illud *aut* sequentis versus dele cum interpunctione post *patrem*. B.

31 *Cæteros*] Quia jam deceperit patrem. D.

32 *Pudore et liberalitate*] *Pudore*, ad filios retulit: *Liberalitate*, ad parentes. Argumentum a conjugatis: *Liberalitate*, inquit, regendi sunt: propter quod liberi dicuntur. *Liberalitatem* autem, bonitatem dicit. D.

Pudore et liberalitate] Menander: Οὐ δεῖ λειπόντα (λυποῦντα. Vid. Bothe ad h. l.) τὸ παιδάριον ὀρθοῦν, Ἀλλὰ πειθοῦντα τι. Themist. Euphrada Orat. 5. αἰδοῖ μᾶλλον ᾤοντο δεῖν καὶ εὐνοίᾳ πλέον, ἢ φόβῳ κατέχειν τοὺς ὑπηκόους. Idem Orat. XI, p. 254. αἰδοῖ μᾶλλον ἢ φόβῳ χρώμενον. Afranius apud A. Gellium Noct. Act. XV, 13. *Hem isto parentum est vita vilis liberis; Ubi malunt metui, quam vereri ab suis.* L.

Liberalitate] I. e. lenitate, clementia. Cic. pro Ligar. c. 3. ad Quint. fratr. I. 1. Ernesti clav. Ciceron. in hac voce. R. D.

Digitized by Google

Retinere satius esse credo, quam metu.
Hæc fratri mecum non conveniunt, neque placent.
Venit ad me sæpe, clamitans: Quid agis, Micio? 35
Cur perdis adolescentem nobis? cur amat?
Cur potat? cur tu his rebus sumtum suggeris?
Vestitu nimio indulges: nimium ineptus es.
Nimium ipse est durus præter æquumque et bonum:

33 *Retinere satius esse credo*] Bene *retinere*: a vitiis scilicet. nam vitia filios tenent: quos retinent patres, a vitiis scilicet. Nam *retinet*, qui adversum aliquem tenet. D.

Retinere] Et continere sunt disciplinæ et coercitionis verba. Cic. de Off. II. 12. ubi v. Græv. Gell. XIX. 1. v. Drakenb. ad Liv. XXXIX. 28. R. D.

Metu] Meta servi potius regebantur quam liberi homines. R. D.

34 *Hæc fratri mecum non conveniunt.*] Nova locutio. et (*Nova locutio est*, Z.) *Non conveniunt*, pro non congruunt: ac per hoc, *In his ego et frater dissentimus*, id est, dissimiles sumus. D.

Hæc fratri mecum non conveniunt] Rara locutio, pro illa: *de his inter me et fratrem non convenit.* Nepos in Pausania IV. 2, Quæ *inter regem Pausaniamque* convenerant. M.

35 *Venit ad me sæpe, clamitans*] Et importunitatem odiosam ostendit, *ad me* dicendo: et inconditam assiduitatem, addendo *Sæpe*. Et congrue, postquam *Sæpe* dixit, adjecit aptius verbum, non dicens *clamans*, sed *clamitans*. *Quid agis, Micio?*] Reminiscere lectionem, et invenies interrogationem hujusmodi, vel invectionis principio convenire vel objurgationis. D.

Pro *clamitans* versus causa rescribe *clamans*, uti infra IV, 7, 9. B.

Venit ad me] Laudat sqq. quinque versus Cicero de Inv. I. 19. *illa autem narratio, quæ versatur in personis, ejusmodi est, ut in ea simul cum rebus ipsis personarum sermones et animi perspici possint, hoc modo:* venit ad me, &c. S.

36 *Cur perdis adolescentem nobis?*] Recte *Nobis* additum est, et ἀθυμῶς. ut alibi, *Psaltriam nobis, si Diis placet, paravit. Cur amat? cur potat?*] Vide quemadmodum, ut (dele *ut*, aut sequens *quum* Z.) durum objurgatorem ostendat Demeam, quum ab eo dicantur in crimen vocari, quæ aut ætatis sunt: ut, *cur amat?* aut naturæ: ut, *cur potat?* aut pietatis: ut, *cur tu his rebus sumtum suggeris?* et cætera. *Cur amat? cur potat?*] *Cur amat?* ad illud refertur quod ait supra, *do, prætermitto.* Nam *prætermitto* delicta intelligimus ex amore. *Cur potat?* revocamus ad illud quod ait, *do sumtum.* D.

37 *Sumtus* habent aliqui Faerni libb. et nostri omnes. Sed retinendum est Bembini, Donati et aliorum Faerni libb. *sumtum.* B.

38 *Nimium ineptus es.*] Utrumque dure, et *nimium*, et *ineptus es.* D.

Vestitu nimio indulges] Vestitui, ut Virg. 1. Æn. Parce metu Citherææ. Et 4. Georg. Quod nec concubitu indulgent. FAR.

Vestitu nimium indulges] H. e. nimios sumtus præbes ad vestitum splendidum emendum. *Vestitu* est dativus antiquior pro vestitui. v. Voss. de analog. II. 18. et Broukhus. ad Propert. I. 11. 12. ubi *manu* pro *manui* quanquam Dukerus ad Liv. IX. 5. putat facile hic suppleri posse pronomen tertii casus. R. D.

39 *Præter æquumque et bonum*] Potuit, *et*, non addi, præter *æquum bonum*, (Mss. et edd. vett. planius: *potuit et non addi*, PRÆTER ÆQUUM ET BONUM. Et certe, quia dixerat jam, *ni-*

Digitized by Google

Et errat longe, mea quidem sententia,
Qui imperium credat gravius esse, aut stabilius,
Vi quod fit, quam illud, quod amicitia adjungitur.
Mea est sic ratio, et sic animum induco meum:
Malo coactus qui suum officium facit,
Dum id rescitum iri credit, tantisper cavet:

mium, non opus erat addere, *præter æquumque et bonum*.) D.

Alii, item Cicero Invent. I, 19. *durus est*. Sed retine Bembini *est durus*; nisi malis scribere *durus'st*. B.

Præter æquumque et bonum] Hæc formula a jureconsultis sumta videtur, qua æquum et bonum summo jure stricto juri opponuntur. v. Duker. ad Flor. I. 22. p. 211. R. D.

40 *Et errat longe*] Melius est *longe*, (excidit *et* Z.) simpliciter accipiendum, ut locale sit, quam valde. *Mea quidem sententia*] Modeste addidit, *mea quidem sententia*: ne quis hoc pro præcepto dici existimet. D.

Et errat longe] Multum errat Demea, quod credit id gravius esse imperium quod vi conficitur, quam illud quod per amicitiam copulatur. Ut illud Sallustii, Jug. 10. *Non thesauri, neque exercitus, præsidia regni sunt: verum amici, quos neque armis superare, neque pretio comparare quiquam possunt*. E.

41 *Qui imperium credat*] Utrum cujuslibet, an Demeæ tantum? *Gravius esse aut stabilius*] *Gravius* ad vim? *Stabilius*, ad tempus refertur. D.

Imperium gravius] I. e. majoris auctoritatis. Plaut. in Trin. II. 2. 107. *Gravius erit tuum unum verbum ad eam rem quam centum mea*. Cic. pro Fonteio c. 16. R. D.

42 *Vi quod fit*] Id est, metu ac malo. *Quam illud quod amicitia adjungitur*.] Illud *fit*, quod *vi*: hoc *adjungitur*, quod *amicitia*. D.

43 *Mea sic est ratio, et sic animum induco meum*] *Mea sic est ratio*, ad superiora pertinet confirmanda. *Sic animum induco meum*: ad ea pertinet, quæ dicturus est. *Mea sic est ratio*.] Iterum modeste et ἰδιωτικῶς. *Et sic animum induco meum*.] Senilis μακρολογία. D.

Auctoritate omnium Faerni et meorum librorum pone *mea sic est ratio*. B.

Mea est sic ratio] H. e. hic meus mos est mea sententia. infra III. 3. 20. *vestram nequeo satis mirari rationem*. Cic. ad Div. III. 8. *Mea ratio in tota amicitia nostra constans et gravis reperietur*. R. D.

44 *Malo coactus*] Duo dicit, *malo*, et *coactus*. *Qui officium suum*] ὁ τὸ καθῆκον ποιῶν, id est, qui recte facit. *Officium* autem dicitur, quasi *efficium*, ab *efficiendo*, quod unicuique personæ congruit. D.

Malo coactus] Ut ostendat non rectum esse id quod comparatur vi, quam illud amicitia adjungit. Quandoquidem quod oportet ex persona sua, id efficitur non sponte, sed vi. At vero ille qui ex animo facit, beneficio victus, non terrore compulsus vult multam referre gratiam. Hoc ergo ad patres potius pertinet, uti filii quod faciunt recte, sua sponte faciant, non alieno metu: quippe cum intersit inter dominum et patrem. Nam pater lenitate, dominus metu valet. E.

Malo coactus qui suum officium facit] Hæc vetus et vera est lectio, quam Palmerius perperam immutare tentavit. Ad Terentii autem locum respexit Cicero in Verrem. 5. *Tu nisi malo coactus, recte facere nescis*. Et in Flor. vet. sententiarum: *Militem melius pudore, quam malo coerceas*. Theodosius Imp. l. 9. C. de desertor. *Duas auri libras malo coactus fisco nostro adnumeret*. Sulpit. Sever. Histor. Sacræ lib. I. *Rex malo coactus*, et iterum, *malo coactus agnovit errorem*. L.

45 *Dum id rescitum iri credit*] Quod

Digitized by Google

Si sperat fore clam, rursus ad ingenium redit.
Ille quem beneficio adjungas, ex animo facit;
Studet par referre; præsens absensque idem erit.
Hoc patrium est, potius consuefacere filium
Sua sponte recte facere, quam alieno metu.
Hoc pater ac dominus interest: hoc qui nequit,
Fateatur se nescire imperare liberis.
Sed estne hic ipsus, de quo agebam? et certe is est.

facit scilicet. *Tantisper*] *Tantisper* quasi *Tantumper*. et *Paulisper*, quasi *paulumper*: unde *Parumper* dictum est. *Tantisper cavet*] *Peccare* subaudiendum est. Nam totum ἐλλειπτικῶς, et obscure dictum est. Et bene *cavet*; quasi malo (primus, opinor, sic edidit R. Steph. Ed. Du B. habet *malos*. sed Mss. et edd. vett. melius, *malum*). D.

46 *Si sperat fore clam*] Iterum *quod facit* subaudiendum. *Rursum ad ingenium redit.*] Mire, non intulit, *cavet*: sed, *ad ingenium redit*. Et *rursum* est retro versum, ut *prorsum*, prius (*porro*. Sic Donatus ad Eun. II, 3, 14. et Calpurn. ad Heaut. IV, 5, 28.) versum. D.

Versui commodius est *rursum*, quod in Bemb. Basilic. et nostris fere omnibus exstat. B.

Ad ingenium redit] H. e. ad indolem, naturam ingenitam. v. in Hec. I. 2. 38. Cic in Cæcil, c. 17. *redit ad se atque ad mores suos*. R. D.

47 *Ille quem beneficio adjungas.*] Non dicit, *beneficio adjunctus*, ut supra, *malo coactus*. *Ille quem beneficio adjungas*] Καλαντεθηκην AN* (κατ' ἀντίθετον, seu κατ' ἀντίθεσιν τοῦ λόγου *oratorie rem intulit*. Z.): ille *malo*, hic *beneficio*. Ille *coactus*, hic *adjunctus*. Ille *dum id rescitum iri credit*, *tantisper cavet*: hic, *præsens absensque idem erit*. Et τὸ *præsens* et *absens*, non ad aliquem locum, sed ad custodem retulit et monitorem. *Ille quem beneficio adjungas*] Contra illud ait, *malo coactus*. *Ex animo facit*] Officium scilicet. D.

Ille quem beneficio.] Menander: Ὑιῷ προθύμως τ' ἀξιούμενον ποιῶν Κηδεμόν' ἀληθῶς, οὐκ ἔφεδρον ἕξεις βίου. L.

48 *Studet par referre*] Id est, benefacere. *Præsens, absensque idem erit*] Contra illud, *si sperat fore clam, rursus ad ingenium redit*. D.

Studet in primo pede ultimam corripit, quod non est insolens. B.

49 *Hoc patrium est*] Superius a re tractum est: hoc jam a persona ducitur argumentum. *Consuefacere*] Non *cogere*: sed *consuefacere*. D.

50 *Quam alieno metu.*] Vide quemadmodum suum ad indulgentiam affectum revocet optimæ disciplinæ, (*vide quemadmodum suam erga filium indulgentiam ad effectum r. o. d.* Z.) D.

51 *Hoc pater ac dominus*] A differentia personarum et officiorum. *Interest*] Differentia est. *Hoc qui nequit*] Longe melius *nequit*, quam si diceret, *non vult*. D.

Hoc pater ac dominus interest] Hæc est inter patrem ac dominum differentia. Duriorem Perizonius locutionem vocat, Sebaldus, Guyetus, aliique Hellenismum τούτῳ πατὴρ καὶ δεσπότης (pro τοῦ δεσπότου) διαφέρει. S.

52 *Fateatur nescire imperare liberis*] Hoc indicat, et se melius consulere, et volentem hoc exercere. *Nescire imperare liberis*] Oratorie, quasi artis ait indulgentissime agere. *Imperare*, modo non ad superbiam, sed ad *regendum* est referendum. *Fateatur nescire*] Deest *Se*. D.

Bentleius duce Faerno illud *se* omisit. Recte. Nam nec donatus legit, quem videsis. Z.

53 *Sed estne hic ipsus, de quo agebam.*] Κατ' οἰκονομίαν supervenit, de

Digitized by Google

Nescio quid tristem video: credo jam, ut solet,
Jurgabit. salvom te advenire, Demea,
Gaudemus.

ACT. I. SCENA II.

DEMEA. MICIO.

EHEM, opportune: te ipsum quærito.
M. Quid tristis es? D. Rogas me, ubi nobis Æschinus
Siet, quid tristis ego sim? M. Dixin hoc fore?

quo sermo est, ut factis dicta ostendantur. *Et certe is est*] Bene nunc confirmat ipsum esse eum, quum propior est, utpote senili, nec longum prospiciente conspectu (*Leg. utpote in senili, &c.* aut sequere Ms. Bœnd. et Ed. Du B. *Quum propior est, ipsum a* longe conspectum senio vetante non bene cognoscens, *ac proinde dubius.* Z.) D.

De quo agebam] Recte Donatus explicat, de quo sermo est; nam *agere* sæpe dicitur pro loqui, in Hec. III. 5. 5. R. D.

54 *Nescio quid tristem video*] Orationis apparatus ex vultu ostenditur: ut, Æn. VII. 291. — *stetit acri fixa dolore, tum quassans caput hanc effundit pectore vocem. Nescio quid*] Deest *propter*: ut sit, *nescio propter quid. Ut solet*] Causa cur illum æquo animo frater ferat, *ut solet*, inquit. D.

55 *Salvom te advenire, Demea, gaudemus.*] Ut asperior ostendatur Demea, etiam salutatur ab eo, quem objurgaturus est. D.

1 *Hem! opportune: te ipsum quærito.*] In hoc actu diversi homines, diversi patres, (*diversæ partes* Ms. Bœnd.) et diversa studia proponuntur. hic lenis, hic amarus: hic facetus, hic impolitus: hic facilis, hic pertinax et difficilis in delictis. *Hem! opportune: te ipsum quærito*] Melius quam Menander, quum hic illum ad jurgium promptiorem, quam ad resalutandum faciat. D.

Ehem! oportune] Iracundi hominis continuo pronunciata sententia est, qui salutatus resalutare noluit. E.

Ehem, quod probatur libris bonis, magis convenit actibus repentinis, ut est subitus ejus, quem quis quærit, aspectus, quam vulgare *Hem*. B. Cæterum recte Daceria verba præcedentis scenæ ultima, *salvom te advenire*, &c. refert ad initium hujus scenæ. Nam fit inde initium novæ orationis ad personam, quæ cum maxime advenit. Z.

2 *Quid tristis es?*] Bene interrogat. potuit enim non iratus frater quærere. *Ubi nobis Æschinus siet*] Quasi quædam causa sit tristitiæ. D.

Rogas me?] Interrogas me quid ego tristis sim, cum Æschinum filium habemus? Deinde sumsit generalem accusationem, *quem neque pudet, neque metuit quenquam*, &c. E.

Pro *rogitas*, Bemb. Victor. et multi alii codd. habent recte *rogas*. B.

Ubi nobis Æschinus sit] H. e. cum Æschinus nobis sit filius tam dissolutus. *Ubi* est cum, quoniam, quandoquidem, ut recte exponit Eugraphius. v. Vorst. ad Justin. X. 1. R. D.

3 *Dixine hoc fore?*] Credo jam, ut solet, objurgabit. D.

Alii habent *quid* is *fecit?* Utramvis recte. B.

Digitized by Google

Quid fecit? D. Quid ille fecerit? quem neque pudet
Quicquam; nec metuit quemquam; neque legem putat
Tenere se ullam. nam illa, quæ antehac facta sunt,
Omitto: modo quid designavit! M. Quidnam id est?
D. Fores effregit, atque in ædis irruit

4 *Quid ille fecerit?*] Animadvertendum, ut interrogatus interroget more indignantium, quod ideo facit, quia videt Micionem eo vultu interrogare, ut videatur minus reprehendere culpam Æschini. D.

Quem neque pudet] Priscian. libr. XVIII. Menander: Ὃς δὲ οὔτ' ἐρυθριᾷν οἶδεν, οὔτε δεδιέναι, Τὰ πρῶτα πάσης τῆς ἀναιδείας ἔχει. L.

5 *Quem neque pudet quicquam, neque metuit quenquam*] Varie per casus discurrit, *quem neque pudet quicquam*: contra illud quod alibi pater dicit, *erubuit, salua'res est. Quem neque pudet quicquam*] Magno ordine accusavit. non, inquit, pudore movetur patrum, non metu parentum, non timore legum. Ergo gradatim αὔξησις oratoria processit. D.

Neque legem putat tenere se ullam] Frustra Donat. ad h. l. et Burmann. ad Valer. de clement. 240. p. 514. hic ambiguitatem quærunt. Patent enim hoc dici pro: *neque putat se ulla teneri*. Cic. Philipp. XI. 5. *quanquam leges eum non tenent*. Liv. IX. 33. *et si tenuerit lex Æmilia eos censores quorum in magistratu lata esset, non tamen aut se aut eorum quemquam, qui post eam legem creati censores essent, teneri ea lege potuisse*. R. D.

6 *Tenere se ullam.*] Bene *tenere*, quia legem. et est ἀμφιβολία oratoria. *Nam illa quæ antehac facta sunt, omitto*] Accusatio duo tempora recipit; præteritum, ab ante gestis: et præsens, ab iis quæ objiciuntur. Ergo utrumque mira brevitate perstrinxit. D.

7 *Omitto*] Παράληψις. *Modo quid designavit!*] *Designare* est rem novam facere, in utramque partem, et bonam et malam. Nam et *designatores* dicti, qui ludis funebribus præsunt: credo ob eam causam, quod ipsis ludis multa fiant nova et spectanda: simul etiam turba retineatur. quæ fiunt, (*quæ fuerat* Mss. et edd. vett.) aut in spectaculis, aut in litibus. *Modo quid designavit!*] Puto ego *designationem*, contractionem, aut conductionem populi in unum intelligi. hoc enim contingit ei, qui aliquo flagitio populi in se oculos et ora convertit, et spectaculo est vulgo: quemadmodum *designatores*, qui ludis funebribus multitudinem retinent. *Designavit!*] Hoc verbum apud veteres duas res significabat: etenim prave et recte facta, *designata* dicebantur. *Quidnam id est?*] Et hoc etiam contemnens interrogat Micio. D.

Dissignavit!] *Dissignare* proprie dicitur aliquid signatum legibus rumpere. Deinde positio ipsa est criminis, sed per argumentum. Nam cum lenonis domum vel cellam potius adolescens fuisset ingressus, ut meretricem abduceret, hic exaggerans dicit, *fores effregit, atque in ædis irruit alienas*. E.

8 *Fores effregit*] Hæc singula magna cum vociferatione inferenda sunt. stomachatur enim adversus male interrogantem. *Fores effregit, atque in ædes irruit alienas*] Totum quidem unum crimen est: rapuit meretricem. Sed vide, qua pompa, qua vociferatione dilatetur accusatio Demeæ, de moribus Æschini, nihil nisi inania (*immania* corrigit Bœclerus) referentis. *Fores effregit, atque in ædis irruit alienas*] Hæc singula consideranda sunt. Et bene dicit *alienas*, quia si Lenonis diceret, parva res videretur. D.

Fores effregit] Ulpian. l. 39. ff. de furtis: *Fores meretricis effregit libidinis causa*. L.

Digitized by Google

Alienas: ipsum dominum, atque omnem familiam
Mulcavit usque ad mortem: eripuit mulierem
Quam amabat. clamant omnes, indignissume
Factum esse: hoc advenienti quot mihi, Micio,
Dixere? in ore'st omni populo. denique
Si conferendum exemplum est, non fratrem videt
Rei dare operam, ruri esse parcum ac sobrium?
Nullum hujus simile factum. hæc quum illi, Micio,
Dico, tibi dico: tu illum corrumpi sinis.

9 *Ipsum dominum*] Iterum suppressa est infamis persona. *Atque omnem familiam multavit*] Aut *familiam* pro servis lenonis dicit, aut pro meretricibus. D.

Ipsum dominum Lenonem appellavit; deinde meretricem, *mulierem*. Et hoc quasi criminis genus probavit a testibus, quod *omnes clamant, indignissime factum*. Deinde adjecit comparationem, quod facilius vita possit deprehendi ex hoc, quia frater ejus ruri operam det, nesciens quod eadem meretrix ipsi adolescenti rapta sit. Sed omnis conclusio accusationis in Micionem, qui ejus pater est, retorquetur et transfertur, quod ipse filium corruperit lenitate. E.

10 *Multavit*] Laceravit, mutilavit, mollivit, atque dissolvit. Unde *mulciber* a multando, quasi *multiber*. *Usque ad mortem*] Magna invidia caedis et mortis mentione, quae tamen nulli accidit. *Eripuit mulierem quam amabat*] Omnia magno colore et accusatorie dicta sunt, et ex hoc maxime, quod lenonem et meretricem non dixit, contentus facti atrocitate, personarumque vilitatem reticens. *Mulierem eripuit*] Non, *abduxit*, sed *eripuit*. D.

Pro *multavit* recte libb. antiqui habent *mulcavit*. B.

11 *Clamant*] A praejudicato, et auctoritate rumoris (uterque liber, *adjudicatio ex auctoritate rumoris.*) D.

12 *Hoc advenienti quot mihi, Micio, dixere?*] Quasi dicat, displicet omnibus, et multi eum accusant. Nec tamen leonis querelae mentio fit. vide oratorem. *Hoc*, autem vel articulus, vel adverbium loci est. D.

13 *In ore est omni populo.*] Sallustius (in Fragmentis. De Pompeio intelligit Dousa), *In ore gentibus agens, populo, civitati.* D.

14 *Si conferendum exemplum est*] Tanquam non sit conferendum. *Non fratrem videt rei dare operam*] Satis comice hoc infertur legentibus argumentum: nam magis in culpa ille ipse est, quem laudat. D.

15 *Rei dare operam*] Non amori. *Rei dare operam*] Quam facete poeta haec omnia falsa, et e contrario facit Demeam credere! *Ruri esse*] Non in urbe. *Parcum*] Non prodigum. *Sobrium?*] Non insanum. *Parcum ac sobrium?*] Contra illud. *Cur amat? Cur potat?* D.

Vetustiores nostri multi habent *rei operam dare*. B.

16 *Nullum hujus simile factum*] Hoc cum admiratione Micio tangitur, quasi ipsius culpa sit fratris natura. *Nullum hujus simile factum*] Hoc cum admiratione indignantis pronunciandum est, et ardentibus in Micionem oculis. Et subaudiendum est *esse*, aut *invenire* (*invenisse*. Z.) D.

Nostri omnes cum edd. vett. *Nullum hujus factum simile*. Melioribus numeris. B.

17 *Haec quum illi, Micio, dico, tibi dico*] *Illi*, pro *in illum*: et *tibi*, pro *in te*. *Tu illum corrumpi sinis*] Deest *Nam*. sed fervantius δεινότητος dicitur. Et hoc *tibi* et *tu* pronunciandum est in-

Digitized by Google

M. Homine imperito nunquam quicquam injustius,
Qui, nisi quod ipse fecit, nil rectum putat.
D. Quorsum istuc? M. Quia tu, Demea, hæc male judicas.
Non est flagitium, mihi crede, adolescentulum
Scortari, neque potare: non est: neque fores
Effringere. hæc si neque ego, neque tu fecimus,
Non sivit egestas facere nos. tu nunc tibi

tento digito, et infestis in Micionem oculis. Nam hoc agi stomacho adversum dissimulatores solet. *Tu illum corrumpi sinis*] Mitius modo dixit, *sinis corrumpi*: mox vehementius dicet, *an laudi putat fore, si perdiderit gnatum?* D.

18 *Homine imperito nunquam quicquam injustius*] Miro stomacho apud ipsum de ipso tanquam apud alterum loquitur. D.

Homine imperito] Defensionem parans, ab ea incepit parte, quæ objurgationem tenet: quia imperitus semper satis injustus est. Parat autem defensionem adolescentiæ, sciens meretricem raptam. *Non est flagitium*, &c. Non laus est, ibi esse integrum, ubi non possibilitas corrumpendi. E.

Homine imperito] Menander: Οὗτος ἐστ' ἀνὴρ οὐδὲν πολυπράγμων. *Quicquam injustius*] Ms. R. *quicquam injustius est*. L.

Codd. omnes *injustius est*: scribe igitur *injustiu'st*. B.

19 *Nisi quod ipse fecit*] Ἀνθάδικον. Hoc enim proprium rusticorum est, atque imperitorum. *Nihil rectum putat*] Proprie *putat*. Nam hoc verbum imperitorum est. Ordo est, qui nihil rectum putat, nisi quod ipse fecit. D.

20 *Quorsum istuc?*] Deest *pertinet*, aut *dicis*. *Quia tu, Demea*] Id est, homo imperitus. *Hæc male judicas*] Pari virtute hæc leniter dicta sunt, quæ superiora vehementer. D.

21 *Non est flagitium*] Non peccatum negat esse: sed flagitium non esse contendit, et ideo subindignanter pronunciandum est: ut si dicat, *scortari* quidem adolescentulum, delictum est, sed non est flagitium. et veniæ locus non tam in facto, quam in persona est constitutus. *Non est flagitium, mihi crede, adolescentulum scortari*] Mire respondit, et oratorie ad hæc quæ invidiose dicta sunt. Nam quod ait ille, *eripuit mulierem quam amabat*: hic *scortum* dicit. quod *irruit in ædes alienas*: quasi ex vino furens. *potare*: quod cum aliis grave propositum est, hoc solum dicendo, leve reddit, id est, *fores effringere*. *Mihi crede*] Quasi imperito dicit, *mihi crede*, non enim, *me intellige*. Quod imitatus Cicero sic (*ubi* corrigit recte Hadr. Junius in Append. Animadv. Locus Ciceronis est Divin. in Q. Cæcil. 12.) Cælium exagitat; *magna sunt, mihi crede: noli hæc contemnere*. Hic enim et auctoritas dicentis, et contemtus ostenditur audientis. D.

Non est?] Interpellat hoc loco commotus Demea, idemque verbum mox, v. 32, repetit, ut solent irati. Bo.

Non est] Efficax et elegans negationis repetitio. Cic. pro Sylla c. 27. *non cadit, non inquam cadit*, &c. Terent. in Phorm. II. *S.* 72. *v.* Gronov. ad *Liv.* XXX. 14. R. D.

23 *Hæc si neque ego, neque tu, fecimus*] Quia dixit, *qui nisi quod ipse fecit, nihil rectum putat*. D.

24 *Non sivit egestas*] Non voluntas prohibuit, sed necessitas: et ideo nulla laus. D.

Non sivit egestas] Diomed. lib. 1. L. Versus probat lectionem Bembini unicam, *non siit egestas*. B.

Digitized by Google

Id laudi ducis, quod tum fecisti inopia.
Injurium'st. nam si esset unde id fieret,
Faceremus: et tu illum tuum, si esses homo,
Sineres nunc facere, dum per ætatem licet:
Potius quam, ubi te exspectatum ejecisset foras,
Alienore ætate post faceret tamen.
D. Pro Juppiter! tu homo adigis me ad insaniam.

25 *Quod tu fecisti inopia?*] Nota *fecisti*, in eo quod significat *non fecisti*. D.

Pro *ducis* unus ex regiis bene habet *duces*. Cæterum versus per interrogationem est efferendus. B.

26 *Injurium est*] Quia nihil quicquam injustius homine imperito. *Nam si esset unde id fieret*] Non est necesario consequens, sed probabiliter admittitur apud oratores. non enim omnes qui habent unde faciant, continuo etiam faciunt. *Unde id fieret*] *Fieret*, producta prima syllaba. Ennius, *memini me fieri pavum*. D.

Si esset] Pro *si fuisset*, imperf. subjunct. pro plusquamperf. Florus III. 3. p. 501. ubi v. Duker. Sic mox *faceremus* pro *feciscemus*. R. D.

27 *Et tu illum tuum, si esses homo*] Multum progressus est, accusans accusantem. D.

Lege, *et illum tú tuum*. Sic infra III. 4, 32. *Sineres vero illum tu tuum facere hæc?* B.

Si esses homo] I. e. si humanum sensum haberes, si prudens esses. infra IV. 2. 40. v. quæ diximus ad Rutil. Lup. II. 114. R. D.

28 Pro *licet* duo Jani Gulielmi, quos antiquissimos habet, legunt *decet*. In illo Tibulli I. 1, 85. *Jam subrepet iners ætas, nec amare decebit*, aliquot etiam libri habent *licebit*. Vide ipsum ad Plaut. Militem cap. VI. et nos ad Horat. II. Epist. II. 216. B.

29 *Exspectatum*] Odiosum et malæ vitæ (*molestæ vitæ* Ms. Hulst. et Lindenbr. Unde forte legendum, *odiosæ et molestæ vitæ*). Nam filiis parentes aut amabiles sunt, aut exspectati. amabiles, boni: *exspectati*, mali: quorum mors in dies singulos exspectanda et optanda sit. Nam *exspectamus* ante diem, *speramus* ad diem. unde avidior intelligitur, qui exspectat, quam ille qui sperat. *Quam, ubi te exspectatum*] Ea rem produxit, ut ipse magis videatur consulere disciplinæ, quam Demea. *Ejecisset foras*] Non dixit *amisisset*: sed, ut quiddam abjiciendum, *ejecisset*. D.

Ubi te expectatum ejecisset] I. e. cum te hominem odiosum, cujus mortem diu exoptavit, raptim et festinanter sepelivisset. *Exspectare mortem alicujus* exquisite dicitur pro mortem cupide optare, desiderare. infra V. 4. 5. Eam verbi vim copiose explicuimus ad Rutil. Lup. I. 20. R. D.

30 *Alieniore ætate, post faceret tamen*] Ἀναπόλουθον. deest enim *Quamvis*. Et *faceret* ultimum, magnam vim habet. nihil enim prodesset, insuper obesset, retinere (*retineri* Mss. et edd. vett.) ab istis filium juvenem. *Alieniore* pro *aliena* dicens, comparativum gradum pro positivo posuit. D.

Alieniori ætate] Hoc est, post adolescentiam. R.

Post faceret] Charis. l. 2. L.

31 *Pro Juppiter!*] Tragica exclamatio est. Et bene, tanquam ipse se reprehenderet Demea, adjecit, *Tu homo adigis me ad insaniam*] Et *tu homo* dicens, negat illi familiaritatem. D.

Adigis me] Ms. R. *rediges me*. L.

Etsi Faerni libri Vatic. Basilic. et Donatus, et nostri fere omnes habent *rediges* aut *redigis*: nos tamen cum Faerno probamus lectionem *adigis*, quæ est in Bemb. Victor. Decurtato, et in uno ex nostris veterrimis in margine. Eandem quoque laudat Charisius p. 214. R.

Digitized by Google

Non est flagitium facere hæc adolescentulum? M. Ah,
Ausculta: ne me obtundas de hac re sæpius.
Tuum filium dedisti adoptandum mihi:
Is meus est factus: si quid peccat, Demea,
Mihi peccat: ego illi maxumam partem feram.
Obsonat, potat, olet unguenta? de meo:
Amat? dabitur a me argentum, dum erit commodum:
Ubi non erit, fortasse excludetur foras:
Fores effregit? restituentur: discidit

32 *Non est flagitium facere hæc*] Moraliter indignatio expressa est, iisdem verbis, quæ frater dixerat, repetitis. D.

33 *Ne me obtundas*] Ne me sæpe et moleste interpelles. Nam *obtundere*, est aliquid sæpe odiose repetere. D.

34 *Tuum filium dedisti adoptandum mihi*] Mira argumentatio per ἐπαγωγήν, quæ *inductio* ab oratoribus dicitur, quum per interrogationem pervenimus ad id, quod volumus concludendum. D.

35 *Is meus est factus*] Sic progeditur, quasi confessionis genus sit, adversarium tacuisse. *Si quid peccat, Demea*] τῷ ἐρωτηματῷ interposuit *Demea*: et repetitum est, *peccat*. D.

36 *Ego illi maxumam partem feram*] Errant, qui putant *illi* esse pronomen, quum sit adverbium loci: ut, Æn. II. 548, *illi mea tristia fata, degeneremque Neoptolemum narrare memento. Illi* ergo ibi, ubi ille peccat. Quare quidam etiam *li* syllabam discretionis causa, ut locum significet, corripiunt. Et *maxumam partem*, optime dicit. Non enim *universam*, quia non solus pater Æschini est: sed *maxumam*, quia ejus magis est, cujus filius cœpit esse per adoptionem. *Feram*] sustinebo, tolerabo. D.

Mihi peccat] I. e. omnis infamia et damnum ad me redit. Petron. c. 45. *sibi quisque peccat*. R. D.

Ego illi maximam partem feram.] H. e. si quid illic est damnum, ego maxime feram. *illi* antiqua dicitur pro illic vel ea in re. v. Victor. ad Cic. ad Attic. IX. 14. R. D.

37 *Olet unguenta*] A summo ad imum proposita solvuntur. Et mira varietas est, *olet unguenta*; ne diceret, obsonat, potat, unguitur: ne scilicet hæc exercitationis palestricæ, non luxuriæ dicerentur. D.

Potat? olet unguenta?] Priscian. lib. VIII. L.

Varro de L. L. VI. *Apud Terentium: scortatur, potat, olet unguentum? de meo. Scortari est sæpius meretriculam ducere, quæ dicta a pelle.* Hoc Varro, falsus memoriæ: quippe omnes hodie libri *obsonat*. B.

De meo] Scilicet patrimonio. Sic etiam dicitur de tuo, de suo, de alieno. Plin. IV. 13. *qui de alieno negligentes de suo diligentes erunt* v. Drakenb. ad Liv. IV. 60. R. D.

38 *Amat?*] Πρὸς τὸ, cur amat? *Dum erit commodum*] Dare scilicet. D.

Dum erit commodum] Asconius II. 13. in Verrem. L.

39 *Ubi non erit*] Argentum scilicet: sed *commodum dare*, subaudiendum est. *Fortasse excludetur foras*] Hoc ita protulit, quasi dicat, nihil sibi deperisse si gratis forte fuerit ad amicam admissus. Et totum hoc τῷ ἐξωθουμένῳ legendum est. Et mire *fortasse* dicit, ut pater indulgens, et credens adolescentem posse etiam amari ab amica. non enim affirmavit, ut diceret *excludetur foras*. D.

40 *Fores effregit? restituentur*] Pervenit ad præsens crimen: illa enim ante acta fuerant. D.

Digitized by Google

Vestem? resarcietur. Est, Dis gratia,
Et unde hæc fiant, et adhuc non molesta sunt.
Postremo aut desine, aut cedo quemvis arbitrum:
Te plura in hac re peccare ostendam. D. Hei mihi!
Pater esse disce ab aliis, qui vere sciunt.
M. Natura tu illi pater es, consiliis ego.
D. Tun' consulis quicquam? M. Ah, si pergis, abiero.
D. Siccine agis? M. An ego toties de eadem re audiam?
D. Curæ est mihi. M. Et mihi curæ est. verum, Demea,
Curemus æquam uterque partem: tu alterum,
Ego item alterum. nam ambos curare, propemodum

41 *Resarcietur*] *Res* abundat. D.

42 *Et unde hæc fiant*] Iterum subaudiendum, *est*. *Et adhuc non molesta sunt*] Quia non est flagitium, adolescentem scortari. D.

45 *Ab aliis qui fere sciunt*] Superbum fuisset, *a me dicere*. melius ergo *ab aliis* dictum est. D.

Qui vere sciunt] V. C. *qui vivere*. L. Lege *Pater esse disce ab illis, qui veri sient*. Nam *ab illis* reperitur et in Faerni libb. antiquis, et nostris omnibus. Tum Palmerius, probante Guyeto, *Sient*. Recte; modo legas quoque *veri*. Sic Ovid. Met. IX. 24. *Juppiter aut falsus pater est, aut crimine verus*. B.

Pater esse disce] H. e. disce quod patris officium ab iis qui vere intelligunt officium patris. Bentleius corrigit: *pater esse disce ab iis qui vere sient*. R. D.

46 *Natura illi pater es, consiliis ego*] Urbane Micio *consiliis* subjunxit. plus enim valet ad laudem *consilium*, quam *natura*. Et simul ostendit poeta verbis Micionis, qui non natura, sed affectu sit pater, nullum patrem esse sapientem: cum vero posse sine perturbatione perfrui iis quos amat, quem patrem esse consilium fecerit, non natura, hoc est, qui filium adoptaverit. Et mire, quum *natura* singulariter dixerit, pluraliter intulit, *consiliis ego*. D.

Tu natura pater] Ut Sallust. Cat. 6. *Curæ similitudine patres appellabantur*.

Postremo concludit, quod jam repetat filium, quem dedisset. Hac re territus senex, cum iracundia tamen conqueritur, quod alienus non sit filio, ac propterea cogatur de eo cogitare.

47 *Tun' consulis quicquam?*] Apertior contumelia: et ideo sequitur denunciatio discedendi. *Tun' consulis quicquam?*] Quia dixit, *consiliis ego pater sum*: a conjugatis argumentatus respondit, *Tun' consulis quicquam?* quia a consulendo *consilia* dicuntur, et *consultores*. *Si pergis, abiero*] Ut, Æn. II. 719.— *donec me flumine viva Abluero. Si pergis, abiero*] Ἀχχαϊσμὸς, pro *abibo*: et hoc gestu abeuntis, vel abituri pronunciatur. D.

48 *Sicine agis?*] Recte, quia jam abibat: quasi revocantis correptio (forte, *correctio* Z.) est. *An ego totiens*] Hoc conversum intelligas dicere. *Audiam?*] Deest *te*: sed exprimere durum fuit. Et hoc est obtundere. D.

49 *Curæ est mihi*] Æschinus scilicet. D.

50 *Curemus æquam uterque partem*] Proprie *uterque* et *æquam*, quasi particeps fratris. D.

51 *Propemodum*] Nisi addidisset *propemodum*, falsa videretur esse sententia. D.

Ne male accentus in fine sit, et Trochæus male in sede penultima, lege *Nam cúrare ambos, própemodum*. B.

Digitized by Google

Reposcere illum est, quem dedisti. D. Ah, Micio.
M. Mihi sic videtur. D. Quid istic? tibi si istuc placet,
Profundat, perdat, pereat; nihil ad me attinet.
Jam si verbum unum posthac, M. Rursum, Demea,
Irascere? D. An non credis? repeton quem dedi?
Ægre'st: alienus non sum. si obsto; hem, desino,
Unum vis curem, curo: et est Dis gratia,
Quum ita ut volo est; iste tuus ipse sentiet.
Posterius. nolo in illum gravius dicere.
M. Nec nihil, neque omnia hæc sunt, quæ dicit; tamen

52 *Ah! Micio*] Religiose commotus est: ac veluti incusatio est perfidiæ. et ideo exclamat dolens, et transit in iracundiam, concessionemque, quæ ἐπιτροπὴ dicitur. D.

53 *Mihi sic videtur*] Rationabiliter non *est sic* dixit: sed, *sic videtur:* non vult enim verum esse. *Quid istuc?*] Deest *loquor* aut *resisto:* nam proprie significatio est de sententia sua decedentis. D.

Codd. *meliores si istuc tibi placet.* Recte, vel propter accentum. B.

54 *Profundat, perdat*] Ἐπιτροπὴ figura. Virg. Æn. IV. 381. *I, sequere Italiam ventis, pete regna per undas. Profundat, perdat, pereat*] Hæc sic pronuncianda sunt, ut ostendatur gestu, nolle quod loquitur. D.

Profundat, perdat] Serv. Æneid. IV. 381. L.

Profundat] I. e. inaniter et frustra consumat. Ut hic *profundere* et *perdere*, sic sæpe *profusus* et *perditus* junguntur. Cic. pro Quint. c. 12. v. Not. ad Heaut. III. 1. 56. R. D.

55 *Si verbum unum posthac*] Ἀποσιώπησις. Deest *Tibi fecero*, aut tale hujusmodi. D.

Verbum unum] Ms. R. *ullum.* L.

Codd. nostri *Verbum ullum.* Recte Cf. And. 1, 5, 21. Eun. 1, 2, 8. B.

56 *Rursum*] Quasi curans irasceris? (Ms. B. et edd. vett. *quasi rursum curans irasceris?* Malim, *Quasi mirans,* RURSUM IRASCERIS?) *An non credis?*] Irasci scilicet. *Repetone quem dedi?*] Rusticani stomachi est repetere semper verba, quæ invitus alius audierit. *Repetone quem dedi?*] Minus erat, si *Æschinum* diceret: sed plus est, *quem dedi.* D.

57 *Ægre est*] Quasi dictum sit, quid ergo loqueris? quia ægre est. Cur ægre est? quia alienus non sum. *Alienus non sum*] Mire *alienus non sum:* quasi timeat jam dicere, *pater sum. Alienus non sum*] Satis cum stomacho, quasi dicat. Si patrem me esse jam non licet, alienus non sum. D.

59 *Iste tuus*] Memoriter *iste tuus,* ad illud quod dixerat, *Meus est factus. Iste tuus ipse sentiet posterius*] Quantus sis, quantumque eum ames: hoc est, ut decipiatur per indulgentiam tuam (Leg. *Hoc est, Quantumvis et quantumcunque eum ames, decipietur p. i. t.*), *Ipse sentiet*] *Sentire,* multi pro malo posuere. ut ipsi alibi, *sit rogas? sensi: nam unam ei cœnam atque ejus comitibus dedi.* D.

Iste tuus] Prisc. l. 17. L.

60 *Posterius*] Etenim Demea satis hoc grave existimat dictum in eum, qui non provideat in futurum: et arctius (*gravius*) quia pater est. *Nolo in illum gravius*] Scilicet quam hoc. D.

Posterius. nolo] Char. l. 2. L.

In Fragmentis Menandri fertur: Οὐδέποτ' ἀληθὲς οὐδὲν οὔθ' υἱῷ πατὴρ Ἔιωθεν ἀπειλεῖν, οὔτ' ἐρῶν ἐρωμένῃ. W.

61 *Nec nihil*] Apparet Terentium favere lenissimis patribus: unde subjecit etiam rationem facti Micioni,

Digitized by Google

Non nihil molesta hæc sunt mihi: sed ostendere
Me ægre pati illi, nolui. nam ita'st homo:
Quum placo, advorsor sedulo et deterreo:
Tamen vix humane patitur: verum si augeam, 65
Aut etiam adjutor sim ejus iracundiæ,
Insaniam profecto cum illo. etsi Æschinus
Nonnullam in hac re nobis facit injuriam.
Quam hic non amavit meretricem? aut cui non dedit

Nihil, et nonnihil] Nota figura est, conveniens placidissimo seni, qui in reprehendendo adolescente moderatus est. *Neque omnia hæc sunt quæ dicit*] Bene a Micione hoc dicitur: quia indulgentioris est plura scire: et supra dixit, *ea ne me celet, consuefeci filium.* Et hic sensus est: nec contemnenda sunt quæ dicit, nec omnia dicit tamen. Hoc est, non sola sunt quæ dicit, sed multa alia. Et ordo est, neque tamen hæc quæ dicit, sunt omnia. D.

Nec nihil] Ἀβέτως, pro aliquid. E.

Recte Daceria ab hoc versu novam scenam constituit. Nam postquam Demea excessit: solus Micio secum loquitur, et, ne spectatores nimia indulgentia offendantur, ipse reprehendit mores filii, et simul aditum patefacit ad reliquorum intelligentiam. Z.

Nec nihil neque omnia hæc sunt] I. e. non omnino falsum est, nec tamen omnia ita sunt. R. D.

62 *Nonnihil molesta*] Placidissime *Nec nihil* dixit: et *nonnihil* maluit repetere, quam vehementer iracundiam demonstrare. est enim altera διπλότης. *Nonnihil molesta hæc sunt mihi*] Optime poeta Micionem fecit commotum: ne (*nam* Z.) si omnino immobilis esset, non indulgere adoptivo filio, sed omnino eum non curare videretur. Ergo sic in eum servat placidum animum, ut tamen retineat patris affectum. *Sed ostendere me ægre*] Constat ergo, *ægre pati*. Nam aliter non erat parens. D.

Sed ostendere, me agere] Sed simulate ago: quia si fratris iracundiam juvarem, protinus insaniret. E.

63 *Illi*] Demeæ scilicet. Aut *Illic*, id est, ibi, ubi Demea litigabat. *Nam ita est homo*] *Homo* dixit moraliter: sic enim de iis dicimus, quos parce reprehendimus. ut alibi, *Ut homo est, ita morem geras.* D.

64 *Quum placo*] Id est, quum volo placare. D.

Quum placo, advorsor] Diomed. lib. 1. L.

65 *Verum si augeam*] Argumentum a contrario. *Nam placare*, contrarium est irritantibus augentibusque iracundiam. D.

Tamen in primo pede corripi non rarum putandum est. B.

Vix humane patitur.] I. e. vix moderato animo, ut hominem decet, fert. Cic. Tuscul. quæst. II. 27. R. D.

66 *Aut etiam adjutor sim ejus iracundiæ*] Σύλληψις. Nam a genitivo casu accusativus assumtus est. D.

67 *Etsi Æschinus nonnullam in hac re*] Rursus διπλότης, ut sit mitis reprehensio: et hoc ipso gravis. Nam *etsi*, et *nonnullam nobis*, temperamento sunt posita. D.

Etsi Æschinus nonnullam] Jam redit ad æstimationem, ab vere Æschinus peccaverit. E.

69 *Quam hic non amavit meretricem? aut cui non dedit aliquid?*] Ἔθος ὑπερβολῆς, *quam non*, et *cui non*. Ea tamen hæc sunt, ut non gravi sono accusationis proferantur, sed solam reprehensionem contineant. *Aliquid* vero, admirantis est. Quod addidit *meretricem*, ostendit Micionem hoc solum adhuc scire: nihil autem de vitiata virgine. *Quam hic non amavit meretricem?* Et hoc cum venia et defensione. Nam colere meretricem, non

Digitized by Google

Aliquid? postremo nuper, (credo jam omnium. 70
Tædebat) dixit velle uxorem ducere.
Sperabam jam defervisse adolescentiam.
Gaudebam: ecce autem de integro. nisi quicquid est,
Volo scire: atque hominem convenire, si apud forum
est. 74

est flagitium. et simul etiam vitiatæ virginis adhuc ignarus ostenditur Micio. *Aut cui non dedit aliquid?*] *Aliquid* dicendo, prætermisit vel meretricem vel numerum (Leg. CUI *et* ALIQUID *dicendo prætermisit*, meretrici *et* munerum). D.

70 *Credo, jam omnium tædebat*] Παρένθεσις πρώτη. Etenim addimus ad ea quæ apud nos parum certa sunt, aut *credo*, aut *puto*. D.

71 *Dixit velle uxorem ducere*] Mirum est apud Terentium, quum etiam per nescias personas indicet argumenta. Nam quum Micio nesciat amari ab Æschino civem virginem: tamen dicit, *Credo, jam omnium tædebat*, et, *Dixit se velle uxorem ducere*. Sic ex parte magna ostendit nescius argumentum: ideo quia (*ideoque* liber uterque) verisimile est, amantissimum Æschini Micionem omnes scire affectus adolescentis et consuetudines. Et apparet præterea, conatum ex parte fateri vitiatum amore (*vitiatam ex amore* Z.) Æschinum, et, (*sed* Z.) pudore impeditum, tantum hoc dixisse, quod honeste potuit, velle se uxorem ducere: quam autem vellet, tacuisse confusum. D.

72 *Sperabam jam defervisse adolescentiam*] Recte *Sperabam*, pro *Gaudebam*: sic enim dicimus, quum errasse nos cernimus. Et mire: non dixit, *Sperabam illum tam corruptum*: sed mitis senex totum ætati attribuit, nihil filio. *Defervisse adolescentiam*] Servat propositum circa ætatis veniam. *Defervisse*] Quasi deorsum a fervore tenuisse. Legitur et *desævisse*. D.

Defervisse adolescentiam] *Fervere, fervor, fervidus* proprie dicuntur de adolescentia, quæ animi motibus maxime agitatur. Horat. Carm. I. 16. 23. Cupiditates autem adolescentiæ cum comminuuntur et exstinguuntur, defervescere dicuntur Cic. pro Cœl. c. 18. v. Duker. ad Flor. I. 26. 222. R. D.

73 *Ecce autem de integro. nisi quicquid est*] Ἀποσιώπησις prima: quia non vult credere. *Nisi quicquid est*] Deest, *quia*: ut sit, *nisi quia*. Et est sensus, nisi quia non temere credo, et volo scire quicquid est. D.

Nisi, quicquid est] Sic Eun. III. 4. 10. Existimat Erasmus in annotat. ad 1 Corinth. VII. 5. Terentium expressisse Græcanici sermonis figuram, εἰ μή; qua loquendi forma solent uti, quoties omissis, quæ incerta sunt, ad id quod certum est, redimus; q. d. *Utcunque est*, aut, *in summa*. W.

Nisi] *Sed*, vid. ad Hec. II. 3. 7. Bo.

Digitized by Google

ACT II. SCENA I.

SANNIO. ÆSCHINUS. PARMENO.

OBSECRO! populares, ferte misero atque innocenti auxilium:
Subvenite inopi. Æ. Otiose, nunc jam ilico hic consiste.
Quid respectas? nihil pericli'st: nunquam, dum ego adero. hic te tanget.
S. Ego istam invitis omnibus.
Æ. Quamquam est scelestus, non committet hodie unquam, iterum ut vapulet. 5

1 *Obsecro! populares*] *Popularitas* in omnis rei consortium sumitur. nunc autem *populares* cives dicit. et hoc est, quod veteres *quiritari* dicebant, quirites conclamare (Lucil. apud Non. v. quiritare: *Hic, inquam, rudet e rostris, atque ejulitabit, concursans uti arenarius, clareque quiritans*). *Obsecro populares, ferte misero atque innocenti auxilium*] Hic exemplum est contumeliosi per potentiam divitis, et in perniciem suam pauperis contumacis. *Misero atque innocenti auxilium: subvenite inopi*] Tria sunt, *miser, innocens, inops*. D.

Obsecro! populares] Hæc scena vim certaminis continet, sine ulla specie controversiæ: tantum in dictis quædam qualitas habetur. *Populares*] Hoc nomen significat de populo socios ejusdem conditionis. R.

Eis Æschinum cum lenone esse rixatum tenendum est; primum cum ex domo lenonis fidicinam abduceret; cujus rei rumorem supra ad Micionem detulit Demea. Interim Æschinus fidicinam, insequente cum lenone, domum Micionis deduxit. Quod cum leno impedire, quo minus fieret, conaretur; secunda orta est rixa, de qua hic agitur. FERRN.

2 *Subvenite inopi*] Vide quam posteriora vehementiora sunt, ad incendendum populum: primo *miserum*: post *innocentem*: ad ultimum *inopem* posuit. et primo, *ferte auxilium*: post, *subvenite*. Et totum hoc principium a benevolentia sumitur: quæ comparatur ex invidia potentiæ Æschini. Nam contraria in Æschino esse, vult intelligi. *Otiose, nunc jam*] *Otiose*, secure significat. Nam nisi qui securus est, otiosus non est. *Otiose, nunc jam ilico hic consiste*] Simul imperavit modum, tempus, locum, factum. Modum, *otiose*: tempus, *nunc*: locum, *hic*: factum, *consiste*. Nam *iam* et *illico*, alterum tempori adjungitur, alterum loco. At *consistere* est audacter et constanter stare: ut, Æn. V. 426, *Constitit in digitos extemplo arrectus uterque. Illico*] Modo locum, non tempus significat. D.

Hic consiste] Hoc intelligendum, dixi ad mulierem quæ sublata est. Dein adjecit: *Quid respectas? Nihil pericli est*. R.

3 *Nunquam*] Pro *non* Virgilius, Æn. II. 670, *Nunquam omnes hodie moriemur inulti*. D.

Quid respectas] *Respectare* proprie dicuntur, qui crebro respiciunt præ metu, ne a superveniente opprimantur. Plaut. in Men. I. 2. 51. v. Schwarz. ad Plin. Panegyr. c. 23. R. D.

4 *Istam invitis omnibus*] Deest *abducam*. *Ego istam invitis omnibus*] Bona ἰλλειψις, nemo enim plene loquitur, qui luctatur. D.

5 *Quamquam est scelestus, non com-*

Digitized by Google

S. Æschine, audi, ne te ignarum fuisse dicas meorum morum,
Leno ego sum. Æ. Scio. S. At ita, ut usquam fuit fide quisquam optuma.
Tu quod te posterius purges, hanc injuriam mihi nolle
Factam esse, hujus non faciam. crede hoc, ego meum jus persequar.

mittet] Ἀναβλαύει primum: nam quum præposuisset *quamquam*, non subjecit *Tamen*. *Committet*] Perficiet: sed hoc proprie de illicitis et puniendis facinoribus dicimus. Et simul hic ostendit comicus adolescens cedere se lenoni, invitum se noxam intulisse: et id quod fecerit; fecisse lenonis culpa, non sua. *Iterum ut vapulet*] Minaciter (*mire utique* Z.) poeta priorem litem sustulit, dicendo *iterum*: ut non eadem lis esset, de qua supra Demea questus est: sed instaurata nascatur (*nasceretur* Z.) D.

Iterum ut vapulet] Supra enim cum meretrix raperetur, lene vapulavit. E.

Non committet] Verbo committere sæpe Cic. utitur in rebus, quæ vel reprehensione vel pœna aliqua dignæ sunt. Cic. de Offic. III. 2. ad Att. 1. 6. R. D.

6 *Ne te ignarum fuisse*] Prodest enim absolutioni reorum imprudentia, aut casus, aut necessitas. E.

7 *Leno ego sum*] *Leno*, terribiliter pronunciandum est: quasi dicat, *cui supplex eris*. Sed ex argumento est, quod contemnit Æschinus minas lenonis: utpote qui jam uxorem decreverat ducere. *Scio*] Hic (*hoc sic*) respondit, quasi in lenone imminutio capitis tantum consisteret (forte, *Hic sic respondit, quasi lenonis comminatio in nictu capitis tantum consisteret*. Z.) *Fide quisquam optuma*] *Fides* in concipiendis comminationibus: nam (*nam* recte emittitur ab edd. vett. ut antecedens et consequens unam efficiat sententiam Z.) *denunciatio* communiantis est. D.

Leno, inquit, *ego sum*] Cum audisset Æschinus, illud potius intellexit, quod lene facilis esset, qui plagis ac verberibus subjiceretur, magisque ad contemtum hoc nomen audivit: ideo adjecit leno, sed talis qualis *fuit fide quisquam optuma*. E.

Fide quisquam optuma.] Præstandi scilicet, quod vel pollicitus, vel minatus fuero. *Minell.* Fide tamen hic cepisse videtur Vesterhovius, de existimatione publica fidei et probitatis. M.

8 *Tu quod te posterius*] Tu posterius fortasse sic te purgare incipies, quod mihi nolles fecisse injuriam. E.

Posterius purges] Charis. lib. 2. L Sic libri omnes et Charisius p. 191. Frustra igitur est, qui interpolatum velit, *tum quod te*. B.

9 *Hujus non faciam*] Figure ergo, *Quod te purges* (Distingue sic *figurate*. *Ergo quod te purges*. cf. mox ad versum 36.), id est, purgationem tuam. *Hujus* autem, *injuriæ* est. Aut enim stipulam, aut flocoum moverat, aut summum digitum. *Hujus non faciam*] Cicero, Ver. II. 50., *Ne tantulum quidem commotus est. Ego meum jus persequar*] Hoc est, lenonium. *Meum jus*] Meam libertatem. *Meum jus*] Meam vindictam. Nam ut illa *injuria* est, quæ fit innoxio: ita *jus* vindicta illa, quæ redditur reo. *Persequar*] Ulciscar. Cicero, *Tu dum tuas injurias per te, id quod non potes, persequi conaris*. D.

Hujus non faciam] Hoc est, ne hujus parvuli te faciam, ac propterea contemnam ac despiciam. E.

Hujus non faciam.] Intelligendum est eum vel stipulam vel floccum vel summum digitum ostendisse. v. Casaubon. ad Athen. XII. 7. et Bentl. ad H. 2. 15. R. D.

Digitized by Google

Neque tu verbis solves unquam, quod mihi re malefeceris.
Novi ego vestra hæc; Nollem factum: jusjurandum dabitur, te esse
Indignum injuria hac; indignis quum egemet sim acceptus modis.
Æ. Abi præstrenue, ac fores aperi. S. Cæterum hoc nihil facis.
Æ. I intro jam nunc. S. At enim non sinam. Æ. Accede illuc, Parmeno:
Nimium istoc abisti: hic propter hunc adsiste. hem, sic volo.
Cave nunc jam oculos a meis oculis quoquam demóveas tuos:

10 *Neque tu verbis solves unquam, quod mihi re malefeceris*] Νομικῶς. Et *solves*, lues, persolves, id est, satisfacies, ac te purgabis. *Re malefeceris*] Acuendum est *re*, et significanter proferendum. Ibi enim est sententia. Et plus dixit, *re malefeceris*, quam *injuriam feceris*. D.

11 *Novi ego vestra hæc*] Ἔλλειψις: deest enim *Verba*. *Jusjurandum dabitur*] Hoc est, jurabimus te esse indignum cui injuria fiat hujusmodi. Aut separatim *jusjurandum dabitur*: et separatim, *te esse indignum injuria hac*. Et sic melius. Verba enim satisfaciunt, quum res colligitur in generalibus causis. Nam sæpe iræ ac lites jurejurando sunt terminatæ. Ebr. VI. 16. D.

Jusjurandum dabitur] Quemadmodum sponsio ante judicium fieri solet, ita hic dixit, jusjurandum dabitur, quod indignus fueris, qui hanc injuriam mihi faceres. E.

Nollem factum] Solennis satisfaciendi formula Liv. XXIX. 19. v. Torrent. ad Sueton. Cæs. R. D.

12 *Indignum injuria hac*] Comice *indignum* et *indignis*. D.

13 *Abi præstrenue*] Aut *abi præ*, id est, prior: aut *abi præ*, id est, præi: ut, *I præ, sequar*. Aut *præstrenue*: ut, Æn. XI. 213. *Prædivitis urbe Latini*. *Abi præstrenue*] Magna contemtio minarum lenonis, non respondisse Æschinum ad ea quæ dixerat. *Cæterum hoc nihil facis*] *Nihil* pro *non*. Legitur et *nihili*. D.

Præstrenue] Valde, obsequenter. E.

Lege ex nostris aliquot, *abi præ strenue*: ut *I præ, sæpe*. Et sic apud Nonium est v. Apertum. Deinde lege *forem*, de qua voce supra egimus. B.

Abi præ strenue] Distinctim legendum *abi præ strenue*, ut in Andr. *i præ sequar*. R. D.

14 *At enim non sinam*] *Enim*, inceptiva particula apud veteres fuit: sed et convenit perturbationi. D.

Bentlejus edidit *I intro nunc tam*. Z.

15 *Nimium istoc abisti*] Quasi ex contumacia lenonis appareat, quod multum abierit. *Propter hunc*] Juxta hunc. ut Virg., Georg. III. 13., — *templum de marmore ponam propter aquam*. *Hem! sic volo*] Mire comicus ex alterius verbis, quid faciat alter, ostendit. D.

16 Vulgo *dimoveas*, sed *demoveas* recte libri meliores nostri et Faerni. B.

Oculos a meis oculis quoquam demoveas] Plau. Aul. IV. 1. 13.

Herile imperium ediscat, ut, quod frons velit, oculi sciant.

Digitized by Google

Ne mora sit, si innuerim, quin pugnus continuo in mala hæreat.

S. Istuc volo ergo ipsum experiri. Æ. Hem, serva. P. Omitte mulierem.

S. O facinus indignum! Æ. Geminabit nisi caves. S. Hei misero mihi!

Æ. Non innueram: verum in istam partem potius peccato tamen.

I nunc jam. S. Quid hoc rei est! regnumne, Æschine, hic tu possides?

Pseud. III. 2. 69.
Tum ut hujus oculos in oculis habeas tuis: Quoque hic spectabit, eo tu spectato simul.
Cicero Philipp. I. 1. *Nec a republica dejiciebam oculos.* W.

Oculos demoveas] Oculos *demovere* dicendum est, non *dimovere*. Nam *demovere* est abjicere, amovere, *dimovere* est ita movere ut in diversas partes abeat. R. D.

17 *Quin pugnus continuo*] *Pugnus* a pugna dictus: aut ab illo *pugna. Pugnus continuo*] Id est, vestigium litigantis (*E vestigio in lenonis gena sit pugnus*). D.

Octonarius Jambicus probat lectionem antiquam *innuerim* pro *innuero*, quod est recentiorum codd. B.

18 *Istuc volo ergo ipsum experiri*] Expresse ostendit pauperioris loquacem contumaciam usque ad pericula cædis. *Istuc volo ergo ipsum experiri*] Hoc illo dicente, servus lenonem verberat. *Hem! serva*] Nescias cui dicat hæc Æschinus, an lenoni, an servo: sed servo magis est verisimile. D.

Verba *omitte mulierem* in vulgatis Parmenoni tribuuntur, sed in Gu. 1. Æschine, recte quidem: servi munus verberare est, non loqui. Bo.

Serva.] I. e. habe tibi hunc colaphum. R. D.

19 *Geminabit nisi caves*] Hoc comminantis est, non jubentis ferire. sed quia longe stat Parmeno, *gemina* putavit dictum. Et *geminabit*, subaudiendum est *plagam*. *Geminabit, nisi caves*] Non singularem pugnum, et unum debit, sed *geminabit*: quasi dicat, geminato duplicatoque numero inferet. *Hei misero, mihi!*] Leno pulsatur. D.

O facinus indignum] In Ms. R. *indignum* deest. *Misero mihi*] Ms. R. *ei miserum!* L.

Ne versus sit justo longior, repone, *O facinus miserandum! Geminabit, nisi caves. Hei miseriam!* Certe nostri habent *O miserum facinus*, et *hei miseriam*. B.

Hei misero mihi!] Parmeno ad vocem, *geminabit*, neque exspectans verba, *nisi caves*, rursus ferit. W.

20 *Non innueram*] Convenienter poeta avidiorem Parmenonem malefaciendi inducit, quam supra dominum invitum ostenderet cogi ad inferendam injuriam. *In istam partem potius peccato*] Ut verberes non jussus potius, quam jussus non verberes. D.

Verum in istam partem] Ut lenonem ederet servus, non innuerat adolescens, sed hac, inquit, parte potius peccato. Licet enim contra imperium mecum feceris, tamen id feceris quod vellem. E.

21 *Nunc jam.*] Duæ partes istæ sunt. Et bene *jam*, quia sero, et post plagas. Et utrum hoc lenoni, ut abeat; an puellæ, ut introeat, dicitur? sed facetius est, si lenoni intelligas dici: quasi hoc factum sit quod voluerit: et quasi venerit ut vapulet. Et *jam* etiam

Digitized by Google

Æ. Si possiderem, ornatus esses ex tuis virtutibus.
S. Quid tibi rei mecum'st? Æ. Nihil. S. Quid? nostin, qui sim? Æ. Non desidero.
S. Tetigine tui quicquam? Æ. Si attigisses, ferres infortunium.
S. Qui tibi magis licet meam habere, pro qua ego argentum dedi?
Responde. Æ. Ante ædis non fecisse erit melius hic convicium.

tarditatis incusatio est. ut Virgilius, Æn. XII. 179. *Jam melior, jam, diva, precor. Regnumne, Æschine*] Invidiosa moraliter exclamatio, et ardentior ad plagas. *Regnumne, Æschine, hic tu possides?*] Bene *hic*, id est, Athenis, ubi gravius crimen est dominari velle. Nam tyranni ibi semper oppressi sunt, et maxime proximi, (vulgo, *maxime a proximis.*) D.

I nunc jam] Ms. R. et V. C. *I nunc jam tu.* L.

Regnumne tu hic possides] I. e. an tu Athenis, ubi æqua libertas est, tyrannidem exerces? *Regnum* sæpe est tyrannis vel nimia in aliquo genere potentia Cic. pro Sulla c. 7. *Hic ait se regnum meum ferre non posse.* v. Lucian. in Timone p. 169. et ibi celeberr. Hemsterhus. R. D.

22 *Si possiderem*] Ἠθικὴ εἰρωνεία contemnentis in (dele *in*, ducibus Mss. et edd. vett.) invidiam. *Ornatus esses ex tuis virtutibus*] Cito ostendit quantum, *quam*, a se longe sit regnum, quæ dixerit (alii, *qui dixerat.* Forte, *quia dixerat*, Z.) ornari potuisse lenonem. *Ex tuis virtutibus*] Sic veteres per εἰρωνείαν *virtutes* pro flagitiis dicebant. Lucilius, *animo ac virtutibus.* D.

Ornatus esses, &c.] *Virtutes* hic per εἰρωνείαν pro vitiis collocavit. E.

Ornatus esses ex tuis virtutibus.] H. e. acceptus esses ut convenit virtutibus tuis i. e. pessime. In bonam partem hæc locutio est apud Plaut. in Captiv. V. 3. 20. *incedit hic ornatus haud ex suis virtutibus.* Cic. ad Div. V. 8. *quantum tuo judicio tribuendum nobis esse putes, statues ipse ex nostra dignitate* i. e. prout convenit nostræ dignitati. R. D.

23 *Quid tibi rei mecum est?*] Hoc, quia verberatus est, dicit. ut sit, *quid tibi debeo?* non quia nihil sibi debeatur. *Nihil*] Facete: quia ipse abstulit, et *nihil* vult a se repeti. *Quid? nostine qui sim?*] Proprie: sic enim dicit qui nihil quicquam debet, *non me novit:* non quod ignoretur, sed quod in jure non cernatur. D.

24 *Si attigisses*] Plus dixit *attigisses*, quam *tetigisses.* est enim multo minus *attingere*, quam *tangere.* D.

Infortunium] Malam fortunam. E.

25 *Qui tibi magis licet*] Hic non tam ratiocinatio est, quam exclamatio per dolorem. *Qui tibi magis*] Si mihi, inquit, non licet attingere tuam: cur tibi licet meam non tangere, sed habere? Et *habere*, utrum domi in consuetudine: an corrumpere, id est, stuprare intelligimis? *Meam habere, pro qua ego argentum dedi?*] *Meam* suffecerat: sed magna moralitate additum, *pro qua argentum dedi*, ad vociferationem. simul esse ostendit leno quod repetat. D.

Lege *qui tibi meam magis licet habere.* B.

26 *Ante ædes non fecisse erit melius hic convicium.*] Non erat quod ad hæc juste responderet. et ideo sic respondet, ut convicium dicat: quod verum est. D.

Ante ædis non fecisse] Placid. Lact. ad Stat. Thebaid. libr. 2. v. 417. L.

Erit melius] Venusta formula est et

Digitized by Google

Nam si molestus pergis esse, jam intro abripiere; atque ibi
Usque ad necem opperiere loris. S. Loris liber? Æ. Sic erit.
S. O hominem impurum! hicine libertatem ajunt æquam esse omnibus?
Æ. Si satis jam debacchatus es, leno, audi si vis nunc jam. 30
S. Egon' debacchatus sum autem, an tu in me? Æ. Mitte ista, atque ad rem redi.
S. Quam rem? quo redeam? Æ. Jamne me vis dicere, quod ad te attinet?
S. Cupio; æqui modo aliquid. Æ. Vah! leno iniqua me non volt loqui.

consilium dantis et simul minantis. Plaut. Men. V. 2. 51. Horat. serm. II. 1. 45. *melius non tangere clamo* Liv. III. 41. ubi v. Gronov. R. D.

Convicium.] Proprie est quasi *convocium*, cum multæ voces eduntur, clamor. Cic. ap. Aquil. Roman. junct. Rutilio Lupo p. 144. pro Archia. c. 6. *aures convicio*, &c. R. D.

28 *Loris? liber?*] *Lora* apud veteres *laura* dicebantur, a lauro triumphorum: sub (*sub* Nannius vult deleri) qua mos erat captivos vinciri, ducique per pompam. ideo autem, ut conditionis reminiscantur, loris cæduntur mancipia. Nam *mancipia* dicuntur, quod manu capta sunt: *Servi*, qui servati sunt, quum eos occidi oporteret jure belli. unde Virgilius, Æn. X. 524, sic induxit captivum rogantem, *per patrios manes, per spes surgentis Juli, te precor, hanc animam serves natoque patrique.* D.

Loris.] I. e. flagellis, quæ e loris fiebant. Hæc servilis pœna erat, unde *flagrio, flagitriba, verbero* est servus nequam, qui quotidie flagellatur. R. D.

29 *O hominem impurum*] Sic veteres *impurum* generaliter pro improbo ponebant: ut in eadem hac fabula, *persuasit ille impurus, sat scio. Hicine libertatem*]. Scilicet Athenis. *Æquam esse omnibus?*] Quasi diceret, ubi non est, quando Æschinus loquitur (*dominatur* Z.) Et bene *omnibus*: ut ne lenones quidem videantur excepti. D.

Libertatem æquam] Athenis, ubi communis omnium fuerat libertas. populi enim jussu respublica agebatur. R.

30 Reste quinque ex vett. nostris habent *debacchatus, leno, es*: ne *leno* in Thesi occultetur. B.

31 *Mitte ista; atque ad rem redi.*] Superbe adolescens maleficium non putat lenonis esse purgandum. *Ad rem* autem, ad negotium de quo agitur, dicit. D.

32 *Quam rem?*] Quam abduxisti. *Res* enim, pecunia intelligitur: vel id pro quo pecunia danda est. *Quo redeam?*] Ad, quam (*ad eam, ob quam*, Z.) evertisti domum: quia, *foras effugit, atque in ædes irruit alienas. Quod ad te attinet?*] Quod tibi prodest, et commodum est? D.

Meliores Faerni, et nostri omnes libri, *id quod ad te attinet.* B.

33 *Cupio*] Ille, *tis*, dixit: hic *cupio*. *Modo æqui aliquid*] Subaudiatur, *dicas*. *Vah! leno iniqua me non vult loqui*] Nomen sacrilegum, et injustum *leno*,

Digitized by Google

S. Leno sum, fateor, pernicies communis adolescentium,
Perjurus, pestis: tamen tibi a me nulla orta est injuria.
Æ. Nam hercle etiam hoc restat. S. Illuc quæso redi, quo cœpisti, Æschine.
Æ. Minis viginti tu illam emisti, quæ res tibi vortat male.
Argenti tantum tibi dabitur. S. Quid, si ego tibi illam nolo vendere?
Coges me? Æ. Minime. S. namque id metui. Æ. Neque vendundam censeo,
Quæ libera'st: nam ego liberali illam assero causa manu.

iniquitatem agitat, justitiæ patrocinatur. Hoc totum εἰρωνικῶς pronunciandum est. D.

Leno iniqua] Satis ostendit quam iniquus ipse sit, cum dixerit, *leno sum, fateor*. Sensus est: Sum quidem quod dicis, etiam quod *pernicies communis adolescentum*, etiam quod *perjurus*: *nulla tamen tibi a me facta est injuria*. E.

34 *Leno sum*] Figura συγχώρησις. D.

Noster videtur transtulisse versus Diphili: Ὅτι ἔστιν οὐδὲ τεχνίον ἐξολέστερον τοῦ πορνοβόσκου. W.

35 *Est orta injuria.*] *Orta*, cœpta. D.

Ne *orta* in Thesi delitescat, recte duo ex vett. libris, *nulla'st órta injuria*. B.

A me nulla orta est injuria.] I. e. non fui auctor injuriæ, infra III. 3. 89. R. D.

36 *Illuc, quæso, redi quo cœpisti, Æschine.*] Figurate. rectum enim erat, *unde cœpisti*. nisi forte *quo* pronomen est modo accipiendum: ut sit, a *quo*. Et bene memor est, dixisse Æschinum, *omitte ista, atque ad rem redi*. D.

37 *Quæ res tibi vortat male.*] Adjicit contumeliam, quasi et hoc multum sit et inimicum. *Vertumnus* dicitur deus, qui rebus ad ὀρθυνατα revertentibus (*ad inopinata se vertentibus*, Z.) præest. Sæpe autem male cedit, quod bonum putatur: et hoc est *male vertisse*, ut ille gladius qui muneri datus, adminiculum fuit reginæ pereunti. de quo Virg., Æn. IV. 646., — *ensemque reclusit Dardanium, non hoc quæsitum munus in usus*. D.

38 *Quid? si ego tibi illam nolo vendere?*] Hæc majoris sunt stomachi: et ideo stultiora. Nam quod jam amisit, venditurum se negat. Et, *quid? si nolo*, nove dictum est, et τῷ ἰδιωτισμῷ. *Quid? si ego tibi illam nolo vendere? coges me?*] Potest autem dici, *quid si nolo, coges me?* D.

Recte *tibi* post *tantum* abest in Faerni optimis, et nostris omnibus libb. Nam est versus octonarius. B.

39 *Minime.*] Εἰρωνεία. *Namque id metui*] Εἰρωνεία contumax et ridicula in eo quod jam amisit id, de quo dixit se cogi non posse. D.

40 *Nam ego illam liberali assero causa manu.*] Ordo est, *ego liberali causa manu assero*. Et sunt juris verba: a quibus etiam *assertores* dicuntur vindices alienæ libertatis. Nam et causa ipsa, *liberalis* dicitur, quæ actionem in se continet libertatis. D.

Nam ego am liberali causa] Liberali manu dicit, ut ejus ostendat libertatem. E.

Liberali illam assero] In V. C. Pithœorum *liberali am assero*. quomodo etiam in Eugraphio. *Am* igitur antique est *eam*, ut *im* eum, αὐτὸν. Glossar. Fest. et XII. Tabb. *Liberali manu asserere*, id est, liberali judicio natalibus restituere, καρπίζεσθαι. Et *assertor*, vindex, καρπιστής. Arrian. in Epictet. III. 26. μὴ ὅτι φιλοσοφεῖς [ἔστω φορτικὸν τὸ ὄνομα] ἀλλ' ὅτι καρπιστὴν διδὼς: τοῦτο γὰρ ἐστὶν ἡ ταῖς ἀληθείαις ἐλευθερία.

Digitized by Google

Nunc vide, utrum vis; argentum accipere, an causam meditari tuam. 41
Delibera hoc, dum ego redeo, leno. S. Pro supreme Juppiter!
Minime miror, qui insanire occipiunt ex injuria:
Domo me eripuit: verberavit: me invito abduxit meam.
Ob malefacta hæc tantidem emtam postulat sibi tradier.

quem locum neque recte assecutus est interpres. ut et Hervetus illum Clementis Alexandr. Stromat. lib. 5. τὰ διὰ δικαιοσύνην ἐκεῖνα ζυγὰ καὶ δοσάρια, παρεισμοί τε καὶ αἱ τῶν ὅπλων ἐπιφάνειαι, &c. Bene autem in Glossar. παρεισμὸς *vindicta, assertio,* inde παρεισιάλαι, *vindiciæ secundum libertatem.* L.

Liberali assero causa] I. e. ego illam in libertatem vindicabo. Qui liberum hominem e servitute vindicabat eum coram prætore manu prehensum sibi quasi asserebat i. e. admovebat et liberum esse dicebat. v. Donat. ad h. l. et Brisson. de formul. V. 365. Liberalem causam vocant Jurecensulti actionem de libertate v. Lindenbrog. ad h. l. *Assero* ponitur pro *asseram,* presens pro futuro ut sæpe. R. D.

42 *Pro supreme Juppiter!*] Hæc locutio ad hoc inducta est, ut verbis lenonis appareat quam facile mitis fieri possit, et quidvis libenter accipere. *Pro supreme Juppiter!*] *Supremum* nunc dicit summum. ab eo quod est *superius* (alii *super;* alii *superior.* Forte *superum*) et *superius* fit *supremum.* Virg., Æn. VII. 220, — *rex ipse Jovis de gente suprema, Trojus Æneas tua nos ad limina misit.* Et non abhorret a persona et plebeii, et lenonis, et vim passi, Jovem ipsum convicio persequi, ut quotidie videmus ab hominibus ejus loci et ordinis fieri. D.

Dum ego redeo] Concluſit id, quod convicio dolorem pareret. Cum mora igitur pronunciandum *leno.* R.

Cum Æschinus abierit; cum Daceria inde a verbis *pro supreme Juppiter!* nova scena est instituenda. Z.

43 *Minime miror, qui insanire occipiunt ex injuria*] Sensus hic est: Insanos fieri per injuriam plerosque mirabar, sed jam non miror, postquam ego ipse per injuriam quam sum passus, insanire compellor: adeo ut exclamem, *pro Juppiter!* Et simul adverte vigilantem poetam, ut ubicunque in comœdia vocem tragicam extulerit, statim personam insanam dicere faciat. sic et supra, *pro Juppiter! tu homo nunc adiges me ad insaniam.* D.

Insanire occipiunt] Serv. Æneid. IV. 376. L.

Menandri fertur illud: Οἴ μοι, τὸ γὰρ ἄφρον δυσεγχεῖν μανίαν ποιεῖ. W.

Minime miror] Supplendum *eos.* Solet enim pronomen *is* ante relativum omitti. Liv. XXIII. 15. *præmia atque honores qui remanerent, ac militare secum voluissent, proposuit:* ubi plura interpretes. Quinct. VI. 3. 285. *ut etiam rustici sàlse dicant in eum, quisque aliquid dixerit prior* ubi v. Gesner. R. D.

44 *Me invito abduxit meam.*] Honestiori personæ hæc querela sufficeret, *abduxit meam:* Sed leno bene addidit, *me invito.* Nam abducuntur meretrices et cum voluntate (alii *absque voluntate;* male Z.) lenonum. Et decora locutio est per ἴλλειψιν, *me invito abduxit.* non enim addidit, *puellam,* aut quid tale. D.

45 *Tantidem emtam postulat*] *Tantidem emtam,* legitur et *totidem emtam.* D.

Versus hi duo locum inter se commutarunt: repone, *Hóminis misero plús quingentos cólaphos infregit mihi | Ob malefacta hæc tántidem emtam postulat sibi trádier.* Res apparet, et alii ante nos viderunt. B.

Digitized by Google

Homini misero plus quingentos colaphos infregit mihi.
Verum enim quando bene promeruit, fiat: suum jus postulat.
Age, jam cupio, si modo argentum reddat. sed ego hoc hariolor:
Ubi me dixero dare tanti, testis faciet ilico,
Vendidisse me. de argento, somnium. mox: cras redi.

46 *Homini misero*] Secundum illud Menandri. * ΑΙΓΟϹ ΤΗ ΠΟΙωΝ ΤΟΙΓΟεΡΠΑΤΟ ΤΟΝ ΓΡωΝΟΝ ΟΙΚεΤΗΝ λαβων * (Ἀιζηὸς δὴ ποιοῦντα τοῦτι οἰκτρῶς ἐῤῥαπίσατο τὸν γρύζοντα οἰκέτην λαβὼν. Magis sensum quam versum restituere conati sumus. Z.) *Homini misero plus quingentos colaphos infregit mihi.*] Contumeliosa cædes, *colaphus*, et digna leone. *Infregit*] Ut illudens hoc fecisse Æschinus videatur, cum sonitu se colaphizatum significat. *Infregit* autem, illisit, inflixit: ut sit sensus, *inflixit homini misero plus quam quingentos colaphos.* Et flebiliter pronunciandum est. hoc enim exprimitur, ut tamen incuset in alieno facto fortunam suam. Et vide quantum hoc distet ab illo quod supra dicebat, *ipsum istuc volo experiri.* hoc, quia solus est: illud, quia cum adversario. D.

Colaphos infregit] Colaphum infringere, est compressa in pugnum manu cædere. Alapum infligere, deducta manu percutere. Far.

Colaphos infregit] I. e. impegit. Plin. Histor. Natur. VIII. 36. v. Donat. ad h. l. R. D.

47 *Bene promeruit*] *Bene*, multum. *Promeruit*, adjuvit, profuit: cui contrarium est *commeruit.* Nam *mereri* et *promereri*, est præstare beneficium. Virg., Æn. VI. 664, *quique sui memores alios fecere merendo.* Et, Æn. IV. 334, — *nunquam, regina, negabo promeritam.* D.

Promeruit] Hoc est, multa mihi præstitit. E.

Pro Faerni *fiet* nostri omnes recte *fiat.* B.

48 *Ariolor*] Divino, vel vaticinor. E.

Versus gratia pro *si modo* hic et versu 51. lege *modo si*: ut I. 1, 4. *Ubi si cesses*, pro *sicubi.* B.

Hariolor] I. e. falsa conjicio et dico. Fallor ut solent harioli, deliro. v. in Phorm. III. 2. 7. Pro eo vaticinari dicit Cic. ad Div. II. 16. *sed ego fortasse vaticinor et hæc omnia meliores habebunt exitus.* v. Duker. ad Flor. IV. 1. 713. R. D.

49 *Ubi me dixero dare tanti*] Recte dixit. ubi enim pactio intercesserit pretii, jam ereptionis actio sublata erit, et pretium debebitur. D.

Testes faciet] Sensus idem, qui est verborum Plauti Curc. IV. 4. 9.

Ne facias testes: neque equidem debeo quidquam.

Quæ ita παραφράζει ὁ πάνυ. J. Fr. Gronovius: *noli sperare, verbis me abs te circumventum iri, ut si quid ambiguum dixero, tu arreptum, id appellatis testibus mandes.* Ubi idem Vir summus, nostrum hunc locum laudat tanquam παραλληλον, postquam dixisset: *Si quis in re dubia, aut unde lis oriri posset, audiebat adversarium imprudenter dicentem, quo convinceretur aut teneretur, præsentes aut subito prætereuntes appellabat, meminissent hoc ab isto dictum, inque eam rem, ubi opus foret, testimonium perhiberent.* Adde Parei Lexic. Plaut. v. *Antestari.* Aliud est Μάρτυρας ποιεῖν, μαρτυροποιεῖν, μαρτυροποιεῖσθαι. W.

50 *Mox, cras redi.*] Mire transit ad μιμητικὸν. D.

Mox: cras: redi.] Singula pronuncianda sunt, quæ solent dicere debitores, ut non reddant quod debent. E.

De argento somnium.] H. e. quod ad

Digitized by Google

Id quoque possum ferre, si modo reddat, quamquam injurium'st;
Verum cogito id quod res est: quando eum quæstum occeperis,
Accipiunda et mussitanda injuria adolescentium'st.
Sed nemo dabit: frustra egomet mecum has rationes deputo. 54

ACT. II. SCENA II.

SYRUS. SANNIO.

TACE, egomet conveniam jam ipsum: cupide acpiat faxo, atque etiam

argentum attinet inanis spes est. pro quo in Heaut. IV. 2. 4. dicit *quod de argento sperem nihil est. Somnium* est res vana, nomen v. in Phorm. V. 6. 34. R. D.

51 *Id quoque possum ferre*] Id, *mox, cras redi*, id est, moram. *Quamquam injuriam*] Vendere, quod nolis; *est*, scilicet. D.

52 *Id quod res est*] Pro, *id quod verum est*; bona locutio. *Quando eum quæstum occeperis*] Ut in Andria, *deinde quæstum occipit*. D.

Quæstum occeperis] Vett. codd. *inceperis*. L.

53 *Mussitanda*] Patienda, consideranda cum silentio, et ut in amatore putanda, atque per hoc perferenda. *Mussitare* enim proprie est dissimulandi causa tacere, dictum vel a *muto*, vel ab *M*: quæ litera est nimium pressæ vocis ac pene nullius: adeo ut sola omnium quum inter vocales inciderit, atteratur atque subsidat. Hinc Virg., Æn. XII. 657, *mussat rex ipse Latinus*. D.

Mussitanda] Hoc est, tacenda et animo continenda. E.

Accipienda, et mussitanda] Querelus: *Sed quidnam hic fiet?* Accipienda, et mussitanda injuria est. L.

54 *Frustra egomet mecum*] Præparationis genus, ad accipiendas viginti minas, totius summæ desperatio. D.

Faernus edidit *puto*, quod reperit in Bamb. et Victoriano. Repone vero *sed nemo dabit: frustra has egomet mecum rationes puto*. B.

1 *Tace, egomet conveniam jam ipsum*] In hac scena notus est, exemplum continens vitæ avarorum, qui sæpe in damnum ipsius avaritiæ rationibus ruunt: simul etiam duorum inter se nequam hominum spectanda quædam vicissim, et dolosa captio est. *Tace, egomet conveniam jam ipsum*] *Tace*, si pro adverbio est, omnibus dicitur. si pro verbo ponitur, dicitur Ctesiphoni maxime sollicito, et supplicanti omnibus, ob metum patris. *Jam* autem, non tarditatis est, sed properationis significatio. D.

Tace, egomet conveniam] Æschinus posteaquam verberato leone abduxit mulierem, vehementer timuit (nisi excidit *frater*, aut *Ctesiphon*, Eugraphius reprehendendus est, quod quæ dixit Ctesiphon, ea tribuerit Æschino Z.), ne hoc pater audiret. Mandat igi-

Digitized by Google

Bene dicat secum esse actum. quid istuc, Sannio, 'st, quod te audio
Nescio quid concertasse cum hero? SA. Nunquam vidi iniquius
Certationem comparatam, quam hæc hodie inter nos fuit:
Ego vapulando, ille verberando usque, ambo defessi sumus. 5

tur servo, ut lenonis iracundiam frangat. E.

Cum nulla hic sit animi commotio, et Jambicus subsequatur: pro Trochaico acatalecto substitue cum nostris codd. et edd. vett. Jambicum tetrametrum: *Tace, égomet convenium ipsum; cupide accipiat jam faxo; átque etiam.* Verba *atque etiam* efficiunt proseleusmaticum, et *at*, ut sæpe, corripitur. B.

2 *Bene dicat secum esse actum.*] *Actum*, recte additum est (*actum bene*, r. e. c. Z.) nam multa etiam cupide accipimus, ita tamen ut male nobiscum esse dicamus actum. *Quid istuc, Sannio, est*] Illud supra post scenam, hoc jam in proscenio dicitur. Et vide quam ingeniose Terentius, qui supra ab Æschino lenonis nomine facit Sannionem vocari, utpote ab homine arroganti et feroci ob ætatem et negotium: at hunc blande circumvenientem honorificentius inducit cum lenone loqui, et Sannionem eum vocare. Sane qui in sordidis professionibus agunt vitam, honorifice nomine proprio appellas: sed qui in splendidis artibus sunt constituti, gaudent artis nomine nuncupari, ut imperator, orator, philosophus. Sic et in Eunucho, *audire vocem visa sum modo militis*, apud se loquens meretrix: et postquam illum cominus videt, *salve, mi Thraso*, inquit, non *salve miles*: quod erat durissimum. Et mox irata personat, *miles, nunc adeo edico tibi.* D.

3 *Nescio quid concertasse cum hero?*] Argute positum *nescio quid*: vult enim ex illo audire, ut nanciscatur initium, quod persuadendum suscepit. *Concertasse*] Οἰκονομία. honorifice nomen (*hominem*) tractat, ut et placidum sibi reddat. et ut eum faciat ad contemnendam pecuniam liberalem. Nam honestas adimit avaritiam. D.

4 *Concertationem comparatam*] Διασύρει, quia illa (*illum* Z.) concertasse dixit, non cæsum esse. *Comparatam*] Proprie: alias *constitutam*. Et *comparatam* ad dictum Syri refert, qui ait concertationem fuisse, pares faciens Æschinum et Lenonem. Nam Sannio vult sibi deberi pro eo quod vapulavit: quod abstulit illi Syrus, dicendo eum non verberatum esse, sed potius concertasse. Et proprie dixit *concertationem*, ipsum actum. Nam *certamen* est res ipsa de qua certatur, uter (forte, *ut uter*) columbam sagitta feriat, uter, prior decurrat ad metas. Nam sic Virgil. in Bucolicis (corrige *Georgicis*. Nam locus extat Ge. II. 530.) *velocis jaculi certamina ponit in ulmo.* At vero *certatio*, ipse actus contentioque certantium est. D.

Pro Bembini et Victor. *quam hæc hodie*, plerique nostri habent *hæc quæ hodie*; repone, *quam hodie quæ inter nos fuit.* B.

Inique comparata concertatio] Est, in qua certa nimia pares (*forte legendum* in qua certant minime pares. Bruns.) Proprietatem verbi *comparare* supra explicuimus. R. D.

5 *Ille verberando usque, ambo defessi sumus.*] Incerta est distinctio, vel *verberando usque*, vel *usque defessi*. Et est *usque* adverbium, significans aut *diu*, aut *multum*. D.

Defessi sumus.] Scholiastes Juven. Sat. III. 189. legit *defecti sumus* sensu eodem, quod præfert Heins. ad Ovid Fastor. III. 674. R. D.

Digitized by Google

Id quoque possum ferre, si modo reddat, quamquam injurium'st;
Verum cogito id quod res est: quando eum quæstum occeperis,
Accipiunda et mussitanda injuria adolescentium'st.
Sed nemo dabit: frustra egomet mecum has rationes deputo. 54

ACT. II. SCENA II.

SYRUS. SANNIO.

TACE, egomet conveniam jam ipsum: cupide acpiat faxo, atque etiam

argentum attinet inanis spes est. pro quo in Heaut. IV. 2. 4. dicit *quod de argento sperem nihil est*. *Somnium* est res vana, nomen v. in Phorm. V. 6. 34. R. D.

51 *Id quoque possum ferre*] Id, *mox, cras redi*, id est, moram. *Quamquam injuriam*] Vendere, quod nolis; *est*, scilicet. D.

52 *Id quod res est*] Pro, *id quod verum est*; bona locutio. *Quando eum quæstum occeperis*] Ut in Andria, *deinde quæstum occipit*. D.

Quæstum occeperis] Vett. codd. *inceperis*. L.

53 *Mussitanda*] Patienda, considerauda cum silentio, et ut in amatore putanda, atque per hoc perferenda. *Mussitare* enim proprie est dissimulandi causa tacere, dictum vel a *muto*, vel ab *M*: quæ littera est nimium pressæ vocis ac pene nullius: adeo ut sola omnium quum inter vocales inciderit, atteratur atque subaidat. Hinc Virg., Æn. XII. 657, *mussat rex ipse Latinus*. D.

Mussitanda] Hoc est, tacenda et animo continenda. E.

Accipienda, et mussitanda] Querelus: *Sed quidnam hic fiet?* Accipienda, et mussitanda injuria est. L.

54 *Frustra egomet mecum*] Præparationis genus, ad accipiendas viginti minas, totius summæ desperatio. D.

Faernus edidit *puto*, quod reperit in Bemb. et Victoriano. Repone vero *sed nemo dabit: frustra has egomet mecum rationes puto*. B.

1 *Tace, egomet conveniam jam ipsum*] In hac scena actus est, exemplum continens vitæ averorum, qui sæpe in damnum ipsius avaritiæ rationibus ruunt: simul etiam duorum inter se nequam hominum spectanda quædam vicissim, et dolosa captio est. *Tace, egomet conveniam jam ipsum*] *Tace*, si pro adverbio est, omnibus dicitur. si pro verbo ponitur, dicitur Ctesiphoni maxime sollicito, et supplicanti omnibus, ob metum patris. *Jam* autem, non tarditatis est, sed properationis significatio. D.

Tace, egomet conveniam] Æschinus posteaquam verberato leaone abduxit mulierem, vehementer timuit (nisi excidit *frater*, aut *Ctesiphon*, Eugraphius reprehendendus est, quod quæ dixit Ctesiphon, ea tribuerit Æschino Z.), ne hoc pater audiret. Mandat igi-

Digitized by Google

Bene dicat secum esse actum. quid istuc, Sannio, 'st, quod te audio
Nescio quid concertasse cum hero? SA. Nunquam vidi iniquius
Certationem comparatam, quam hæc hodie inter nos fuit:
Ego vapulando, ille verberando usque, ambo defessi sumus. 5

tur servo, ut lenonis iracundiam frangat. E.

Cum nulla hic sit animi commotio, et Jambicus subsequatur: pro Trochaico acatalecto substitue cum nostris codd. et edd. vett. Jambicum tetrametrum: *Tace, égomet convenium ipsum; cupide accipiat jam faxo; átque etiam.* Verba *atque etiam* efficiunt proseleusmaticum, et *at*, ut sæpe, corripitur. B.

2 *Bene dicat secum esse actum.*] *Actum*, recte additum est (*actum bene, r. a. e.* Z.) nam multa etiam cupide accipimus, ita tamen ut male nobiscum esse dicamus actum. *Quid istuc, Sannio, est*] Illud supra post scenam, hoc jam in proscenio dicitur. Et vide quam ingeniose Terentius, qui supra ab Æschino lenonis nomine facit Sannionem vocari, utpote ab homine arroganti et feroci ob ætatem et negotium: at hunc blande circumvenientem honorificentius inducit cum lenone loqui, et Sannionem eum vocare. Sane qui in sordidis professionibus agunt vitam, honorifice nomine proprio appellas: sed qui in splendidis artibus sunt constituti, gaudent artis nomine nuncupari, ut imperator, orator, philosophus. Sic et in Eunucho, *audire vocem visa sum modo militis*, apud se loquens meretrix: et postquam illum cominus videt, *salve, mi Thraso*, inquit, non *salve miles*: quod erat durissimum. Et mox irata personat, *miles, nunc adeo edico tibi*. D.

3 *Nescio quid concertasse cum hero?*] Argute positum *nescio quid*: vult enim ex illo audire, ut nanciscatur initium, quod persuadendum suscepit. *Concertasse*] Οἰκονομία. honorifice nomen (*hominem*) tractat, ut et placidum sibi reddat. et ut eum faciat ad contemnendam pecuniam liberalem. Nam honestas adimit avaritiam. D.

4 *Concertationem comparatam*] Διασύρει, quia illa (*illum* Z.) concertasse dixit, non cæsum esse. *Comparatam*] Proprie: alias *constitutam*. Et *comparatam* ad dictum Syri refert, qui ait concertationem fuisse, pares faciens Æschinum et Lenonem. Nam Sannio vult sibi deberi pro eo quod vapulavit: quod abstulit illi Syrus, dicendo eum non verberatum esse, sed potius concertasse. Et proprie dixit *concertationem*, ipsum actum. Nam *certamen* est res ipsa de qua certatur, uter (forte, *ut uter*) columbam sagitta feriat, uter, prior decurrat ad metas. Nam sic Virgil. in Bucolicis (corrige *Georgicis*. Nam locus extat Ge. II. 530.) *velocis jaculi certamina ponit in ulmo*. At vero *certatio*, ipse actus contentioque certantium est. D.

Pro Bembini et Victor. *quam hæc hodie*, plerique nostri habent *hæc quæ hodie*; repone, *quam hodie quæ inter nos fuit*. B.

Inique comparata concertatio] Est, in qua certa nimia pares (*forte legendum* in qua certant minime pares. Bruns.) Proprietatem verbi *comparare* supra explicuimus. R. D.

5 *Ille verberando usque, ambo defessi sumus.*] Incerta est distinctio, vel *verberando usque*, vel *usque defessi*. Et est *usque* adverbium, significans aut *diu*, aut *multum*. D.

Defessi sumus.] Scholiastes Juven. Sat. III. 189. legit *defecti sumus* sensu eodem, quod præfert Heins. ad Ovid Fastor. III. 674. R. D.

Digitized by Google

Sy. Tua culpa. Sa. Quid agerem? Sy. Adolescenti morem gestum opportuit.
Sa. Qui potui melius, qui hodie usque os præbui? Sy. Age, scis quid loquar?
Pecuniam in loco negligere, maximum interdum'st lucrum. hui!
Metuisti, si nunc de tuo jure concessisses paululum, atque
Adolescenti esses morigeratus, hominum homo stultissime, 10

6 *Tua culpa.*] Potest et nominativus et septimus casus esse. si nominativus est, deest *est*; si septimus, deest *factum est. Adolescenti morem gestum oportuit*] Ab ætate adjuvatur sententia. ideo *adolescenti* dixit, non *Æschino*. Et *morem gerere*. proprie lenonis et meretricis est: unde et ipse sic respondet, ut, non fugiens κακόφατον, dicat *usque præbui. Adolescenti morem gestum oportuit*] Cum ἐμφάσει *adolescenti* pronunciandum est, scilicet qui facilius assentatione caperetur. D.

Duo antiqui libri Faerni, in his Bembinus, habent *facerem*; sed nostri fere omnes *agerem*. Nihil interest; nisi quod hoc magis ad Græcum metrum accedat. B.

7 *Quid potui melius, qui hodie usque os præbui?*] Subaudiatur, *morem gerere*. Et hoc subtiliter leno, quum morem gerendum fuisse in meretricis pretio dixerit Syrus. *Hodie* autem, non tempus significat, sed iracundam eloquentiam ac stomachum. Ut Virg., Æn. II. 670, *Nunquam omnes hodie moriemur inulti. Age*] Modo *age* corripientis est adverbium. *Scis quid loquar?*] Argute: quia simulaverat leno non intellexisse, quid dixerat servus. *Scis quid loquar?*] Legitur et sic: *sed scis, quod loquar*. D.

Lege, *qui hodie* ei *usque os*. B.

Os præbui] Os *præbere* dicitur, qui se verberari patitur aut se contumeliis sponte exponit Cic. ad Attic. I. 18. *quam dignus qui Pelicano, sicut facit, os ad male audiendum quotidie præbeat.* Liv. IV. 35. addite Tac. Histor. III. 32. R. D.

8 *In loco negligere, maximum interdum est lucrum*] Bene additum est *in loco*, et *interdum*: non enim semper. D.

Pecuniam in loco] Id est, ubi oportet, ubi ille qui accipit memor est. ideo inquit, *interdum*. E.

Pecuniam in loco] Menander: Βέλτιστον εὖ τὸ κέρδος ἐν πᾶσι σκοπεῖν. Plautus Capt. II. 2, 77. *Est etiam ubi profecto damnum præstat facere, quam lucrum.* Marius Victorin. in Cic. Rhetor. libr. 2. L.

Illud *hui* alii Sannioni tantum tribuunt; sed meliores libri recte Syro, ut cætera, adscribunt. B.

9 *Si nunc de tuo jure concessisses*] Bene *tuo jure*: ne diceret, non erat res mea quam venalem habui. Aut *de tuo jure*, de lenonia duritia (*avaritia* Z.): ut alibi, *Meo jure utar, ut potior sit, qui prior ad dandum sit.* D.

De tuo jure] Hoc est, ne plurimum leno esses. ut intelligamus avaritiam.—(Westerh. lacunam e codd. supplevit sic: *te impares*. Verba sine sensu. Forte ita: *ut intelligeremus avaritiam in te non esse intempestivam*. Z.). E.

10 *Morigeratus*] Quod Lucas dicit Act. XIII. 18. Ἐτροποφόρησεν, id Guyetus a Græcis neotericis ad phrasin, *morigerari, morem gerere*, formatam esse existimat. W.

Digitized by Google

Ne non tibi istuc fœneraret. **Sa.** **Ego spem pretio non emo.**

Sy. **Nunquam rem facies: abi, nescis inescare homines, Sannio.**

Sa. **Credo istuc melius esse: verum ego nunquam adeo astutus fui,**

Quin quicquid possem, mallem auferre potius in præsentia.

Sy. **Age, novi tuum animum, quasi jam usquam tibi sint viginti minæ,** 15

11 *Ne non tibi istuc fœneraret*] *Fœneratum*, est cum lucro redditum et multiplicatum. *Fœneraret* ergo, non Æschinus, sed ipsa res in qua fœneratio. *Ego spem pretio non emo*] Ἀντιστροφικὸν. contra, *Pecuniam in loco negligere, maximum interdum est lucrum.* D.

Ego spem] Malo pretium, quam emam pretio spem. quasi si id amisero, postea plura accepturus. E.

Spem pretio non emo] Non novum est, etiam spem vendi et emi recte posse. l. 73. ad L. Falcid. Veluti cum quis jactum retis, aut capturam avium vel ferarum, aut futuros partus, fœtusve arboreos præstinant. L. 8 §. 1. *Nec emtio.* ff. de contr. emt. l. 11. 12. ff. de act. emp. vend. Vel cum quis malum nomen emit, quod forsan ex improviso lucro bonum posse fieri sperat. l. 82. in fine ad L. Falcid. L.

Ne non tibi istuc fœneraret] I. e. ut tibi cum fœnore redderetur et multiplicaretur in Ph. III. 2. 8. v. Donat. ad h. l. et Schulting. ad Sen. Suasor III. 57. E. D.

12 *Nunquam rem facies*] Leno quicquid agit, ad lucrum refert: et sic lucri genus dicit esse Syrus a lenone, quemadmodum persuadet *(Syrus, agens, leoni quemadmodum persuadeat.* Z.), Et nota *rem*, et litem, et negotiam meretricis, et patrimonium, et omnem pecuniam nominari. *Nunquam rem facies*] Secundum personam servi lenonem Syrus hortatur, hominem ad lucrum excitans, non ad honestatem. *Nescis inescare homines, Sannio*] Μεταφορὰ ab aucupibus, qui avibus capiendis offundunt cibum. D.

Nunquam rem facies] Hoc est, nunquam divitias, neque pecuniam quæres. *Nescis inescare*] Id est, jactata esca ut in hamo majora lucra captare. Et est *inescare*, decipere. E.

Lege, *Abi, non scis.* B.

13 *Credo istuc melius esse*] Vide comicum errorem utriusque personæ, et callidi lenonis, et captiosissimi Syri servi. D.

15 *Age*] *Age*, nunc verbum est, significans *dic.* quia jam prope est, ut consentiat persuadenti. *Tuum animum*] Deest, *liberalem. Quasi jam usquam tibi sint viginti minæ*] Sensus, quasi numero in aliquo ducas, et in aliqua æstimatione constitutas: et non, si velis, penitus contemnas viginti minas, dummodo huic obsequaris. D.

Quasi sint xx minæ] Quasi aliquod emolumentum apud te habeant viginti minæ, dummodo domino obsequaris. E.

Cum non pateat, quomodo *usquam esse* significet *ullius æstimationis esse*, quem tamen sensum series orationis requirit: forte auctor scripsit, *Age novi tuum animum, quasi terunci tibi sint viginti minæ.* Illud *teruncl facere* occurrit Plaut. Capt. III. 1, 17. Certe ita justius collocantur Arses et Theses, et apte opponuntur xx minæ ac teruncius. R.

Digitized by Google

Dum huic obsequare. præterea autem te ajunt proficisci Cyprum. SA. Hem.

SY. Coëmisse hinc quæ illuc veheres multa: navem conductam: hoc scio,

Animus tibi pendet: ubi illinc, spero, redieris, tamen hoc ages.

SA. Nusquam pedem: perii hercle. hac illi spe hoc inceperunt. SY. Timet:

Injeci scrupulum homini. SA. O scelera! illud vide

Ut in ipso articulo oppressit. emtæ mulieres

Usquam] Sensus patet: quasi magnopere eas æstimares. sed *usquam* est δυσερμήνευτον, Bentlejus vult legi: *terunci*, quod apud Plautum occurrit *terunci aliquid facere*. Rectius vero, opinor, Turnebus illud *usquam* græcanicum putat, ut v. c. apud Sophoclem est: τοῦτον οὐδαμοῦ λέγω nullo loco habeo. S.

Usquam] Editur mendose. Nusquam sint, i. e. perditæ sint, nullæ sint, μηδὲν ὦσι. Noster Eun. 243:

Neque virgo est usquam, neque ego, qui illam e conspectu amisi meo.

Horatius serm. 2. 5. 110: ergo nunc Dama sodalis nusquam est? cf. inttpp. ad Plaut. Merc. 3. 4. 21. Bo.

16 *Præterea autem*] Ἀσχαῖσμὸς est figura. Nam veteres libenter conjunctiones multiplicabant. *Te ajunt proficisci Cyprum*] Et eum non profecturum dixit, sed jam *proficisci*: et non ab uno dicit se audivisse, ne negaret; sed *ajunt* inquit. D.

Proficisci Cyprum] Hoc injicit servus, vel antequam audierit leno profectus est (*audierit, quod leno profecturus sit* Z.) Cyprum, uti meretrices inde advehat: quod Cyprus Veneri sit dicata. E.

17 *Coëmisse hinc quæ illuc veheres multa*] Nusquam hoc ostendit alias Terentius: sed apparet ex confessione lenonis vera hæc omnia esse. Et mira varietas est, *proficisci, coëmisse, conductam navim*: ne diceret, *proficisci, emere*, et *conducere navem*. Et *conductam navim* addidit, ut dilationem res habere non possit. *Hoc scio, animus tibi pendet*] *Hoc* et correpte legi potest, ut articulus demonstrativus sit: et producte, ut significet aut *hanc rem*, aut *huno locum*, id est, Cyprum. D.

18 *Ubi illinc, spero, redieris*] Ex spe sua vult Syrus ostendere, quid leno deþeat sperare, id est, non se accepturum modo. *Tamen hoc ages*] Hoc est, exiges debitum. Nam *hoc agere* dicimus eum, qui instat negotio suo. D.

19 *Nusquam pedem*] Quia exclamatio est, per ἀποσιώπησιν non completur. D.

20 *Injeci scrupulum homini*] Hoc leno non audit. simul enim dicitur, quum ille clamat. et ideo simul legi non potest. Et hic ostendit Syrus quo hæc consilio locutus sit. *Illuc vide*] Τῷ ἰδιωτισμῷ dicit. D.

Injeci scrupulum] Hoc est, dubitatem. E.

Illud vide] Hac formula utuntur qui rem inopinatam vel magnam eum admiratione narrant. Cic. ad Div. XVI. 5. Schwarz ad Plin. Panegyr. c. 70. R. D.

21 *In ipso articulo oppressit*] Μεταφορᾷ perseverans a scrupulo, id est, lapillo, qui nos in calceo latens plerumque laedit. Et *oppressit*, vel Æschinus, vel res ipsa quam subjicit, id est, quod ait, *Emtæ mulieres complures*, &c. *Emtæ mulieres complures*] *Mulier, uxor*: et est σύλληψις, *emtæ*, et *emta*. D.

In ipso articulo] Articuli sunt in di-

Digitized by Google

Coemptas, et item hinc alia quae porto Cyprum.
Nisi eo ad mercatum venio, damnum maximum'st.
Nunc si hoc omitto, actum agam: ubi illinc rediero,
Nihil est; refrixerit res. Nunc demum venis?
Cur passus? ubi eras? ut sit satius perdere,
Quam aut nunc manere tam diu, aut tum persequi.
Sy. Jamne enumerasti, quod ad te rediturum putes?

gitis: quorum nodo atque flexu, ad quos facilis explicatio est. At si in ipso articulo quis aliquem teneat, rigore confecto, confixura nulla fiet (corrige et distingue, *rigore confecto confixura n. f.* Hoc est ei, qui rigore confectus est, c. n. f. Z.), nihil agi exinde potest. Ita hic temporis articulum collocavit, quoniam oppressus actus suos ducit implicatos. Z.

Articulo] H. e. temporis momento Curtius III. 5. Sueton. in Claud. c. 4. R. D.

22 *Item hinc alia*] In lenonis mercibus λῆψις. *Quae porto Cyprum*] Hanc insulam posuit poeta, vel quod Veneri sacrata sit, ut Horatius, Carm. I. 3, 3., *Sic te diva potens Cypri.* Vel quod mercatus in ea sit, ut idem, Carm. I. 1, 13., *Nunquam dimoveas, ut trabe Cypria Myrtoum pavidus nauta secet mare.* D.

23 *Nisi eo ad mercatum venio*] Eo nunc adverbium est loci, id est, Cyprum. *Mercatus* autem, locum temporisque significat. *Damnum maximum est*] Quia et hoc damnum in pretio mulieris est. D.

Pro optimo Faerni et nostri optimi libri venio. Praeterea duo habent *Damnum est maximum*. Plane ex more Terentii. B.

24 *Nunc si hoc omitto*] Quod damnum est scilicet. Hoc autem dicit negotium cum Aeschino. *Actum agam*] Proverbium, id est, nihil agam. quod enim in jure semel judicatum fuerit, rescindi et iterum agi non potest. Sic in Phormione, *Actum, aiunt, ne agas.* D.

Cum *actum agere*, h. e. iterum sed frustra agere, ab eo alienum sit, qui ante dixit se omissurum esse, h. e. porsus nihil acturum; praesertim cum ob hiatum versus laboret: emendatio, nescio cujus, egregie placet, *nunc si hoc omittam, ac tum agam ubi illinc rediero.* Certe illud *omittam* nostris codd. satis comprobatur. B.

Actum agam] Actum agit, qui iterum sed frustra agit. Ducta formula a judiciis, ubi quod semel judicatum est frustra iterum agitur, in Phorm. II. 3. 72. Neque adeo dici potest *actum agere* de eo qui nihil egit: quam difficultatem tollit elegans viri doctissimi emendatio laudata Bentleio *nunc si hoc omittam ac tum agam, ubi illinc rediero.* R. D.

25 *Nihil est*] Nove *nihil est*: pro nulla spes est. *Refrixerit*] Pro refrigescit. D.

Nunc demum venis?] Verba sunt quae dici possunt, si ad mercatum leno ierit, et post rediens exigere pecuniam coeperit. E.

Refrixerit] *Refrigescere* metaphorice dicuntur quae non amplius aguntur, jactantur, sed memoria obliterantur. Cic. ad Quint. fratr. II. 6. huic verbo opponitur *calere* Cic. pro Plancio c. 23. *crimen de nummis caluit re recenti nunc in causa refrixit.* v. Manut. ad Ciceron. ad Div. IX. 10. R. D.

26 *Ut sit satius perdere*] Per ironiam hoc accipe. Nam non convenit personae lenonis damna contemnere. D.

27 *Aut nunc manere*] Dum non navigo. *Tum persequi*] Quum rediero. D.

Placet Donati Faerniani et nonnullorum codd. lectio, *Quam aut hic manere.* B.

28 *Jamne enumerasti*] Finxit Syrus se non intellexisse, quid apud se ipsum

Digitized by Google

SA. Hocine illo dignum'st? hocine incipere Æschinum?
Per oppressionem ut hanc mihi eripere postulet?
SY. Labascit. unum hoc habeo: vide, si satis placet;
Potius quam venias in periculum, Sannio,
Servesne, an perdas totum, dividuum face:
Minas decem corradet alicunde. SA. Hei mihi!

leno locutus sit. ideo illi aliud ait, quam ille secum disputaverit (*disputaverat*). *Quod ad te rediturum putes?*] Hoc dicto tantum illum accepturum significat, quantum dederat in puella. Nam ad nos redit, quod a nobis abierit. Et dicendo *rediturum*, ostendit super viginti minas nihil illum sperare oportere: sic enim supra, *Minis viginti tu illam emisti, quæ res tibi vertat male!* D.

Multi Faerni et nostri recte habent *enumerasti* id, *quod*, &c. B.

Jamne enumerasti] Quod Sannio longius recesserat, ut Syrus, quæ loqueretur, intelligere non posset, hic satis comice rogat: quid *ex isto mercatu* rediturum ad se esse putet? S.

29 *Hocine illo dignum est?*] Hujusmodi comploratio summam desperationem lenonis ostendit. *Hocine incipere Æschinum?*] Quasi de magno facinore dixit. Ut in Heautontimorumeno, *Vide quod inceptet facinus.* Æschinum autem cum laudatione dixit: quasi quem non deceat malefacere. Et vide quam omnia experiatur impotens et miser ob recuperandam rem suam. D.

Non convenit, ut in eodem versiculo *Hocine* primam corripiat, deinde producat. Lege igitur *inceptare*. Sic quoque olim legisse Donatum, colligitur ex loco, quem laudat, Heaut. III. 3, 39. B.

30 *Ut hanc mihi eripere postulet?*] Non dicit de qua (forte, *non dicit, quam*): quia de illa sermo est. *Postulet*, velit, aut speret. Cicero, *Ut temporibus reipub. cedat, non est postulandum*, id est, cupiendum, aut exspectandum. *Eripere postulet*] Ἐν τῷ ἤθει dixit, non eripuerit: tanquam adhuc non fecerit. Et sic loquuntur, qui nolunt circa se perseverare injuriam. D.

31 *Labascit*] Hoc presse dicitur. Et proprie dicit *labascit*, ut et suam instantiam, et cunctationem tarde incipientis consentire monstraret. Nam inchoativum verbum est. Et est metaphora ab arbore facta: quæ multis succisa ictibus ferri, tandem incipit in casum ponderis (*pendere*, Ms. Hulst.), ruinamque minitari. *Unum hoc habeo*] Hoc clare: et subaudiendum est, *quod dicam*, vel *dicere*. *Vide, si satis placet*] Non *placet* dixit: sed *satis placet*, veluti magnum consilium præbiturus. D.

Unum hoc habeo] Unum possum præstare, id est, *minas decem* posse *corradi*, hoc est, cum labore expediri. E.

32 *Potius, quam venias in periculum*] Oratorie: comparatione pejorum dicit, hoc esse, quod suggerit, eligendum. D.

Venias in periculum] Pro eo mox dicit *venire in dubium*. Quinctil. declam. 253. *in periculum venit optio mea*. R. D.

33 *Dividuum face*] Hoc est, divide: figura μακρολογία. *Dividuum*, a divisione: *dimidium*, a dimensione dicimus. D.

Dividuum face] Glossar. *Dividuum* εὐμέριστον. *Dividuus* εὐδιαίρετος, αὐταίρετος, εὐμέριστος, διαμεμερισμένος. Columella lib. 12. *Nihil conspiciebatur in domo dividuum.* Et *dividuitas*. l. 80. §. 1. ff. ad L. Falcid. *Legata quæ dividuitatem non recipiunt.* L.

Dividuum face] Mss. quidam, *dimidium face*. W.

34 *Minas decem*] Scit illum viginti posse accipere: sed ideirco agit, ut optet leno quod paulo ante nolebat. *Conradet alicunde*] *Alicunde* dictum est, quasi non habentis. Nam nec ipsa (*ipsæ*) in promtu sunt. D.

Digitized by Google

Etiam de sorte nunc venio in dubium miser?
Pudet nihil? omnes dentes labefecit mihi:
Præterea colaphis tuber est totum caput:
Etiam insuper defrudat? nusquam abeo. SY. **Ut lubet.**
Num quid vis, quin abeam? SA. **Imo hercle hoc quæso, Syre,**
Utut hæc sunt facta, potius quam lites sequar,
Meum mihi reddatur, saltem quanti emta'st, Syre.

35 *Hei mihi! etiam de sorte nunc venio in dubium miser?*] *Sors* est summa, cui extrinsecus acquiritur fœnus. Ergo *sortem* dicit de pretio quo emta est, id est, viginti minis. Et vide illum damno potius exclamare, quam injuria. *Nunc venio in dubium*] Id est, in periculum (In utroque libro additur *Virg. Nec tibi deserta in dubium.* Est locus Æn. XI. 843. Sed hodie legitur in *dubia* apud Virg.). D.

Etiam de sorte] Leno enim supra dixerat, *tantidem postulat.* hæc quasi sors est. Nam cum decem minæ offerantur, in dubium venit, an possit tantum accipere, quantum dedit. E.

Hic versus, et sequens *pudet nihil* per interrogationem sunt efferenda. B.

De sorte venio in dubium] I. e. de ipsa summa, non tantum de usuris venio in periculum. Sors est caput pecuniæ, belgice *het capitael.* R. D.

36 *Omnes dentes labefecit mihi*] Injuria lenoni tunc dolet, quum adjuncta damno est: ut supra. — *quando cum quæstum eccoperis, accipienda et mussitanda injuria adolescentium est.* Vel idcirco, enumeratis contumeliis adjecit, *Etiam insuper defrudat?* Et vide ut eadem quæ dixit supra, repetat: sed ardentius tamen, et cum αὐξήσει. Sic Virgilius in majus repetit, quod non semel dicit.) In Mss. et edd. vett. *Sic et Virgilius in majus repetit, q. d. s.* Forte litteræ hæc *sigu. Quæ dixit supra*). D.

37 *Colaphis tuber est totum caput*] Tuber est genus cibi, collectum ex tumentibus, et quasi pregnantibus aronis. Plus autem hic, quam supra dixit. Supra enim dixit, *Plus quingentos colaphos infregit mihi;* hic vero, *colaphis tuber est totum caput.* D.

Colaphis tuber est totum caput] Caput ex contusis colaphis perinde ac tuber tuberibus plenum est. R. D.

38 *Etiam insuper defrudet*] Αὔξησις apta lenoni avaro. nam honestior persona non hunc ordinem faceret. *Defrudet*] Fraude decipiat. *Nusquam abeo*] Hoc dictum vim habet comminantis: nisi illud cum contemtu susceperit Syrus. *Ut lubet*] Negligenter servus respondet, ut rogetur a lenone. D.

Insuper defrudat?] Postquam verberavit, etiam fraudem facit? (*facit.* Z.) E.

Veterrimus noster cum tribus aliis *Defrudet.* Sic et Rivii Fabricioique codd. Hoc placet. B.

39 *Numquid vis, quin abeam?*] Hæc est plena locutio. *Numquid vis,* desiderat supplementum. et hoc uti dicto discedentes solent. *Quin,* nunc, quare non, significat. *Imo hercle hoc quæso, Syre; utut hæc sunt facta*] Ipse sibi satisfacit. *Utut* enim, quoquo modo significat, diverticulum ad preces faciens. D.

40 *Potius, quam lites sequar*] Quia dixerat Æschinus, *Nunc vide utrum vis, argentum accipere, an asinum meditari tuum.* D.

Utut hæc sunt] Id est, postquam hæc sunt facta, quia verberatus sum, peto mihi reddatur quanti est emta. E.

Alii *acta* pro *facta.* Parum interest. B.

41 *Meum mihi reddatur*] Sortem, quam solam supra recusabat. Et eam-

Digitized by Google

Scio te non usum antehac amicitia mea:
Memorem me dices esse et gratum. Sy. Sedulo
Faciam. sed Ctesiphonem video: lætus est
De amica. Sa. Quid, quod te oro? Sy. Paulisper
mane.

ACT. II. SCENA III.

CTESIPHO. SYRUS.

ABS quivis homine, cum est opus, beneficium accipere gaudeas.

terie: non enim quanti emi dixit: sed invidiose, *Meum mihi reddat. Saltem*] Τὸ ἔσχατον. Natum est autem a captivis *saltem*, qui nihil aliud præter *salutem* a victore petunt. D.

42 *Scio non te usum antehac amicitia mea*] Figura ἀξιοπιστεία, per quam ostendit, se fideliter promittere, quod promittit. Virg. Æn. III. 602.—*scio me Danais e classibus unum, et bello Iliacos fateor petiisse penates.* D.

Scio te non usum] Ms. R. et V. C. *Scio te non esse usum.* L.

Multi, *Scio te non esse usum.* Sed melius collocat eod. Academicus, *Scio non te esse usum.* B.

43 *Memorem me dices*] Figurate est inducta promissio præmiorum. Et bene utrumque narrat. Nam non continuo qui memor est, etiam gratus est. *Memor* enim est, qui apud se meminit. *Gratus* qui meruit hoc nomine vocari, dum vicem reddit. Nam multi sunt memores, ingrati tamen. *Sedulo faciam*] Sic promittit, ut nihil sua interesse credatur. *Sedulo*] De industria, sine dolo. D.

Sedulo faciam] Sine dolo: mendaciis volens lenonem decipere. E.

44 *Sed Ctesiphonem video*] Adventus in proscenium personarum quam consulto consilio fingantur a poeta, tanquam superveniant aliis rebus in medio positis, quas ipsarum interventu finiantur. Mire tamen, quod quasi ex argumento sit, ut futuri actus sui, ante quam loqui incipiant, describuntur. *Lætus est de amica*] Hoc lentius et summisse. D.

45 *Quid, quod te oro?*] Deest agis seu deest ego (est Z.) *Quod te oro.* Aut *si quid*, aut *propter quod*, subintelligimus: ut sit, quid mihi non respondes de eo, propter quod te oro: aut si quid te oro? et quam bene fastidiosum lenonem facit Syrus, ut optans ille desperando viginti minas accipiat. Nam et supra non intendenti dicit toticus in uno sensu hoc idem Syrus de amica. Potest hoc interrogative pronunciari. D.

1 *Abs quivis homine, quam est opus, beneficium accipere gaudeas*] In hac scena gratiarum actio est ex persona ejus qui præstitit, et ejus cui præstitum est, et ex ipsius pretii (*præmii* Ms. B. cum edd. vett. ante R. Stephanum) quantitate. Nam omne quod geritur, aut in rebus est, aut in personis, aut in attributis (Ms. et edd. vett. *tributis*) eorum. *Abs quivis homine*] Bene sic cœpit dicturus, *O frater! frater!* Et qui secundum regulam dixit: quia dicimus *quibus*, cæterum a quo, quis facit,

Digitized by Google

Verum enim vero id demum juvat, si, quem æquom'st facere, is benefacit.
O frater! frater! quid ego nunc te laudem? satis certo scio;
Nunquam ita magnifice quicquam dicam, id virtus quin superet tua.
Itaque unam hanc rem me habere præter alios præcipuam arbitror, 5

non *quibus*. Et incerta distinctio est: *quum est opus accipere beneficium*, vel *quum beneficium est opus*. Hoc vetus est, illud communiter. D.

Abs quivis homine] Ctesipho gaudet vehementer, quod rapta sit meretrix. et est oratio exultantis. *Abs quivis*] Pro, abs quovis. E.

2 *Id demum juvat*] Ostendit plus esse quod juvat. quam gaudium. *Is facit*] *Bene* subaudiendum est bis numero. D.

Etsi Faerni Donatus, liber Bemb. Vict. et Decurt. habent Lindenbr. lectionem *si quem æquom'st facere, i. b. f.* lectio tamen, quam Faernus edidit, *si quem æquom'st benefacere, is facit*, legibus linguæ convenientior esse videtur, præsertim cum Lindenbrogii Donatus haud dubio eandem sit secutus. Cæterum lectio cæterorum Faerni Bentleiique codd. qua bene geminatur, recte a Bentlejo repudiatur. Z.

Verum enimvero] His particulis ita junctis raro utitur Cicero, sæpe Sallust. et Livius. Sall. in Catil. c. 2. *verum enimvero is demum mihi vivere atque frui anima videtur*, ubi v. Cort. R. D.

3 *O frater! frater!*] Virg. Æn. X. 600. *et fratrem ne desere frater*. Unum relatum est ad appellationem: alterum ad laudem. Et subdistinguendum, ut videatur quæsivisse, quid ultra diceret, et plus invenire se non potuisse, quam *frater*. *Quid ego nunc te laudem*] Quid, propter quid. et *nunc te*, τῷ ἰδιωτισμῷ additum est de superfluo. Ut, Æn. IV. 265, — *tu nunc Carthaginis altæ fundamenta locas? Quid ego nunc te laudem?*] Quia laus, genus causæ est, quod non adhibetur, nisi dubiæ rei. *Quid ego nunc te laudem?*] Distinguendum. *Quid* autem, pro *ad quid* (forte *ob quid* Z.). D.

O frater! frater!] Ἀναδίπλωσις. Et est sensus: *nemini homini magis esse fratrem principem artium maximarum*, quam mihi. Quod vero ait, *nemini homini*, πλεονασμὸς est: significat enim *nemo, homo*. Hæc autem omnia tanquam præsente dixit fratre, cum absens sit. Denique postea a Syro quærit, ubi sit. E.

Nonnulli codd. boni collocant sic, *quid ego te nunc laudem?* Ad digitos si exigas, nihil interest; si ad aurem et accentum, non parum. B.

4 *Nunquam ita magnifice*] Deest *quod*: ut sit, quod nunquam ita magnifice. Duplex causa est omittendæ laudis, si res aut nimium mala est, aut nimium bona. *Id virtus quin superet tua*] Bona περίφρασις. *virtus tua* potius, quam tu. D.

5 *Itaque unam hanc rem me habere*] *Itaque* et subjunctivum potest esse, media syllaba correpta: at præpositivum, producta eadem syllaba, ut sit *itaque*. D.

Ut sensus constet, nec ad Donati contortam interpretationem fugere cogaris, *alios* muta in *alias*. Nam *præter alias* est præ aliis rebus, ut And. I. 1, 31. 95. *egregie præter cætera; præter cæteras honesta*. Sensus enim hic est, hanc unam rem præter cæteras a fortuna præcipuam habeo, quod nemini frater omnibus bonis artibus ornatior contigerit. B.

Præcipuam] *Præcipuum* dicitur quod

Digitized by Google

Fratrem homini nemini esse primarum artium magis principem.

S. O Ctesipho! C. O Syre! Æschinus ubi est? S. Ellum, te exspectat domi. C. Hem!

S. Quid est? C. Quid sit? illius opera, Syre, nunc vivo. festivum caput!

non est commune cum aliis. Liv. XLII. 31. ubi v. Duker. R. D.

6 *Fratrem*] Nove dixit unam rem *fratrem*. Sed ego puto *Fratrem* non subdistinguendum, sed legendum contexte usque ad *principem*. Nam si distinxeris *fratrem*, erit bis, ut arbitror. subaudiendum, et supra et infra. Quod si *fratrem* inferioribus junxeris, et cum admiratione pronunciabitur, et subaudietur *quem mihi*. Hanc sane locutionem scire debemus, propter personam elaboratam. Nam nimium gaudet, et rusticus adolescens est, qui laudare conatur Æschinum: quasi titubans, et pene balbutiens. *Homini nemini*] Nove asinus noster, sed veterum consuetudine locutus est. Nam quum *nemini*, hominem significet: quid opus fuit dicere, *homini nemini*? Sed ut diximus, figura est ἀχχαϊσμὸς (num forte cum Eugraphio, qui hunc locum compilasse videtur, legendum ἀλλοιωσμὸς? Z.). D.

Fratrem homini] V. C. *Fratrem hominum*. L.

Vulgo *neminem*. Sed placet Bembini et aliorum codd. *nemini*. Sic Hec. III. 1, 1. et alibi, *homo nemo*. B.

Primarum artium magis principem.] Videtur intelligere Artem Amandi. Lanacer Lib. VI. locutionem hanc Hellenismum infinitæ orationis vocat, cujus sensus sit, *fratrem talem, ut nemo homo sit magis princeps primarum artium*. W.

Fratrem homini nemini esse primarum, &c.] I. e. nemini fratrem obtigisse præstantiorem eximiis virtutibus. *Nemo homo* per pleonasmum jungitur ut in Hec. III. 1. 1. *Artes* dicit virtutes; præcessit enim *virtus quin superet tua*. R. D.

7 *O Ctesipho!*] Mire cœpit, gaudium significans, *O Ctesipho! O Syre!*] Ille ut gaudens: hic, ut qui non præviderit, O dicit. *O Syre, Æschinus ubi est*] Bene statim de illo, cui agebat gratias, loqui cœpit. *Ellum*] Ecce illum: vel pronomen est, vel adverbium demonstrantis. Alii interrogative legunt: ut sit *ellum dicis?* te exspectat domi, ut sit *ellum* pronomen, id est, *illum*. Nam et *illum*, et *ellum*, et *ollum* veteres dixerunt. *Domi*] Adverbium est in loco. *Hem!*] Interjectio est admirantis. D.

8. *Quid sit!*] Deest, *queris?* sed est admirantis magis, quam interrogantis. *Illius opera*] Dicendo *opera*, et corporeum laborem Æschini ostendit, et religionem. ut, Æn. VII. 331, *hunc mihi da proprium, virgo sata Nocte, laborem, Hanc operam*. Hanc religionem sit: ut, Georg. I. 338, — *annua magnæ Sacra refer Cereri lætis operatus in herbis. Illius opera, Syre, nunc vivo*] O miram amplificationem beneficii, non dixit, Illius opera amicum habeo: sed quod satis grave, et satis amatorium, *Illius opera nunc vivo*, inquit. *Festivum caput!*] Huic contrarius sensus est, *ridiculum caput*. Alii putant, *festivum caput*, non Æschini intelligendum, sed orationis, quam habet Ctesipho, agens gratias fratri. Ita in Eunucho, *quam vitiate! quod dedit principium advenienti!* Quod si est, nihil potest supra hanc laudationem: nam supra hoc factum erit accipiendum. sed male: nam caput Æschini (adde *intelligo*, quod est in Ms. B. et edd. vett. autlego, *sed malo nunc caput Æschini* Z.) id est, ipsum Æschinum, ut in toto pars sit per συνεκδοχὴν: in qua figura et pars pro toto ponenda est, quæ aut eminet ex toto, aut majoris pretii est ad id quod agitur. Quod ipsum sic esse observa-

Digitized by Google

Qui omnia sibi postputavit esse præ meo commodo:
Maledicta, famam, meum amorem, et peccatum in se transtulit.
Nihil pote supra. sed quidnam? foris crepuit. S. Mane, mane! ipse exit foras.

ACT. II. SCENA IV.

ÆSCHINUS. SANNIO. CTESIPHO. SYRUS.

UBI est ille sacrilegus? Sa. Men' quærit? num quidnam effert? occidi!

tum a bonis auctoribus, si exempla συνηθοῦς penitus considerare studes, invenies. D.

9 *Quin omnia*] Admirative *quin*: et sic pronunciandum *quin*, τὸ παρέλκον usque ad *maledicta, famam*. *Præ meo commodo*] Id est, mei commodi comparatione: ut in Eunucho, *hic ego illum contemsi præ me*, id est, mei comparatione. D.

Pro *qui* vulgari, et *quin*, quod habet Donat. Bemb. Vatic. et alii antiqui, lege plenius versus causa *quine*. Et pro *se* in versu seq. lege *sese*. B.

Quine] Illud *ne* videtur abundare ut apud Horat. Serm. I. 10. 21. *quine putetis*, &c. ubi v. Bentlei. R. D.

Omnia sibi postputare præ alterius commodo] Id significat, omnia ducere postponenda alterius commodo. in Hec. III. 5. 33. R. D.

10 *Maledicta, famam*] *Maledicta*, aut lenonis (*aut Micionis*, Ms. B. et edd. vett. ante R. Stephanum), aut Demeæ: *Famam* autem, populi. Nam si aliter acceperis, idem maledictum videbitur et (*ac* Z.) mala fama. *Meum amorem, et peccatum*] De rapienda meretrice, et amanda. *Meum amorem, et peccatum*] Quum dixisset *omnia*, duo tantum intulit, *maledicta* et *famam*: ut, *Æn.* IV. 558. *Omnia Mercurio similis, vocemque coloremque*. Et hoc, ut sit defectus quidam intelligendus ex affectu gratias agentis. *In se transtulit*] Pulchra παράσιωπη, qua erratura est Socrata circa Æschinum, quemadmodum jam erravit Demea, eo quod ab illo credidit amari meretricem. D.

Famam] I. e. infamiam. Nam *fama* in utramque partem dicitur. R. D.

11 *Nihil pote supra.*] Ἔλλειψις per admirationem est: subaudiendum est enim vel *esse*, vel *dici*. Ut *pote* pro *potis*, et (*ut* Z.) *mage* pro *magis*. τῷ ἀρχαϊσμῷ. *Sed quidnam? foris crepuit*] Resonnit: ut *decrepiti* dicti sunt clamosi senes. *Foris* singularis numeri, nominativi casus. *Mane*] *Mane*, gaudentis est hoc dictum, non operiri jubentis. D.

Nihil supra pote] Ms. R. et V. C. *nihil supra potest? quidnam*. L.

Omnes nostri *nil supra potest*. Leg. *nil supra pote*. Alii pro *quidnam* habent *quisnam*. Nostri plerique omittunt *sed*. Ego inprimis accentus causa legendum esse censeo, *nil supra pote. nam quid foris crepuit?* Certe *nam quis* eleganter ponitur pro *quisnam*. Virg. Georg. IV. 445. Cf. noster Phormio. 1, 4, 23. v. 1, 5. B.

1 *Ubi ille est sacrilegus?*] Mire Æschinus servat adversus lenonem superbiam, qua ostenditur tanto esse alienor ab amoribus meretricii, quanto ande-

Digitized by Google

Nil video. Æ. Ehem, opportune: te ipsum quæro: quid fit, Ctesipho?
In tuto est omnis res: omitte vero tristitiem tuam.
C. Ego illam hercle vero omitto, qui quidem te habeam fratrem: o mi Æschine,
O mi germane: ah vereor coram in os te laudare amplius,

cior in lenonem. *Mene quærit? num quidnam effert*] Sperat nunc leno se aliquid accepturum propter convicium. ut alibi, *minis viginti tu illum emisti, quæ res tibi vertat male. Argenti tantum tibi dabitur.* Et vide quanti faciat leno præ lucro injuriam (*et vide, quantum ferat leno pro lucro injuriam*, Ms. B. et edd. ante R. Stephanum), qui se sacrilegi nomine significari non solum non dolet, sed etiam cupit. Oportet autem *mene quærit*, cum quadam gesticulatione et subsultatione sperantis lenonis, ad hoc se quæri ut accipiat, pronunciare. D.

Ubi ille est] Rediens flomum Æschinus simulato furore procedit, ut illo (*ille*, s. *leno* Z.) meta libenter accipiat, quicquid affertur. *Num quidnam*] Morem expressit avari lenonis, uti licet audierit minas, oculos tamen intenderit in manum debitoris. E.

Num quidnam effert?] V. C. *affert*. L.

Vulgo *men*: sed placet Bembini *me*, sine interrogatione. Non enim dubitat, audito sacrilegi nomine, quin ipse quæratur. Cf. Eun. v. 6, 5. B.

2 *Occidi! nihil video.*] *Occidi*, non quia sacrilegus dictus est, sed quia nihil accipit. et simul gestum considera loquentis ex verbis. *Occidi! nihil video*] Miro hoc verbo apparet in vultu lenonis et spem mortuam, et extinctum gaudium. Nam et apta est ἔλλειψις hæc dicentis: *Occidi! nihil video.* neque enim addidit *proferri*, aut quid tale. *Ehem!*] Interjectio repentinæ rei. *Opportune, te ipsum quærito*] Ἀσύνδετον. deest *venisse*: non enim sequenti nectitur. *Quid fit. Ctesipho?*] *Quid fit*, blandum initium est. non enim nunc interrogat, quum ipse dicat, *in tuto est omnis res*, sic ipse mox in subditis, *jam nunc hæc tua*, addidit præter naturam quæstionis, *quid fit?*] Quid igitur (Inde a verbis *sic ipse*, corrige ita, *sic ipse Demea in subditis*: JAM NUNC HÆC TRIA PRIMUM PRÆTER NATURAM: O NOSTER! QUID FIT? QUID AGITUR? Sunt verba Demeæ, infra v. 5, 3.). D.

Pro *quærito* probo optimarum codd. *quæro*. B.

Ehem opp.] Non potest audivisse Sannio, quæ cum fratre loquebatur Æschinus, qui, quod infra ne Cantharæ quidem de fratre dicere voluit, multo minus omnem rem prodidisset Sannioni. Eum quidem egrediens statim videtur animadvertisse, sed longius abesse, quam ut sermonem posset intelligere; nec, ubi Sannio loqui incipit, quidquam dicit, e quo, intellexisse eum rem, appareret. S.

3 *In tuto est omnis res*] Quasi amatori, omne dixit negotium de amica. Ad *omnis res*, et lenonis jurgium, et suspicio patris Demeæ? *Omitte vero*] *Vero*, abundat: aut correptivum est, jamdudum non omittentis. *Tristitiam tuam*] Sic dixit, quasi nimiam. D.

4 *Ego illam hercle vero omitto*] Apparet non nunc primum dici Ctesiphoni ab Æschino, *omitte vero tristitiam tuam*: nec nunc primum responsum, *omitto*: et ideo additum est, *Hercle vero*. quia nunc demum data est plena securitas. *Qui quidem te habeam fratrem*] Acuendum *te*. D.

Ego illam hercle] Ms. R. *facile*. L.

5 *O mi germane!*] Mi, *meus*: sed vocativo dixit casu. *Coram in os te laudare amplius*] *Coram*, ad ipsum pertinet quem laudat, et ad eos qui audiunt: *in os*, ad ipsum qui laudatur. Nam *coram laudat*, qui non tacet apud alios, et hoc agit non per epistolam, sed ipse præsens. *In os*, qui apud ipsum loqui-

Digitized by Google

Ne id, assentandi magis, quam quod habeam gratum, facere existumes. 6

Æ. Age inepte, quasi nunc non norimus nos inter nos, Ctesipho.

Hoc mi dolet, nos pæne sero scisse, et pæne in eum locum Redisse, ut si omnes cuperent, nihil tibi possent auxiliarier.

C. Pudebat. Æ. Ah, stultitia'st istæc, non pudor; tam ob parvolam 10

tur, quem collaudat. *Laudare amplius*] Quia laudavit. D.

Vereor] Vehementer confundor præsente te aliquid laudis dicere, ne magis assentandi, id est, adulandi gratia facere videar [a] (Haud dubie excidit, *quam quod habeam gratum*, Z.) R.

In os laudare] I. e. præsentem laudare Lactant. III. 14. *os* sæpe dicitur de conspectu. v. not. ad Heaut. III. 3. 11. R. D.

6 *Ne id assentandi*] Antiqua ἀλλιψία, deest enim causa. *Assentandi*] Adulandi. Et utrum deest *causa*, an ad ipsam litem (*Ab ipsa lite*, edd. vett. Sed rectius corrigit Bentleius, *an absolute* Z.) sic dicitur? *Ne id assentandi*] Specta, si non rusticus adolescens est, et puriusculus simplicitatis, adeo ut etiam velle (*ut et eum velit* Z.) laudare fratrem nimio pudore non possit, hoc solo quia præsens est, quam illum nimium laudarit absentem. *Quam quod habeam gratum*] Varie: non enim intulit, quas gratias egerit (*quam gratias agendi* Z.) *Quod*] Quia. D.

Quæritur, annon rectius legatur *assentando?* Sed codd. et magistris hoc concedamus. Cæterum pro vulgari *quod* rescribe *quo* Bembini. B.

Assentandi] Supplendum *causa* vel *gratia*, quod sæpe per ellipsin omittitur. Cic. de Nat. Deor. I. 21. ubi v. Davis. *Liv.* XXXI. 12. Eadem modo Græci *lucra* omittunt. R. D.

Quo habeam gratum] I. e. quo mihi gratum et jucundum sit. Plaut. Trucul. II. 7. 56. Cic. Tusc. quæst. V. 15. R. D.

7 *Age inepte*] Nam est injuria, quia et major frater est, et blanda dicturus. D.

Age inepte] Ctesipho, inquit, *stultum* est quod laudare desideras, quasi nostros animos nesciamus. E.

8 *Hoc mihi dolet*] Τῷ ἰδιοπαθῶς *mihi dolet*, pro *doleo*. Et *dolet* bis subaudiendum est. *Et pene in eum locum redisse*] Insinuatio beneficii ex periculo et difficultate (*ex periculo difficultatis* Ms. B. et edd. vett.) ob tempus. D.

In verbis *nos rediisse in eum locum* omnino desideratur *rem*, ut Heaut. 11, 3, 118. *Rem* utique habent edd. vett. et tres codd. Igitur repone, *hoc mihi dolet, nos pæne sero scisse, et in eum rem locum*. Illud *sero* est Nimis sero, ut sæpe apud nostrum et Plautum. B.

9 *Ut si omnes cuperent*] Non, si ego tantummodo, aliis adversantibus. D.

Nihil tibi possent] Quoniam alii puellam leno venderet: et tibi nullam posset auxilium ferri. E.

Recte codd. cum edd. vett. *tibi nil*. Nam Anapæstus suavior est hic dactylo; et *tibi* in iota esse debet. B.

10 *Pudebat.*] Deest *fateri. Stultitia est istæc*] Hoc scilicet fateri ei (*Hoc scilicet celare fratri ei.* Aut, *hoc scilicet non fateri fratri ei* Z.), qui ipso patri nusquam quicquam celaverit. *Tam ob parvolam rem*] Ergo diminutivis adjungitur *tam* particula; et deest *perire: sed* τῷ εὐφημισμῷ tacetur. *Tam ob parvolam rem*] Id est, meretricem. Et bene hic dicit Æschinus, quasi qui majora expertus sit, id est, vitium virginis. D.

Digitized by Google

Rem pæne ex patria? turpe dictu: deos quæso et istæc prohibeant.

C. Peccavi. Æ. Quid ait tandem nobis Sannio? Sy. Jam mitis est.

Æ. Ego ad forum ibo, ut hunc absolvam: tu intro ad illam, Ctesipho.

Sa. Syre, insta. Sy. Eamus: namque hic properat in Cyprum. Sa. Ne tam quidem: 14

Quamvis etiam maneo otiosus hic. Sy. Reddetur, ne time.

11 *Pene ex patria?*] Deest *fugere:* quia amatores comici cito comminantur patriam se deserturos, ut amicas sequantur. *Pene ex patria*] Ἀποσιώπησις εὐφημισμοῦ χάριν. Menander (ex conjectura P. Nannii rescribendum, *Diphilus.* Vide Prologum, vers. 6.) mori illum voluisse fingit: Terentius fugere. *Turpe dictu*] Te fugere scilicet: et deest *est.* *Ut istac prohibeant*] Id est, exilium, fugamque patriæ. D.

Pæne ex patria] Si enim illa discederet propter parvum pretium, pæne et tu amore in exilium pergeres. E.

Bembinus, *pæne e patria.*] B.

12 *Peccavi.*] Approbavit ex periculo magnitudinem beneficii. *Quid ait tandem nobis Sannio?*] *Nobis,* τῷ ἰδιωτισμῷ additum est. non enim *nobis* intelligendum est. *Jam mitis est*] Quia debacchatus est supra leno, *jam mitis* est dixit. D.

13 *Ego ad forum ibo*] Tunc enim in foro de mensæ scriptura magis, quam ex arca domoque, vel cista, pecunia numerabatur. *Ut hunc absolvam*] Id est, ut hunc, reddito illi pretio, dimittam. Nam velut ligati sunt, quibus debetur aliquid. Dicuntur etiam *servi* (aut dele *servi,* quod W. placet; aut repone *ipsi* Z.) illi *solvi,* qui quum debitores potiorum (Westerh. edidit *pretiorum*) fuerint, pecuniam reddunt debitam. Est ergo *absolvam,* a me solvam. An jocatur in tristitia lenonis, qui illum cum barba lenonia, et mœsto vultu sequitur tanquam reus? *Tu intro ad illam, Ctesipho*] Bona ἔλλειψις, significans lætitiam potiundæ meretricis. D.

Ad forum ibo] Ibi erant tabernæ argentariæ. v. in Phorm. V. 7. 28. et Donat. ad h. l. R. D.

Absolvam] *Absolvere* eleganter ponitur pro soluta pecunia dimittere v. Brisson. de verbor. significat. R. D.

14 *Syre, insta.*] Jam Syrus, non ut adjuvet, sed ut instanter adjuvet, rogatur. *Eamus, namque hic properat*] Hoc clamat Syrus, ut beneficium ostendat: sane (*tamen* Z.) ita ut rursus lenonem de profectione absterreat. *Ne tam quidem*] A lenone inconstanter dicitur, ut perturbatio metuentis, magnum damnum possit ostendere (forte leg. *Hoc a lenone inconstante ita dicitur, ut perturbatio metuentis magnum damnum possit ostendi.* Certe *hoc,* et *posset ostendi* extat in Mss. et edd. vett.). *Ne tam quidem*] *Tam* pro *tantum.* an *tam* pro *tamen?* et deest, *dicas me properare,* aut *propero:* ut sit etiam adverbium hortantis, vel consentientis. D.

Hic properat Cyprum] Insultandi (*incitandi* Z.) modo dictum, quo lenoni omne reddat. Ecce jam beneficium cipit esse. E.

Ne tam quidem] Mihi videtur Sannio velle significare, se *non tam* properare in *Cyprum,* ut non malit ante argentum recipere pro rapta Fidicina. Certe hunc sensum hoc loco firmant sequentia. Unde recte Fabrini: *ne tam quidem, scilicet propero;* vertitque: *jo non ho tanta fretta.* Edd. Anonyma et Tarvisiana, *ne tam cito quidem.* W.

15 *Quamvis etiam*] (*Quamvis* repete

Digitized by Google

SA. At ut omne reddat. SY. Omne reddet; tace modo, ac sequere hac. SA. Sequor.
C. Heus, heus, Syre. SY. Hem, quid est? C. Obsecro hercle hominem istum impurissimum
Quam primum absolvitote: ne, si magis irritatus siet,
Aliqua ad patrem hoc permanet, atque ego tum perpetuo perierim.

Z.) Pro *in quantum vis*. *Etiam* particula, utrum consentientis adverbium, an conjunctio? qua significat et properare se, et non in tantum, ut negligat quod sibi debetur. *Maneo otiosus hic*] Hoc separatim inferendum est, quasi pertinaciter asserentem lenonem instaturum se exclamationem * facere denotetur (forte sic leg. HIC *separatim inferendum est, quasi pertinaciter asserentem lenonem institoriam se exclamatione facere denotetur.*) *Maneo otiosus hic*] Dixerat enim *propero:* et rursum consenserat in Syri verba, *properasse se* dicentis. *Reddetur, ne time*] Quod desperaverat leno, Syri ostendit sermo. D.

Quamvis etiam maneo otiosus hic.] Sensus commodissimus videtur esse: quanquam profecto otiosus futurus sim, si hic maneo, i. e. quanquam hic manendo nihil agere possim, quod in rem meam sit; seu, quamquam mansio mea hic loci, nihil mihi afferat emolumenti. Potest etiam Synchysis in verbis esse, ita explicanda: *etiam maneo hic, quamvis otiosus.* M.

Quamvis.] I. e. valde, admodum Plaut. in Pseud. IV. 7. 79. *quamvis perpaucæ est.* Liv. I. 4. v. Græv. ad Cicer. de Amicit. c. 26. R. D.

16 *Ut omne reddat.*] Propter illud quod Syrus dixerat, *dividuum face.* Et probatum est, completumque quod ait, *Cupide accipiat faxo.* Et hoc ipsum, cum trepida et vultuosa supplicatione pronunciandum est. *Tace modo ac sequere hac*] Sic ait Syrus, quasi nunc lenonem doceat, quæ sit ars non perdendi. Et totum cum supercilio præstantis magnum beneficium dicit. *Sequor*] Hoc verbo (*Hoc responso* Ms. H.) leno satis commitigatus ostenditur. D.

17 *Heus! heus! Syre.*] Ex argumento est ostendere, quantum timeat Ctesipho sævum patrem. *Heus! heus!*] Vox est de longinquo revocantis. *Obsecro hercle, hominem istum impurissimum*] Satis mansuete, quasi *lenonem* aut non possit rusticus, aut non audeat dicere, *hominem* dixit. *Istum impurissimum*] Avarissimum, et totum cum execratione lenonis. D.

Hominem impurissimum] Malum: ut sæpe docui. E.

Lege ex duobus codd. *Obsecro hercle te, hominem.* Alioqui claudicat versus. B.

18 *Ne, si magis irritatus siet*] Velut clamet scilicet: et proprie de lenone, quem irritari dicit ut canem. Nam *irritari*, proprie canes dicuntur. Lucilius de littera R. *Irritata canis quod, homo quam, planius (plurima* edd. vett.) *dictat.* Lenonem autem timet Ctesipho ut rusticus, ut sub patre duro, ut amator. D.

19 *Aliqua ad patrem hoc permanet*] Non dicit quid: sed nos intelligimus raptum puellæ significari. *Aliqua ad patrem hoc permanet*] Proprie secretum latens latici comparatur, intra vas clausum existenti: quod, quum effunditur, *manat.* Sic et alibi de committendis secretis loquens, *plenus,* inquit, *rimarum sum: hac atque illac perfluo. Atque ego tunc perpetuo perierim*] Quasi et nunc se periisse sentiat, sed non *perpetuo.* D.

Aliqua] Supplendum *via* vel *ratione.* R. D.

Digitized by Google

SY. Non fiet: bono animo esto: tu cum illa te intus oblecta interim,
Et lectulos jube sterni nobis, et parari cætera:
Ego jam transactare convortam me domum cum obsonio.
C. Ita quæso: quando hoc bene successit, hilarem hunc sumamus diem.

ACT. III. SCENA I.

SOSTRATA. CANTHARA.

OBSECRO, mea nutrix, quid nunc fiet? C. Quid fiat rogas?

20 *Non fiet, bono animo esto*] Ut illi liberalis timor est: ita Syro servilis confidentia. *Tu cum illa te intus oblecta*] Moraliter *illa* dictum est. ut, *daturus illa hodie Pamphilo?* et (Phorm. 1, 2, 84, *illa quidem mea erit. Tu cum illa te intus oblecta*] Honeste explicavit turpe dicta (*turpe factum*. Ms. B. et edd. vett.). D.

Pro vulgari *esto*, Bemb. et Basilic. recte habent *es*. B.

21 *Et lectulos jube sterni nobis*] Servus. * nihil tam comicum (*servus ait* NOBIS; *quod est etiam comicum*. Z.). Et vide ut totum superbe ac magnifice loquatur Syrus. D.

22 *Convertam me domum*] *Convertam*, magnifice dictum. verbum est enim magni moliminis et agminis ingentis. Nam *converters se*, dicitur quem pompa præcedit: et imperator proprie convertit exercitum. Et (*ex* Ms. H.) hoc spectatur, ut moribus arrogantes servi sint, quum lætantur. D.

23 *Ita quæso*, &c.] Volunt quidam et hunc versum Syri personæ adjungendum: sed Ctesiphonis verba esse, ex subditis planum est, quum dicit, *hunc diem miser nimis cupio, ut capi, perpetuum in lætitia degere*. D.

Hilarem hunc sumamus] Charis. lib. 2. L.

Recte pro *hilarem* correxit Palmerius *hilare*. Nam Charisius p. 180. "*Hilariter* ab eo, inquit, quod est *hilaris: hilare* autem ab *hilarus*. Acron in Terentii Adelphos; ubi Terentius, *hilare hunc sumamus*, inquit, *diem*. Sed et Afranius in Sororibus: *nunc te obsequentem atque hilaram, ut dixi, præbeas.*" Deinde Plautus in eadem phrasi adverbium usurpat Epid. 1, 2, 54. *Eamus intro ad te, ut hunc hodie diem luculente habeamus*. Huc accedit, quod antiquis temporibus semper *hilarus*, unde *hilare*, dicebant; nunquam *hilaris*. B.

Hilarem hunc sumamus diem] Rectissime Bentlei. e Charisio veteri grammatico emendat *hilare hunc sumamus diem*. *Hilare* veteres dicebant pro *hilariter* ut *hilarus* pro *hilaris*. *Sumere* est consumere. Plaut. in Pœnd. V. 1. 23. R. D.

1 *Obsecro, mea nutrix*] Hæc scena (aut corrige *hæc et sequens scena*; hat

Digitized by Google

Recte edepol spero. S. Modo dolores, mea tu, occipiunt primulum.

C. Jam nunc times, quasi nunquam affueris, nunquam tute pepereris.

statue, auctori hanc et sequentem fuisse unam scenam. Nam ut *expectatio* in hac scena continetur, ita Getæ *nuncius*, et *planctus* Sostratæ in sequenti Z.) Tragœdiæ ordinem servat. Nam Tragœdia in tria dividitur, exspectationem, gesta, et exitum. Hic ergo exspectatio est in Getæ nuncio: gesta, in planctu Sostratæ: exitus, *(distinguo cum Westerh. *Hic ergo exspectatio est: in Getæ nuncio, gesta: in planctu Sostratæ, exitus.* Lacunam enim, cujus nullum vestigium in codd. dicitur reperiri, primus sensalavit R. Stephanus, uti viri ingenium fuit. Z.) *Obsecro, mea tu nutrix*] Hinc demonstratur, qui sit maternus affectus: quam grata in dominos servorum fides sit: eandemque laborem et dolorem esse ex fidelis et veris malis. *Obsecro, mea tu nutrix*] Personæ aut suis verbis, aut aliorum insinuantur. Ex suis: ut nunc persona Sostratæ. Ex alienis: ut Æschini persona ex Micionis oratione ac Demeæ. *Obsecro, mea tu nutrix*] Mea nunc pro blandimento ponitur. *Quid nunc fiet?*] Imploratio est magis trepidantis, quam ignoratio et interrogatio. Namque illius nutrix est, quippe ancilla est: sed sapientior nutrix est, quam domina sua. Ipsum etiam quod dicit, *nutrix*, honorificum est. Ut, Æn. IV. 634, *Annam, cara mihi nutrix, huc siste sororem.* Sunt enim nomina ad aliquid, vid. infra III. 4, 10, quibus nos tamen veltimus ab omnibus appellari, ut *magister, medicus, orator.* D.

Obsecro mea nutrix] Hæc scena æstus habet et querelas, quod mulier parturiat, quam Æschinus compressit, et hodie non venerit, quod rapuerit meretricem fratri. E.

Vulgo *quid fiet rogas?* Sed melieres libri *quid fiat r.* B.

2 *Modo dolores, mea tu, occipiunt primulum.*] Evidenter hic *modo* temporis præsentis adverbium est. Et rursus *mea tu*, blandimentum est: sine quo non progreditur colloquium feminarum, et maxime trepidantium. *Primulum*] Initium, et ipsa origo dolorum, diminutive demonstrata est. Non enim *primum*, sed *primulum* dicit. D.

Dolores, mea tu, occipiunt] *Mea tu*, hæc pronomina benevolentiam audientis merentur. *Primulum* vero, adverbialiter ait. E.

Occipiunt primulum] Prisc. lib. 15. I.

Tan. Faber verba *modo* —— *primulum*, ipsi quoque Cantharæ tribuenda putat, ut illud, *mea tu*, sit ancillæ reblandientis herus, quæ ante dixerat *mea nutrix*. At fallitur. Nam illud, *mea tu*, familiarius est, quam ut a serva ad Dominam dicatur. Nam vel pares dicunt *mea tu*, vel dignior ad inferiorem. B.

3 *Jam nunc times, quasi nunquam affueris, nunquam tute pepereris.*] Docte duo proposuit, quibus experientes scientesque rerum sumus, videre et pati. Virgilius sic, Æn. II. 5,— *quæque ipse miserrima vidi: et quorum pars magna fui. Tute* autem pro *tu*: τραχύτερον est, quod * recitatu. Et facit (*quod si resuscitatur, facit* edd. vett.) *tute*, et *tutemet*, et *tutemetipse*. *Nunquam tute pepereris*] Vide προσωποποιΐαν doloris: nihil mali adhuc secutum est, et jam sic turbatur Sostrata. D.

Times] Facile illam solatur quæ virum experta sit, ut et pepererit et parturienti affuerit. E.

Nunquam tute pepereris] V. C. *peperisti*. L.

Elegantius Cod. Petronii, *quasi nunquam affueris*. B.

Adfueris] Sub. Parientibus. Sic And. IV. 4. 32.

In pariundo aliquot adfuerunt *liberæ*. W.

Digitized by Google

S. Miseram me! neminem habeo: solæ sumus: Geta autem hic non adest:
Nec quem ad obstetricem mittam, nec qui arcessat Æschinum.
C. Pol is quidem jam hic aderit: nam nunquam unum intermittit diem,
Quin semper veniat. S. Solus mearum miseriarum est remedium.
C. E re nata melius fieri haud potuit, quam factum est, hera:

4 *Miseram me!*] Proprium est mulierum quum loquuntur, aut aliis blandiri: ut, *Annam, cari mihi nutrix, hoc siste sororem.* Aut se commiserari. ut, Æn. IV. 420,—*misræ hoc tamen unum Exsequere, Anna, mihi.* Nam hæc omnia muliebria sunt, quibus pro malis ingentibus quasi in acervum rediguntur, et enumerantur nullius momenti querelæ. *Neminem habeo:*] Quid enim opus est? aut cur nunc queris? *Neminem habeo: solæ sumus*] Muliebriter queritur, et ex perturbatione sua æstimans, metu multa facit ea, quæ pauca sunt. *Solæ sumus*] Nunquam pluraliter *solæ* (Verba *solæ s. n. p. S.* recte absunt a Codd. vett.) *Solæ sumus*] Quum hoc nomen singularitatis sit, mire *solæ* pluraliter dixit. *Geta autem sic non adest.*] Hic apparatio est, ut ostendatur absens, qui superventurus est. D.

Geta autem hic] Prisc. lib. VII. L.

5 *Nec quem ad obstetricem mittam*] Deest *Habeo.* Sed in consuetudine est sic loqui, quum utrumque nobis, non alterutrum deesse conqueramur. *Nec quem ad obstetricem mittam, nec qui arcessat Æschinum*] *Habeo* subauditur, et magis a trepidante, quam rationabiliter dicitur: nam refellit hoc totum nutrix Canthara. D.

Et versus, qui Jambicus esse debet, et sententia legi postulant, *nec est, quem ad obstetricem*, &c. B.

6 *Nunquam unum intermittit diem, quin semper veniat.*] *Nunquam*, pro *non.* Et *semper* non ad omne tempus retulit. Nam qui potest? sed ad omnes dies, secundum quod ait, *nam nunquam unum intermittit diem.* D.

7 *Solus mearum miseriarum*] Bona locutio. D.

Veteres libri recte sic, *sólus mearum est miseriarum rémedium.* B.

8 *E re nata*] Sic proprie dicimus de iis, quæ contra voluntatem nostram acciderunt: ut nunc vitium virginis. Ergo *E re nata*, ex vitio virginis. Sic Lucilius, p. i. i. *Hic e re nata sic ejus dedit: haud malus est.* Et sic maluit dicere, quam nunc (*quum non*) Æschino culpam, sed potius casui attributam vellet. Est autem ordo, nihil potuit melius e re nata fieri, quam id quod factum est, hera; ut, quandoquidem vitianda erat virgo, ab eo vitiaretur, qui erat expetendus ad matrimonium. Sensus enim hic est, malum, vim fieri virgini: sed ex conditione ejus quæ vitiata sit, nihil potuit melius evenire quam contigit, ut ab eo vitiaretur, cujus non poeniteret. Intelligere autem debemus, *fieri* et *factum esse:* pro *evenit* et *contigit* dici. *Melius fieri haud potuit*] Si *fieri* pro *evenit* acceperis: erit consequutio locutionis. sin minus: deerit, *quantum intelligo.* ut sit, *e re nata, quantum intelligo.* D.

E re nata] Id est, domino vitium oblatum est: melius tamen illud, quia hic vitiator est, qui optimo ingenio, hoc est, qui nobili genere et animo natus est, ut inerubesceret, ni eam uxorem duceret, quam ipse vitiasset. E.

Digitized by Google

Quando vitium oblatum est, quod ad illum attinet potissimum,
Talem, tali genere atque animo, natum ex tanta familia.
S. Ita pol est, ut dicis: salvos nobis, deos quæso, ut siet. 11

Lege, *e re natæ*, h. e. ex commodo filiæ tuæ. Primum ob codd. nostrorum consensum. Deinde cum *e re nata* significet *ex tempore, celeriter*; efficitur sensus ab hoc loco alienus. Sin cum Donato explices *ex vitio virginis*, oritur tautologia; quia sequitur *quando vitium oblatum est*. B.

E re nata] Res nata dicitur, quæ repente accidit, πρᾶγμα παρὰ συμβαῖνὸς vel φύρημα πράγμα, res quæ nuper accidit. Far.

E re nata] I. e. quando res ita cecidit, quando reliqua ita se habent, qua formula utuntur quibus quid contra voluntatem ita accidit, ut tamen incommodum cum aliquo commodo conjunctum sit. v. Donat. ad h. l. Cic. ad Attic. VII. 8. XIV. 6. Quodsi retineamus librorum fere omnium scripturam probatam Bentleio *e re natæ* intelligendum est ex commodo filiæ tuæ. Sic dicitur *e re mea, e re tua*, &c. R. D.

9 *Quando vitium oblatum est*] Hoc est, e re nata. *Oblatum est*] *Oblatum* dicitur, quod offertur invito. *Quod ad illum attinet potissimum*] Quasi (*non quasi* Z.) *vitium oblatum* sit *potissimum*, hoc est, bonum: sed ex persona ejus qui obtulit vitium, factum est bonum, quod per se ipsum malum est. Et hoc est quod melius haud fieri potuit, quam factum est. *Illum* autem dicit, Æschinum scilicet. *Potissimum* autem superlativum est ab eo quod est *potis*, et *potius*. Sic enim facit, *potis, potius, potissimum*. Et *quod*, modo exceptionem significat: ut sit: *quantum ad illum attinet*, id est, Æschinum. D.

10 *Talem*] Scilicet a corpore, a forma, a pulchritudine. *Tali genere*] Laus ante illum talem: et tali animo, in illo. Et *genus* jam ad vivos pertinet, *familia* etiam ad defunctos. Alii *genus* ad nobilitatem referunt, *familiam* ad copias: unde et *paterfamilias* dicitur. ut sit, *ex tanta familia*, ex tam divite domo. Hæc omnis παράστασις tragica est gaudiorum introductio, ante funestissimum nuncium. *Tali genere*] Id est, ab his quæ extrinsecus sunt, id est, honestate generis. *Atque animo*] Id est, sapientia, modestia. Hoc modo igitur nihil prætermisit in laude (Hanc notam mire turbatam sic emendandam puto: *Talem*] Laus scilicet a corpore, a forma, a pulchritudine. Ante: *illum talem*. Hæc, et *tali animo*, in illo. *Tali genere*] Laus ab his, quæ extrinsecus sunt, id est, honestate generis. *Genus* tantum ad vivos pertinet; *familia* etiam ad defunctos. Alii *genus* ad nobilitatem referunt, *Familiam* ad copias. Unde et *paterfamilias* dicitur, ut sit, *ex tanta familia*, ex tam divite domo. Hæc omnis παράστασις tragica est gaudiorum introductio, ante funestissimum nuncium. *Tali animo*] Id est, sapientia, modestia. Hoc modo igitur nihil prætermisit in laude.) D.

Quæ Donatus de discrimine *generis* et *familiæ* hic disputat, deliramenta sunt magistrorum, qui cum emendare nesciant, quovis modo explicare audent. *Genus* et *familia* cum idem valeant; in eodem commate conjungi non possunt. Igitur pro *genere* restitue *ingenio*. Nam *ingenium* et *animus* recte et sæpe conjunguntur; ut infra v. 3, 42. And. 1, 1, 86. et apud alios sexcenties. B.

11 *Salvos nobis, deos quæso, ut siet.*] Quam bonus est, quum nihil (*quia talis est, nihil* Ms. Bœnd.) ad vota præter salutem, opus est. D.

Ita pol est] Receperat enim aliquo modo animum, dum hæc adjunxit. E.

Digitized by Google

ACT. III. SCENA II.

GETA. SOSTRATA. CANTHARA.

NUNC illud est, quod si omnes omnia sua consilia conferant,
Atque huic malo salutem quærant, auxilii nihil afferant,
Quod mihique heræque, filiæque herili est: væ misero mihi!
Tot res repente circumvallant, unde emergi non potest:

1 *Nunc illud est*] Hic locus, secundum artem comicam, servum currentem exprimit, et nunciantem mala. Maxima itaque pars scenæ motoria est. Significat autem (videtur excidisse, *nunc illud est* Z.) nunc tale negotium est, nunc tale periculum est: aut (*an*) vero consignificationem temporis habet, ut si diceret (ut siquis *ei diceret* Z.), quando aut quo tempore? *Nunc illud est*] Utrum periculum, an tempus? Est enim ἔλλειψις. *Quod si* omnes *omnia sua consilia conferant*] Ὑπερβολὴ cum παρωνομασίᾳ, *omnes omnia*. Hinc Cicero, *omnes in hoc judicio conferant omnia*. D.

Nunc illud est] Hæc scena conquestum omnem tenet, quia servus vidit Æschinum rapere meretricem, qui suæ dominæ vitiator est, et qui promiserat se eam uxorem ducturum. Ignorat enim servus quia non sibi, sed fratri Æschinus rapuit. Arbitratus igitur dominam derelictam ingemiscit, et conqueritur apud adolescentem mutatam esse fidem. Præsentes mulieres sunt; quæ cum audissent servum, et ipsæ dolent. et post efficitur deliberatio, an perferendum sit, quod vitiata puella esset: ut coactus legibus adolescens eam ducat uxorem. Et si hic partes ambæ indicandæ sunt, ut suis locis tractabimus: nunc de quæstione dicemus exordium. *Tale malum est, ut si omnes omnia sua*, &c. Post subjungit: *hoccine seculum!* Primum seculis detraxit, deinde hominibus. Quemadmodum laudative, Æ. I. 609, — *quæ te tam læta tulerunt secula, qui tanti talem genuere parentes?* E.

Lectio plerorumque Codd. *Quod si omnia omnes*, venustior est, et collocatione et numeris. B.

2 *Salutem quærant*] Non *remedium*, ut ægro: sed, ut percunti, *salutem*. Et nove dixit, *malo salutem*, pro *contra malum*. *Auxilii nihil afferant*] Mire de proximo repetitum est παρόμοιον; id est, *conferant* et *afferant*. Hoc convenit præsertim stomacho minus verba curantis (Melius, *stomachanti minus verba curanti*. Z.) Sic supra, *omnes omnia*. D.

3 *Quod mihique, heræque, filiæque*] Mira in servo fides, quum primum se ponat in herili malo: et post se, matrem: in ultimo puellam. *Quod mihique, heræque, filiaque herili est:*] Πολυσύνδετον secundum. ut, Georg. III. 343, —*omnia secum Armentarius afer agit, tectumque, laremque, Armaque, Amyclæumque canem, Cressamque pharetram. Væ misero mihi!*] Ἐμπαθῶς σχετλιάζει. D.

4 *Circumvallant*] *Circumvallant* se circa nos, et stipant se invicem. Nam *circumvallamus* nos et alios. tamen rara locutio est (Victorius V. L. XXXII. 6, existimat, Menandrum forte usum esse verbo περιστοιχίζεσθαι, quod hic Terentius expresserit.) Et *circumvallant* dixit, velut inimica acies contra nos: et ideo addidit, *unde emergi non potest*] Quum impressio est hostium, sic dicitur. ut Sallustius, *pressi undique multitudine*. Cicero, *qui semper premuntur, et nunquam emergunt*. Et *emergi*, nove. Nam *emergo* dicitur, non

Digitized by Google

Vis, egestas, injustitia, solitudo, infamia.
Hocine seculum? O scelera! O genera sacrilega! O hominem impium!
S. Me miseram! quidnam'st, quod sic video timidum et properantem Getam?
G. Quem neque fides, neque jusjurandum, neque illum misericordia

emergor. sed ideo est usus, quia extra compositionem et *mergo* et *mergor* facit. *Unde emergi non potest*] *Unde*, absolute. ad deest *illud?* an *unde*, pro *ex quibus?* D.

Circumvallant] I. e. obsident, angunt. v. P. Victorii var. lection. II. 16. R. D.

5 *Vis, egestas, injustitia, solitudo, infamia*] Hæ res sunt quæ circumvallant: *vis* illata: *egestas* ipsius puellæ, *injustitia* judicum illius temporis: *solitudo* a defensoribus: *infamia* ab iis, qui credunt pretio vitiatam. Nam et in subditis sic habes, *quando, ego conscia mihi sum, neque pretium, neque rem ullam intercessisse.* D.

6 *Hocine seculum*] Ἐπ ὄθυ. Questurus de homine, seculum accusat prius: ut, *O tempora! O mores!* Et e contrario, secula in omnibus rebus laudantur: ut, *Æn.* I. 605,—*quæ te tam læta tulerunt secula? O scelera! O genera sacrilega! O hominem impurum!*] Moris est nimis dolentibus incusare alia ex aliis. Virg. Ecl. V. 22. —*Quum complexa sui corpus miserabile nati, atque deos atque astra vocat crudelia mater.* Et, Æn. II. 745. *quem non incusavi amens hominumque deorumque? O hominem impurum!*] Æschinum scilicet. Et hoc ὀθικῶς. Nam semper ultimum ponimus eum, cui maxime irascimur. ut in Andria, post accusatum socerum, et vituperatam sponsam, *nam quid ego dicam de patre?* Et in Phormione, *Itane tandem uxorem duxit Antipho injussu meo?* Et post multa, *O facinus audax! O Geta monitor!* Unde ille, *vix tandem*, inquit. D.

Non aliter stat versus, nisi recoperis optimorum Codd. *seclum* pro vulgari *seculum.* B.

7 *Video timidum et properantem Getam*] *Timidum*, perturbatum, non enim timet, sed dolet. Sic Plautus in Bacchidibus I. 1. 73, *nam ut ex navi vecta es, credo, timida es.* D.

8 *Quem neque fides, neque jusjurandum*] Ordo est, Hominem impurum, quem neque fides, neque jusjurandum. Et sæpe repetitum *neque*, exaggerat crimen admissum. *Quem neque fides*] Quia juravit. *Neque jusjurandum*] Quia vim intulit. *Neque illum misericordia*] Secundum παράλλαξιν; nam abundat *illum*: ut, Æn. V. 457. *Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra.* Et ejus videlicet misericordia quam amavit, neque repressit, ne auderet: *neque reflexit*, ne faceret. Et sic hoc dictum est, ut a Virgilio, Æn. IV. 369. *Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit? Num lacrymas victus dedit, aut miseratus amantem est?* et cætera. ut si non potuit reprimi ne faceret: saltem ut in peccando esset mitior, debuit (*debuerit* Z.) commoveri. sed melius quod supra. D.

Quem neque fides.] Hæc conquestionis partes sunt, quod a nullo revocatus sit Æschinus, nec quia juravit, nec quia promisit, nec quia misericordia flecti debuit, nec quia jam partus videbatur esse vicinus. E.

Neque jusjurandum] Cato apud Noninm: *Qui neque fidem, neque jusjurandum, neque pudicitiam multi facit. Neque illum*] Donatus monet *illum* παράλλαξιν. ergo etiam in illo Senecæ loco Controvers. XXX. *Timeo nescio quem, illum, qui patrem meum occidit.* Quod

Digitized by Google

Repressit, neque reflexit, neque quod partus instabat prope,
Cui miseræ indigne per vim vitium obtulerat. S. Non intelligo
Satis, quæ loquatur. C. Propius obsecro accedamus, Sostrata. G. Ah,
Me miserum! vix sum compos animi, ita ardeo iracundia.
Nihil est quod malim, quam illam totam familiam dari mihi obviam,
Ut ego iram hanc in eos evomam omnem, dum ægritudo hæc est recens.

ni sic; eadem certe ratione *illum* sine aspiratione hic dictum, ut in Glossario, *illum* νάρτηκος τὸ ἐντὸς. Lucill. *nec proficit hillum.* L.

Neque illum misericordia] Mira venustas et vis est in abundanti ut videtur pronomine *illum* quod inepti magistelli mutarunt in *ulla* Horat. I. 9. 13. ubi v. Bentl. Virg. Æn. V. 457. v. cl. Ernestum ad Callimach. in Dian. V. 150. R. D.

9 *Neque quod partus instabat prope*] Αὐξητικῶς addidit non tantum mariti, sed etiam patris scelus. D.

10 *Cui miseræ*] Deest, *ei. Indigne*] Impie, crudeliter, ut Virg., Æn. II. 285. — *quæ causa indigna serenos fœdavit vultus? Non intelligo satis quæ loquatur*] Ad hoc Sostrata ignorans inducitur, ut malo nuncio repente feriatur. Et quia oportuit ipsam priorem loqui, præsens est (*E. q. o. i. propiorem loqui, porro servus loquitur*). Quia autem non est perdenda tam suavis ἠθοποιΐα dolentis ad irascentem: idcirco non audit (*idcirco nec Canthara audit*), ne ob illam Geta conservus loqui desinat. D.

Vitium] Stuprum. Gell. II. 23. v. Bentl. ad Horat. Carm. III. 27. 39. R. D.

12 *Satis quæ loquatur*] Adhuc non audiente Geta loquitur. idcirco nec audit eum satis (Lego ope Codd. *Adhuc non audiente hera. Idcirco nec audit eam servus*), nec videtur ab eo Sostrata. D.

12 *Vix sum compos animi*] Aut *vix*, tandem: aut *vix*, non. ut Lucilius, *carcer vix carcere dignus. Compos animi*] Id est, competentis (*compotentis* Ms. B. Sed forte, *compotens*) animi, vel sani animi. cui contrarium est, *impos animi*. Sallustius, *neque animo, neque lingua satis compotem*. quum de amente Septimio loqueretur. Alii, *compotem animi*, compositum animo (*compositum animum* Ms. B. et edd. vett.) intelligunt. D.

Vix sum compos animi] Id est, vix sum apud me. *Compos* siquidem est suæ voluntatis effector: unde et *impos*. E.

13 *Quam illam totam familiam*] Hic nunc tam culpa familiæ, quam scelus Æschini ostenditur, propter quem omnes cruciandi sunt. D.

14 *Iram hanc*] *Hanc* interdum pro qualitate, interdum pro quantitate accipimus, interdum pro utroque. ut, Æn. I. 98. *Tuaque animam hanc effundere dextra?* Et Æn. IX. 481. *hunc ergo te, Euryale, aspicio?* Sed nunc pro utroque, *hanc*, dixit. ut Sallustius de scriptione Celtiberi ait, *hunc igitur redarguit Tarquinius*, (Alii, *Tarquitius*). D.

Recte unus ex veteribus, *Ægritudo est haec recens*. B.

Iram hanc in eos evomam omnem] Id

Digitized by Google

Satis mihi id habeam supplicii, dum illos ulciscar modo.
Seni animam primum extinguerem ipsi, qui illud produxit scelus:
Tum autem Syrum impulsorem, vah! quibus illum lacerarem modis,
Sublimem medium primum arriperem, et capite in terram statuerem,
Ut cerebro dispergat viam.

Græcis est ἐμέσαι τον πονηρὸν χολῆς χυμόν. Sic infra III. 4. 65. Hec. III. 5. 65. Cic. Amic. 23. *Pati non possit, ut non anquirat aliquem, apud quem evomat virus acerbitatis suæ.* W. Metaphora a serpentibus. Far.

15 *Satis mihi id habeam supplicii*] Moraliter loquitur: nam fere quando quisquam irascitur, sibi videtur fortis, tanquam qui plus audet. *Dum illos ulciscar modo*] Verum est hanc esse vindictam, quæ ex recentissimis flagitiis properata sit (*Quæ ex recentis vitii flagitiis properat.* edd. vett.) Sic Virgilius, Æn. X. 514. *te, Turne, superbum cæde nova quærens.* D.

Dum illos ulciscar] Erit plena vindicta, si modo illos puniam ac persequar. Exprimit post iracundiam suam. E.

Satis mihi] Charis. l. 2. L.

Versus claudicat, nisi in *dum* synalœpha cesset, plane contra artem et Terentii morem. Dele ista, *dum illos ulciscar modo.* Hemistichium est, ut mox vers. 19. B.

Satis mihi id habeam supplicii] Contentum esse, et putare sibi satisfactum, *satis habere* dicitur. Phorm. V. 8. 40. Plaut. Mostell. V. 2. 43.

Si hoc pudet, fecisse sumtum; supplicii habeo satis.

Ita Juppiter apud Lucian. Timone, Πλὴν ἱκανὴ ἐν τοσούτῳ καὶ ἥυτη τιμωρία ὅσται ἄυτοις. Dacieria præter mentem comici: *il n'y a rien, que je ne voulusse souffrir.* W.

16 *Seni animam primum extinguerem ipsi*] Bene *extinguerem:* quia ignis est. Virg., Æn. VI. 730. *Igneus est illis vigor, et cœlestis origo seminibus* — Et *primum* addidit, quod ordinem significat. tunc enim adjicitur, quum multa subjicienda monstrantur: ut cui fracta prius crura brachiaque,* et cætera vitia, in Æschinum totum promovens (forte, *brachiaque, et cætera. Vindicta in Æschinum stomachum porro movens*) ostenditur etiam per aliena supplicia (edd. vett. cum Ms. B. addunt, *maxime per Syrum impulsorem*). D.

Animam] I. e. vitam Lactant. III. 11. *exstincta innocentis anima inulta esse non potest* et VI. 11. *animas hominum, ne extinguantur, humanitate sustenta.* R. D.

Produxit] I. e. procreavit. Hor. carm. secul. V. 17. R. D.

17 *Syrum impulsorem*] Causæ pœnæ (*qui est causa pœnæ Z.*) *Vah, quibus illum lacerarem modis!*] Hic voluntas immodica ostenditur, pœnam pro merito reposcentis. Et nota, quum Syrum dixerit, addidisse notas de supercilio. D.

18 *Sublimem*] Ista (*ipsa*) pœna. D.

Lege, *Sublimem medium arriperem, et capite prónum in terram státuerem.* Nam ex *pronum* per compendium scribendi est ortum *primum:* quod postea, ne sensus plane ineptus efficeretur, retractum est ad prius versiculi colon. B.

Capite primum in terram statuerem] Verissime viri doctissimi emendarunt *capite pronum in terram* statuerem h. e. præcipitem in terram statuerem. Catull. Carm. XVII. 8. Virg. Æn. I. 115. *pronusque magister volvitur in caput* v. Bentlei. ad h. l. R. D.

19 *Statuerem, ut cerebro dispergat viam*] Et cerebrum et via dispergi potest: ideo videtur ambiguum. ut apud Virg., Æn. IV. 664. — *ensemque*

Digitized by Google

Adolescenti ipsi eriperem oculos: post hæc præcipitem darem.
Cæteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, et prosternerem.
Sed cesso heram hoc malo impertiri propere? S. Revocemus. Geta.
G. Hem, quisquis es, sine me. S. Ego sum Sostrata. G. Ubi ea'st? te ipsam quærito:
Te exspecto: oppido opportune te obtulisti mihi obviam,
Hera. S. Quid est? quid trepidas? G. Hei mihi! S. Quid festinas, mi Geta?

eruore Spumantem, sparsasque manus.— Aliter enim dicitur, Ecl. V. 40. *spargite humum foliis.* — Aliter, Æn. IV. 512. *sparserat et latices simulatos fontis Averni.* D.

20 *Adolescenti ipsi eriperem oculos*] Bene *oculos*, amoris indices (forte, *illices*), adiutoresque flagitii. *Posthæc præcipitem darem*] Gravior pœna cæcitatis (*ob cæcitatem*, seu, *cæcati* Z.) non providere quo cadas. D.

21 *Cæteros ruerem*] *Ruere*, activam vim habet. Sallustius in secundo, *ictu eorum, qui in flumine ruebant, necabantur.* *Ruere* enim, est toto corpore uti ad impellendum: quod faciunt, qui ipsi præcipites alios prosternunt. Unde proprie *sues ruere* dicuntur. Virg., Ge. III. 255. *Ipse ruit, dentesque Sabellicus exacuit sus.* Et Horat., Epist. II. 2. 75. *Hanc rabiosa fugit canis, ac lutulenta ruit sus.* *Agerem*] Prosequerer, premerem. Virg. Æn. IV. 245. *illa fretus agit ventos.* Id est, nimia celeritate persequitur, et pene occupat, prævenitque. *Tunderem, et prosternerem*] Vide quam fortis sibi videatur, qui dolet et irascitur. D.

Tunderem, cum omnia hic a re militari tranalata sint, a loco est alienum. Ergo ampleotere, quod Guyetus substituit, *funderem*. *Fusi* enim *hostes* passim occurrunt. B.

Ruerem] Ruere activum est omnibus viribus impellere. Virg. Æn. XII. 454. *ruet omnia late* Valer. Flacc. III. 102. v. Lambin. ad Lucret. I. 273. et Heins. ad Virg. Æn. VIII. 63. R. D.

Agerem] I. e. propellerem Sueton. in Cæs. c. 68. v. Burmann. ad Phædr. IV. 12. 3. R. D.

22 *Heram hoc malo impertire*] Id est, participem facere. R.

23 *Ego sum Sostrata*] Hæc ideo inducitur, ut verisimile sit supra non visam Sostratam: quando etiam vix nunc agnoscitur ab irato. *Te ipsam quærito: te exspecto: oppido opportune*] Incerta distinctio, utrum *te exspecto oppido opportune*, sit dicendum: an (forte excidit, *oppido opportune, ad sequentia referendum sit? Verum cum* Z.) *exspectare* sit impatienter cupere, et sine præscriptione temporis: *sperare*, juxta certum tempus. Unde (*tempus: inde* Z.) apparet ad *te exspecto*, quia per se nimium est, non esse jungendum *oppido*. D.

Pro *ubi ea est?* corrige *ubinam es?* ut est alibi. B.

24 *Oppido opportune*] Valde. E.

Pro *exspecto*, quod alienum est, quia hoc totum inexspectatum accidit, recipe Codicis Academ. *Expeto*. Vide nos ad Eun. IV. 6. 5. B.

25 *Quid festinas, mi Geta?*] Probus assignat hoc Sostratæ. Asper non vult ad omnia servum respondere (videtur legendum, aut, *ad omnia Sostratam respondere*. aut, *a domina servum resupinari*. Cf. Phorm. V. 6. 24.): sed nutri-

Digitized by Google

Animum recipe. G. Prorsus. S. Quid istuc prorsus ergo'st? G. Periimus:
Actum'st. S. Eloquere ergo, obsecro te, quid sit. G. Jam. S. Quid jam, Geta?
G. Æschinus. S. Quid is ergo? G. Alienus est ab nostra familia. S. Hem!
Perii! quare? G. Amare occepit aliam. S. Væ miseræ mihi!
G. Neque id occulte fert: ab lenone ipsus eripuit palam. 30

cem putat hoc loqui. *Quid festinas?*] Perturbaris? Et commotus dicit *prorsus*, actu commoto, fesso, et anhelanti, ob perturbationem et contentum cursum. D.

26 *Animum recipe*] Quod in lectione gestu ostendi minime potuit, id ex verbis Sostratæ ostenditur in Geta. Nam ideo dicitur, *animum recipe:* quia ille præ anhelitu crebriora verba continuare non possit. D.

Animum recipe] Id est, spiritum resume. Sensus profertur ille qui plenus est. Est autem integer talis, gemitu irrumpente *(interrumpente): ei mihi, amare occepit aliam.* Breviter summam proposuit: ac primum quæritur de fide, an constet admissum. Ille respondit: se vidisse. Rursus et ipsa conqueritur. E.

Placet recte Faerno lectio Bembini, quæ ipsa in nostro Cod. 900 annorum reperitur, *recipe animam.* Hæc enim sensui Terentii, et Donati disputationi de anhelitu probe convenit. B.

Animam recipe] I. e. respira. *Anima* sæpe dicitur anhelitus in Phorm. V. 6. 29. et cl. Valkenar. ad Euripid. Phœniss. V. 858. R. D.

27 *Perimus! actum est!*] Jam bina verba junguntur. *Perimus! actum est!*] Verba sunt desperationis. Nam *actum est*, dicitur in ea re, de qua jam lata sit sententia. *Eloquere, obsecro, quid sit*] Bene *eloquere.* Nam conatur tantum, quod nec explicatur, nec intelligitur: cui vitio contraria virtus est eloquentia. Jam plus hic gestu, quam dictu *(dictis)* agitur: quia ut supra diximus, et lassus est qui nunciat: et integratur dolor nuncii, quum apud illam loquitur, ad quam maxime calamitas portinet: quo dolore vox plerumque subtrahitur atque singultit: et simul dat signum perditarum rerum. D.

Pro *eloquere* versus causa repone *loquere.* B.

28 *Alienus est a nostra familia*] Bene *alienus.* Geta enim ipsi *(Getæ enim ipse)* jam dominus, Sostratæ gener, Pamphilæ maritus vocabatur. D.

29 *Amare occepit aliam*] Pejus est *amare occepit*, quam *amat.* Nam in eo quod dixit, *occepit*, augmenta mali metuenda significat: ut in principiis quæ actum respiciunt, non statim imminutionem inspectant. Et *occepit*, magnum facinus dixit. *Væ miseræ mihi!*] Mire interponitur mulieris affectus novo nuncio. D.

30 *A lenone ipsus eripuit palam*] Sic nunciat, ut ultima pejora sint. Et his argumentis vult probare, quod immodice amet Æschinus. Et pene plus quam amavit virginem, pudori qui non consuluit (Westerh. edidit, *Æschinus, qui plus quam virginem, id ipsum quod pudor nec hortatur, nec consulit, amat.* Z.) Quis autem magis potuit impudens esse, quam qui post honestum amorem, *ab lenone* amet? Hoc etenim significat meretricem. Ergo non honestum, sed *ab lenone:* non per alium, sed *ipsius:* nec emit, aut abduxit, sed

Digitized by Google

S. Satin hoc certum'st? G. Certe, hisce oculis egomet vidi, Sostrata. S. Ah,
Me miseram! quid credas jam? aut cui credas: nostrumne Æschinum?
Nostram vitam omnium, in quo nostræ spes, omnesque opes sitæ
Erant: qui sine hac jurabat se unum nunquam victurum diem, 34
Qui se in sui gremio positurum puerum dicebat patris;

ob impatientiam valde amantis *eripuit*. neque id *occulte*, ut qui celaret factum, tanquam satisfacturus uxori videretur: sed *palam*. D.

Palmerius distinguit post *lenone*, ut intelligatur *a lenone amare cœpit*; ut Eun. V. 4. 4. Sed recepta distinctio est sana. B.

Neque id occulte fert] I. e. non dissimulat, palam fatetur. Cic. pro Cluent. c. 19. Contra *palam* vel *aperte ferre* est publice dicere. Liv. II. 54. v. Drakenb. ad Liv. XXXII. 29. R. D.

Ab lenone eripuit] H. e. lenoni eripuit. Viri docti comparant illud Cicer. pro Marcello c. 10, *arma ab aliis erepta sunt* pro *aliis* quanquam Grævius eo loco scriptum putat *arma aliis erepta sunt*, ac forte melius hic fuerit, *a lenone* accipere pro *ex ædibus lenonis*. R. D.

31 *Satin' hoc certo?*] Magnis malis non statim creditur. Hoc ergo ex dolore dixit, quod stupet audiens: non, quia non habet fidem. *Hisce oculis*] ἰδιωτισμὸς asseverantis. *Ah!*] Interjectio est flentis. D.

Pro *certe* repone cum Faerno *certum*, ut responsio hæc conveniat interrogationi. B.

32 *Me miseram!*] Mira affectio. Nam lacrymæ non sinunt finire sensum. *Quid credas jam? aut cui credas?*] Fides aut personæ qualitate servatur, si gravis persona est cui creditur: aut ipsius rei qualitate, si ea res creditur, in qua fallere cui creditur, aut non potest, aut non debet. Hic ergo mire in utroque jam fidem dixit nullam esse, et in persona, et in re, quod Virgilius transtulit, breviusque dixit, Æn. IV. 373. *nusquam tuta fides*. Hoc est, nec in re, nec in persona. Et hic ipse in Heaut. *Pro Juppiter! ubinam est fides? Nostrumne Æschinum, nostrarum vitam omnium*] Ἑλλειπτικῶς omnia: quia fletus impedit verba. deest autem, *hoc fecisse*, vel quid tale. D.

Lectionem Codd. nostrorum, *quid jam crédas*, et versus et accentus postulat. Deinde in aliquibus libb. vett. auctore Faerno reperitur *nostrum Æschinum? Nostrumne Æschinum?* Qua lectione optime stet Trochaicus. B.

33 *Sitæ erant*] *Sitæ*, positæ. Nam *situm* est quicquid in loco suo positum non evertitur. D.

Omnes Codd. habent lectionem Lindenbrogii, præterquam quod Faerni et nostri collocant ita, *spes opesque omnes sitæ*. Sed forte hunc et seq. vers. Auctor sic collocavit: *Nostram ómnium vitam; in quo nostræ spés opesque omnés sitæ? | Qui sé sine hac jurábat unum núnquam victurúm diem?* B.

Spes opesque] Spes et opes sæpe junguntur Seneca ep 48. *in te spes opesque sunt* in Phorm. III. 1, 6. v. Cort. ad Sallust. Catil. c. 21. R. D.

35 *Positurum puerum*] *Puerum* dixit, si puer nasceretur: non quia (Codd. vett. addunt, *marem nasci*) divinabat. Ad votum ergo cupientis retulit *puerum*: non quia necesse esset marem nasci. Et hæc omnia, magno stupere dicuntur, ad exaggerandam perfidiam

Digitized by Google

Ita obsecraturum, ut liceret sibi hanc uxorem ducere?
G. Hera, lacrumas mitte: ac potius, quod ad hanc rem opus est porro, consule;
Patiamurne, an narremus cuipiam? C. Au, mi homo, sanusne es?
An hoc proferendum tibi videtur usquam esse? G. Mihi quidem non placet.
Jam primum illum alieno animo a nobis esse, res ipsa indicat. 40

illius cui creditur, et dolorem eorum qui crediderunt. D.

Pro vulgari *patrem* meliores libri habent *patris*. B.

In gremio positurum] Vetustissimus mos fuit jam ab heroicis ductus temporibus, ut filii pueros recens natos in patrum gremio ponerent. v. Homer. Iliad. Θ. 455. et Tanaquill. Fabrum ad h. l. R. D.

36 Ex Cod. Petrensi leg. *Hanc se uxorem ducere*. Quæ constructio reperitur Heaut. IV. 1. 53. B.

37 *Hera, lacrumas mitte: ac potius, quod ad hanc rem opus est*] Hinc Virg., Æn. XII. 156. *Non lacrymis hoc tempus, ait Saturnia Juno.* Sentit autem, non lacrymis agendum, ubi consilio opus est. *Porro consule*] *Porro*, in reliquum, deinde, vel in futurum. *Porro* enim, ordinis et temporis adverbium est, non conjunctio. D.

Hera, lacrumas mitte] Hinc jam deliberationis propositio est, cum dicit, *consule, patiamur an narramus?* Una pars subjungitur, non esse narrandum, *mihi quidem non placet*. Hujus rei argumenta illa sunt, quod primum Æschinum constat alienum habere circa istum (*istam*) animum. Si palam ergo prolatum fuerit, negabit continuo fortasse, hoc est, *inficias ibit*. Tunc continuo puellæ periclitabitur fama, *vita veniet in dubium*. Sin autem confessus fuerit adolescens se vitiasse, et propterea cogatur ducere uxorem, *utile non est dare illi puellam, cum aliam diligat*. Unde sine dubio quacunque ratione necessarium est conticescere. Deinde subjungitur pars altera: *minime gentium*, inquit, *non faciam*, potius *proferam*. Cujus rei argumenta hæc sunt: *quod pejore loco res jam esse non potest*. Est enim *indotata: secunda ei præterea dos* quæ esse potuisset, est ablata, virginitas. Sed si negabit Æschinus vitiatam, facile dinoscetur: *testis enim*, inquit, *mecum est annulus, quem amiserat*. Et certe cum ego conscia mihi sum, a me hanc esse culpam amotam, non enim corruptam, neque pretio pudicitiam puellæ vendidi, facile vindicabo, et me et illam indignam illa (excidit *re* Z.) Hoc argumento persuasit rem esse proferendam. Ita consentiens servus dixit, *quid istuc est, accedo ut melius dicas*. E.

Omnes Faerni *porro prospice*, præter Vatican. et tres ex nostris vett. ubi recte est *consule*, h. e. delibera. B.

38 *Au! mi homo, sanusne es?*] Hoc ex persona nutricis legendum est. illa enim dissimulandam rem putat. *Mi*, pro *meus*. D.

Deme *ne*, ut est Phorm. I. 3. 22. Deinde versus non stat, nisi recipias lectionem Codd. nostrorum, *au, au, mi homo sanun' es?* B.

39 Illud *esse* abest ab uno Cod. et tres, *proferendum hoc*. Lege igitur, *An próferendum hoc tibi videtur úsquam?* G. *mi quidem nón placet*. B.

Digitized by Google

Nunc si hoc palam proferimus, ille inficias ibit, sat scio.
Tua fama, et gnatæ vita in dubium veniet. tum si maxime
Fateatur; quum amet aliam, non est utile hanc illi dari
Quapropter quoquo pacto tacito'st opus. S. Ah, minime gentium:
Non faciam. G. Quid agis? S. Proferam. G. Hem! mea Sostrata, vide quam rem agas.
S. Peiore res loco non potest esse, quam in quo nunc sita est.
Primum indotata est: tum præterea, quæ secunda ei dos erat,
Periit: pro virgine dari nuptum non potest. hoc reliquom est,

41 Præter Bemb. omnes mendose legunt *proferemus*. B.

42 *Tua fama, et gnatæ vita*] Tibi enim crimini erit, vitiatam esse filiam: illi etiam oberit. Et utrum *vitam*, salutem dicit? *In dubium*] In periculum. D.

43 *Fateatur*] Vitiasse filiam. Et complexio est διπλωτος oratoria, in qua utrum senseris (*cesseris* Z.) contrarium tollis: cogiturque (*cogerisque* Ms. B. et edd. vett.) quod ex altera parte sit, hoc est, tacere. D.

Repone, *non est utile huic, illi dari*. Ita sæpe alias cum dativo. Cf. Hec. I. 2. 76. B.

Secunda dos] Intelligit virginitatem vel pudicitiam illibatam. Plaut. in Amphitr. II. 2. 209.

44 *Quapropter quoquo pacto*] Congrue et pro persona, et pro muliere hoc dictum est: eamque in malis inconstantem esse demonstrat (Westerh. edidit, *constantem esse demonstratur*. Minus recte. Z.) D.

Si cui lectio Codd. multorum placet *celato* pro *tacito*; legat, *est celato opus*. B.

45 *Non faciam*] *Non faciam*, dixit, pro *non tacebo*: quasi *Tacere*, aliquam actionem habeat. sed moralis significatio est, et communis omnibus: sicut *advocatum* dicimus *male fecisse*, quum tacuerit. D.

Bembinus et alii habent *ages*, quod, ob seq. *proferam*, præfert Faernus. Sed probo Cod. Reg. *ais*, quod est admirantis est dissentientis. Certe ita cavetur, ne bis idem dicatur, quia mox cantharam, quæ cum Geta consilium Sostratæ repudiat, ait, *quam rem agas*. B.

46 *Pejore res loco non potest esse*] Satis argute inter Getam et Sostratam sententias ex perturbatione facit natura (excidit, *poeta* Z.) *Quam in quo nunc sita est*] Causa nihil timendi. D.

Versus probat Bembini *potis est*, pro *potest*. B.

47 *Primum indotata est*] Ratio subjecta est causæ: et *indotatam*, pauperem modo dicit. *Tum præterea, quæ secunda ei dos erat*] Videlicet, *dari pro virgine nuptum*. Et incerta distinctio est; etenim erat bis sabaudiendum, *pro virgine dari nuptum*. D.

Secunda ei dos] Plaut. Amphitr. II. 2. 209. *Non ego illam mihi dotem duco esse, quæ dos dicitur: sed pudicitiam, et pudorem, et sedatum cupidinem*. L.

48 *Non potest*] Jungendum, *dari*.

Digitized by Google

Si inficias ibit, testis mecum est anulus, quem amiserat:
Postremo quando ego conscia mihi sum, a me culpam esse hanc procul;
Neque pretium, neque rem ullam intercessisse, illa aut me indignam, Geta;
Experiar. G. Quid istic? accedo ut melius dicas. S. Tu quantum potes
Abi, utque Hegioni cognato hujus rem omnem narrato ordine.
Nam is nostro Simulo fuit summus, et nos coluit maxume.

nuptum. Et *pro virgine:* id est, virgo: ut, *nunc plane est pro nova*, id est, nova. Aut nec virgo, nec pro virgine nubere potest. non virgo: quia vitiata est. nec pro virgine: quia res diffamata est. D.

49 *Si inficias ibit*] Si negabit. *Testis mecum est annulus*] Locutio hæc (excidit *vel Z.*) sic capienda est: *hic est annulus pro me testis.* Vel sic, *annulus et ego testes sumus.* Sed melius quod supra (Fortasse respicit locum Eun. III. 3. 9. ubi *Mecum* recte explicat *penes me* Z.) D.

Nostri fere omnes cum edd. vett. *Anulus, quem ipse amiserat.* B.

Testis mecum est annulus] Sensus est, annulus est penes me, testis, Pamphilam ab Æschino esse violatam. Donatus ad Eun. III. 3. 9. *Mecum, penes me significat.* W.

50 *Postremo, quando ego conscia mihi sum*] *Quando*, pro quoniam: vel *quando*, pro quidem (*Quando*, pro *Quandoquidem.* Ms. H.) D.

Mutato ordine scribe, *Quando ego mihi sum conscia.* B.

51 *Neque rem ullam*] Hoc est (*Exempli gratia* Ms. H.) internuncium, pactum clam, aut promissum. Et bene totum execrative dixit: ut alii facinora abhorreant (*a facinore abhorreant.* Ms. H.) *Illa*] Filia scilicet. D.

Repone, *intercesse aut illa aut me i. G.* B.

52 *Experiar*] Apud judices agam. *Quid istuc?*] Verbum est ægre consentientis: quasi qui dicat, *quid hic resistam? Accedo, ut melius dicas*] Id est, ut consentiam, velut qui melius possim dicere (*Veluti melius potens sis dicere.* Mss. Forte, *vel ut quid*, &c.) *Quantum potes, abi*] Deest *Cito*: ut sit, *quantum potes, cito abi.* D.

Ne versus sit justo longior, pro *accedo* repone *cedo*, h. e. concedo, fateor, agnosco, te melius dicere. B.

Experiar] Scilicet jure vel actione i. e. in jus vocabo. Cic. pro Roscio comœdo c. 9. et simpliciter experiri pro Cœlio c. 8. R. D.

53 *Atque Hegioni*] Apud Menandrum Sostratæ frater inducitur. *Hujus*] Filiæ suæ scilicet. D.

Lege cum Bemb. *Rem enarrato omnem ordine.* B.

54 *Simulo*] Nomen patris puellæ: diminutivum a Simo, vel Simone. Et nota nomen in Palliata Fabula Latine diminutivum. *Simulo fuit summus*] *Summus*, an ad cognatum, an ad amicum refertur? an absolute ponitur? ut in Eunucho, *plurima salute summum suum impertit Gnatho. Et nos coluit maxime*] Et miserabilius *coluit* dictum est, quam si diceret, *Colit.* Virg., Æn. IX. 300. *per caput hoc juro, per quod pater ante solebat. Solere* enim, et majoribus et minoribus convenit. Ut, Æn. I. 16. *posthabita coluisse Samo.* D.

Nostro Simulo fuit summus. * (Excidit forte, *igitur nos nunc respicit*; aut aliud ejusmodi Z.); sed parum istuc est, etiam *nos maxime coluit.* E.

Digitized by Google

G. Nam hercle alius nemo respicit nos. S. Propera tu, mea Canthara, 55
Curre: obstetricem arcesse, ut quum opus sit, ne in mora nobis siet.

ACT. III. SCENA III.

DEMEA. SYRUS.

DISPERII! Ctesiphonem audivi filium
Una affuisse in raptione cum Æschino.
Id misero restat mihi mali, si illum potest,
Qui alicui rei est, etiam ad nequitiam abducere.

55 *Nos*] Monosyllabo finit, vultuosam exprimens pronunciationem. *Tu mea Canthara*] Tristis ac seriæ feminæ blandimentum est *mea* potius, quam pronomen possessivum. Deest enim *cara*, vel quid tale: quo addito, pronomen staret *mea*. D.

Lege *propere*: adverb. B.

56 *Curre*] Mire dictum est ancillæ, *curre*. *Ut, quum opus sit*] Id est, quum adesse cœperit partus. *Ne in mora nobis siet*] Locutio qualis supra, And. II. 5. 13. et III. 1. 9. D.

1 *Disperii! Ctesiphonem audivi filium*] Hic ostenditur quod severi homines, ac recti et honesti, tenaces vel ridiculi sunt, vel odio habentur quoquo accesserint. Magno autem affectu, et quasi exclamantis addidit *filium*: quasi causam redderet cur dixerat, *disperii!* D.

Disperii!] Hæc scena illusionem habet, qua utitur servus uti dominum possit fallere. Demea tamen opinione comperit, quod filius suus interfuerit raptioni. graviter ferens ad domum properat: ingemiscit enim si fuerit etiam ipse corruptus. *Disperii!*] Valde perii, si *illum potest* frater etiam corrumpere, *qui alicujus spei est*. E.

2 *Una affuisse in raptione cum Æschino*] Οἰκουρία; in qua ostenditur, quantum commovebitur Demea ipsa re comperta, quum ex parva rei suspicione tantum se afficiat (*affligat*). *Raptio* autem ad personam refertur, *rapina* ad rem, *raptus* ad stuprum, si volumus proprie loqui. D.

Bemb. habet *una fuisse*. Sed retinendum est vulgare *adfuisse*. ut And. I. 1. 80. Eun. II. 3. 75. B.

3 *Id misero restat*] Bene *restat*: tanquam jam summum malum sit, Æschinum esse corruptum. Et, *misero mihi*: quasi qui nihil nesciat, (*Quasi quid faciat, nesciat* Z.) nihil curante Micione. *Si illum potest*] Non dubitat *velle*: et ideo dicit *potest*. D.

4 *Qui alicui rei est*] Recte. de hoc enim supra dixit, *non fratrem rei dare operam videt? ruri esse, parcum ac sobrium? Etiam ad nequitiam abducere*] Quasi invitum dixit, non *vocare*, sed *abducere*. *Ducimus* enim volentes (*orantes* Ms. H.): sed *abducimus* invitos. *Nequitia* autem proprie libidinosa inertia dicta est: quod nihil queat, nullique rei apta sit. Unde et *nugæ*, quod nihil agant, vel a non agendo. D.

Idem Bemb. habet *etiam eum ad nequitiem adducere*. B.

Qui alicujus rei est] H. e. qui frugi est, qui probus et utilis est. Sic contra *nullius rei* esse pro inutilem esse. R. D.

Digitized by Google

Ubi ego illum quæram? credo abductum in ganeum
Aliquo: persuasit ille impurus, sat scio.
Sed eccum Syrum ire video: hinc scibo jam, ubi siet:
Atque hercle hic de grege illo est: si me senserit
Eum quæritare, nunquam dicet carnufex.
Non ostendam me id velle. S. Omnem rem modo seni,
Quo pacto se haberet, enarramus ordine:
Nihil vidi quicquam lætius. D. Pro Juppiter!
Hominis stultitiam! S. Collaudavit filium:
Mihi, qui id dedissem consilium, egit gratias.

5 *Credo abductum*] Non *iisse*, sed *abductum* esse: quasi adhuc culpa non sit illius. *In ganeum aliquo*] Veteres *ganeum*, meritoriam tabernam dixerunt. ἀπὸ τῆς γᾶς (Corrige ἀπὸ τῷ γᾶς, aut ἀπὸ τοῦ γᾶς Z.) τοῦτ' ἔστι, τῆς γῆς. quod ipsa sit in terra, non ut cœnacula superius. Unde et *taberna*, quasi *trabena* (*trabes* Ms. B.) a validioribus dicta trabibus, quibus superiora suspensa sunt. D.

6 *Persuasit ille impurus*] *Suademus* facilia, *persuademus* difficilia. Et *suadere* facientis est, *persuadere* perficientis. *Impurus* autem pro improbo ponitur apud Terentium. Et hic quoque excusata voluntas est Ctesiphonis, cui a majore fratre et improbo ingesta sit persuasione nequitia. D.

7 *Sed eccum Syrum ire vide*] *Ire*, et abire, et venire significat. *Ire video*] *Ire*, pro venire: ut, Æn. VI. 392. *Nec vero Æacidem me sum lætatus euntem Accepisse lacu.* D.

8 *Atque hercle hic de grege illo est*] Figura ἐκπαλλαγῆς, *de grege ille est. Ordo* vel bonorum, vel malorum dicitur, et gravium; ut *equester ordo, senatorius ordo. Grex* vel bonorum, vel malorum est, et levium. ut Cic. Catil. II. 10. *In his bonis gregibus omnes aleatores, omnes impuri impudicique versantur.* D.

De grege illo] De illis qui corrumpant, et qui corrupti sunt. E.

9 *Quæritare*] Instanter quærere. *Carnufex.* Pro ganeo (*pro ganeone.* Fortassis hoc Scholion pertinet ad *impurus* vers. 6.) positum est. D.

10 *Non ostendam me id velle*] Scilicet, scire ubi sit. D.

Omnem rem modo seni] Servus universa seni erse narrata * (excidit *ait*), hoc est, cui rapta sit meretrix, et senem laudasse consilium, et filium quod pro fratre laboravit. E.

Omnes nostri et Faerni libri collocant, *id me velle.* B.

Omnem rem, &c.] Videtur Syrus hæc ita narrare, ut male urat Demeam, quem videre se tantisper dissimulat. W.

11 *Quo pacto se haberet, enarramus ordine*] Hoc recte: quia dixerat Micio, *nisi, quicquid est, volo scire, atque hominem convenire, si apud forum est.* Et *enarramus*, pro enarravimus. ut, Æn. III. 3. *omnis homo fumat Neptunia Troja.* Et *ordine* bene: quia simpliciter fatetur. Fallax autem et captiosa narratio est, quod timemus, fateri. D.

Bentlejus cum aliis illud *se* omisit. Z.

Quo pacto se haberet] Frequens est *sic se res habet* sed non minus recte dicitur *sic res habet* Liv. XXII. 39. ubi V. Drakenb. R. D.

12 *Nihil quicquam vidi lætius.*] Quartum παράλογον. D.

Bentlejus edidit *nil quicquam vidi lætius.* B.

13 *Hominis stultitiam*] Scilicet quia lætatur, ignorans ubi Æschinus sit. *Collaudavit filium:* Plus additum est. non enim solum non *accusavit*, sed et *collaudavit.* D.

Digitized by Google

D. Disrumpor. S. Argentum adnumeravit ilico:
Dedit præterea in sumtum dimidium minæ:
Id distributum sane est ex sententia. D. Hem!
Huic mandes, si quid recte curatum velis.
S. Ehem, Demea, haud aspexeram te: quid agitur?
D. Quid agatur! vostram nequeo mirari satis
Rationem. S. Est hercle inepta, ne dicam dolo,
Atque absurda. piscis cæteros purga, Dromo:
Congrum istum maxumum in aqua sinito ludere

15 *Disrumpor.*] Mire: his enim verbis commovetur, *collaudavit* et *egit gratias.* Et vide αὔξησιν stomachi reservatam. *Argentum adnumeravit ilico*] Contra illud est, *cur tu his rebus sumtum suggeris?* Et non solum inquit, *adnumeravit:* sed quod pejus est, *ilico.* D.

Disrumpor] Scilicet dolore. Cic. ad Attic. VII. 12. R. D.

Argentum Adnumeravit.] Intelligit viginti minas Lenoni pro fidicina dandas. Sic Plaut. Mero. I. 1. 88. *Talentum argenti ipsus sua* annumerat *manu.* W.

16 *Lenoni daretur in sumtum*] (Leg. *Dedit præterea i. s.*) in id quod necessarium esset sumtibus. E.

Dedit in sumtum] I. e. unde sumtum faceremus, pro quo dixit in Heaut. V. 1. 57. *suppeditare sumptibus* Cic. ad Div. IX. 20. *cum in sumtus* habebas ubi v. Manut. ad Attic. VIII. 5. Sen. de Benefic. II. 10. ubi hoc loquendi genus egregie explicat Gronovius. R. D.

17 *Id distributum*] *Distributum*, in diversa tributum: id est, dispartitum per pulmentaria. D.

18 *Huic mandes, si quid recte curatum velis.*] *Eipamia* est majoris stomachi: quia ille dixit, *Ex sententia distributum:* id est, ut indicat Demea, dilapidatum. Sic alibi, *Columen familiæ nostræ bone custos, salve.* D.

Huic mandes, si quid recte] Iterum hoc dicto usus est in Phorm. IV. 4. 8. Idque ex Plauto sumtum in Asinaria, I. 1. 107. *Eidem homini, si quid recte curatum velis, Mandes.* Laitprandus Histor. lib. 2. c. 15. *Regressi protinus ad regem, Terentianum illud pro responsione dederunt: Huic commandes, si quid recte curatum velis.* L.

19 *Ehem! Demea*] *Ehem*, interjectio est commoti, et quasi perculsi re subita et nova. *Quid agitur?*] Blandientis est, non interrogantis. ut alibi, *O noster quid fit? quid agitur?* D.

20 *Nequeo mirari satis rationem*] Mira sunt etiam illa, quæ vehementer prava sunt. Et ideo *mirari*, pro horrere et reprehendere positum est. Et *rationem* διαστολὴν dixit malam: quum non sit ratio nisi bona. sed sic loquitur populus. D.

21 *Est hercle inepta*] Hoc ad senem. *Ne dicam dolo*] Ne mentiar, id est, ex contrario dicere videar: sed ut sedulo dicam. D.

Inepta, ne dicam dolo, et absurda] Ut senem Demea (*Demeam Syrus* Z.) posset incitare iracundia, fingit imperare se servo, ut pisces cæteri purgentur. Et hic abundantiam declaravit, *cæteros*: quasi aliquos ipse purgaverit. E.

Est Hercle inepta] Priscian. lib. 15. L.

22 *Atque absurda.*] *Ineptum*, est stultum tantum: *absurdum*, quod et stultum est, et in ipsa stultitia diversum, et quasi repugnans sibi. Sic ergo locutus est, ut videatur ineptam rationem ad Æschinum referre: absurdam, ad Micionem. quem jam fieri stultum, contrarium (*consentaneum*) senectuti est. D.

Illud *atque* antecedenti versui apposuit Bentl. Z.

23 *Congrum istum maximum*] Ast-

Digitized by Google

Paulisper: ubi ego venero, exossabitur:
Prius nolo. D. Hæcine flagitia? S. mihi quidem
non placent:
Et clamo sæpe, Salsamenta hæc, Stephanio,
Fac macerentur pulchre. D. Di vostram fidem!
Utrum studione id sibi habet, an laudi putat
Fore, si perdiderit gnatum? Væ misero mihi!
Videre videor jam diem illum, quum hinc egens

στολὴ: quia erant alii, non maximi, ut e contrario, Georg. II. 99. *Argitisque minor*, quia est et major. Nam *istum* quod ait, διακτικὸν est. videtur enim ostendere digito, quem dicat. *In aqua sinito ludere paulisper*] Sic ostenditur bene obsonasse, qui vivos attulit pisces. Nam non ludit piscis, nisi vivus. D.

Congrum istum in aqua sinito ludere] Id est, moveri. non enim piscibus aptus est ludus. Ita et Virg., Æn. VIII. 632. *ludere pendentes pueros*. Sed illic enim (*etiam*) infantibus nullus est ludus. E.

Congrum istum] Serv. in Æn. VIII. 632. L.

Ludere] I. e. huc illuc natare, vagari. Cic in Arateis v. 328. v. Serv. ad Æn. VIII. 632. R. D.

24 In Bemb. est *Tantisper*, h. e. interea, et *rediero*. Sed vulgaris lectio est tuenda. B.

Exossabitur. Plaut. Aul. II. 9. 1.
Dromo, desquama pisces: tu Macherio
Congrum, murænam exdorsua, quantum potes;
Atque omnia, dum absum hinc, exossata *fac sient*. W.

25 *Prius nolo.*] Superbe, et pro auctoritate: non dixit *non oportet*, sed *nolo*. subauditur, *purgari eum*. Et nihil ex mora corruptelæ accessurum pisci ex eo ostendit, quod ait *ludere*, hoc est, vivere, et non læsum (forte, *lassum* Z.) vivere. non enim dixit, *natare*: quod etiam possunt languidi pisces. Ipse insuper planum fecit quid sit *purga*, dicendo *exossabitur*. *Purga* igitur, *exossa* significat: non ut quidam putant, *exossabitur*, comedetur. *Mihi quidem non placent*] Plus hoc ad senem. Et vide quam totum superbe, et confidenter dixerit ob amicitiam omnium dominorum, excepto uno Demea, quem tantum pro illis contemnit. D.

26 *Salsamenta*] Hoc ad discipulum. *Salsamenta*, aut salsi pisces sunt; aut laridum. *Salsamenta hæc, Stephanio*] In tota comœdia opera danda est, ut stomachetur Demea: excepto quod se ipse in fine commutat. Hæc ergo causa est, quare Syrus quoque illi objicitur, magnifice inferens se ut luxuriosum, licentemque servum: præsertim qui adolescentum pædagogus fuerit. D.

Salsamenta hæc, &c.] *Macerentur* proprie positum. Quicquid enim salsum est, in aquam funditur, ut madefactum salis amaritudinem perdat. E.

Clamo] Clamando objurgo. infra IV. 7. 9. Petron. c. 46. *ideo illi quotidie clamo*, ubi v. Burmann. p. 312. R. D.

28 *Utrum studione*] Aut ordo est, *Utrumne*. aut est παρίλκον tertium. aut vero per ἔλλειψιν accipitur: quasi dicat, *utrum est?* aut, *utrum verum est?* quod qui accipit, *utrum* subdistinguat, et separet a sequentibus necesse est, *Utrum studione*] Aut *utrum* supervacuum est, aut *ne*: aut certe τμῆσις figura est, pro, utrumne studione id sibi habet, si sciens lædit filium? *Laudi putat*] Quia decipit. D.

Utrum studione] Per tmesin dicitur pro utrumne studio. infra IV. 5. 28. *quid illam ni abducat* pro *quidni illam abducat*. v. Donat. ad. h. l. R. D.

29 *Si perdiderit gnatum*] Et magno affectu, non dixit Æschinum: et mire, non addidit cujus gnatum. *Væ misero mihi!*] Hoc est, quod supra dixit, *Ægre est: alienus non sum*. D.

30 *Videre videor jam illum diem*]

Digitized by Google

Profugiet aliquo militatum. S. O Demea,
Istuc est sapere, non quod ante pedes modo'st
Videre: sed etiam illa, quæ futura sunt,
Prospicere. D. Quid? Istæc jam penes vos psaltria est?
S. Ellam intus. D. Eho, an domi est habiturus?
S. Credo; ut est 35
Dementia. D. Hæcine fieri? S. Inepta lenitas
Patris, et facilitas prava. D. Fratris me quidem
Pudet pigetque. S. Nimium inter vos, Demea, ac

Illum dixit, quasi quendam tristem ac funestum. D.

Videre videor jam diem] Julius Rufin. Rhet. in *Diabole*. L.

Videre videor] Elegans locutio et Ciceroni familiaris. Catil. IV. 6. *videor mihi hanc urbem videre uno incendio* &c. v. Bentlej. ad Horat. II. 1. 21. R. D.

31 *Profugiet aliquo militatum.*] Pro patria militare gloriosum fuit, nec vero, ut Barlandus aliique ad hunc locum dicunt, turpe fuit, ad exteros, v. c. Persas, militatum abire, Menedemus quidem in Asia simul rem et gloriam armis reperit, sed *profugiet* est; profusis opibus nec consilii locum, nec auxilii copiam habebit aliam, quam ut profugus militet. S.

32 *Quod ante pedes modo est videre*] Hoc sumsit poeta de illo in physicum pervulgato ancillæ dicto, *quod ante pedes est, non videt: cœli scrutatur plagas*, Diog. Laert. Thal. 34. Σὺ γὰρ, ὦ Θαλῆ, τὰ ἐν ποσὶν οὐ δυνάμενος ἰδεῖν, τὰ ἐπὶ οὐρανοῦ οἴει γνώσεσθαι.) D.

Quod ante pedes] Thucyd. lib. 8. τὰς ἐμποδὼν αἰτίας μόνον ἐπισκοπεῖν. Pris. lib. XIIX. Aristot. apud Stobæum Serm. 89. οὐκ ἰᾷ βλέπειν τὸ κείμενον ἐν ποσὶν. Dio Prusæus περὶ βασιλείας. Lucianus in Pseudologist. Cicero II. de Divinat. cap. 13. *Quod ante pedes, nemo spectat; cœli scrutantur plagas.* L.

Quod ante pedes est] I. e. quod præsens est. Cic. de Orat. III. 40. Cort. ad Sallust. Catil c. 16. R. D.

33 *Sed etiam illa quæ futura sunt*] Magis ridicula est assentatio, siquis maxime laudetur, quibus maxime caret. *Istæc jam penes vos psaltria est?*] Dicendo *istæc*, ostendit jamdudum se hac indignari. D.

35 *Ellam intus.*] Ut, *Ellum, confidens, catus. An domi est habiturus?*] Proprie: quia *haberi uxor* (forte, *quia habere uxorem vir*) dicitur, et *haberi mulier*, quum coit. *Credo, ut est dementia*] Sic et in Eunucho, *eam se intendit esse, ut est dementia.* Et nominativus casus esse potest, et septimus. Si septimus, *perditus*, aut quid tale subaudimus. Sed melius nominativum accipimus casum. D.

Lege, *eho, an est dómi habiturus?* B.

36 *Inepti lenitas patris, et facilitas prava*] *Lenitas*, ad permittendum: *facilitas*, ad ignoscendum. sic quidam. Sed ego lenitatem ad Micionem refero, qui hæc leniter patitur: *facilitatem*, ad Æschinum, cui hæc per licentiam facilitas datur. *Pravum autem est*, quod et ipsum lædit facientem: *malum*, quod alios tantum. D.

Inepta lenitas patris, et facilitas prava.] Non apta, et mala facilitas, qua in luxuriam divitiæ suæ geruntur. E.

Hæcine fieri] In Ms. R. additur *flagitia*: sed aliena manu. In alio cod. *Hæcine fieri* sc. *possunt apud fratrem.* L.

Contra versum quidam Codd. verbis *hæcine fieri*, addunt *flagitia*, quod verbum a melioribus abest. B.

37 *Fratris me quidem pudet, pigetque*] *Pudet*, in his quæ turpiter facit: *piget*, in his quæ cum damno ac malo. *Pudere*, etiam ad dedecus: *pigere*, ad dolorem refertur. *Pudet*, quod turpe est: *piget*, quod dolet. D.

38 *Nimium inter vos, Demea*] Mete-

Digitized by Google

Non quia ades præsens dico hoc, pernimium interest.
Tu quantus quantus, nihil nisi sapientia es:
Ille, somnium. sineres vero illum tuum
Facere hæc? D. Sinerem illum! aut non sex totis mensibus
Prius olfecissem, quam ille quicquam cœperit?
S. Vigilantiam tuam tu mihi narras? D. Sic siet

διόρθωσις. nunc enim redditum est, quod supra dicebatur. et præterea repetendo *nimium*, confirmavit superius dictum, et τὸ CPEMANIe* non soluit (et τὸ κρεμάμενον nunc soluit Z.) D.

39 *Adespræsens*] hæc verba interdum junguntur Plaut. in Amphitr. III. 3. 23. Cic. de Offic. I. 4. Tusc. quæst. IV. 7. R. D.

40 *Tu, quantus quantus*] Id est, quantuscunque. *Nihil nisi sapientia es*] Ridicule prius additum *nihil*, quam quicquam, laudis nomine. Deinde si *sapiens* dixisset, non tanta esset irrisio. sed hyperbolicῶs accipitur, id est, stultus. *Nihil nisi sapientia es: ille, somnium.*] Nec tu *sapiens*, sed *sapientia*: nec ille *somniculosus*, sed *somnium*. ὑπερβολὴ. D.

Nihil nisi sapientia] Sic Ælianus Var. lib. VII. cap. 6. πᾶς γὰρ μέτωπόν εἰμι. Et *totus nasus* apud Catul. XIII. 14. L.

Quantus quantus] I. e. quantuscunque. in Phorm. IV. 7. 10. *quanta quanta hæc mea paupertas est. Sic quisquis* pro quicunque, *quodquod* pro quodcunque et, quod cadentis latinitatis est, *qualis qualis* pro qualiscunque v. Duker. de latinit. veter. ICtorum p. 323. R. D.

41 *Sineres vero illum tuum*] Ab argumento fabulæ repetit *sinerem*: et εἰρωνικῶς interrogat. D.

Vox *futilis*, quæ in Codd. nostris extat, recte abest apud Donat. in Bemb. et Vatic. Nam valde impedit Senarium. Tum ex Vatic. et Basilic. et duobus nostris lege *illum tú tuum*. B.

Somnium] I. e. homo vanus et stolidus. Ad eum modum Petron. c. 38. dixit *phantasia non homo* ubi v. Burmann. R. D.

42 *Totis sex mensibus*] *Totis*, quasi longi sint: id est, integris, ut ne unum quidem diem minus a sex mensibus sciat, quid cœpturus sit filius. Nimis comica et moralis assentatio. D.

Sex totis mensibus] Certum numerum posuit pro incerto: et tamen istius conduplicatio frequenter est collocata. Sic et alibi: *Sex ego te totos, Parmeno, hos menses quietum reddam*. E.

Pro *aut* alii *an*: bis apud Priscianum et in cod. vet. *ac*. Sed omnes Faerni et nostri Codd. habent *aut*. B.

43 *Non olfecissem*] Totum ridiculo. Nam quid olfecisset, qui nondum quicquam scire cœpisset, cujusque naribus nihil objectum fuisset? Nam ideo *nares* a *naritate* dictæ sunt, quod nos odoratu doceant præsto et prope esse, quod adhuc oculi non vident. *Quam ille quicquam cœperit*] Multum dixit, et *ante sex menses*, et *olfecissem*, et *prius quam cœperit*. D.

Quicquam cœperit] Priscian. lib. X. *cœperet*. Vid. Non. Marcell. in *cœpere*. L.

Duo vett. Codd. habent *cœperit*; sed reliqui *cœperet*; ita quoque laudat Priscianus p. 879, qui ait, esse Præteritum imperfectum a *cœpio*. Sed p. 1193. habent *cœperit*, et codex ibi vetus. B.

Olfecissem] I. e. sensissem. Cic. de lege agrar. I. 4. Sic frequens est *odorari*. v. Hemsterhus. ad Luciani Timon. p. 159. R. D.

44 *Vigilantiam tuam tu mihi narras*] Id est, quam maxime scio. *Sic siet modo, ut nunc est*] Non dicit *qui*: sed respice ad argumentum, et ridebis hæc optantem Demeam. D.

Lego, *Vigilántiam tuám tun mihi? sic sit modo, | Ut núnc est, quæso*. Vid. Hec. V. 3. 22. B.

Digitized by Google

Modo, ut nunc est, quæso. S. Ut quisque suum volt esse, ita'st. 45
D. Quid eum? vidistin' hodie? S. Tuumne filium?
Abigam hunc rus. jam dudum aliquid ruri agere arbitror.
D. Satin' scis ibi esse? S. Oh, qui egomet produxi.
D. Optume'st.
Metui ne hæreret hic. S. Atque iratum admodum. 49
D. Quid autem? S. Adortus jurgio fratrem apud forum
De psaltria istac. D. Ain vero? S. Vah, nil reticuit.

45 *Ut quisque suum volt esse, ita est*] Hæ sunt sententiæ et semper probabiles (*Hæ sententiæ semper sunt hyperbolicæ*. Ed. Du B. et pro personis ridiculæ. Plautus in Milite glorioso I. 1. 68.) *Nimia est miseria, nimis pulchrum esse hominem*. D.

46 *Quid eum? vidistine hodie? Quid eum* initium interrogationis futuræ de personali cujus. Sic in Heautont. *Sed Syrum. quid eum? Tuumne filium?*] Hoc clare. *Tuumne filium?*] Moris est ut qui cogitat quid respondeat, interrogatione remoretur. D.

47 *Abigam hunc rus*] Ut pecudem dixit *abigam*: non ut hominem, *mittam*. *Abigam*] Hoc lentius, et *abigam* quasi pecudem dixit: unde et *abactores* dicti sunt. Cicero in Verrinis, I. 10. *Equarum greges istum abigendos curasse. Jamdudum aliquid ruri agere arbitror*] Hoc clare. *Aliquid ruri agere arbitror*] Hoc plus est, quam illic esse: vult enim cum laude ejus loqui. ut supra, *Rei dare operam, ruri esse, parcum ac sobrium?* Et *agere*, proprie dixit. Nam ab agendo, *ager* dictus est, quod in eo multa agenda sunt. D.

Abigam hunc rus] Huc est versus (*hoc aversus*) paululum pronunciat, uti consilium sumserit mentiendi, ut idem eam mittere possit (*ut qui consilium sumserit mentiendi, ut inde eum amittere possit*. Z.) Ad velamen autem tali consilio uti fingit (*utitur, ut fingat* Z.) illum rus discessisse admodum iratum, qui fratrem male tractaverit, quod rapuerit meretricem, quod corruptis moribus vivat, quod oblitus nominis et familiæ luxurietur. E.

Verba, *abigam hunc rus*, aut Demeæ sunt tribuenda, aut Syrus ea ad Spectatores dicit, non audiente Demea. Z.

48 *Qui egomet produxi*] Mutata præpositione, non *deduxi*, sed *Produxi* dixit: id est, *porro duxi*. *Metui ne hæreret*] Hæc translatio ut sublevat Ctesiphonem, ita Æschino invidiosa est. Nam hæret avis, non animo, nec voluntate: sed visco decipientis aucupis. D.

Vetustiores libri habent *qui*; meliores *quin*; recentiores *quem*. Posterius præfero, quia sequitur mox *iratum*. B.

50 *Quid autem?*] *Quid* pro quare, vel ob quam causam. Virg., Æn. I. 517. *quæ fortuna viris, classem quo littore linquant, Quid veniant?* Cui contrarium in significatione * id (*obtinet quid* Z.) quod te oro. *Adortus jurgio est*] *Aggredimur*, de longinquo: *adorimur*, ex insidiis et ex proximo. Nam *adoriri*, est quasi aliquem (*quasi ad aliquem*) oriri, id est, exsurgere. D.

Omnes Codd. *adortus est*; sed lege cum Donato, *adortus jurgio est*. B.

51 *De psaltria istac*] Hic mire senem imitatus est, et memoriter: quia ille dixerat, *quid? istæc jam penes vos psaltria est? nihil reticuit*] Mire enim, minorem fratrem non peperciisse majori: nec reticuisse quicquid erat opus. D.

Lege *de psaltria hac*; quia Syrus in iisdem ædibus degebat: recte vero Demea vers. 34. *Istæc psaltria*, quia ruri et procul. B.

Digitized by Google

Nam ut numerabatur forte argentum, intervenit
Homo de improviso: coepit clamare, o Æschine!
Hæcine flagitia facere te? hæc te admittere
Indigna genere nostro? D. Oh, lacrumo gaudio.
S. Non tu hoc argentum perdis, sed vitam tuam.
D. Salvos sit: spero, est similis majorum suum. S. Hui!
D. Syre, præceptorum plenus istorum ille. S. Phy!
Domi habuit unde disceret. D. Fit sedulo:

52 *Intervenit homo de improviso*] *Intervenire*, est in medio negotio, quasi ex insidiis supervenire, et opprimere in ipso actu eos, qui rem celatam vellent. Et vide quam oratorie narret gestionem rei, quæ nunquam facta sit: his enim fides fit. D.

Ut numerabatur] I. e. dum numerabatur Horat. Serm. I. 5. 15. ubi v. Bentlei. R. D.

53 *Cœpit clamare*] Ἠθικῶς totum, et *cœpit*, et *clamare*: et quod sequitur. D.

54 *Æschine! hæcine flagitia facere te?*] Est accusatio a persona: et vide pondus in nomine Æschini. *Hæc te admittere?*] Αὔξησις. Nam plus est *admittere*, quam *facere*. *Hæc te admittere indigna*] Pronum est hoc statim credere Demeam, de eo quem superius laudaverit, *Non fratrem videt rei dare operam ruri, esse parcum ac sobrium?* Unde mira poetæ arte et initia, et media, et postrema sibi congruunt atque respondent. D.

55 *Lacrumo gaudio*] Immoderata lætitia, maxime parentum, lacrymas habet. Recte ergo additum est, *gaudio*: quia lacrymæ solum (*solæ*) mœrorem significant. D.

Lacrymo gaudio] Quasi quædam causa est unde lacrumæ oriuntur. Nam sæpe etiam ex gaudio contingit, quod evenit ex dolore. E.

Lacrumo gaudio] Quinctil. II. 3. *Quin etiam lacrumas iis natura mentis indices dedit, quæ aut erumpunt dolore, aut lætitia manant.* Euripides Hercul. Furioso: Χαρμοναὶ δακρύων ἔδωκαν ἐκβολάς. Sic apud Dionys. Halicar. lib. 2. Antemnatium et Cæninensium feminæ, cum liberas se a Romulo dimitti intellexissent, περιχαρεῖς γενόμεναι, καὶ πολλὰ δάκρυα ὑφ᾽ ἡδονῆς ἀφεῖσαι μετέστησαν ἐκ τῆς ἀγορᾶς. Hirtius de bello Alexand. *Lacrymas quas in colloquio projecerat, gaudio videretur projecisse.* Plautus Stich. III. 2. 13. *Ut præ lætitia lacrymæ prosiliunt mihi!* Cur autem gaudio lacrumæ porumpant, explicat Alexand. Aphrodisæus Problem. lib. 1. Apulei. 1. Metam. *Nam ut lacrumæ sæpicule de gaudio prodeunt.* Serv. in Virg. Æneid. V. 343. *lacrumæque decoræ.* L.

56 *Non tu hoc argentum perdis, sed vitam tuam*] Hæc figura oratoria δεινότης dicitur: qua ostenditur, non esse mediocre quod factum est. D.

57 *Hui*] Quasi admiretur ipse, quæ narrat. D.

Lege, *spero, erit similis.* Corripit *erit* ultimam ut supra II. 1. 26. Speramus certe de futuro, non de præsenti. B. Cæterum tenendum est, illud *suum* hic minus urbanum esse, et aliquid rusticitatis continere, Z.

58 *Syre, præceptorum plenus istorum ille*] Vide Demeam non desinere culpam Æschini in Micionem conferre: quum e contrario præceptorum suorum vult esse, quod sapit Ctesipho. *Istorum*] Quæ dicis; scilicet, *non tu hoc argentum perdis, sed vitam tuam.* *Phy!*] Interjectio mirantis est. D,

Omnes libri, *plenus est*. Lege, *Syre, præceptorum'st plenus*, &c. B.

59 *Domi habuit unde disceret*] *Unde*,

Digitized by Google

Nil prætermitto: consuefacio: denique,
Inspicere, tanquam in speculum, in vitas omnium
Jubeo: atque ex aliis sumere exemplum sibi:
Hoc facito. S. Recte sane. D. Hoc fugito. S. Callide.
D. Hoc laudi est. S. Istæc res est. D. Hoc vitio datur.
S. Probissime. D. Porro autem. S. Non hercle otium'st
Nunc mihi auscultandi: piscis ex sententia
Nactus sum: hi mihi ne corrumpantur, cautio'st.
Nam id nobis tam flagitium'st, quam illa, Demea,

id est, de quo. *Fit sedulo*] Ἠθικῶς dictum est *fit*. Et *sedulo*, sine dolo, id est, instanter: quia negligentes dolosi dicuntur. D.

Domi habuit unde disceret] Hieronym. ad Heliodor. de morte Nepotian. *Pontificem desercre non audebat, tot in illo cernens exempla virtutum, domique habens unde disceret.* Sidon. Apoll. lib. 7. Epist. II. *Si ambigitur quo magistro rudimentis fidei fuerit imbutus, ut proverbialiter loquar, domi habuit unde disceret.* L.

Domi habuit unde disceret] Hoc proverbium de iis dicitur, qui non coguntur ab aliis sumere. Plaut. in Trucul. II. 5. 4. Cid. ad Div. IX. 3. v. Savaronem ad Sidonium Apoll. p. 451. R. D.

61 *Inspicere, tanquam in speculum, in vitas omnium jubeo*] Videndum, an recte speculum induxerit, quum alienas vitas dicit inspiciendas esse, nisi forte hoc ad causam admovendi speculi, non ad effectum referamus. Nam causa inspiciendi speculi, emendatio est vultus: effectus, formæ per imaginem resultatio. D.

Inspicere, tanquam in speculum] Ita filius meus plenus est præceptorum, uti quotidie omnium vitas inspiciat, tanquam in speculum, et ex aliis ad vivendum sumat exemplum. Et *inspicere in speculum*, nova est elocutio. Porro adhuc alia narrare cupiebat Demea, verum servus tædiosus, ne ea quæ nollet audiret, respondit non esse otium sibi. E.

Inspicere tanquam in speculum in vitas omnium] Sic legitur in codice Bembino omnium vetustissimo et sic edidit Bentlei. Vulgares editiones habent *inspicere tanquam in speculum vitas omnium*, quam lectionem Burmannus ad Petron. 84. p. 538. confirmari putat loco Ciceronis in Pison. c. 29. Sed utrisque loci diversa ratio est, ne dicam lectionem *in vitas* planissime confirmari V. 74. R. D.

63 *Callide*] *Callidus* dictus est etiam qui exercet dolos. *Callidus* dicitur, qui callum sibi usu artis induxerit. D.

64 *Hoc laudi est, hoc vitio datur*] Non philosophice, sed civiliter monet, non enim dixit, *hoc bonum*: sed, *hoc laudi est*. nec, *hoc malum*: sed *vitio datur*. Ergo ut idiota et comicus pater, non ut sapiens et præceptor. *Istæc res est*] Non quam rem gerit Micio: non ut ille agit. Et significat, *hoc verum est, hoc utile est*. D.

65 *Porro autem*] Prope delinitus erat Demea, contra institutum argumenti. Artificiose igitur posita subjecit ex persona servi, unde illum ad amaritudinem provocet. *Porro autem, at vero*, et hujusmodi, principia narrationum sunt, quibus superiora sequentibus connectuntur. D.

68 *Nam id nobis tam flagitium est*] Non dixit, *peccatum*, irridens semem: sed *flagitium*. Et quidem flagitium, corrumpi pisces, vel talia. D.

Nam nobis tam flagitium est] Parimodo flagitium credimus, si pisces non recte curentur, quemadmodum vos fla-

Digitized by Google

Non facere vobis, quæ modo dixti: et quod queo,
Conservis ad eundem istunc præcipio modum:
Hoc salsum'st, hoc adustum'st, hoc lautum'st parum:
Illud recte: iterum sic memento: sedulo
Moneo, quæ possum pro mea sapientia.
Postremo, tanquam in speculum, in patinas, Demea,
Inspicere jubeo, et moneo quid facto usus sit.
Inepta hæc esse, nos quæ facimus, sentio:
Verum quid facias? ut homo'st, ita morem geras.
Numquid vis? D. Mentem vobis meliorem dari.

gitium ducitis, si non recte et honeste quidem vivatis. Hæc sunt enim quæ supra dixit. Denique ad irridendum Demeam, dicit se ad similia præcepta esse monitorem, cum servis dicit, *hoc salsum est: hoc adustum; iterum sic memento recte.* Et separatim pronunciandum: *sedulo,* pro meo jure; *pro mea sapientia.* Refert similitudinem omni genere. Quemadmodum enim tu inspicere in speculum *vitas* omnium jubes, ita ego in *patinas.* Adbibet etiam sententiam quasi judex, ut dicat: *inepta esse hæc, nos quæ facimus, sentio.* Et tamen dicit, sibi necessitate morem gerendum, quum id vult. Supra *(infra)* enim frater dixit: *quando ego tuum non curo, ne cura meum.* E.

Lege ex nostro 900 annorum Cod. *Quam illa, O Demea.* In illa enim sede Spondeus suavior est Trochæo. B.

69 *Quod queo*] Quod possum. Sed sic maluit dicere, ut allusionem de sua arte faceret Syrus: et hac re ostenderet, nihil ab illo dici serio. *Quod queo*] A coquendo sumsit παρόμοιον. Sic et infra, *sedulo moneo quæ possum pro mea sapientia.* Et Ciceronis dictum refertur in eum, qui coqui filius secum causas agebat: *Tu quoque aderas huic causæ.* Nam apud veteres *coquus* non per C literam, sed per Q. scribebatur. D.

Lege *modo quæ dixti.* Nam dactylo suavior hic est Anapæstus. B.

70 *Ad eundem istunc præcipio modum*] Arguta imitatio, ad deridendum Demeam, omnium quæ serio ille supra dixerat. D.

71 *Hoc salsum est, hoc adustum est*] Hæc contexte et conjuncte dicuntur: quia non vicissim Syro assentatur senex. D.

Lautum] Lautum dicitur de cibis et cenis, quas coquus arte et eleganter apparavit. v. Cic. ad Div. IX. et ibi Manut. R. D.

73 *Pro mea sapientia*] Διασυρτικῶς *sapientia* dixit: quia condimentum gustu ac sapore temperant coci (Uterque liber addit, *et sic pronunciat, ut et fiat, et approbetur, quod facit*). D.

74 *Tanquam in speculum*] Et hic *speculum* non ad imaginem vultus, sed ad contuitum contrapositæ rei retulit. D.

76 *Nos quæ facimus*] Non coci, sed Micio, Æschinus, et familia. An *nos* pro *domini* posuit? An *nos,* pro *ego?* et hoc melius. *Sentio*] Cum dilatione et vultuose dicendum *sentio.* D.

77 *Verum quid facias?*] *Quid facias,* pro quid faciat, unusquisque scilicet. *Ut homo est, ita morem geras*] Utrum aptum proverbium sit servis, an etiam amicis? Ut est, *obsequium amicos, veritas odium parit.* Et hæc sententia modo velut querela, demissa voce proferenda est. D.

Ut homo est ita morem geras.] I. e. ut hominum mores sunt et ingenia, ita illis obtemperandum est. Sumsit Terent. a Plauto in Mostell. III. 2. 34. R. D.

78 *Mentem vobis meliorem dari.*] Πρὸς

Digitized by Google

S. Tu rus hinc ibis? D. Recte. S. Nam quid tu hic agas,
Ubi, si quid bene præcipias, nemo obtemperat?
D. Ego vere hinc abeo, quando is, quamobrem huc veneram,
Rus abiit: illum curo unum: ille ad me attinet,
Quando ita volt frater: de istoc ipse viderit.
Sed quis illic est, procul quem video? estne Hegio
Tribulis noster? si satis cerno, is hercle'st. vah!

τὸ *vis* respondet agresti feritate. Nam respondendum erat, *recte*, aut *valeas*. sed hic, ne vel abiens blandus esset, pro salutationibus ipsis amara supponit. Et memento etiam hunc eundem insalutatum relinquere, qui adveniens paulo ante, nec salutaverat, nec resalutaverat fratrem. *Meliorem* autem, pro bona ac tolerabili posuit. non enim bonam credit, ut meliorem optet. sic Virg., Ge. III. 513. *Dii meliora pii, erroremque hostibus illum!* D.

Mentem vobis meliorem dari.] Bonam mentem precabantur iis, quos insanire vel sibi male consulere indicabant. Sen. controvers. IV. 25. ubi v. Gronov. Ut *bona mens* est sana, sic *mala mens*, consilii expers, non sana, stulta. Flor. II. 6. 313. ubi v. Duker. R. D.

79 *Tu rus hinc abis?*] Vult Syrus nosse an eat. *Tu rus hinc abis?*] Qui consuetudinis memor est, animadvertit has interrogationes non inquirendi causa poni, sed admonitionis loco esse apud eos, quos velimus abscedere. Sic igitur interrogat ut hortetur: et sic pronunciat, ut et sciat, et approbet quod rogat. *Nam quid tu hic agas*] Addidit hortatum, ut quam primum abeat. D.

In Bembino, et in margine codd. C.C.C. *recta* pro *recte*. B.

80 In Bemb. et aliis quibusdam antiquis extat *obtemperet*. B.

81 *Quando is, quamobrem*] Nova locutio, *is, quam ob rem*: pro, *is propter quam*. sic et alibi, *in eo me oblecto: solum id est eorum mihi*. D.

82 *Illum curo unum*] *Unum* cum exceptione. et tamen sic loquitur, ut appareat illum non posse sibi imperare oblivionem Æschini. Nam idcirco addidit, *quando ita vult frater, de istoc ipse viderit*. *Amare cœpit* (*a Micione fratre accepit*) et ideo tenet, *nam ambos curare, promemodum reposcere est illum, quem dedisti*. D.

Lege et distingue, *illum curo: unum illud ad me attinet*. ut supra 1. 1. 24. et 1. 2. 50. B.

83 *De hoc ipse viderit.*] Elegans formula eorum qui curam alicujus rei ad alium rejiciunt. Ov. epist. 12. 211. Sen. de Benef. II. 14. *viderit; de se non de me quæretur*. Hanc formulam pulchre illustrant interpretes ad Ovid. I. ex Ponto 2. 9. R. D.

84 *Quis illic est, quem procul video? estne Hegio*] Inventa causa est, cur non abeat Demea, propter reliquam fabulæ partem: et simul aliud additur, quo indignetur. Bene autem dubitat, et familiam inveniat civem, et multum absens a conspectu civium (*et bene dubitat, an familiarem videat civem, ipse multum absens a conspectu civium*). D.

Hegio tribulis noster?] Conventus jam a Geta, servus (*conventus jam a Geta servo Hegio* Z.) dolore est commotus, quod ea (*filia simuli* Z.) omissa meretricem rapuit. *Tribulis* autem significat, ex eadem tribu, hoc est, ex eadem curia. E.

Aptior versui collocatio est, quæ est in Bemb. et Donato, *quem video procul*. B.

85 Versus gratia sequor lectionem Codd. Petronais, *is hercle, vah!* ut infra IV. 2. 39. *Verum hercle, vah!* B.

Digitized by Google

Homo amicus nobis jam inde a puero: di boni!
Næ illiusmodi jam nobis magna civium
Penuria'st, homo antiqua virtute ac fide:
Haud cito mali quid ortum ex hoc sit publice.
Quam gaudeo; ubi etiam hujus generis reliquias
Restare video. vah, vivere etiam nunc lubet.
Opperiar hominem hic, ut salutem et colloquar.

ACT. III. SCENA IV.

HEGIO. GETA. DEMEA. PAMPHILA.

PRO di immortales! facinus indignum, Geta:

87 *Næ illiusmodi jam nobis magna civium penuria est*] *Næ*, valde. *Illiusmodi*] Cujusmodi est Hegio, id est, qualis. Et magna *εἰκονικὴ* senex laudatur, ut postulationi ejus statim adsit fides. D.

Næ illiusmodi jam] Bonæ virtutis hominem cum videret, dixit hujusmodi homines jam in civitate non esse. Igitur talium virorum et civium magna nobis est inopia. E.

Secundum nostros omnes repone *magna nobis*. B.

88 Deleatur *homo*, quod versum onerat; et putide hic iteratur, cum altero abhinc versu præcesserit. Nim. in verbis *civium illiusmodi*, &c, in quibus Hegio comprehensus eque laudatur, ac si addas *homo*. B.

Antiqua virtute] *Antiquus* sæpe dicitur de moribus candidis et simplicibus, quales apud antiquos fuerunt. Plaut. in Capt. I. 2. 20. Cic. pro Quint. c. 22. pro Sext. c. 3. v. Lambin. ad Horat. Serm. II. 7. 23. R. D.

89 *Haud cito mali quid ortum ex hoc sit publice.*] Utrum hoc optantis est, ne moriatur? an est testimonium vitæ honestæ, nunquam obfuturi reipublicæ? D.

Haud cito mali] Ita hic justus, ita semper est integer, ut nihil mali ex hoc publice nasci possit. E.

Haud cito mali quid ortum, &c.] H. e. non facile damno aut malo afficiet rempublicam. *Cito* est facile Cic. in Brut. c. 76. *Publice* est in republicam. Præpositio *ex* ponitur pro *ab* v. Duker. ad Flor. I. 7. p. 65. R. D.

90 *Ubi etiam hujus generis reliquias restare video!*] Paucos ac raros bonos. Nam *reliquias*, pro relictis pancisque dixit, ideo *restare* etiam dictum est. D.

91 *Vivere etiam nunc lubet.*] Ex hac delectatione ostenditur Demea, et quam peccantibus sit amarus ac sævus: et quam facile hujus inusatione (*Hegionis incusationi*) tanquam gravi testimonio crediturus sit: et quantum doliturus super Æschino, qui displiceat talibus viris. D.

Illud *vah*, versum onerat, et, cum sit admirantis et una indignantis, alienum est a sensu loci. Leg. et dist. *Restare video, vivere e. n. l.* B.

Vivere etiam nunc lubet] Tale votum apud Plin. in Panegyr. c. 22. ubi v. Schwarz. R. D.

1 *Pro di immortales!*] Hæc scena fidem amici erga defunctum, maturitatem senilis orationis, et accusationem

Digitized by Google

Quid narras? G. Sic est factum. H. Ex illan' familia
Tam illiberale facinus esse ortum? O Æschine,
Pol haud paternum istuc dedisti. D. Videlicet
De psaltria hac audivit: id illi nunc dolet 5
Alieno: pater is nihili pendit. hei mihi!

ejus, quem lædere nolit ipse accusator, continet. *Facinus indignum*] Jam narravit Geta: et recte. non enim apud spectatores iterum fuerunt dicenda, quæ dicta sunt. Illud sane admirandum, ejusmodi Hegionis verba induci, qualia esse debuerunt tantopere laudati viri, et ejusdem Hegionis ac Demeæ (vel dele *et*, vel muta in *id est*. Sub finem lege cum West. *a Demea*. Z.) D.

Pro di immortales!] Hæc scena accusationem tenet: reus enim efficitur adolescens, quod vitiaverit virginem. quanquam in conjectura res esse potuisset, tamen quia nemo negat, non accusatio per conjecturam efficitur, sed potius per qualitatem. Idem enim vitiator puellæ cum ad matrem puellæ pervenisset, promisit se eandem, quam vitiaverat, uxorem esse ducturum. Nunc dicitur quod rapuerit meretricem. Reus fit injuriarum. In hac scena accusatio sola est, defensio nulla. Habet etiam partem admixtam deliberativæ. Nam post eadem hæc quæ accusat (*nam postea idem hic qui accusat* Z.) et petit uti adolescens eandem ducat uxorem. Et omnis illa superior accusatio ad hoc tendit, ut uxorem potius ducat accusatus, quam reus sit. Ergo indignitate rei commotus primum hoc quærit a servo, an verum sit, cum dicit: *Geta, quid narras?* at ille confirmat dicendo: *sic factum*. Ita comprobata res est. Fit ex hoc exaggeratio: *ex illan' familia tam illiberale facinus esse ortum?* E.

2 *Quid narras!*] Mirantis est, non interrogantis. D.

3 *Tam illiberale facinus*] Id est, non odisse cui succenseas, laudare homines, factum reprehendere. *O Æschine, pol haud paternum*] Mira maturitas: in qua nescias utrum magis injuriam illatam orbæ virgini, an Æschinum peccasse plus doleat. servatur enim in Hegione, quod vir bonus sit et amicus. D.

4 *Haud paternum istuc dedisti*] Deest, *facinus*. et *dedisti*, pro fecisti. Sed sic dicitur in re magna: ut, *Æn.* XII. 453. *dabit ille ruinas Arboribus, stragemque satis. Videlicet de psaltria hac audivit*] *Videlicet*, confirmativum est. Ut *videlicet*, videre licet: sic *scilicet*, scire licet: *ilicet*, ire licet. D.

Haud paternum istuc] Hoc quod fecisti non est tui patris, neque generis, aut familiæ. E.

Paternum, non præbuisti te tali patre dignum. Vetus proverbium: οὐ πατρῳικὰ αὐλεῖ μέλη. S.

Haud paternum istuc dedisti.] I. e. non fecisti illud facinus patrem imitatus. *Dare* est facere ut Eun. V. 2. 60. R. D.

5 *De psaltria hac audivit*] Sic errat Demea, ut intelligatur quantum debeat irasci in iis, quæ inopinata audiet. D.

Cod. 900. annorum recte *de psaltria hoc audivit*. Sic Eun. III. 2. 45. *Et illud de Rhodio*. B.

6 *Is nihil pendit*] *Is*, abundat. ut in Heaut. *Perii: is mihi, ubi adbibit plus paulo, sua quæ narrat facinora!* Aut *is*, pro *ipse*: subjunctivam pronomen minus quam finitum. D.

Nihil pendit] Contemnit, non curat. E.

Is nihil pendit.] Guyetus ait: τὸ is respuere aures latinas, et legi vult *id*. sed codd. omnes defendunt *is*, idemque mihi cum emphasi videtur dictum; quod aliene dolet, patri multo magis dolere putes, sed Micio est pater *is*, seu talis, qui nihili pendeat. S.

Pater is nihili p.] Mendosissime: patruus Æschini Micio, non pater. Ex Hegionis persona hæc Demea. leg. *patruus*. Bo.

Digitized by Google

Utinam hic prope adesset alicubi, atque audiret hæc!
H. Ni facient, quæ illos æquom est, haud sic auferent.
G. In te spes omnis, Hegio, nobis sita est:
Te solum habemus: tu es patronus, tu parens:
Ille tibi moriens nos commendavit senex.
Si deseris tu perimus. H. Cave dixeris:

7 *Utinam hic prope adesset*] Quasi sibi non crediderit dicenti, *in ore est omni populo*. D.

8 *Ni*] Si non, significat. *Quæ illos æquum est*] Subauditur, *facere*, a superiori per σύλληψιν intellectum. *Haud sic*] Δεικτικὸν est. *Haud sic auferent*] Quomodo accipimus, *haud sic auferent?* an factum suum auferent sic? An, si correxerint culpam, non silentio transituros ipsos, vel ipsum quod factum est. *Haud sic auferent*] Id est, leniter abibunt, vel subtrahent culpam. *Haud sic auferent*] Senilis et matura comminatio, et est *sic* demonstratio, gestum continens levissimæ ac parvæ significationis. D.

Ni faciant, quæ illos] Hic versus declarat magis petitionem esse hic, quam accusationem. ut sit subtilis oratio cum accusatione, ad aliud venire disponens. B.

Omnes Faerni et nostri libri habent *nisi facient*. Et est in prima sede proceleusmaticus. B.

Haud sic auferent] Scilicet inultum. v. not. ad Andr. III. 5. 4. R. D.

9 *In te spes omnis, Hegio*] Ut narratio non fuerit necessaria: ita preces interponendæ sunt. D.

10 *Tu es patronus, tu parens*] *Patronus* aut temporale nomen est defensoris: aut certe appellatio est, per quam ostenditur, quid illi cultus et obsequii debeatur. est enim nomen ad aliquid. *Parens* autem, veri amoris nomen est: et æquali loco continet interpretationem. Et vide quam vigilanter poeta, quum simpliciter (*suppliciter* Ms. B. et edd. vett.) matronam de absente Hegione loquentem induceret, *coluit nos*, dixit. quum servus et supplex ad præsentem loquitur, *tu es patronus*, inquit. D.

Pro *parens* Benti. cum Faerno, edidit *pater*. Z.

11 *Ille tibi moriens nos commendavit senex.*] Servus magnum veritatis indicium addidit, dicendo *moriens:* nemo enim moriens non vera loquitur et urgentia. unde in jure ultima judicia, certiora sunt. Sic alibi, *hanc mihi in manum dat: mors continuo ipsam occupat*. D.

12 *Si deseris tu, periimus.*] Proprie, quasi patrono. Nam socius deficit, parens prodit, Patronus deserit. Sic Sallustius, *post defectionem sociorum et Latii*. Et, Æn. I. 251. *unius ob iram prodimur*. Et, *prodisti et te, et illam miseram, et gnatum: quod quidem in te fuit*. Plaut., Curc. IV. 3. 15. *Qui libertos habent, eos deserunt*. Hinc et milites, qui defensores patriæ deberent esse, *desertores* esse dicuntur. Hæc autem omnia magnam vim habent, si per singulas partes orationis considerentur, ad commovendum precibus Hegionem. Et, *tu es patronus*, ab honesto: *tu es parens*, a justo. *Si deseris tu, periimus*] Et huic rei maxime respondet oratorie, quæ illum maxime commovit. Ut, Æn. VII. 452. *En ego victa situ*. Et, Æn. XI. 364. *pulsus ego?* Alii πρὸς τὸ *periimus*, τῷ ἐυφημισμῷ responsum putant. D.

Pro vulgari *perimus*, leg. *periimus*. B.

Cave dixeris.] Vult Getam ἐυφημεῖν, neque uti voce *deseris*, utpote malæ notæ, et ominis. Unde ipse non ait, *non deseram*, sed, *neque faciam, neque me satis pie posse arbitror*. Respondet autem ita, quod impium haberetur, si patronus clientem sine causa desereret,

Digitized by Google

Neque faciam, neque me satis pie posse arbitror.
D. Adibo. salvere Hegionem plurimum
Jubeo. H. Te quærebam ipsum: salve, Demea.
D. Quid autem? H. Major filius tuus Æschinus,
Quem fratri adoptandum dedisti, neque boni,
Neque liberalis functus officium est viri.

maxime si accessisset morientis commendatio. W.

13 *Satis pie posse*] Deest, *facere*. *Neque me satis pie posse arbitror*] Honesta locutio; qua significat, quicquid fecerit pro pietatis debito illis (*illi* Ms. B. et edd. vett.) merito parum esse. Sensus autem hic est, neque faciam, quod nefas est, ut vos deseram: nec hoc ipsum quod facio, satis pium est pro tanta necessitudine. Et bene addidit *satis*, ut *et sapiens, non tamen satis*. D.

Satis pie] I. e. salvo officio quod cognatis debetur. R. D.

14 *Salvere Hegionem plurimum jubeo*] Ideo providit Demea, non provisus est: quia oportuit illum audire quæ loqueretur Hegio, et ex illius jam verbis in indignationem (*verbis indignatione*) moveri. *Jubeo* autem, volo significat: ab eo quod sequitur, id quod præcedit. Non jubemus enim, nisi quod voluerimus, et est Homericum Κέλευε με ἄντ' ἀποδοῦναι ἐθέλομεν γὰρ εκτορα CYNENNIAI-eNA (Priora ex Il. ά, 134. sunt emendanda, Κέλεαι δέ με τήνδ' ἀποδοῦναι. Posteriora vero videntur esse Donati, et restituenda sic, *nam ante*, Ἦ ἐθέλεις ὄφρ' αὐτὸς, *ait* συνωνύμως. Z.) D.

Salvere Hegionem] Priscian. lib. 18. L.

Priscianus p. 1132. pro *salvere* habet *gaudere*, et dicit *gaudere jubeo* esse *gaude*. B.

15 Omnes libri Faerni, in his Bembinus, *Oh, te quærebam ipsum*. B.

16 *Major filius tuus Æschinus*] Artificiosa postulatio: in qua, ne statim Demea diceret, nihil ad se hanc querelam pertinere, quippe qui Ctesiphonem curare debeat, infertur causa cur non dissimulet pater, quia *filius*: quia *major* est: quia *Æschinus*, si quid est in ipso nomine caritatis: quia fratris *adoptivus*: quia *bonus* et *liberalis*: et contra hæc, quibus laudatus est, fecit. D.

Major filius tuus Æschinus] Hinc narratio incipit accusationis, in qua multa denuo dicuntur, quo facilius reus constitui possit. Nam dictum quod *major filius*, ne alius sentiretur: dictum et nomen proprium *Æschinus*: dictum etiam illud quod contigit, *qui fratri adoptandus datus est*. Ex his omnibus enim signa dominus sumserat, *ille quid fecit?* Deinde summa generaliter proponitur: *Neque boni, neque liberalis functus est officium viri*. Deinde adjungit personæ commendationem ejus, cujus filia vitiata est. Deinde propositio criminis. *filiam ejus virginem vitiavit*. Quamvis non hoc intendebat: non enim facti quæstio est. E.

17 *Neque boni*.] Quasi id quod est, velit quod esse debet (Forte leg. *Quia is prodest, vel prodesse debet*. Cf. adv. 30.) D.

Quem fratri adoptandum dedisti] Quis talem versum Terentio imputet? Lege abdidisti, i. e. ab oculis removisti, tanquam neglectum; et est levis Demeæ reprehensio. Hecyræ 1. 2. 100. habes: *nam senex rus abdidit se*, ubi Donatus: verbum reprehendentis senem. Reprehendentis autem, quod absit inde Laches, ubi esse eum oporteat. vid. ibi Donatus ad v. *commeat*. Bo.

18 *Neque liberalis functus est officium viri*.] Quærendum inter *bonum* et *liberalem* quid intersit. An *bonus* est, qui non nocet? *Liberalis*, qui etiam prodest? An *bonus*, qui non peccat in facto? *liberalis*, qui nec verbo quidem. D.

Functus officium] V. C. *officio*. L.

Digitized by Google

D. Quid istuc est? H. Nostrum amicum noras Simulum,
Atque æqualem? D. Quidni? H. Filiam ejus virginem 20
Vitiavit. D. Hem! H. Mane; nondum audisti, Demea,
Quod est gravissimum. D. An quicquam est etiam amplius?
H. Vero amplius. nam hoc quidem ferundum aliquo modo'st:
Persuasit nox, amor, vinum, adolescentia:

20 *Æqualem?* Ὁμήλικα. *Quidni?*] Plus est *quidni?* quam *noveram*. nam quasi corripit dubitantem, dicendo *quidni?* ut subaudiatur, *noverim*. *Filiam ejus virginem vitiavit*] Vides quantum valeat injuria, vel dignitas personarum. Non contentus facinore, personas credidit ante proponendas. D.

Illud *atque* Bentl. superiori versui apposuit. Z.

21 *Hem!*] Interjectio nunc est irati, et est irati vehementer: quippe qui aliud novum audiebat, præter crimina quæ sciebat. D.

Nondum audisti, Demea, quod est gravissimum] Dicit hoc quod virgo vitiata est, grave non esse, propterea quod veniens (*veniam* Z.) adolescens mereri poterat ex amore. Illud est quod purgari non potest, quod *ad matrem virginis venit*, quod *lacrumans oravit*, quod *fidem dedit*, quod *juravit illam se uxorem ducturum*. Hæc sunt quæ in accusationem ponuntur. Deinde quod *virgo ex compressu gravida facta est*, quod nunc *jam mensis hic est decimus*. Cumulus enim hactenus ad accusationem, si eo tempore deserit adolescens puellam, quo jam pater esse potest, cum vicinus est partus; ac deserendi non * olim in adolescentia arguit, sed ipsum tamen factum proponit (pro *olim* West. in cod. reperit *solum*. Igitur lege, *ac deserendi non solum crimen in adolescente arguit, sed ipsum etiam factum prop.* Z.) quod *psaltriam rapuerit*. Est enim breve tempus id * amores esse cum meretrici (*Est etiam breve tempus id, quo solent amores esse cum meretrice. Igitur sit cumulus, &c.* Z.) Fit cumulus quod ad id comparavit sibi psaltriam, *quicum vivat*, ut hoc perpetuum sit. adjunxit quod intendebat, *pro certone tu istæc dicis?* Demea audita accusatione de fide quærit. E.

22 *Quod est gravissimum*] Quia illud grave (intellige, *quod virginem vitiavit.*) *An quicquam est etiam amplius?*] *Amplius*, quantitatis est. Nam ideo, *Nondum etiam audis quod est gravissimum. Amplius*] Id est, majus. D.

Liber Bemb. *an quid est etiam amplius?* Quod est melius. B.

24 *Persuasit nox, amor, vinum, adolescentia*] Plautus in Bacchid. I. 1. 54. *Quia istoc illecebrosius, fieri nihil potest; Nox, mulier, vinum, homini adolescentula.* Et hæc omnia ab impulsionis parte dicuntur, non a ratiocinationis: ideo et *persuasit* dixit. Nam instans persuasio, *impulsio* dicitur: ut ipse (*alibi* addunt Ms. B. et edd. vett.) *Dum in dubio est animus, paulo momento huc illuc impellitur. Persuasit nox, amor, vinum, adolescentia*] Hæc inferuntur ἀσυνδέτως, ut multa videantur. *Vinum*] Plus dixit, quam si *vinolentiam* diceret. ut, *tu nihil nisi sapientia es, ille somnium*. Proximum huic, et simile est in Hecyra, — *cum virgine una adolescens cubuerit Plus potus, sese illa abstinere ut potuerit? Non verisimile dicis, nec verum arbitror.* Virg. Ge. II. 455. *Bacchus et ad culpam causas dedit.* (Huc adde Anacr. 52, 24. Ὁ βάκχος μεθύων ἄτακτα παίζει Z.) D.

Persuasit nox, amor] Demosthen.

Digitized by Google

Humanum'st. ubi scit factum, ad matrem virginis
Venit ipsus ultro, lacrumans, orans, obsecrans,
Fidem dans, jurans se illam ducturum domum.
Ignotum'st; tacitum'st; creditum'st. virgo ex eo
Compressu gravida facta est; mensis hic decimus est.

κατὰ Μιδίου: τρεῖς εἶχε προφάσεις, μίθυ, ἔρωτα, ἄγνοιαν, διὰ τὸ σπάνιος καὶ πανὸς τὸ πρᾶγμα γενέσθαι. Ennius apud festum: *Persuasit nox, vinum, Deus qui multo est maximus.* Plautus Aulular. IV. 10. 64. *Ego me injuriam fecisse filiæ fateor tuæ, Cereris vigiliis, per vinum, atque impulsu adolescentiæ.* Idem Bacchid. I. 1. 54.—*istoc illecebrosius fieri nihil potest: nox, mulier, vinum, homini adolescentulo.* Eodemque colore Seneca utitur lib. 7. Controvers. 8. *Nox, vinum error: quid irasceris, puella?* L.

Menander, laudante Scholiaste Theocriti Idyll. II. 10. Ὦ νύξ, σὺ γὰρ δεῖ πλεῖστον Ἀφροδίτης. De quo loco Plutarchus: Πλεῖστον γὰρ Ἀφροδίτης οὐ νύξ, κατὰ Μένανδρον, ἀλλὰ Τύχη μετέσχηκεν. Huc pertinet illud Ovidianum, *Nox et amor, vinumque nihil moderabile suadent.* W.

Persuasit nox, amor, vinum] Comparandum Callimachi epigramma 44. Ἄμπτος καὶ ἔρως μ' ἀνάγνασεν Ovid. Amor. I. 6. 59. ubi v. Burmann. Terentium imitatur Lactant. de ira Dei c. 20. *multa sunt quæ ad peccandum irritant ætas, violentia, egestas, occasio, præmium.* R. D.

25 *Humanum est.*] Nihil tandem ex ea sumtum consuetudine est, quod non humanum. et hoc dicere solemus, ubi peccatum quidem non negamus, sed tolerabile esse dicimus. *Ubi scit factum*] Id est, intelligit et sentit: quia supra futuræ * (Corrige, *futuere*. Sed Wieling. leg. putat, *quid sua persuasione*) peccaverit: et quia qui impulsione peccat, non peccat ratiocinatione. Hic locus illi rei occurrit, *cur ergo tacuisti?* D.

Ubi scit factum] Hic sit eum per ignorantiam peccavisse. In quibusdam Libb. est: *ubi sic factum*, notante Vesterhovio. M.

Ubi scit factum] Mirum vero, ni ipse sciverit. Leg. *istud factum*. Bo.

26 *Venit ipsus ultro lacrumans*] Mire: (et *Mire id*; Z.) *ad matrem venit ultro lacrumans*, ne quam leniter, aut mollius mulier tulisset, prope pactionem iniisse videretur. *Orans, obsecrans*] *Orare*, est placidos petere: *obsecrare*, iratos rogare. Unde plus facit obsecrans, quam orans: plus vero orans, quam rogans. Cicero, *orare et rogare*. D.

28 *Ignotum est: tacitum est: creditum est*] Ἀσιωπήτως per συστολήν ut solet, hic loquitur: ut, *imus, venimus, videmus. Ignotum* est autem, quod ultro veneral, et lacrumans: *tacitum* est, quod orabat et obsecrabat: *creditum* est, quod fidem dabat et jurabat. Et honestius impersonaliter, quam *ignovimus, tacuimus, credidimus*. D.

Ignotum est] Priscian. lib. X. L.

29 *Virgo ex eo compressu gravida facta est;*] Hæc addidit, ne ex viliore usu et inhonesta patientia virginis ad conceptum libido pervenerit. Et præterea quia et hoc potuit dici, ille quidem vitiavit virginem: sed quid si ex alio concepit postea, quæ nunc gravida facta est? idcirco et a vitio virginis tempus ostendit: ut cum facto ratio conveniret. D.

Molle illud *hic*, quod et versus respuit, nec sensus desiderat. Pomponius apud Nonium v. verminari, *decimus mensis est, cum factum'st: ita fit, ita semper solet: Decimo mense demum turgens verminatur, parturit.* B.

Mensis hic decimus est] *Mensis*, lunaris nimirum; quales ante Jul. Cæsarem computabantur. Unde adeo passim decem menses partui tribuuntur a veteribus. Sic infra IV. 5. 57. Hec. V. 3. 24. Plautus sæpius. Menandro tribuunt Fr. Fabricius et Farnabius, ἐκ τοῦ πλοίου, quod in fragmentis tamen non comparet, ὅτι νέας δεκάμηνα. Sed Cæcilii in Plocio est:

Digitized by Google

Ille bonus vir nobis psaltriam, si Dis placet,
Paravit, quicum vivat: illam deserat.
D. Pro certon' tu istæc dicis? H. Mater virginis
In medio'st; ipsa virgo; res ipsa: hic Geta
Præterea, ut captus est servorum, non malus,

Insoletne mulier decumo mense *parere? Pol* nono *etiam*, septimo *atque* octavo.
Virgil. Ecl. IV. 61.
Matri longa decem *tulerunt fastidia* menses. W.

Compressu] Sic Plaut. in Epid. IV. 1. 15. Terent. in Phorm. V. 8. 29. *violentus mulierculam compressit* i. e. vitiavit. R. D.

30 *Ille bonus vir, nobis psaltriam, si dis placet, paravit*] Conclusio accusationis. Et *Bonus vir* εἰρωνικῶς quidem est, sed ab eo posita, qui indignetur virum bonum esse debuisse, qui non sit: ut supra, *neque boni, neque liberalis est functus officium viri*. Et simul considera quo nomine Æschinum vocet, virum appellans scilicet, qui vult ejus certa esse promissa, et qui illam jampridem videri maritum velit: *nobis* autem, ex abundanti τῷ ἰδιωτισμῷ ad indignationem relatum est. *Si dis placet*] Bene interpositum ad invidiam, *Si dis placet*: Scilicet per quos juratum est. *Ille bonus vir*] Εἰρωνεία indignantis in loco addita est verbis ardentibus. *Psaltriam nobis*] Τῷ ἰδιωτισμῷ. sic enim dicimus, et est consuetudinis pervulgatæ. D.

Si dis placet] Ironiæ maxime inserviens formula. Sed et adhibetur ab indignantibus et aspernantibus. Ita h. l. et Eun V. 3. 10. Cic. in Pisonem 16. Quinctil. Inst. VIII. 3. Flor. III. 4. Ubi vide, quæ annotarunt. Freinshemius et Cl. Dukerus. Plautus etiam extra ironiam et indignationem usus est. Capt. II. 3. 94. Quo sensu et, *si dii volent*, dixit Poen. IV. 2. 88. W.

31 *Illam deserat*] Id est, cui e contrario, dum vivat, obstrictus est. Et *deserat*, virginem scilicet. D.

Bembinus, et aliqui libri Donati recte habent *deserit*. B.

32 *Pro certone tu istæc dicis?*] Hoc ideo non dicit, quia fidem non habeat narranti: sed quia miratur scelera. *Mater virginis in medio est*] Terribiliter satis, *In medio est*: quasi retineri non possit, nec cohiberi, quin rem probet. Et præterea, quum argumentorum genera duo sint, ἔντεχνον καὶ ἄτεχνον sicut in rebus manifestis, ἀτέχνῳ utitur. Hoc ergo, sublatis superciliis, dicendum est, *In medio est*. Nam lentius (*lenius*) erat, si diceret, *præsto est*. D.

Mater virginis in medio] Ad rem confirmandam testem adhibet accusator, ipsam virginis matrem, et rem ipsam dixit, ... (W. e Ms. lacunam supplevit sic; *ut eorum mulieres*. Sed verba sine sensu. Intellige potius, *partum virginis*, vel, *mulieris*. Z.) Ad postremum adjunxit et servum Getam, de qua facile possit inquiri, ut a testibus res probetur. R.

Pro certo] I. e. tanquam certam. Sallust. in Catil. c. 15. Notandum est *pro certo* dici in singulari, quamvis præcedat pluralis *istæc*, quod loquendi genus vindicavit Duker. ad Liv. I. 3. R. D.

33 *Ipsa virgo*] Scilicet quæ in Æschinum reum et testis et crimen est. Et ideo addit, *res ipsa*: id est pondus uteri, exactis ad pariendum mensibus. D.

Hic Geta] Prisc. l. VII. L.

In medio est] H. e. præsens est, ut interrogari possit. Sic in medio posita opponuntur reconditis. v. Cic. de Orat. I. 3. Contra *e medio excedere* in Hec. IV. 3. 14. est subducere se ex oculis hominum. Sueton. in Cæs. c. 1. R. D.

34 *Præterea, ut captus est servorum, non malus*] Ad hæc, intelligamus aliter dici, *non inertem Socratem*: aliter, *non inertem servum*: aliter, *non malum Scipionem esse*: aliter, *non malum servum esse*. *Præterea, ut captus*] An, quantum capit animus servilis, tantum non malus, neque iners Geta? An *ut*

Digitized by Google

Neque iners, alit illas; solus omnem familiam 35
Sustentat. hunc abduce, vinci, quære rem.
G. Imo hercle extorque, nisi ita factum est, Demea:
Postremo non negabit: coram ipsum cedo.
D. Pudet: nec, quid agam, neque quid huic respondeam

captus est servorum, quemadmodum sæpe incopiam in servis habendis bonum evenit? Ut in capta avium, vel piscium, vel ferarum plurimum fortuna dominatur. Et hoc ideo, quia servum evenire bonum, non ratio est aut natura, sed casus est, utpote in re rarissima: ut sit, *ut captus est servorum*, id est, eventus est in servis. *Ut captus est servorum*] Id est, ut se habet conditio servorum. Afranius in Simulante, *is ut servorum captus est, facillime domo atque nostra familia provenditur.* Ergo (*Ego* Ms. B.) *captus* sortem intelligo. *Non malus*] Id est, fidelis. D.

Ut captus est servorum, non malus] Quemadmodum (*quamquam* Z.) mali esse possunt servi, sicut est captus servorum, id est, conditio. E.

Versus gratia repone, *Præterea, ut captus servolorum est, non malus.* B.

Ut captus est servorum] Hæc formula utuntur de iis, qui non magnam laudem merentur Cic. Tusc. quæst. II. 27. Cæs. de B. G. IV. 3. R. D.

35 *Neque iners*] Id est, artem habens (Vid. ad And. III. 5. 2.) Oratorie futurum testem et indicem laudat: sed ne improbe facere videatur, paroias id facit. non enim dixit, *bonus et solers*: sed, quod in servo sufficit, *non malus, neque iners.* Et proferendi (*protegendi* Z.) Getæ hæc maxime causa est: ne quod permittere videatur in servo pauperis, atrocius fiat (*ne, quod mos perm. vid. in s. pauperis, atrocius agat.* Z.) Et simul ut hæc προθεράπωσις non contristet Getam: quem prius laudat, dicturus, *Hunc abduce, vinci, quære rem. Alit illas: solus omnem familiam sustentat*] Duas hic res docet: et unde hæ vivant: quod testimonium pudicitiæ est; et gravem testem posse esse Getam. *Solus*] Incerta distinctio est, *solus.* sed melius, *solus omnem familiam sustentat.* Hoc verbo tenuis victus ostenditur, quod bene frugi esse monstratur in feminis. D.

Alit illas] Ms. R. *alit illam.* L.

Sustentat] Ita Phorm. II. 1. 57. de servo Geta:

columen *vero familiæ.*

Virg. Æn. XII. 59. W.

36 *Hunc abduce. vinci. quære rem*] Non multum permittit, utpote de alieno servo. ideo Geta plus de se largietur. ipse tamen δεινδότως tria posuit, ut multa videretur dicere. *Hunc abduce*] Ut, Æn. XI. 463. *tu, Voluse, armari Volscorum edice maniplis.* Nam postea, *e* litera, hujusmodi verbis aucta (*ablata* Z.) est. *Hunc abduce: vinci*] Bono ordine. et *abduce*: ab hoc illuc ubi (*ad huc illua ut* ed. Du B.) nemo possit intercedere. Et *vinci*: ne solutus, ut sciat si (*ne, si solutus, tu nescias an* Z.) verum servus accuset. *Quære rem.*] Latenter præter vincula, etiam tormenta significavit: nam hoc, *quære rem*, pete rei veritatem, significat. D.

37 *Imo hercle extorque*] Ἄτεχνος πίστις. Et bene ipse de se plus et apertius, quam Hegio, largitur. *Extorque*] Multum dixit: non *torque*, sed *extorque. Torquemus* enim hominem: *extorquemus* veritatem. D.

Imo hercle extorque] Dixerat *vinci*, et solas catenas pro pœna adjecerat: ideo addidit, *extorque.* R.

Extorque] Pro *torque*, composit. pro simplici. R. D.

38 *Coram ipsum cedo.*] Quo facilius veritas manifestaretur, adjecit servus, *coram da Æschinum*; cum præsens fuerit, non negabit miseriam. E.

Vulgo *coram ipso cedo.* Minus recte. B.

39 *Pudet*] Aversus hoc dicit, et perturbatus Demea. Majoris erit ponderis

Digitized by Google

Scio. P. Miseram me! differor doloribus.
Juno Lucina fer opem: serva me obsecro. H. Hem!
Numnam illa quæso parturit? G. Certe, Hegio. H. Hem!
Illæc fidem nunc vostram implorat, Demea:
Quod vos vis cogit, id voluntate impetret.
Hæc primum ut fiant, deos quæso, ut vobis decet.
Sin aliter animus vester est; ego, Demea,
Summa vi defendam hanc, atque illum mortuum.

Pudet dictum, *si me* nec addas, nec subaudias. D.

40 *Differor doloribus*] Divellor, discrucior, dilaceror. Et proprie hoc genus querelæ convenit parturienti, et cui viscera distenduntur: et ei quæ inexpertum dolorem nunc primum sentiat. D.

Differor doloribus] Opportuno tempore dolore parturientis exclamat, quo facilius Demea vitiatam puellam possit agnoscere. * illam (*Fidem vestram*) nunc hæc implorat, tametsi Junonem Lucinam ad partum implorare videatur. Hic jam petitio illa supponitur, ut in excusatione reus constituatur Æschinus, et ut cogatur, quam vitiavit, ducere uxorem, quod dicit: *hæc primum ut fiant, deos quæso ut vobis decet.* E.

Differor doloribus] I. e. divellor, excrucior. Plaut. in Mil. glor. 4. 27. v. Lambin. ad Horat. Epod. X. 6. R. D.

41 *Juno Lucina, fer opem*] Bona procuratio poetae: ut et vox parturientis, pro testimonio succedat, ad inflammandum Demeam. Et nota, puellarum quæ in comœdiis honestæ sunt, et ex amore dicuntur (*ducuntur* Z.) aut nullam in scena esse, aut rarissimam vocem. *Fer opem!*] Partui. *Serva me, obsecro!*] Parturientem. Duas enim res poscit hæc precatio: et nascentis, et parturientis salutem. D.

42 *Numnam illa, quæso, parturit?*] *Illa* scilicet de qua sermo est. quid enim opus fuerat nomine. D.

Certe, Hegio] V. C. *certe parturit.* L.

43 *Illæc fidem nunc vestram implorat*] Hæc oratoria πλάσις est. non enim vere rogat: sed videtur hoc facere. Et *implorare*, est in malis positos cum ploratu aliquem rogare. D.

44 *Quod vos vis coget, id voluntate impetret*] Artificiose: ne totum simpliciter (*suppliciter*) agendo, diffidere causæ videatur. *Vis* igitur legum intelligitur. D.

Pro *Jus* antiqui libri habent recte *Vis*. In Bemb. margine adscriptum est, *vis, necessitas legum.* B.

Menandri fertur, Τρία ἐστὶ, δι' ὧν ἅπαντα γίγνεται, Ἢ κατὰ νόμους, ἢ ταῖς ἀνάγκαις, ἤγε τρίτον ἔθει τινί. W.

Quod jus cogit] Bentl. recte legit *quod vis cogit* scilicet legum. in Phorm. I. 4. 37. R. D.

Voluntate] I. e. sponte vestra, vobis volentibus. in Phorm. V. 3. 2. Rutil. Lup. I. 63. v. interpret. ad Liv. V. 17. R. D.

45 *Deos quæso, ut vobis decet*] Hoc est, non voluntate adversarium fore. *Ut vobis decet*] Παραινετικῶς dixit, non ut puellæ utile est, sed ut vobis decet. *Vobis decet*] Græce dixit, ὑμῖν πρέπει. et deest, *facere.* D.

Vobis decet] Ms. R. *vos decet.* Vid. Serv. Æneid. VIII. 127. L.

46 *Sin aliter animus vester est*] Officium amici exsequitur in reddenda causa, cur adversarius futurus sit. *Ego, Demea, summa vi hanc defendam*] Non dixit id quod est, *vos ulciscar:* sed, *hanc defendam.* D.

47 *Atque illum mortuum*] Idonea causa est, adversus vivos querimoniam faciendo, pro mortuo scilicet. Qua in

Digitized by Google

Cognatus mihi erat: una a pueris parvolis
Sumus educati: una semper militiæ et domi
Fuimus: paupertatem una pertulimus gravem. 50
Quapropter nitar, faciam, experiar, denique
Animam relinquam potius, quam illas deseram.
Quid mihi respondes? D. Fratrem conveniam, Hegio:
Is quod mihi de hac re dederit consilium, id sequar.

re, et de officio suo locutus est, et exaggeravit culpam in Æschinum, qui videbatur in uno et eodem facinore vivos mortuosque lesisse. D.

Etsi omnes libri habent *defendam hanc*: lego tamen *defendam has*, h. e. Matrem et Filiam. Sic mox 52. *Potius quam illas deseram*. Cf. IV. 3. 17. IV. 4. 17. B.

48 *Cognatus mihi erat*] Causa exposita, jam agit Hegio de persona sua, utrum recte faciat: ut quam personam inducit * ostendat habiturus (*quam personam induerit, porro se ostendat habiturum*. Z.) Quum amicitiarum duo genera sint, unum necessarium, id est, propinquitas sanguinis: alterum voluntarium, quo nobis etiam alienissimi conjunguntur. Micionem dicit ac Demeam, et vivos, et voluntarios tantum sibi amicos esse. Simulum vero, et mortuum, et non solum voluntate, sed et necessitudine amicum fuisse conjunctum. In qua re et illi non deerit, et his purgatur. Sed et *cognatus mihi erat*, vultu adjuvat: quia non a conjunctione inceptiva sumsit exordium. *Cognatus mihi erat*] Officia multa contra officium unum Demeæ amicitiæ ac Micionis. D.

Cognatus mihi erat] Dicit sibi necessitatem maximam, ut virginem defendat, si deserta fuerit, ex hoc cumul . . . . . sibi fuerat cum puellæ patre (*ex hoc cumulus fit, quod multa familiaritas sibi f. c. p. p.* Z.) E.

Illud *parvoli*, quod in libris quibusdam extat, est plane ineptum. B.

49 Nisi pro *educati* legas *educti*, versus stare non potest. B.

50 *Paupertatem una pertulimus gravem*] Ἐυσταφορὰ est. quia magis conjungit malorum consortium, quam bonorum. D.

51 *Nitar, faciam, experiar*] Sic dicit, ne dicat *vindicabo*: quod vult magis significatum esse, quam dictum. Et ne ei diceretur, *nihil poteris*: quod ad incipiendum sufficit, dixit, *experiar*. D.

52 *Animam relinquam potius*] Modesta comminatio: prius quid sibi possit evenire dixit, quam quid passurus sit Æschinus. D.

53 *Quid mihi respondes*] *Respondere* proprie dicitur, quum (*quoi* s. *cui*) lis intenditur. *Respondere* enim est priorem alloqui, quasi respondere (*quasi rursus spondere*. *Spondere* Wie.) verba fundere. ut, *funditque has ore querelas*. *Respondere*, posteriore loco dicere. *Fratrem conveniam, Hegio*] Vultuose pronunciandum hoc quod addidit, *Hegio*. quasi dicat; res in manu fratris est constituta, non mea. D.

54 Totus versus abest in Bembino. Atque Muretus spurium putavit, cum de Æschini rebus nihil faceret Demea ex consilio Micionis. Et certe Donatus non videtur illum legisse, cum dicat, *res in manu fratris est constituta, non mea*. Z.

Totum hunc versum expungendum censet Muretus, his argumentis usus: 1) Demea sciebat, Æschinum, quicquid intemperanter faceret, Micione permittente facere, quale hujus consilium poterat expectare? 2) Non Demeæ, sed Micioni potestas erat, de Æschino statuendi, quare Demea hac in re fratri, non fratrem consulere poterat. 3) Versus totidem verbis in Phormione legitur, loco longe aptiori.

Digitized by Google

H. Sed, Demea, hoc tu facito cum animo cogites, 55
Quam vos facillume agitis, quam estis maxume
Potentes, dites, fortunati, nobiles:
Tam maxume vos æquo animo æque noscere
Oportet, si vos voltis perhiberi probos.
D. Redito: fient, quæ fieri æquom'st, omnia. 60
H. Decet te facere. Geta, duc me intro ad Sostratam.

4) Donatus versum non legit, quod nihil ad eum adnotavit. 5) Versus in cod. Bemb. abest. Sed, ad 5. unius codicis, licet cetera boni, auctoritas, contra omnes reliquos, in iisque multos æque bonos, valere non potest. Ad 4. si silentium Donati probaret, versum aliquem esse spurium, permultos oporteret versus esse spurios, quid? quod huncipsum versum in Phormione etiam, ubi nemo non genuinum agnoscit, licet ibi quoque Donatus nihil adnotaverit. Ad 3. concedo versum, si alterutro loco spurium esse oporteret, in Adelphis potius, quam in Phormione abesse posse, quis nescit vero, intendum et apud alios poetas eundem versum duobus locis reperiri, v. c. Virg. Æn. L. 3. v. 589. et L. 4. v. 7. Ad 1. et 2. respondendum tamen Hegioni erat, et amico amice respondendum, non uno verbo, ut honeste certe Demea effugeret. Demeam, quod natura pater erat, Hegio adierat primum, quid mirum, si suam patris potestatem imminutam esse tacet? quod vero adoptionem Hegio sciebat, quid magis necessarium Hegio non poterat non agnoscere, quam ut fratrem Demea ea de re conveniret?— Editio tamen Bipontina versum omisit. S.

55 *Sed, Demea, hoc tu. facito*] Ἐπαναφώνησις supra habitæ comminationis. D.

Sed, Demea, hoc tu] Quoniam Demea sententiam petitioni talem dederat, ut fratrem se diceret conventurum: jam hic amplius agit ut persuadeat, aliud fieri non debere: propterea quoniam nobiles viri quanto clari sunt magis, tanto plus debent omnia justa complere, si velint famam integram sui nominis continere. Quam rem et persuasione impetrant (*impetrat* Z.) quod voluerat senex. Denique data est sententia: *fient, quæ fieri æquum est, omnia*. E.

Cum animo cogites] Cic. agrar. II. 24. R. D.

56 *Quam vos facillime agitis*] Ut et supra, *facilem victum paret* (forsan e memoria laudavit locum Eun. II. 2. 30. *Et tam facilem victum quærere*). Et vide quam oratorie laudes sumserit (excidit *secundum* Z.) argumenta suadendi. D.

Quam vos facillime agitis] Scil. vitam. *Facile vivere* dicuntur qui ex animi sententia sine molestiis cum sumtuum tolerandorum tum aliarum rerum vivunt. Sueton. in Terentii vita c. 1. *qui agitabant nobiles facillime* v. Græv. ad Cic. ad Div. III. 12. R. D.

58 *Æquo animo æqua noscere oportet*] Bene dixit, *æquo animo*: quia potentiori et fortiori contra naturam est æquitas. D.

Noscere] Noscere pro exercere dixit, Græcorum more, qui s. p. διδύναι. of. Virgil. Æn. 1. 630. Musgrav. ad Sophoclis Antig. 299. Bo.

60 *Redito*] Prosequebatur eum, quemadmodum apparet ex verbis. D.

Lege, *redito: fient, fieri quæ æquumst, omnia*. B.

61 *Decet te facere*] Sollicita obsequela Hegionis, ultima in loquendo, ostendit impotentiorem personam contra Æschinum; quo magis gaudium crescit comœdiæ, quando tali an tanto panperior puella, sed tamen cupita, jungetur. D.

Digitized by Google

D. Non me indicente hæc fiunt: utinam hoc sit modo
Defunctum. verum nimia illæc licentia
Profecto evadet in aliquod magnum malum.
Ibo, ac requiram fratrem, ut in eum hæc evomam. 65

ACT. III. SCENA V.

HEGIO.

BONO animo fac sis, Sostrata; et istam, quod potes,

62 *Non me indicente*] Quia dixerat, *ipse sentiet posterius.* Et nimis dura compositio est: sed apta irascenti. *Utinam hoc sit modo defunctum!*] *Utinam*, desperandi vim habet. *Hoc*, id est, negotium: id est, raptus virginis. *Defunctum*, finitum, id est, ut non pejora committat. *Defunctum*, finitum, id est, ne ulterius pecoet Æschinus. D.

Non me indicente] Supra enim dixerat, ex lenitate patris Æschinum in periculum esse venturum, quod etiam nunc dicit: *verum nimia illæc licentia profecto evadet in aliquod magnum malum.* E.

Non me indicente] Gloss. marginal. *Indicente, præcipiente, hortante.* L.

In margine Bemb. hoc glossema adscriptum est, *indicente: tacente: nove, immo potius κατ' ἐγκλισιν: nam nusquam legimus, nisi in hoc loco; indicentem enim dixit, non dicentem.* Sed de *indicente* vide Gronovium ad Liv. XXII. 39. Bembinus habet *fient*, sed alii omnes, *fiunt*. Ceterum Bemb. et Victor. pro *hoc* recte legunt *hic*, h. e. in hoc negotio: ne Æschinus pejora committat. Et *defunctum* est impersonale. B.

Me indicente] I. e. tacente, nihil dicente. Rarissimum verbum etiam occurrit apud Liv. XXII. 39. *duo boni consules etiam me indicente omnia republica fide vestra facerstis* ubi v. Gronov. R. D.

63 *Nimia illæc licentia*] Quam illi dat Micio. D.

64 *Profecto evadet*] Per ardua et præcipita veniet. D.

65 *Hæc evomam*] Non *effundam*, sed *evomam*: utpote quæ me ægrum faciunt, quibus me relevabo, cum languor ille egestus sit. Nam *evomam*, hoc translatione significat. D.

1 *Bono animo fac sis, Sostrata*] Hi sex versus in quibusdam non feruntur. In hac scena videtur jam locutus Sostratæ Hegio respondere. Potest tamen et ipse incipere, tanquam qui et rem noverit, et mœrore ejus moveatur. *Bono animo fac sis, Sostrata*] Meminisse debemus, quod dixit, *duc me intro ad Sostratam.* et quia hoc *intro*, in proscenio est ΠΑΤΕΡΑΠΑΤΗΤΙΚΗΝ * (παρὰ τὴν σκηνὴν.) non post scenam. Nam aliud significat, *eamus intro*, ubi dicitur, *intus despondebitur, intus transigetur, si quid est quod restat.* Illum enim interim agitur extra omne proscenium. *Fac sis, Sostrata*] *Sis* honorifice additur verbo, ne quod imperativo modo pronunciatur, superbum sit. Deductum est autem a senatusconsulti formula: ubi enim aliquid senatus consulibus injungit, addit, *si eis videatur. Et istam quod potes*] Quia vox ipsa tristis, et circa tristem filiam, *quod potes* dixit. D.

Bono animo fac sis] Senex ingressus domum, vidit parturientem puellam,

Digitized by Google

Fac consolere. ego Micionem, si apud forum'st,
Conveniam: atque ut res gesta'st, narrabo ordine.
Si est, facturus ut sit officium suum,
Faciat: sin aliter de hac re est ejus sententia, 5
Respondeat mihi; ut, quid agam, quam primum sciam

ACT. IV. SCENA I.

CTESIPHO. SYRUS.

AIN' patrem hinc abisse rus? S. Jam dudum. C. Dic sodes. S. Apud villam'st.
Nunc cum maxume operis aliquid facere credo. C. Utinam quidem,

ejus matrem consolatur, promittens se conventurum Micionem, Æschini patrem, et cogitaturum ut vitiatam ducat uxorem ille, qui vitiavit. E.

Perperam Guyetus hanc scenam spurium esse pronunciavit. Nam scena priori 61. Hegio ad Sostratam ductus est. Nunc redit, et Sostrata, quæ intus est, narrat de scena: plane ut Lesbia, Andr. III. 3. Arcylim, quæ domi erat, e scena alloquitur, et Heaut. V. 1. Chremes Sostratam uxorem. B.

2 *Fac consolere*] Duas res dixit, quas et ordine locutus est; et tu bonum habe animum, inquit: et filiam fac habere. *Ego Micionem*] Quia Demeam jam vidit. D.

4 *Si est, facturus officium*] Hoc dicendo, promittit eum esse facturum; nam facile est unumquemque suo officio fungi. D.

Si est facturus, &c.] Ordo est: conveniam Micionem, ut faciat, officium suum est facturus, officium * (lege et distingue, *ut faciat officium suum, si est facturus officium.* Cæterum quicquid Engraphii hinc ad finem fabulæ sequitur, Westerhovius primus ex Ms. edidit Z.) E.

Illud *si* hic sine synalœpha est; contra morem et artem. Lege, *si ita est.* B.

Si est facturus ut sit officium] Pro si faceret officium in Hec. III. 5. 51. IV. 1. 43. *si est ut dicat* pro dicit v. Perizon. ad S. Minerv. I. 13. p. 88. R. D.

6 *Ut, quid agam, quam primum sciam*] Mature: neque comminatur, neque segnem ostendit se fore. D.

1 *Ain' patrem hinc abisse rus?*] Hic ostenditur timiditas boni adolescentuli, et verti * se ad peccandum ex delicti conscientia, et reverentia parentis apparet. Item (*veriti, sc. ob peccatum ex d. c. et r. parentis. Apparet item*) mos verorum patrum circa filios, Syro Demeam describente. *Ain' patrem hinc abisse rus?*] Compendio ostenditur, quid sit jam locuturus (*locutus* Z.) Syrus. D.

Nunc patrem abisse rus?] Hæc scena deliberationem habet, quid faciat, cum pater rus iturus sit, et quid nam (*nunc* Z.) respondeat patri, si se non invenerit apud villam. E.

2 *Nunc cum maxume operis aliquid facere credo*] Vide quasi ἰδίωμα verbum Syri esse, de opere loqui: sic enim

Digitized by Google

Quod cum salute ejus fiat, ita se defetigarit velim,
Ut triduo hoc perpetuo prorsum e lecto nequeat surgere.
S. Ita fiat, et istoc si quid potis est rectius. C. Ita: nam hunc diem
Misere nimis cupio, ut coepi, perpetuum in lætitia degere.
Et illud rus nulla alia causa tam male odi, nisi quia prope'st:

dicit et Demeae. sed illud falso: hoc serio. *Utinam quidem*] *Apud villam sit*, subaudiendum: et distinguendum ante quam inferatur, quod sequitur. D.

Recte meliores libri habent *cum maxime*, pro vulgari *eum maxime*. B.

Nunc eum maxime] Has particulas ab aliis quoque junguntur. Cic. de Senect. c. II. v. Westerhov. et J. F. Gronov. ad h. l. R. D.

Utinam velit] Notandum est jungi *utinam* et *velit*. Aliter constructionem explicat Periz. ad Sanct. Minerv. I. 13. p. 89. Sed durior est ejus ratio. R. D.

3 *Quod cum salute ejus fiat*] Hoc non est odisse patrem: sed tantam timere ex proprio delicto. servatur enim in eo et amor filii, et amoris effectus (*affectus* ed. Du B.) D.

Quod cum salute ejus fiat, ita defatigetur] Dum modo salvus sit. Et experitur ante consilium, ut hoc se defendat, quod ab amicis retentus sit. Cui opponitur: *interdiu quidem: sed si hic pernocto, quid causæ sum dicturus?*] Huic rei nullum consilium reperit servus. Hoc pollicetur tamen, facile se patrem lenire, quod ejus noverit mores, cum dixit, *laudarier te audit libenter: facio te apud illum Deum*. E.

Defatigarit] Sic Eun. II. 1. 14. Priscianus Instit. Grammat. lib. XV. *Defatiguret*. Ex Frontonis sententia *defatigatus* et *fessus* ita differunt, ut illud de animo dicatur, hoc de corpore. sed contrarium vel ex his locis Terentii patet. Adde P. Manut. ad Cic. Fam. X. 19. *Defatigatus* autem de animo dicitur, And. IV. 1. 46. et Phorm. V. 3. 11. W.

4 *Ut triduo hoc perpetuo*] Quantum sufficiat mansteri. (Forte huc pertinent verba, *moriatur scilicet*, quæ in versu sequenti plane sunt otiosa Z.) et enim non opus erat *perpetuo* dicere, si *triduum* dixisset. D.

5 *Et istoc siquid potius est rectius*] Deest *addi*. Nam si mortem significaret, non conveniret adolescentem *ita* dicere: videtur enim plus temporis optasse languori. *Nam hunc diem misere nimis cupio*] Moriatur scilicet. et hoc adversus servum debet dicere, ne indecorum adolescentis persona sit, hæc ita dixisse: quamvis ejusmodi adolescentes inducant comici. ut Nævius in Tribaselo, *deos quæso, ut adimant et patrem et matrem meos*. D.

6 *Misere nimis cupio*] *Nimis* abundat, more comicorum, qui hoc dicto asseverationem inculcabant. *Cupio, ut cœpi, perpetuum in lætitia degere*] Qui et supra dixit, *ita quæso: quando hoc bene successit, hilarem hunc sumamus diem*. D.

Misere nimis] In Ms. R. *nimis* deest. L.

Nostri omnes omittunt *nimis*, præter cod. regium, qui rectissime ponit, *nimis misere cupio*. B.

7 *Et illud rus nulla alia causa tam male odi*] Mire ostendit, omnia ex delictis in pravum verti: adeo ut miserum putet adolescens suburbanam villam: quare cæteri delectantur. Illud ergo tanquam (TAM MALE) cum detestatione dixit. et *male*, et (*est*) *nimis*, et

Digitized by Google

Quod si abesset longius,
Prius nox oppressisset illic, quam huc revorti posset iterum.
Nunc ubi me illic non videbit, jam huc recurret, sat scio.
Rogitabit me, ubi fuerim; quem ego hodie toto non vidi die.
Quid dicam? S. Nihilne in mentem est? C. Nunquam quicquam. S. Tanto nequior.
Cliens, amicus, hospes, nemo'st vobis? C. Sunt: quid postea?
S. Hisce opera ut data sit. C. Quae non data sit? non potest fieri. S. Potest.

misery. Nam *nimium*, et malum miserumque est; secundam illam sententiam, *ne quid nimis.* D.

8 *Quod si abesset longius*] Amori magis, quam rei consulit adolescens. D.

Hic versus est iambicus dimeter. Sicut prior est iambicus octonarius. B.

Nox oppressisset] H. e. deprehendisset. Sic supra II. 2. 21. Cic. de Senect. 14. *Quotiès illum lux nostra aliquid describere ingressum, quotiès nox oppressit, quam manè cepisset?* W.

9 *Iterum revorti* non est *bis revorti*, qui est error Faerni; sed vetuste, pro simpliciter *redire.* Ut supra I. 1. 46. Eun. IV. 2. 6. B.

Iterum revorti] Est simpliciter revorti in Eun. IV. 2. 6. *redeo rursum* Plaut. in Poen. prol. 79. v. Bentl. ad h. l. R. D.

10 *Jam huc recurret, sat scio*] Mire de sene, *recurret* dixit, ut ejus instantiam demonstraret. D.

11 Etsi Bemb. habet *rogitabit*: verum tamen probat codd. nostrorum et edd. vett. *rogabit.* Nam cum *ubi* accentum hic habeat in syllaba priore: *ubi fui*—est proceleumaticus, dactyli tempus habens; et irato apprime convenit rapide loqui. B.

12 *Nihilne in mentem est?*] Sic hoc accipiendum est, ut adolescenti libero malitiam putemus, non sapientiam deesse: adeo in hac re magister est servus. *Nunquam quicquam*] Παρίλκον, pro *nunquam*: id est, non. *Tanto nequior*] Sic hoc dictum est, ut a contrario dicimus, *tanto melior.* D.

Optimorum librorum est *in mentem est.* Ceteri male, *in mente est.* Vide nos ad Heautont. V. 2. 33. Porro pro *nunquam* lege *nusquam.* Nam *nusquam* in re praesente scilicet: non *nunquam*, ut semper stolidum se et bardum esse fateatur. B.

13 *Cliens, amicus, hospes, nemo est vobis?*] Unde magistrum ad nequitiam, ut simplici adolescenti mentiendi viam demonstret, et honestum tentet afferre argumentum ad mendacium, propter clientem, amicum, aut hospitem in urbe cessare visum: quod tamen nec sic intelligit rudis ac rusticus adolescens. *Cliens, amicus, hospes, nemo est vobis?*] Mire sic interrogavit, ut qui agrestes inhumanosque reprehendat, et insociabiles aliis, propter asperitatem rustici senis. D.

Cliens, amicus, hospes] Quo gradu in officiis praestandis habiti *clientes*, disputat Gellius V. 13. originem a Romulo repetunt Plut. in Rom. et Dion. Hal. lib. II. W.

14 *Hisce opera ut data sit*] A supe-

Digitized by Google

C. Interdiu: sed si hic pernocto, causæ quid dicam, Syre?

S. Vah! quam vellem etiam noctu amicis operam mos esset dari.

Quin tu otiosus es: ego illius sensum pulchre calleo.

Cum fervit maxume, tam placidum, quam ovem reddo. C. Quo modo?

riore subauditur, *veniat in mentem:* id est, cogita dari potuisse: et datam dicito. *Quæ non data sit?*] Hic de facto quæstio est, in qua quidem (*quidam* ed. Du B.) disputant quædam tunc possibilia intelligi, quando facta sint. quum autem non fiunt, non modo non fieri, sed ne possibilia quidem esse dicenda. qui locus περὶ ἀδυνάτων dicitur Cf. Cic. Fam. IX. 4. *Potest*] Iterum subauditur, *fieri, ut data sit:* vel *ut credatur data.* D.

Ingenuus adolescens negat mentiri. Menander: 'Αριστόν ἐστι πάντας ἐπίστασθαι καλά· Ἐλευθέρου γὰρ ἀνδρὸς τ' ἀληθῆ λέγειν. W.

15 *Interdiu*] Bene: quia amatori maxime nocte opus est. D.

16 *Vah! quam vellem etiam noctu*] Hoc utriusque personæ convenit, sed melius et Syro, et facetius dicitur. Et quidam totum Ctesiphoni assignant, abusque *interdiu.* Et *quam vellem,* proprie dicimus in his, quæ non videmus fieri. Bene igitur deficiente argumento, cum aliud non inveniret, in vota conversus est. unde videntur magis hæc verba Ctesiphonis esse. D.

Quam vellem noctu] Symmach. libr. I, epist. 17. *An tibi parum exempli videtur in comico, cum ait? Quam vellem etiam noctu amicis operam mos esset dari!* L.

17 *Calleo*] Callide scio. D.

18 *Cum fervit maxume*] Tertia conjugatione dixit, unde *fervere* dicitur, correpta media syllaba. *Quo modo?*] Miratur, quia timet eum, quem iste contemnit. D.

Quum fervit maxume] Codices quidam scripti et impressi, *fervet.* Sed idem verbum etiam tertia conjugatione extulerunt veteres. Lucil. Sat. IX.

Fervit *aqua, et* fervet, fervit *nunc,* fervet *ad annum.* Ibid.

Fervere *ne longum vero hoc lectoribu' tradam.*

De priore loco vide Quinctil. lib. I. cap. 10. Virg. Æn. IV. 409 et 567. W.

Tam placidum quam ovem] Lactant. divin. instit. lib. 3. cap. 25. *Da mihi virum, qui sit iracundus, maledicus, effrenatus; paucissimis Dei verbis tam placidum quam ovem reddam.* Lucian. in Asino: καὶ σὺ τοῦτον συμφερώτερον προβάτου παρέξω τῇ τομῇ. Philippid. apud Stobæum: ὁ τραχύτατος δὲ συκοφάντης, μνᾶς δύο λαβὼν ἄπαντα ἀρνίου μαλακώτερος. Plaut. *ovem meram vides.* L.

Ovis non redditur *placida;* quia non ex fera cicuratur et mansuefit, sed est natura et indole placida. Igitur repone, *cum fervit maxumè, tam placidum, quam òvis est, reddo.* Ut infra V. 3. 63. B.

Tum placidum quam ovem reddo] Bentl. de conjectura scribit *quam ovis est;* nam ovis natura sua est placida, non redditur placida, sic infra V. 3. 63. Sed nihil mutandum: nam elliptica scribendi ratio est, ubi supplendum *quam ovem esse constat.* in Phorm. IV. 2. 1. Quinctil. IX. 2. *dic te digniorem quam Catonem.* v. Sanct. Min. II. 10. p. 225. R. D.

Ovem] Leg. oleum. vicina oleum et ovem, nihilque vulgatius locutione: oleo tranquillior. Plautus Pœnulo: *hunc canem faciam oleo tranquilliorem.* Bo.

Digitized by Google

S. Laudarier te audit libenter: facio te apud illum Deum:
Virtutes narro. C. Meas? S. Tuas: homini illico lacrumæ cadunt,
Quasi puero, gaudio. hem tibi autem! C. Quidnam est? S. Lupus in fabula.
C. Pater est? S. Ipsus est. C. Syre, quid agimus? S. Fuge modo intro: ego videro.
C. Si quid rogabit, nusquam tu me. audistin'? S. Potin ut desinas?

19 *Laudarier te audit libenter*] Quod a (*de*) Demea dicitur, in omnes parentes dici puta. Nam nemo tam asper est pater, ut non statim mitescat laudato filio. D.

Facio te apud illum] Prisc. lib. XIII. L.

Socrates apud Platonem in Menone: Καὶ αἴγε γυναῖκες δήπου, ὦ Μένων, τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας, Θείους καλοῦσι. Καὶ οἱ Λάκωνες, ὅταν τινὰ ἐγκωμιάζωσιν ἀγαθὸν ἄνδρα, Θεῖος ἀνὴρ, φασὶν, οὗτος. Cf. Cic. de Orat. II. 42. et Erasm. in Adag. W.

20 *Virtutes narro*] Non dicit elegantem indolem, sed *virtutes*. *Virtutes* autem sunt perfecti sapientis, vel divi alicujus. Et bene cum stupore (alii, *pudore*) respondet *meas?* ostendens quod nullæ essent. *Meas? tuas*] Cum gestu pronunciare debemus, ut intelligatur irrisio. D.

21 *Quasi puero, gaudio*] Deest, *præ*: ut sit, *præ gaudio*. *Lupus in fabula*] Silentii indictio est in hoc proverbio: atque ejusmodi silentio vel in ipso verbo, ut ipsa fabula (*atque ejusmodi silentii, ut vel in ipso verbo fabula*) conticescat. Quia lupum vidisse homines dicimus, qui repente obmutuerint: quod fere iis evenit, quos prior viderit lupus: ut cum cogitatione in qua fuerint, etiam voce et verbis careant. Sic Theocritus, Idyll. XIV. 22, οὐ φθέγξῃ; λύκον εἶδες. Et Virg. Ecl. IX. 54, *vox quoque Mœrin Jam fugit ipsa, lupi Mœrin videre priores*. Alii putant ex nutricum fabulis natum, pueros ludificantium terrore lupi, paulatim Capua (alii *e cavea*. Malim, *in casam*) venientis usque ad limen cubiculi. Nam falsum est quod dicitur, intervenisse lupum Nævianæ fabulæ, alimoniæ Remi et Romuli, dum in theatro ageretur. D.

Lupus in fabula] Proverbium, cum ipse advenit, de quo loquimur. E.

Lupus in fabula] Plautus in Sticho IV. 1. 71. *Atque eccum tibi lupum in sermone; præsens esuriens adest*. Vidend. Suid. εἰ καὶ λύκου ἐμνήσθης. L.

Lupus in fabula] Aliter extulit Plautus, Stich. IV. 1. 71. Isidorus lib. I. cap. 26. *Aiunt rustici, vocem hominem perdere, si eum lupus prior viderit. Unde et subito tacenti dicitur illud proverbium: lupus in fabula*. Fere παράλληλον est illud Ciceronis Fam. VII. 25. *Sed heus tu, manum de tabula. magister adest citius, quam putaramus*. Et Att. XIII. 33. *De Varrone loquebamur*: Lupus in fabula. *Venit enim ad me, et quidem id temporis ut retinendus esset. Sed ego ita egi, ut non scinderem penulam*. Adde Voss. de Idol. III. 72. Gifan. Ind. Lucret. v. Sermo. Erasm. Chiliad. W.

22 *Fuge modo intro*] Non dixit *I*, vel *abi*, vel *vade*: sed *fuge*, tanta celeritate opus est. D.

Tres ex nostris *paterne est? Ipsus*. Lege, *paterne? Is ipsus*. Vid. Phorm. I. 3. 26. Versu 20 pro *meas?* lege, *measne?* B.

23 *Si quid rogabit, nusquam tu me*] Magna virtute Terentius rudem, sim-

Digitized by Google

Neque iners, alit illas; solus omnem familiam 35
Sustentat. hunc abduce, vinci, quære rem.
G. Imo hercle extorque, nisi ita factum est, Demea:
Postremo non negabit: coram ipsum cedo.
D. Pudet: nec, quid agam, neque quid huic respondeam

captus est servorum, quemadmodum sæpe ancipium in servis habendis bonum evenit? Ut in capta avium, vel piscium, vel ferarum plurimum fortuna dominatur. Et hoc ideo, quia servum evenire bonum, non ratio est aut natura, sed casus est, utpote in re rarissima: ut sit, *ut captus est servorum*, id est, eventus est in servis. *Ut captus est servorum*] Id est, ut se habet conditio servorum. Afranius in Simulante, *is ut servorum captus est, facillime domo atque nostra familia provenditur*. Ergo (*Ego* Ms. B.) *captus* sortem intelligo. *Non malus*] Id est, fidelis. D.

Ut captus est servorum, non malus] Quemadmodum (*quamquam* Z.) mali esse possunt servi, sicut est captus servorum, id est, conditio. E.

Versus gratia repone, *Præterea, ut captus servolorum est, non malus*. B.

Ut captus est servorum] Hæc formula utuntur de iis, qui non magnam laudem merentur Cic. Tusc. quæst. II. 27. Cæs. de B. G. IV. 3. R. D.

35 *Neque iners*] Id est, artem habens (Vid. ad And. III. 5. 2.) Oratorie futurum testem et indicem laudat: sed ne improbe facere videatur, parcius id facit. non enim dixit, *bonus et solers*: sed, quod in servo sufficit, *non malus, neque iners*. Et proferendi (*protegendi* Z.) Getæ hæc maxime causa est: ne quod permittere videatur in servo pauperis, atrocius fiat (*ne, quod mos perm. vid. in s. pauperis, atrocius egat*. Z.) Et simul ut hæc προθεράπαινις non contristet Getam: quem prius laudat, dicturus, *Hunc abduce, vinci, quære rem. Alit illas: solus omnem familiam sustentat*] Duas hic res docet: et unde hæ vivant: quod testimonium pudicitiæ est; et gravem testem posse esse Getam. *Solus*] Incerta distinctio est, *solus*. sed melius, *solus omnem familiam sustentat*. Hoc verbo tenuis victus ostenditur, quod bene frugi esse monstratur in feminis. D.

Alit illas] Ms. R. *alit illam*. L.

Sustentat] Ita Phorm. II. 1. 57. de servo Geta:

columen *vero familiæ*.

Virg. Æn. XII. 59. W.

36 *Hunc abduce. vinci. quære rem*] Non multum permittit, utpote de alieno servo. ideo Geta plus de se largietur. ipse tamen ἀσυνθέτως tria posuit, ut multa videretur dicere. *Hunc abduce*] Ut, Æn. XI. 463. *tu, Voluse, armari Volscorum edice maniplis*. Nam postea, *e* litera, hujusmodi verbis aucta (*ablata* Z.) est. *Hunc abduce: vinci*] Bono ordine. et *abduce*: ab hoc illuc ubi (*ad huc illua ut* ed. Du B.) nemo possit intercedere. Et *vinci*: ne solutus, ut sciat si (*ne, si solutus, tu necias an* Z.) verum servus accuset. *Quære rem*.] Latenter præter vincula, etiam tormenta significavit: nam hoc, *quære rem*, pete rei veritatem, significat. D.

37 *Imo hercle extorque*] Ἄτεχνος πίστις. Et bene ipse de se plus et apertius, quam Hegio, largitur. *Extorque*] Multum dixit: non *torque*, sed *extorque*. *Torquemus* enim hominem: *extorquemus* veritatem. D.

Imo hercle extorque] Dixerat *vinci*, et solas catenas pro pœna adjecerat: ideo addidit, *extorque*. E.

Extorque] Pro *torque*, composit. pro simplici. R. D.

38 *Coram ipsum cedo*.] Quo facilius veritas manifestaretur, adjecit servus, *coram da Æschinum*; cum præsens fuerit, non negabit miseriam. E.

Vulgo *coram ipso cedo*. Minus recte. B.

39 *Pudet*] Aversus hoc dicit, et perturbatus Demea. Majoris erit ponderis

Digitized by Google

Scio. P. Miseram me! differor doloribus.
Juno Lucina fer opem: serva me obsecro. H. Hem!
Numnam illa quæso parturit? G. Certe, Hegio. H. Hem!
Illæc fidem nunc vostram implorat, Demea:
Quod vos vis cogit, id voluntate impetret.
Hæc primum ut fiant, deos quæso, ut vobis decet.
Sin aliter animus vester est; ego, Demea,
Summa vi defendam hanc, atque illum mortuum.

Pudet dictum, *si me* nec addas, nec subaudias. D.

40 *Differor doloribus*] Divellor, discrucior, dilaceror. Et proprie hoc genus querelæ convenit parturienti, et cui viscera distenduntur: et ei quæ inexpertum dolorem nunc primum sentiat. D.

Differor doloribus] Opportuno tempore dolore parturientis exclamat, quo facilius Demea vitiatam puellam possit agnoscere. * illam (*Fidem vestram*) nunc hæc implorat, tametsi Junonem Lucinam ad partum implorare videatur. Hic jam petitio illa supponitur, ut in excusatione reus constituatur Æschinus, et ut cogatur, quam vitiavit, ducere uxorem, quod dicit: *hæc primum ut fiant, deos quæso ut vobis decet.* E.

Differor doloribus] I. e. divellor, excrucior. Plaut. in Mil. glor. 4. 27. v. Lambin. ad Horat. Epod. X. 6. R. D.

41 *Juno Lucina, fer opem*] Bona procuratio poetae: ut et vox parturientis, pro testimonio succedat, ad inflammandum Demeam. Et nota, puellarum quæ in comœdiis honestæ sunt, et ex amore dicuntur (*ducuntur* Z.) aut nullam in scena esse, aut rarissimam vocem. *Fer opem!*] Partui. *Serva me, obsecro!*] Parturientem. Duas enim res poscit hæc precatio: et nascentis, et parturientis salutem. D.

42 *Numnam illa, quæso, parturit?*] *Illa* scilicet de qua sermo est. quid enim opus fuerat nomine. D.

Certe, Hegio] V. C. *certe parturit.* L.

43 *Illæc fidem nunc vestram implorat*] Hæc oratoria πλάσις est. non enim vere rogat: sed videtur hoc facere. Et *implorare*, est in malis positos cum ploratu aliquem rogare. D.

44 *Quod vos vis coget, id voluntate impetret*] Artificiose: ne totum simpliciter (*suppliciter*) agendo, diffidere causæ videatur. *Vis* igitur legum intelligitur. D.

Pro *Jus* antiqui libri habent recte *Vis*. In Bemb. margine adscriptum est, *vis, necessitas legum.* B.

Menandri fertur, Τρία ἐστὶ, δι' ὧν ἅπαντα γίγνεται, Ἢ κατὰ νόμους, ἢ ταῖς ἀνάγκαις, ἤγε τρίτον ἔθει τινί. W.

Quod jus cogit] Bentl. recte legit *quod vis cogit* scilicet legum. in Phorm. I. 4. 37. R. D.

Voluntate] I. e. sponte vestra, vobis volentibus. in Phorm. V. 3. 2. Rutil. Lup. I. 63. v. interpret. ad Liv. V. 17. R. D.

45 *Deos quæso, ut vobis decet*] Hoc est, non voluntate adversarium fore. *Ut vobis decet*] Παραινετικῶς dixit, non ut puellæ utile est, sed ut vobis decet. *Vobis decet*] Græce dixit, ὑμῖν πρέπει. et deest, *facere.* D.

Vobis decet] Ms. R. *vos decet.* Vid. Serv. Æneid. VIII. 127. L.

46 *Sin aliter animus vester est*] Officium amici exsequitur in reddenda causa, cur adversarius futurus sit. *Ego, Demea, summa vi hanc defendam*] Non dixit id quod est, *vos ulciscar:* sed, *hanc defendam.* D.

47 *Atque illum mortuum*] Idonea causa est, adversus vivos querimoniam faciendo, pro mortuo scilicet. Qua in

Digitized by Google

Cognatus mihi erat: una a pueris parvolis
Sumus educati: una semper militiæ et domi
Fuimus: paupertatem una pertulimus gravem. 50
Quapropter nitar, faciam, experiar, denique
Animam relinquam potius, quam illas deseram.
Quid mihi respondes? D. Fratrem conveniam, Hegio:
Is quod mihi de hac re dederit consilium, id sequar.

re, et de officio suo locutus est, et exaggeravit culpam in Æschinum, qui videbatur in uno et eodem facinore vivos mortuosque læsisse. D.

Etsi omnes libri habent *defendam hanc*: lego tamen *defendam has*, h. e. Matrem et Filiam. Sic mox 52. *Potius quam illas deseram*. Cf. IV. 3. 17. IV. 4. 17. B.

48 *Cognatus mihi erat*] Causa exposita, jam agit Hegio de persona sua, utrum recte faciat: ut quam personam induxit * ostendat habiturus (*quam personam induerit, porro se ostendat habiturum*. Z.) Quum amicitiarum duo genera sint, unum necessarium, id est, propinquitas sanguinis: alterum voluntarium, quo nobis etiam alienissimi conjunguntur. Micionem dicit ac Demeam, et vivos, et voluntarios tantum sibi amicos esse. Simulum vero, et mortuum, et non solum voluntate, sed et necessitudine amicum fuisse conjunctum. In qua re et illi non deerit, et his purgatur. Sed et *cognatus mihi erat*, vultu adjuvat: quia non a conjunctione inceptiva sumsit exordium. *Cognatus mihi erat*] Officia multa contra officium unum Demeæ amicitiæ ac Micionis. D.

Cognatus mihi erat] Dicit sibi necessitatem maximam, ut virginem defendat, si deserta fuerit, ex hoc cumul . . . . . sibi fuerat cum puellæ patre (*ex hoc cumulus fit, quod multa familiaritas sibi f. c. p. p.* Z.) E.

Illud *parvoli*, quod in libris quibusdam extat, est plane ineptum. B.

49 Nisi pro *educati* legas *educti*, versus stare non potest. B.

50 *Paupertatem una pertulimus gravem*] Ἐναντιοφανὲς est. quia magis conjungit malorum consortium, quam bonorum. D.

51 *Nitar, faciam, experiar*] Sic dicit, ne dicat *vindicabo*: quod vult magis significatum esse, quam dictum. Et ne ei diceretur, *nihil poteris*: quod ad incipiendum sufficit, dixit, *experiar*. D.

52 *Animam relinquam potius*] Modesta comminatio: prius quid sibi possit evenire dixit, quam quid passurus sit Æschinus. D.

53 *Quid mihi respondes*] *Respondere* proprie dicitur, quum (*quoi* s. *cui*) lis intenditur. *Respondere* enim est priorem alloqui, quasi respondere (*quasi rursus spondere*. *Spondere* Wie.) verba fundere. ut, *funditque has ore querelas*. *Respondere*, posteriore loco dicere. *Fratrem conveniam, Hegio*] Vultuose pronunciandum hoc quod addidit, *Hegio*. quasi dicat; res in manu fratris est constituta, non mea. D.

54 Totus versus abest in Bembino. Atque Muretus spurium putavit, cum de Æschini rebus nihil faceret Demea ex consilio Micionis. Et certe Donatus non videtur illum legisse, cum dicat, *res in manu fratris est constituta, non mea*. Z.

Totum hunc versum expungendum censet Muretus, his argumentis usus: 1) Demea sciebat, Æschinum, quicquid intemperanter faceret, Micione permittente facere, quale hujus consilium poterat expectare? 2) Non Demeæ, sed Micioni potestas erat, de Æschino statuendi, quare Demea hac in re fratri, non fratrem consulere poterat. 3) Versus totidem verbis in Phormione legitur, loco longe aptiori.

Digitized by Google

H. Sed, Demea, hoc tu facito cum animo cogites,
Quam vos facillume agitis, quam estis maxume
Potentes, dites, fortunati, nobiles:
Tam maxume vos æquo animo æque noscere
Oportet, si vos voltis perhiberi probos.
D. Redito: fient, quæ fieri æquom'st, omnia.
H. Decet te facere. Geta, duc me intro ad Sostratam.

4) Donatus versum non legit, quod nihil ad eum adnotavit. 5) Versus in cod. Bemb. abest. Sed, ad 5. unius codicis, licet cetera boni, auctoritas, contra omnes reliquos, in iisque multos æque bonos, valere non potest. Ad 4. si silentium Donati probaret, versum aliquem esse spurium, permultos oporteret versus esse spurios, quid? quod hunc ipsum versum in Phormione etiam, ubi nemo non genuinum agnoscit, licet ibi quoque Donatus nihil adnotaverit. Ad 3. concedo versum; si alterutro loco spurium esse oporteret, in Adelphis potius, quam in Phormione abesse posse, quis nescit vero, intendum et apud alios poetas eundem versum duobus locis reperiri, v. c. Virg. Æn. L. 3. v. 589. et L. 4. v. 7. Ad 1. et 2. respondendum tamen Hegioni erat, et amico amice respondendum, non uno verbo, ut honeste certe Demea effugeret. Demeam, quod natura pater erat, Hegio adierat primum, quid mirum, si suum patris potestatem imminutam esse taceat? quod vero adoptionem Hegio sciebat, quid magis necessarium Hegio non poterat non agnoscere, quam ut fratrem Demea ea de re conveniret?— Editio tamen Bipontina versum omisit. S.

55 *Sed, Demea, hoc tu facito*] Ἐνθυμήματις supra habitæ comminationis. D.

Sed, Demea, hoc tu] Quoniam Demea sententiam petitioni talem dederat, ut fratrem se dicoret conventurum: jam hic amplius agit ut persuadeat, aliud fieri non debere: propterea quoniam nobiles viri quanto clari sunt magis, tanto plus debent omnia justa complere, si velint famam integram sui nominis continere. Quam rem et persuasione impetrant (*impetrat* Z.) quod voluerat senex. Denique data est sententia: *fient, quæ fieri æquum est, omnia*. E.

Cum animo cogites] Cic. agrar. II. 24. R. D.

56 *Quam vos facillime agitis*] Ut et supra, *facilem victum paret* (forsan e memoria laudavit locum Eun. II. 2. 30. *Et tam facilem victum quærere*). Et vide quam oratorie laudes sumserit (exoidit *secundum* Z.) argumenta suadendi. D.

Quam vos facillime agitis] Scil. vitam. *Facile vivere* dicuntur qui ex animi sententia sine molestiis cum samtuum tolerandorum tum aliarum rerum vivunt. Sueton. in Terentii vita c. 1. *qui agitabant nobiles facillime* v. Græv. ad Cic. ad Div. III. 12. R. D.

58 *Æquo animo æqua noscere oportet*] Bene dixit, *æquo animo*: quia potentiori et fortiori contra naturam est æquitas. D.

Noscere] Noscere pro exercere dixit, Græcorum more, qui s. p. διδύναι. of. Virgil. Æn. 1. 630. Musgrav. ad Sophoclis Antig. 299. Bo.

60 *Redito*] Prosequebatur eum, quemadmodum apparet ex verbis. D.

Lege, *redito: fient, fieri quæ æquomst, omnia*. B.

61 *Decet te facere*] Sollicita obsequela Hegionis, ultima in loquendo, ostendit impotentiorem personam contra Æschinum; quo magis gaudium crescit comœdiæ, quando tali an tanto pauperior puella, sed tamen cupita, jungetur. D.

Digitized by Google

D. Non me indicente hæc fiunt: utinam hoc sit modo
Defunctum. verum nimia illæc licentia
Profecto evadet in aliquod magnum malum.
Ibo, ac requiram fratrem, ut in eum hæc evomam. 65

ACT. III. SCENA V.

HEGIO.

BONO animo fac sis, Sostrata; et istam, quod potes,

62 *Non me indicente*] Quia dixerat, *ipse sentiet posterius.* Et nimis dura compositio est: sed apta irascenti. *Utinam hoc sit modo defunctum!*] *Utinam*, desperandi vim habet. *Hoc*, id est, negotium: id est, raptus virginis. *Defunctum*, finitum, id est, ut non pejora committat. *Defunctum*, finitum, id est, ne ulterius pecoet Æschinus. D.

Non me indicente] Supra enim dixerat, ex lenitate patris Æschinum in periculum esse venturum, quod etiam nunc dicit: *verum nimia illæc licentia profecto evadet in aliquod magnum malum.* E.

Non me indicente] Gloss. marginal. *Indicente, præcipiente, hortante.* L.

In margine Bemb. hoc glossema adscriptum est, *indicente: tacente: nove, immo potius κατ' ἀχχαϊσμὸν: nam nusquam legimus, nisi in hoc loco; indicentem enim dixit, non dicentem.* Sed de *indicente* vide Gronovium ad Liv. XXII. 39. Bembinus habet *fient*, sed alii omnes, *fiunt.* Ceterum Bemb. et Victor. pro *hoc* recte legunt *hic*, h. e. in hoc negotio: ne Æschinus pejora committat. Et *defunctum* est impersonale. B.

Me indicente] I. e. tacente, nihil dicente. Rarissimum verbum etiam occurrit apud Liv. XXII. 39. *duo boni consules etiam me indicente omnia republica fide vestra faceretis* ubi v. Gronov. R. D.

63 *Nimia illæc licentia*] Quam illi dat Micio. D.

64 *Profecto evadet*] Per arduas et præruptas veniet. D.

65 *Hæc evomam*] Non *effundam*, sed *evomam:* utpote quæ me ægrum faciant, quibus me relevabo, cum languor ille egestus sit. Nam *evomam*, hoc translatione significat. D.

1 *Bono animo fac sis, Sostrata*] Hi sex versus in quibusdam non feruntur. In hac scena videtur jam loquutus Sostratæ Hegio respondere. Potest tamen et ipse incipere, tanquam qui et rem noverit, et mœrore ejus moveatur. *Bono animo fac sis, Sostrata*] Meminisse debemus, quod dixit, *duc me intro ad Sostratam.* et quia hoc *intro*, in proscenio est ΠΑΤΡΑΠΑΣΙΓΝΩΣΙΝ ° (παρὰ τὴν συνήθ.) non post scenam. Nam aliud significat, *omnes intro*, ubi dicitur, *intus despondebitur, intus transigetur, si quid est quod restat.* Illum enim interius agitur extra omne præscenium. *Fac sis, Sostrata*] *Sis* honorifice additur verbo, ne quod imperativo modo pronunciatur, superbum sit. Deductum est autem a senatusconsulti formula: ubi enim aliquid senatus consulibus injungit, addit, *si eis videatur. Et istam quod potes*] Quia vox ipsa tristis, et circa tristem filiam, *quod potes* dixit. D.

Bono animo fac sis] Senex ingressus domum, vidit parturientem puellam,

Digitized by Google

Fac consolere. ego Micionem, si apud forum'st,
Conveniam: atque ut res gesta'st, narrabo ordine.
Si est, facturus ut sit officium suum,
Faciat: sin aliter de hac re est ejus sententia,
Respondeat mihi; ut, quid agam, quam primum sciam

ACT. IV. SCENA I.

CTESIPHO. SYRUS.

AIN' patrem hinc abisse rus? S. Jam dudum. C. Dic sodes. S. Apud villam'st.
Nunc cum maxume operis aliquid facere credo. C. Utinam quidem,

ejus matrem consolatur, promittens se conventurum Micionem, Æschini patrem, et coactarum ut vitiatam ducat uxorem ille, qui vitiavit. E.

Perperam Guyetus hanc scenam spuriam esse pronunciavit. Nam scena priori 61. Hegio ad Sostratam ductus est. Nunc redit, et Sostratæ, quæ intus est, narrat de scena: plane ut Lesbia, Asd. III. 3. Arcylim, quæ domi erat, e scena alloquitur, et Heaut. V. 1. Chremes Sostratam uxorem. B.

2 *Fac consolere*] Duas res dixit, quas et ordine locutus est; et tu bonam habe animum, inquit: et filiam fac habere. *Ego Micionem*] Quia Demeam jam vidit. D.

4 *Si est, facturus officium*] Hoc dicendo, promittit eum esse facturum; nam facile est unumquemque suo officio fungi. D.

Si est facturus, &c.] Ordo est: conveniam Micionem, ut faciat, officium suum est facturus, officium * (lege et distingue, *ut faciat officium suum, si est facturus officium*. Cæterum quicquid Eugraphii hinc ad finem fabulæ sequitur, Westerhovius primus ex Ms. edidit Z.) E.

Illud *si* hic sine synalœpha est; contra morem et artem. Lege, *si its est*. B.

Si est facturus ut sit officium] Pro si facoret officium in Hec. III. 5. 51. IV. 1. 43. *si est ut dicat* pro dicit v. Perizon. ad S. Minerv. I. 13. p. 88. R. D.

6 *Ut, quid agam, quam primum sciam*] Mature: neque comminatur, neque segnem ostendit se fore. D.

1 *Ain' patrem hinc abisse rus?*] Hic ostenditur timiditas boni adolescentuli, et verti * se ad peccandum ex delicti conscientia, et reverentia parentis apparet. Item (*veriti, sc. ob peccatum ex d. c. et r. parentis. Apparet item*) mos verorum patrum circa filios, Syro Demeam describente. *Ain' patrem hinc abisse rus?*] Compendio ostenditur, quid sit jam locuturus (*locutus* Z.) Syrus. D.

Hunc patrem abisse rus?] Hæc scena deliberationem habet, quid faciat, cum pater rus iturus sit, et quid non (*nunc* Z.) respondeat patri, si se non invenerit apud villam. E.

2 *Nunc cum maxume operis aliquid facere credo*] Vide quasi ἰδίωμα verbum Syri esse, de opere loqui: sic enim

Digitized by Google

Quod cum salute ejus fiat, ita se defetigarit velim,
Ut triduo hoc perpetuo prorsum e lecto nequeat surgere.
S. Ita fiat, et istoc si quid potis est rectius. C. Ita: nam hunc diem
Misere nimis cupio, ut coepi, perpetuum in lætitia degere.
Et illud rus nulla alia causa tam male odi, nisi quia prope'st:

dicit et Demea. sed illud falso: hoc serio. *Utinam quidem*] *Apud villam sit*, subaudiendum: et distinguendum ante quam inferatur, quod sequitur. D.

Recte meliores libri habent *cum maxime*, pro vulgari *cum maxime*. B.

Nunc cum maxime] Hæ particulæ ab aliis quoque junguntur. Cic. de Senect. c. II. v. Westerhov. et J. F. Gronov. ad h. l. R. D.

Utinam velit] Notandum est jungi *utinam* et *velit*. Aliter constructionem explicat Periz. ad Sanct. Minerv. I. 13. p. 89. Sed durior est ejus ratio. R. D.

3 *Quod cum salute ejus fiat*] Hoc non est odisse patrem: sed tantum timere ex proprio delicto. servatur enim in eo et amor filii, et amoris effectus (*affectus* ed. Du B.) D.

Quod cum salute ejus fiat, ita defatigetur] Dum modo salvus sit. Et experitur ante consilium, ut hoc se defendat, quod ab amicis retentus sit. Cui opponitur: *interdiu quidem: sed si hic pernocto, quid causæ sum dicturus?*] Huic rei nullum consilium reperit servus. Hoc pollicetur tamen, facile se patrem lenire, quod ejus noverit mores, cum dicit, *laudarier te audit libenter: facio te apud illum Deum*. E.

Defatigarit] Sic Ran. II. 1. 14. Priscianus. Instit. Grammat. lib. XV. *Defatigaret*. Ex Frontonis sententia *defatigatus* et *fessus* ita differunt, ut illud de animo dicatur, hoc de corpore. sed contrarium vel ex his locis Terentii patet. Adde P. Manut. ad Cic. Fam. X. 19. *Defatigatus* autem de animo dicitur, And. IV. 1. 46. et Phorm. V. 3. 11. W.

4 *Ut triduo hoc perpetuo*] Quantum sufficiat arbitrari. (Forte huc pertinent verba, *moriatur scilicet*, quæ in versu sequenti plane sunt otiosa Z.) et enim non opus erat *perpetuo* dicere, si *triduum* dixisset. D.

5 *Et istoc siquid potius est rectius*] Deest *addi*. Nam si mortem significaret, non conveniret adolescentem *ita* dicere: videtur enim plus temporis optasse languori. *Nam hunc diem misere nimis cupio*] Moriatur scilicet. et hoc adversus servum debet dicere, ne indecorum adolescentis persona sit, hæc ita dixisse: quamvis ejusmodi adolescentes inducant comici. ut Nævius in Tribasele, *deos quæso, ut adimant et patrem et matrem meos*. D.

6 *Misere nimis cupio*] *Nimis* abundat, more comicorum, qui hoc dicto asseverationem inculcabant. *Cupio, ut coepi, perpetuum in lætitia degere*] Qui et supra dixit, *ita quæso: quando hoc bene successit, hilarem hunc sumamus diem*. D.

Misere nimis] In Ms. R. *nimis* deest. L.

Nostri omnes omittunt *nimis*, præter cod. regium, qui rectissime ponit, *nimis misere cupio*. B.

7 *Et illud rus nulla alia causa tam male odi*] Mire ostendit, omnia ex delictis in pravum verti: adeo ut miseram putet adolescens suburbanam villam: qua re cæteri delectantur. Illud ergo tanquam (TAM MALE) cum detestatione dixit. et *male*, et (*est*) *nimis*, et

Digitized by Google

Quod si abesset longius,
Prius nox oppressisset illic, quam huc revorti posset iterum.
Nunc ubi me illic non videbit, jam huc recurret, sat scio.
Rogitabit me, ubi fuerim; quem ego hodie toto non vidi die.
Quid dicam? S. Nihilne in mentem est? C. Nunquam quicquam. S. Tanto nequior.
Cliens, amicus, hospes, nemo'st vobis? C. Sunt: quid postea?
S. Hisce opera ut data sit. C. Quæ non data sit? non potest fieri. S. Potest.

misere. Nam *nimium*, et malum miserumque est; secundam illam sententiam, *ne quid nimis.* D.

8 *Quod si abesset longius*] Amori magis, quam rei consulit adolescens. D.

Hic versus est iambicus dimeter. Sicut prior est iambicus octonarius. B.

Nox oppressisset] H. e. deprehendisset. Sic supra II. 2. 21. Cic. de Senect. 14. *Quotiès illum lux nactus aliquid describere ingressum, quotiès nox oppressit, quum manus cæpisset?* W.

9 *Iterum revorti* non est *bis revorti*, qui est error Faerni; sed vetuste, pro simpliciter redire. Ut supra I. 1. 46. Enn. IV. 2. 6. B.

Iterum revorti] Est simpliciter revorti in Enn. IV. 2. 6. *redeo rursum* Plaut. in Pœn. prol. 79. v. Bentl. ad h. l. R. D.

10 *Jam huc recurret, sat scio*] Mire de sene, *recurret* dixit, ut ejus instantiam demonstraret. D.

11 Etsi Bemb. habet *rogitabit*: verum tamen probat codd. nostrorum et edd. vett. *rogabit*. Nam cum *ubi* accentum hic habeat in syllaba priore: *ubi fui*—est proceleusmaticus, dactyli tempus habens; et irato apprime convenit rapide loqui. B.

12 *Nihilne in mentem est?*] Sic hoc accipiendum est, ut adolescenti libero malitiam putemus, non sapientiam deesse: adeo in hac re magister est servus. *Nunquam quicquam*] Παρίκτεν, pro *nunquam*: id est, non. *Tanto nequior*] Sic hoc dictum est, ut a contrario dicimus, *tanto melior*. D.

Optimorum librorum est *in mentem est*. Ceteri male, *in mente est*. Vide nos ad Heautont. V. 2. 33. Porro pro *nunquam* lege *nusquam*. Nam *nusquam* in re presente scilicet: non *nunquam*, ut semper stolidum se et bardum esse fateatur. B.

13 *Cliens, amicus, hospes, nemo est vobis?*] Unde magistrum ad nequitiam, ut simplici adolescenti mentiendi viam demonstret, et honestum tentet afferre argumentum ad mendacium, propter clientem, amicum, aut hospitem in urbe cessare visum: quod tamen nec sic intelligit rudis ac rusticus adolescens. *Cliens, amicus, hospes, nemo est vobis?*] Mire sic interrogavit, ut qui agrestes inhumanosque reprehendat, et insociabiles aliis, propter asperitatem rustici senis. D.

Cliens, amicus, hospes] Quo gradu in officiis præstandis habiti *clientes*, disputat Gellius V. 13. originem a Romulo repetunt Plut. in Rom. et Dion. Hal. lib. II. W.

14 *Hisce opera ut data sit*] A supe-

Digitized by Google

C. Interdiu: sed si hic pernocto, causæ quid dicam, Syre?
S. Vah! quam vellem etiam noctu amicis operam mos esset dari.
Quin tu otiosus es: ego illius sensum pulchre calleo.
Cum fervit maxume, tam placidum, quam ovem reddo.
C. Quo modo?

riore subauditur, *veniat in mentem:* id est, cogita dari potuisse: et datam dicito. *Quæ non data sit?*] Hic de facto quæstio est, in qua quidem (*quidam* ed. Du B.) disputant quædam tunc possibilia intelligi, quando facta sint. quum autem non fiunt, non modo non fieri, sed ne possibilia quidem esse dicenda. qui locus περὶ δυνατῶν dicitur Cf. Cic. Fam. IX. 4. *Potest*] Iterum subauditur, *fieri, ut data sit:* vel *ut credatur data.* D.

Ingenuus adolescens negat mentiri. Menander: Ἀριστόν ἐστι πάντας ἐπίστασθαι καλά· Ἐλευθέρου γὰρ ἀνδρὸς τ' ἀληθῆ λέγειν. W.

15 *Interdiu*] Bene: quia amatori maxime nocte opus est. D.

16 *Vah! quam vellem etiam noctu*] Hoc utriusque personæ convenit, sed melius et Syro, et facetius dicitur. Et quidam totum Ctesiphoni assignant, abusque *interdiu.* Et *quam vellem,* proprie dicimus in his, quæ non videmus fieri. Bene igitur deficiente argumento, cum aliud non inveniret, in vota conversus est. unde videntur magis hæc verba Ctesiphonis esse. D.

Quam vellem noctu] Symmach. libr. I. epist. 17. *An tibi parum exempli videtur in comico, cum ait? Quam vellem etiam noctu amicis operam mos esset dari!* L.

17 *Calleo*] Callide scio. D.

18 *Cum fervit maxume*] Tertia conjugatione dixit, unde *fervere* dicitur, correpta media syllaba. *Quo modo?*] Miratur, quia timet eum, quem iste contemnit. D.

Quum fervit maxume] Codices quidam scripti et impressi, *fervet.* Sed idem verbum etiam tertia conjugatione extulerunt veteres. Lucil. Sat. IX.

Fervit *aqua, et* fervet, fervit *nunc,* fervet ad *annum.* Ibid.

Fervere *ne longum vero hoc lectoribu' tradam.*

De priore loco vide Quinctil. lib. I. cap. 10. Virg. Æn. IV. 409 et 567. W.

Tam placidum quam ovem] Lactant. divin. instit. lib. 3. cap. 25. *Da mihi virum, qui sit iracundus, maledicus, effrenatus; paucissimis Dei verbis tam placidum quam ovem reddam.* Lucian. in Asino: καί σοι τοῦτον σωφρονέστερον προβάτου παρέξω τῇ τομῇ. Philippid. apud Stobæum: ὁ τραχύτατος δὲ συκοφάντης, μνᾶς δύο λαβὼν ἄπεισιν ἀρνίου μαλακώτερος. Plaut. *ovem meram vides.* L.

Ovis non redditur *placida;* quia non ex fera cicuratur et mansuefit, sed est natura et indole placida. Igitur repene, *cum féruit maxumé, tam placidum, quam óvis est, reddo.* Ut infra V. 3. 63. B.

Tum placidum quam ovem reddo] Bentl. de conjectura scribit *quam ovis est;* nam ovis natura sua est placida, non redditur placida, sic infra V. 3. 63. Sed nihil mutandum: nam elliptica scribendi ratio est, ubi supplendum *quam ovem esse constat.* in Pherm. IV. 2. 1. Quinctil. IX. 2. *dic te digniorem quam Catonem.* v. Sanct. Min. II. 10. p. 225. R. D.

Ovem] Leg. oleum. vicina oleum et ovem, nihilque vulgatius locutione: oleo tranquillior. Plautus Pœnulo: *hunc canem faciam oleo tranquilliorem.* Bo.

Digitized by Google

S. Laudarier te audit libenter: facio te apud illum Deum:
Virtutes narro. C. Meas? S. Tuas: homini illico lacrumæ cadunt,
Quasi puero, gaudio. hem tibi autem! C. Quidnam est? S. Lupus in fabula.
C. Pater est? S. Ipsus est. C. Syre, quid agimus? S. Fuge modo intro: ego videro.
C. Si quid rogabit, nusquam tu me. audistin'? S. Potin ut desinas?

19 *Laudarier te audit libenter*] Quod a (*de*) Demea dicitur, in omnes parentes dici puta. Nam nemo tam asper est pater, ut non statim mitescat laudato filio. D.

Facio te apud illum] Prisc. lib. XIII. L.

Socrates apud Platonem in Menone: Καὶ αἴγε γυναῖκες δήπου, ὦ Μένων, τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας, Θείους καλοῦσι. Καὶ οἱ Λάκωνες, ὅταν τινὰ ἐγκωμιάζωσιν ἀγαθὸν ἄνδρα, Θεῖος ἀνὴρ, φασὶν, οὗτος. Cf. Cic. de Orat. II. 42. et Erasm. in Adag. W.

20 *Virtutes narro*] Non dicit elegantem indolem, sed *virtutes*. *Virtutes* autem sunt perfecti sapientis, vel divi alicujus. Et bene cum stupore (alii, *pudore*) respondet *meas?* ostendens quod nullæ essent. *Meas? tuas*] Cum gestu pronunciare debemus, ut intelligatur irrisio. D.

21 *Quasi puero, gaudio*] Deest, *præ:* ut sit, *præ gaudio*. *Lupus in fabula*] Silentii indictio est in hoc proverbio: atque ejusmodi silentio vel in ipso verbo, ut ipsa fabula (*atque ejusmodi silentii, ut vel in ipso verbo fabula*) conticescat. Quia lupum vidisse homines dicimus, qui repente obmutuerint: quod fere iis evenit, quos prior viderit lupus: ut cum cogitatione in qua fuerint, etiam voce et verbis careant. Sic Theocritus, Idyll. XIV. 22, οὐ φθέγξῃ; λύκον εἶδες. Et Virg. Ecl. IX. 54, *vox quoque Mœrin Jam fugit ipsa, lupi Mœrin videre priores*. Alii putant ex nutricum fabulis natum, pueros ludificantium terrore lupi, paulatim Capua (alii *e cavea*. Malim, *in casam*) venientis usque ad limen cubiculi. Nam falsum est quod dicitur, intervenisse lupum Naevianæ fabulæ, alimoniæ Remi et Romuli, dum in theatro ageretur. D.

Lupus in fabula] Proverbium, cum ipse advenit, de quo loquimur. E.

Lupus in fabula] Plautus in Sticho IV. 1. 71. *Atque eccum tibi lupum in sermone; præsens esuriens adest*. Vidend. Suid. εἰ καὶ λύκου ἐμνήσθης. L.

Lupus in fabula] Aliter extulit Plautus, Stich. IV. 1. 71. Isidorus lib. I. cap. 26. *Aiunt rustici, vocem hominem perdere, si eum lupus prior viderit. Unde et subito tacenti dicitur illud proverbium: lupus in fabula*. Fere παράλληλον est illud Ciceronis Fam. VII. 25. *Sed heus tu, manum de tabula. magister adest citius, quam putaramus*. Et Att. XIII. 33. *De Varrone loquebamur:* Lupus in fabula. *Venit enim ad me, et quidem id temporis ut retinendus esset. Sed ego ita egi, ut non scinderem penulam*. Adde Voss. de Idol. III. 72. Gifan. Ind. Lucret. v. Sermo. Erasm. Chiliad. W.

22 *Fuge modo intro*] Non dixit *I*, vel *abi*, vel *vade:* sed *fuge*, tanta celeritate opus est. D.

Tres ex nostris *paterne est? Ipsus*. Lege, *paterne? Is ipsus*. Vid. Phorm. I. 3. 26. Versu 20 pro *meas?* lege, *measne?* B.

23 *Si quid rogabit, nusquam tu me*] Magna virtute Terentius rudem, sim-

Digitized by Google

ACT. IV. SCENA II.

DEMEA. CTESIPHO. SYRUS.

NÆ ego homo sum infelix! primum fratrem nusquam invenio gentium:
Preterea autem, dum illum quæro, a villa mercenarium
Vidi: is filium negat esse ruri: nec, quid agam, scio.

plicem, timidumque inducit Ctesiphonem ab initio: ut is sit, qui mox opprimeretur cum meretrice accumbens, interventu patris, ob imprudentiam ac rusticitatem suam. *Nusquam tu me*] Familiaris ἰλαρότης et apta properanti. quare hæc omnia presso voce cum celeritate pronunciandæ sunt. D.

Potin' ut desinas?] Objurgantis est, *Potin' ut*. Sic Plaut. Merc. V. 2. 49. Potin' ut *animo sis tranquillo?* Poen. IV. 2. 94. Potin' ut *taceas?* W.

1 *Næ ego homo sum infelix*] In hoc actu exemplum est, neminem facilius, quam optimum quemque falli atque deludi, ut Virgilius ait. Et *næ* valde significat. ut *næ illi vehementer errant*, Cicero in Catil. II. 3. *Næ ego homo sum infelix*] Vide initium conveniens perpetuo mœrori Demeæ. Per totam fabulam, aut *disperii* dicit, aut *defessus sum*, aut aliquid tale semper est, quod queratur: ita tamen, ut cum augmento sit miseria, quotiescunque processerit. Nam plus est quod nunc dixit, *næ ego infelix homo sum:* quam *disperii*. *Nusquam invenio gentium*] Abundat *gentium*. D.

Næ ego sum infelix!] Interea dum conquirit fratrem Demea, cognovit a mercenario, in villa, non esse filium. Irascitur is Syrum et commovetur. E.

Versus est justo longior. Duo ex nostris non habent *homo*. Malim tamen *sum ejicere*. B.

2 *A villa mercenarium vidi*] Sapientissime Terentius, etsi proxima villa est, necessario senem ad reliquos actus fabulæ noluit ab urbe discedere, personæ senilis memor. Nam et arduum fuerat, dum redit, et cruciabile, ne fatigatio ejus in tragœdiam transiret. Recte igitur invenit, a mercenario illi in urbe narratum, ruri non esse Ctesiphonem. At ubi persona est adolescentis, et proficiscitur ad villam: et continuo redit. ut in Eunucho Phædria. Et *a villa*: utrum *a* pro *de* positum est: ut sit, *de villa?* an deest *veniens*. ut sit, *a villa vidi venisse mercenarium*. D.

A villa mercenarium vidi] Eadem porro constructione dixit Plautus Merc. VI. 1. 1. *Quoniam* a viro *ad me rus advenit* nuncius. Nec valde dissimilis locutio Thucydidis, lib. III. Οἱ ἀπὸ τῶν τριάκοντα νεῶν Ἀθηναῖοι. *A triginta navibus Athenienses*. Nisi quis statuat *mercenarium a villa* dictum ea forma, qua dicitur, *libertus a manu*. i. e. emancipatus: et similia. Aut *a villa* fortasse habet sensum genitivi casus, ut ait, *mercenarius villæ*. Plaut. Mil. II. 2. 5. *Quemque* a milite hoc *videritis* hominem *in nostris tegulis*. Liv. II. 22. *Principes a Cora*. i. e. Corani. Virgil. Georg. III. 2. *Pastor ab Amphryso*. Petron. cap. 38. *Arietes* a Tarento *emit*. Ubi vide Burmann. W.

3 *Nec quid agam, scio*] Utrum fratrem an filium magis queream. Nam senex querulus tria dicit esse incommoda sibi: quod fratrem non invenit:

Digitized by Google

C. Syre. S. Quid est? C. Men' quærit? S. Verum.
C. Perii! S. Quin tu animo bono es.
D. Quid hoc, malum, infelicitatis? nequeo satis decernere:
Nisi me credo huic esse natum rei, ferundis miseriis.
Primus sentio mala nostra: primus rescisco omnia:
Primus porro obnuncio: ægre solus, si quid fit, fero.
S. Rideo hunc: primum ait se scire; is solus nescit omnia.
D. Nunc redeo, si forte frater redierit, viso. C. Syre.

quod Ctesipho ruri non sit: quod utrum in urbe maneat, an ad villam abeat, ipse nesciat. D.

Negat esse ruri] Charis. lib. 1. L.

4 *Verum*] Modo *verum*, nomen est: an adverbium comfirmantis, id est, vere? *Perii!*] Hæc Ctesiphonis perturbatio hus tendit poetæ arte, ut deprehendatur eum amica filius (forte, *solus* Z.) repente ingresse sene. *Quin tu animo bono es*] Nunc *quin*, pro *quinimo* positum est. D.

Unus e nostris cum Bembino recte *quid est?* cæteri *quid ais?* Porro lege ex tribus nostris *bono animo es*, ut infra IV. 5. 62. B.

5 *Quid hoc, malum! infelicitatis?*] Abundat *malum*. *Quid hoc, malum! infelicitatis?*] Deest, *Deos testor*. *Quid hoc, malum! infelicitatis?*] Hic autem *malum*, pro interjectione positum: quasi dicat, *O malum!* et est dictum anxii hominis, et perturbati nimis. D.

Quid hoc, malum! infelicitatis?] Ordo, *quid hoc infelicitatis?* et *malum*, interjectio est, sicuti sæpe docui. E.

6 *Nisi me credo*] Pro, nisi quia jam superest, ut me credam. hic enim sensus est in hujusmodi locutione, *nisi me credo huic esse natum rei*. *Nisi me credo huic esse natum rei*] Nova locutio, pro, nisi quia credo. Et *huic rei*, potest subtrahi, incolumi sensu: ut, *nisi me credo natum esse ferundis miseriis*. Ergo *huic rei*, subdistinguendum: et sic inferendum, *ferundis miseriis*. Ergo *huic rei*, pro, ad hanc rem. D.

7 *Primus sentio mala nostra: primus rescisco omnia*] Ἐπαναφορά. *Primus sentio mala*] Ridiculus error Demeæ: Et *primus*, ad ordinem: *solus*, ad numerum dicitur. D.

8 *Primus porro obnuncio*] Qui malam rem nunciat, *obnunciat*: qui bonam, *annunciat*. Nam proprie *obnunciare* dicuntur augures, qui aliquid mali ominis sæpe vumque viderint. Ergo, *obnuncio* malum imminens, quasi omen nuncio. Inde enim ἱτομολογία hujusce verbi est. *Ægre solus, si quid fit, fero*] Prave scilicet. D.

Primus porro obnuncio] Hoc est, malum nuncium vel accipio (*ubi accipio, velut* Z.) ales perfero. E.

Obnuncio] I. e. conor impedire, monendo officio, ne quid fiat, vel ut in posterum corrigatur. Translatum est verbum a disciplina augurali, in qua proprie significat, auspicium malum nunciare comitia habenti, ut comitia dirimantur. Cic. Phil. II. 33. v. Casaub. ad Sueton. Cæs. c. 20. R. D.

9 *Is solus nescit omnia*] Et bene *solus*, utpote de multis: quia quum sciat Micio, Syrus, Æschinus, Ctesipho, populus, his solus fallitur. D.

Demea ter dixerat eodem accentu *primus*. Igitur ne Syrus *primum* deprimat in thesi, repone, *rideo hunc: se primum ait scire*. B.

10 *Si forte frater redierit, viso*] Pro, *si rediit*. D.

Digitized by Google

Obsecro, vide ne ille huc prorsus se irruat. S. Etiam taces? 11

Ego cavebo. C. Nunquam hercle hodie ego istuc committam tibi:

Nam me jam in cellam aliquam cum illa concludam: id tutissimum est.

S. Age, tamen ego hunc amovebo. D. Sed eccum sceleratum Syrum.

S. Non hercle hic quidem durare quisquam, si sic fit, potest. 15

11 *Huc prorsus se irruat*] Neutrum verbum, quasi activum, *se irruat*, posuit. *Vide ne ille huc*] Jam metuitur quod futurum est. Et quum neutrum sit *irruat*, nove intulit *se*. Præterea sic dixit, *irruat*, tanquam de eo qui pugnaturus sit. ut in Eunucho, *quam mox irruimus?* Aut tanquam de sue. ut Horatius, Epist. II. 2. 75. *Hac lutulenta ruit sus.* Et Virg., Ge. III. 255. *Ipse ruit, dentesque Sabellicus exacuit sus. Etiam taces?*] Antique pro *tace*. Sic in Andria, *Etiam tu hoc respondes?* pro *responde*. Est ergo correptionis significatio. D.

Prorsus] I. e. recta via. Plaut. in Persa IV. 5. 5. R. D.

Se irruat] Irruere active dixit ut supra III. 2. 21. *cæteros ruerem* et in Eun. III. 5. 51. Terentium imitatur Apulei. Florileg. p. 341. R. D.

12 *Hodie ego istuc committam tibi*] Quod ago jam, id est, complexum mulieris. D.

13 *Nam me jam in cellam aliquam cum illa concludam*] Id egit stulte adolescens, ut ibi deprehendatur, ubi conclusus est. Sed sic ipse egit, ut posset subterfugere non deprehensus, conspectum patris. *In cellam aliquam cum illa*] Ἀντότης figura; dicimus *in locum*, pro *in loco*. *In cellam concludam*: non in *cella* ait. Et mire, ut reclusum tutumque locum subiret, *cellam* scilicet, quam ob ea quæ in ipsa celantur, clausam esse conveniat. Nam et *cella*, et *cellarium*, a reponendis celandisque rebus esculentis et poculentis dicitur. D.

Cellam hic in Thesi delitescit, quod maxime proferendum erat. Nullus ex codd. nostris agnoscit illud *jam*. Lege igitur, *Nám me in céllulam aliquam.* ut Eun. II. 3. 18. B.

14 *Age, tamen ego hunc amovebo*] Mire *amovebo* dixit: non *deterrebo*. Nam proprie amovetur saxum de loco. in quo verbo significat, imminere sibi magnum laborem in hoc opere. Et vide αὔξησις. Supra, ut pecudem, *abigam hunc rus*, dixit: modo, ut saxum, *amovebo*, inquit. D.

15 *Non, hercle, hic quidem durare quisquam, si sic sit, potest*] Nimis moraliter expressa verba sunt Syri, verberatum se indicantis. quis non ex verbis, servum verberatum intelligat? et servum recens verberatum? et servum fugam comminantem? Mire autem *non ego*, sed *quisquam* dixit. nec *permanere*, sed *durare*: nam hoc verbum perferendis malis convenit. ut Virg., Æn. I. 207. *durate, et vosmet rebus servate secundis.* Hæc autem omnia sic dixit, quasi non videat Demeam. D.

Non, hercle, hic durare quisquam, si sic fit, potest] Hoc consilium sumsit Syrus ad purgandum, quod in villa non erat filius; quod reversus sit idem adolescens et verberaverit se, propterea quod ipse auctor fuerit Æschino, ad rapiendam meretricem. Fingit igitur verberari. E.

Digitized by Google

Scire equidem volo, quot mihi sint domini: quæ hæc est miserai?
D. Quid ille gannit? quid volt? quid ais, bone vir? est frater domi?
S. Quid, malum, bone vir mihi narras? equidem perii. D. quid tibi est?
S. Rogitas? Ctesipho me pugnis miserum, et istam psaltriam
Usque occidit. D. Hem, quid narras? S. Hem, vide ut discidit labrum.
D. Quamobrem? S. Me impulsore hanc emtam esse ait. D. Non tu eum rus hinc modo
Produxe aiebas? S. Factum: verum venit post insaniens:

Non hercle hic quidem] Dio Prusæus Orat. περὶ δόξης: Πᾶσα μὲν οὖν ἐστὶ δουλεία χαλεπὴ· τοὺς δὲ ἀπὸ τύχης ἐν οἰκίᾳ τῇ αὐτῇ δουλεύοντας, ἐν ᾗ δύο, τρεῖς δεσπόται. L.

Ne nimis laxo socco incedat hic versiculus, pro *durare* repone *perdurare*; quod occurrit Hec. II. 2. 27. E.

16 *Quot mihi sint domini*] Et hic apparet, non a legitimo domino verberatum esse. *Quæ hæc est miseria?*] Deest *quam patior*, et quasi comploratio quædam est flebilis post querelas. D.

17 *Quid ille gannit?*] *Gannitus* est proprie veluti ploratus vapulantium. D.

Quid ille gannit?] Quid ille obmurmurat, dicens se verberatum? E.

Gannit] I. e. murmurat, queritur. Proprie canes gannire dicuntur. R. D.

18 *Quid, malum!*] Et hic *malum*, pro interjectione abundat. D.

Demea dixerat *bóne vir*, Syrus in repetitione mutat accentum *bone vir*. Repone igitur, *quíd, malum, mihi bóne vir narras?* B.

19 *Ctesipho me pugnis miserum, et istam psaltriam, usque occidit*] Mire interjecit *miserum*: et necessario *usque* addidit: ut ostenderet, *occidit* nimiæ cædis verbum, non occisionis intelligi oportere. *Usque occidit*] Prope *occidit*: aut *usque*, pro *valde* est: *occidit*, pro *vehementer cecidit*. Nam *occidere* et *Peroccidere*, ad cædem referebantur apud veteres. *Usque occidit*] Ἰδιωτικῶς. non enim occisus loquitur. D.

20 *Hem! vide ut discidit labrum*] Non ostendit, sed videtur ostendere seni parum jam videnti, et intra os. *Hem! vide ut discidit labrum*] Asper mediam longam a cædendo accipit: ego mediam brevem a scindendo. D.

21 *Non tu eum rus hinc modo produxe aiebas?*] Mire Terentius eos ipsos, qui falluntur, ex aliqua parte cautos facit: ut eo delectabilius spectatoribus procedant doli. Nam quæ gratia est aut delectatio, non (*hominem* Ms. B. et edd. vett.) stultissimum falli? *Non tu eum rus hinc modo produxe aiebas?*] Memoriter senex non solum quid sibi dixerit Syrus paulo ante, sed quibus verbis dixerit, refert. Nam sic dixerat, *quem egomet produxi*. D.

Non tu eum rus hinc modo produxe aiebas?] Hoc sane *factum*: *Verum venit post insaniens*. Deinde conqueritur, quod verba respuerit (*quod verberatus fuerit ab eo Z.*) qui illum nutrierit. E.

Rus hinc modo produxe] Serv. Æneid. XI. 152. L.

Non tu eum rus modo produxe aiebas?] *Est* συγκοπὴ poetis familiaris. Heaut. Prol. 32. *decesse*. Ita Catullus *promisse*, Virgilius *explesse*, Horatius *surrexe*. Consule Cerdam ad Virg. Æn. VIII. 274. W.

22 *Verum venit post insaniens*] Su-

Digitized by Google

Nihil pepercit. non puduisse verberare hominem senem,
Quem ego modo puerum tantillum in manibus gestavi meis?
D. Laudo, Ctesipho, patrissas: abi, virum te judicio.
S. Laudas? næ ille continebit posthac, si sapiet, manus.
D. Fortiter. S. Perquam! quia miseram mulierem, et me servolum,

pra, *preduxi iratum admodum. nunc αὐξητικῶς* non iratum prædicat, sed insanum. D.

Pro *aiebas* cum uno cod. repone *aibas*, ut versui consulatur. B.

23 *Nihil pepercit*] Ut supra, *nihil reticuit*. sic dicimus in his, quæ præter exspectationem gesta sunt. *Verberare hominem senem*] Miserum fit de ætate, id quod de conditione non poterat. D.

24 *Quem ego modo puerum tantillum, in manibus gestavi meis*] Addidit ætati invidiam et meritum recens. hoc est enim quod dicit *modo*. Et *tantillum*, *διαστικὸν* est. videtur enim manu fingere, quam parvulum. D.

Ictus non belle in finales syllabas cadunt. Repone igitur *quém ego púerum módo tantillum*. B.

Modo] *Modo* et *nuper* sæpe de magno temporis intervallo dicuntur ut apud Liv. VI. 50. de triginta annis. v. Dukerum ad Flor. I. 11. p. 97. R. D.

In manibus gestavi] Pro manibus gestavi, quod usitatius est. Sic Sueton. in Claud. c. 15. *in manibus tenere* dicit pro manu tenere v. Duker. ad Flor. IV. 12. p. 884. R. D.

Quem ego modo puerum tantillum in manibus gestavi meis?] Euripides Cyclope, 142.

Ὃν ἐξέθρεψα παῖδ' ἐγώ ποτ' ἀγκάλαις;

Dicti tales ὠλενοτρόφοι. Plauto, Mil. III. 1. 102. *geraria* est, ancilla gestans pueros. Livius Andronicus, Virgine: *Quem ego nefrendem alui, lacteam immulgens opem. Tantillum* dixit, ut Plautus Poen. V. 3. 48. *Quantæ'e* quantillus *jam sunt factæ!* W.

25 *Laudo, Ctesipho: patrissas*] Facile inductus est senex varietate fraudis et doli. Nam Syrus et supra ut laudans, non ut vituperans Ctesiphonem: et nunc ut accusans, idem perficit atque persuadet. *Patrissas*] Αὔξησις. Nam ut supra dixerat, *Spero: est similis majorum suorum*: hic confirmat quod sperare se dixerat. *Patrissas*] Attende quam bene inventum sit, inanem se dicere. nonne videtur ibi stultissimus, cum hujusmodi laude non modo se non laudare velle, quod odiosum est: sed etiam filium apud intelligentes vituperare videatur? siquidem non solum hic stultus, sed etiam ille, quia *patrissas*, inquit. *Patrissas*] Tam securus est, ut se laudet. Et *abi* addidit: quasi dicat, non est quod jam demorer (*te morer*); perfectus es. *Laudo Ctesipho*] Hic totus versus mire delusum ostendit senem. *Abi, virum te judicio*] *Virum* inquit, non, adolescentulum. Hoc enim ad ætatem et probitatem, non ad sexum, refertur. D.

Patrissas] Patri similis es. E.

Lege et distingue, *Laudo: O Ctesipho, patrissas*. Illud *O* tres ex nostris habent. B.

Abi] Donatus ait verbum esse vel sibi vel alteri cum laudatione blandientis. Sic est apud Plaut. in Asin. III. 3. 115. R. D.

Laudo, Ctesipho, Patrissas abi] Vide Boecleri Chrestomath. v. *Abi* Plaut. Mostell. III. 1. 108. eodem sensu: *euge, Philolaches Patrissat*. Ubi Guyetus legit: *patrissas!* Gr. πατριάζει. Vide et Eun. I. 2. 74. W.

26 *Næ ille continebit posthac, si sapiet, manus*] Comminatio est subtilis: et parcior, velut servi. D.

27 *Perquam*] Nimis, εἰρωνεία. Et me

Digitized by Google

Qui referire non audebam, vicit: hui! perfortiter.
D. Non potuit melius: idem quod ego, sentit, te esse huic rei caput.
Sed estne frater intus? S. Non est. D. Ubi illum quæram, cogito.
S. Scio ubi sit; verum hodie nunquam monstrabo.
D. Hem! quid ais?
S. Ita. D. Diminuetur tibi quidem jam cerebrum.
S. At nomen nescio
Illius hominis, sed locum novi ubi sit. D. Dic ergo locum.
S. Nostin' porticum, apud macellum, hanc deorsum?
D. Quidni noverim?

servolum] Oratorie. non *servum*, sed *servolum*, quum sit senex. D.

28 *Non audebam*] Non poteram. *Hui! perfortiter*] Hoc, gestu servili, et animis leviori personæ congrue dictum est. D.

29 *Non potuit melius*] Id est, laudo te, Ctesipho: et deest *fieri*. *Idem sensit quod ego*] Id est, *patrissas, virum te judico*. D.

Huic rei caput] Quinctilian. libr. 3. cap. ult. *caput rei est* apud Menandrum, κεφάλαιόν ἐστιν. Plaut. Asin. III. 3. 138. *Ego caput huic argento fui hodie reperiundo*. L.

Bemb. recte *sensit*, h. e. intellexit, percepit, olfecit. Cæterum ne accentus incommode in finales incidant, facile inducor, ut sic olim fuisse existimem, *Non pote mélius. idem ille quod ego sénsit té esse huic rei caput*. B.

30 *Sed estne frater intus?*] Deest *respondes*: ut sit, responde. D.

Non est] Hoc iracunde pronunciandum, tanquam referat gratiam pro dolore, quod (forte, *quo* Z.) negat, fratrem esse domi. Denique hoc animo dicit etiam illud, *scio ubi sit; sed hodie nunquam monstrabo*. B.

Pro *quærunt* in Bemb. reperitur *Inveniam*. Utrumque est rectum. B.

31 *Verum hodie nunquam monstrabo*] Volens senem avidius quærere, quod hic ardor semper paratissimus credentes etiam fallit, ei fingit se nolle dicere. *Hodie* autem aut abundat; ut, Æn. II. 670. *Nunquam omnes hodie moriemur inulti*. aut *nunquam hodie*, pro, nullo tempore hujus diei. quia *nunquam* per se generale est. D.

In fine hujus versus adscribe dictionem *ita*, quæ est prima subsequentis. Sic hi duo versus erunt trochaici catalectici, ut cæteri. Ita quoque ordinantur in Bemb. et aliquot aliis libris. Faern.

32 *Diminuetur tibi quidem jam cerebrum*] Comminationis genus verba ipsa indicant: ut appareat senem baculum sustulisse. *At nomen nescio illius hominis, sed locum novi ubi sit*] Recte: quia si *hominem* diceret, non erat errandum agnita persona hominis: et ubi habitet, cognito. si notus esset, nulla causa quærendi superesset. D.

Diminuetur tibi] Ex Prisciani sententia *dimminuetur* legendum, lib. 1. L.

33 *Dic ergo locum*] *Dic ergo*, quasi invitum coëgerit. *Ergo* semper addimus, ut hortemur tarde quid facientes. ut Virg. Æn. II. 707. *Ergo age, care pater, cervici imponere nostræ*. D.

34 *Nostin' porticum apud macellum?*] Convenit rustico et parcissimo senī macellum in urbe nescire. et ideo sic interrogatur a servo. *Hanc deorsum*] Bene *hanc deorsum*: quia non est una. *Quidni norim?*] Correptive, *quidni?* pro *quid nisi?* Etenim quamvis rusticus, tamen est civis Demea. D.

Digitized by Google

S. Præterito hac recta platea sursum: ubi eo veneris, 35
Clivos deorsum vorsus est: hac te præcipitato. postea
Est ad hanc manum sacellum: ibi angiportum propter est.
D. Quonum? S. Illic ubi etiam caprificus magna est. nostin'? D. Novi. S. Hac pergito.
D. Id quidem angiportum non est pervium. S. Verum hercle: vah!
Censen' hominem me esse? erravi. in porticum rursum redi: 40
Sane hac multo propius ibis, et minor est erratio.

Nostin' porticum, apud macellum, hanc deorsum?] Falsum in locum mittit longe positum, ut circumeat civitatem. E.

Bentlejus edidit *hac deorsum*. Z.

35 *Hac recta*] Proprie, hac parte: ut manu viam ostendere videatur. *Ubi eo veneris, clivos deorsum versus est: hac te præcipitato*] Hoc lentius; quidam clarius legunt: ut sit *præcipitato*, cito descende. D.

Pro *sursum* rescribe *sursus*. B.

36 Nostri cum edd. vet. et Priscisno habent *vorsum*. B.

Deorsum versus] *Versus*. cum adverbium et præpositio *ad* et *in* jungitur, abundat. v. quos laudat Duker. ad Liv. XXXVIII. 51. R. D.

Præcipitato] *Præcipitare* sæpe sine casu absolute ponitur v. Drakenb. ad Liv. XXV. 2. R. D.

37 *Ad hanc manum*] Τὴν πρὸς τὴ ἀριστερὰ χεῖρα dicitur; in quo non permanet certum dextrum, nec certum sinistrum: et ideo proficit in errorem. vult enim servus hæc signa esse perplexa. *Est sacellum*] Ut Varro ait, *sacra cella est*. *Propter*] Prope. ut Virg., Ge. III. 13. —*templum de marmore ponam Propter aquam*. Et Lucretius v. 1392. *propter aquæ rivum, sub ramis arboris altæ*. D.

Sacellum] Sacer locus. Ut Virg., Ecl. III. 9. *Et quo, sed faciles Nymphæ risere, sacello*. E.

Propter] Adverbialiter ponitur pro, in propinquo. Est enim contractum ex *propiter* a *prope* Phædr. II. 6. 7. v. Perizon. ad 8. Min. I. 16. p. 148. R. D.

38 *Ubi etiam caprificus magna est*] In hoc Homerum imitatus est, qui dicit *caprificum* prope Trojana mœnia constitutam, Il. ζ. 432. *Hac pergito*] Non *ito*: sed quia longum est, *pergito*. D.

Præter illud *nostin*, quod abest in Bemb. et cod. vet. nostro, etiam dele *quonam*. B.

39 *Id quidem angiportum*] Id est, angusta et curva via: quasi *anguiportus*: ut *angitia*, aut *anguitia*. Alii, quod inter portus sit locus angustus, hoc est inter domos. Nam *domos*, vel portus, vel insulas veteres dixerunt. Et observa Terentianam consuetudinem, in qua inducit nihil (*nonnihil*. Vid. vers. 21.) sapere eos qui falluntur. D.

Angiportum] Vicus angustus et brevis. Sed hic genere neutro positum est. D.

40 *Censen' hominem me esse? erravi*] Calliditas est maxima, deprehensum mendacium non defendere, sed fateri: ut opinionem simplicitatis acquirat. Vides igitur ut ipse sibi succenseat, tanquam imprudens erraverit, non dolosus impulerit interrogantem. Et mire se negat hominem: tanquam homo corde sit, non corpore. D.

Censeme hominem me esse] I. e. censesne me sana mente præditum esse, qui tam absurda loquar. Hunc verum sensum esse docuimus ad Rutil. Lup. II. 114. R. D.

41 *Sane hac multo propius ibis*] Quasi errasse profuerit illa via. et *sane*, pro satis ac valde: quia qui sanus est, idem et validus. *Minor est erratio*] *Erratio* est pecudum: *Error* animi est, et loci in quo erratur. D.

Digitized by Google

Scin' Cratini hujus ditis ædes? D. Scio. S. Ubi eas præterieris,
Ad sinistram hac recta platea: ubi ad Dianæ veneris,
Ito ad dextram: prius quam ad portam venias, apud ipsum lacum
Est pistrilla, et exadvorsum est fabrica: ibi est. D. Quid ibi facit?
S. Lectulos in sole ilignis pedibus faciundos dedit.
D. Ubi potetis vos: bene sane. sed cesso ad eum pergere?

42 *Cratini hujus ditis ædes?*] Congrue nomen invenit diviti. Cratinus, ἀπὸ τοῦ κράτους, id est, a potentia. D.

43 *Ad sinistram hac*] Deest *ito*: figura ἔλλειψις. *Ubi ad Dianæ veneris*] Sic absolute dicebant, non addito *templo*. Sallustius, *ad Jovis mandem nostram* (*nostra*, alii). D.

44 *Prius, quam ad portam venias*] *Portam* dicendo, ostendit usque ad muros finemque civitatis erraturum Demeam. *Porta* autem ab aratro portando dicta est, quod in eo loco coloniæ deductor et conditor, subjunctis vacca et tauro, aratrum, quo urbem designat, suspendit manu: ne imprimat sulcos, ubi civitatis aditus relinquendi sunt. *Apud ipsum lacum*] Credibiliter addidit *lacum*. Nam Varro, de R. R. 1. 13. docet, semper lacum portis additum: scilicet ob usum jumentorum exeuntium et introeuntium: et præterea ut adversum hostilem ignem portis de proximo subveniretur. D.

45 *Est pistrilla*] Veteres absolute dicebant *pistrinam*, ut *sutrinam*, et *medicinam*, ad tarbernam referentes: nam pristino pristilla non convenit. Et simulata (*etsi multa*) diminutiva diversa sunt a genere nominum primæ positionis: ut *rana*, *ranunculus*: *scutum*, *scutella*: *canis*, *canicula*. D.

Pistrilla, et exadvorsum fabrica. Lectulos in sole ilignis pedibus] Hoc est, pedibus ligneis, de ilice. qui locus senibus (*cænantibus*) in sole esse possit. Vel (*veluti*) quod Cicero dixit (pro Quint. 18.) *Nunquam ad solarium fuit*. E.

Est pistrilla] Charis. l. 1. *L.*

Illud *est* secundo loco deleatur ex Faerni nostrorumque codd. auctoritate omnium. B.

46 *Lectulos in sole ilignis pedibus faciundos dedit*] In urbe convivium, aut in sole, aut in umbra, pro conditione temporis instruebatur. Repente igitur interrogatus, quo minime opinabatur quæsiturum senem, arripuit statim lectulos. Et quia potuit senex dicere, *mentiris*; nam habet lectulos: addidit ex tempore, *in sole*. Et ne eos quoque habere diceret, addidit, *ilignis pedibus faciundos*. sed hoc gestu actoris adjutum est: quasi eodem tempore servus et quærat quid dicat, et respondeat. D.

Ilignis pedibus] Sic Querulus, *ilignis foribus*. L.

Pro vulgari *ilignis* Bemb. recte *iligins*. Cæterum *lectulos in sole* junctim accipe, ut lectorum speciem tum notam et sic appellatam. B.

Lectulos in sole] *Lectulos in sole* vocat, in quibus veteres sole maxime temperato jacebant et apricabantur vel etiam potabant. Apud antiquos inter valetudinis præsidia erat insolatio. Nam vel nudi in sole ambulabant, quod dicebant uti sole asso, vel oleo uncti, quod dicebant uti sole uncto. Cic. ad Attic. XII. 6. *pro isto asso sole, quo tu abusus es in nostro pratulo, a te nitidum solem unctumque repetemus*. v. Casaubon. ad Persii Sat. IV. p. 343. R. D.

47 *Ubi potetis vos?*] Incerta persona est: nam Syro vel Demeæ hoc dictum jungi potest. *Bene sane*] Hic *ἰρωνία* est, non approbatio. D.

Digitized by Google

S. I sane; ego te exercebo hodie, ut dignus es, silicernium.
Æschinus odiose cessat: prandium corrumpitur.
Ctesipho autem in amore est totus. ego jam prospiciam mihi:
Nam jam adibo, atque unumquicquid, quod quidem erit bellissimum,
Carpam: et cyathos sorbillans paulatim hunc producam diem.

48 *I sane*] Aut abundat *sane*: aut inferioribus jungitur. *Silicernium*] Cœna quæ infertur diis manibus, quod eam silentes cernant, id est, umbræ possideant: vel quod qui hæc inferant, cernant tantum, neque degustent. Nam de his, quæ libantur inferis, quisquis comederit aut biberit, funestatur. Aut erit *silicernium* senex, qui jam jamque silentibus umbrisque cernendus sit: et sic est melius, quam ut quidam Xenophonta interpretantes putant, sic nos *silicernium* intelligere, hoc est, silicem cernentem senem, dum incurvus est, vel stratæ saxo viæ intentus, vel sarcophagi jamjam appropinquantis sibi. D.

Silicernium] Particulæ sunt inferiarum, quæ mortuis dantur. Alii intelligunt *silicernium* (adde *senem*, aut, *decrepitum* Z.) quod jam senectute curvus silices cernat. E.

Silicernium] Prope est cœna funebris. Hinc per contemtum senex silicernius dicitur quasi dignus pro quo talis cœna paretur. v. Fest. in hac voce et ibi Scaliger. R. D.

49 *Æschinus odiose cessat: prandium corrumpitur*] Ἀσύνδετον. deest et. *Prandium corrumpitur*] Ut coquus dixit: qui sciat conditionem quandam magis ferventem placere. (Cf. Casaub. ad Athen. V. 3.) D.

Unus ex Regiis *Otiosus*. Lege *Odiosus*. Sic Eun. IV. 6. 16. *Odiosa cessas*. B.

50 *Ctesipho autem in amore est totus*] Non potuit plus dici de incondita ac nimia voluptate. *Ego jam prospiciam mihi*] *Jam*, interdum significat festinationem, ut nunc. Interdum ad describendum ponitur, et increpandam moram. ut, Æn. XII. 179.—*Jam melior, jam, diva, precor*. Et, Æn. VI. 63. *Vos quoque Pergameæ jam fas est parcere genti, Dique deæque omnes*. Et *prospiciam mihi* dixit, tanquam hoc sentiat: illi sua agunt negotia: et (*at*) ego illorum exemplo consulam mihi. Et bene *prospiciam*: quasi non pransurus, nisi providero mihi. D.

Totus in amore] Totus in aliqua re esse dicitur, qui se totum et omne tempus suum alicui rei impendit. Horat. Serm. I. 9. 2. R. D.

51 *Bellissimum*] Proprie *bellissimum* dixit, unde et hujusmodi ad irritandam gulam cibi, *bellaria* dicuntur. D.

Bellissimum] I. e. lautissimum, *bellus* proprie pertinet ad mensas secundas, quibus bellaria inferebantur v. Don. ad h. l. et Burmann. ad Petron. c. 68. R. D.

52 *Carpam*] Modo *eligam*. Alias *lædam* significat: ut, Georg. III. 215. *Carpit enim vires paulatim, uritque videndo Femina*. Alias *fruar*: ut, Georg. III. 325. *Carpamus, dum mane novum, dum flumina crescunt*. Et Persius, Sat. V. 151. *genio carpamus dulcia*. Id est, fruamur rebus dulcibus. *Paulatim hunc producam diem*] Bono verbo usus est ad metaphoram, tanquam morientis diei. Ut est, Æn. IX. 486.——*Nec te tua funera mater Produxi, pressive oculos*. D.

Carpam: et cyathos] Themist. Euphrad. Orat. VI. Πάσχω οὖν ὥσπερ οἱ λίχνοι τῶν δαιτυμόνων, ἀπογεύομαι ἀεὶ τοῦ

Digitized by Google

ACT. IV. SCENA III.

MICIO. HEGIO.

EGO in hac re nihil reperio, quamobrem lauder tantopere, Hegio:
Meum officium facio: quod peccatum a nobis ortum'st, corrigo:
Nisi si me in illo credidisti esse hominum numero, qui ita putant;
Sibi fieri injuriam ultro, si quam fecere ipsi expostulant,
Et ultro accusant: id quia non est a me factum, agis gratias? 5

ἀεὶ παραφερομένου ἁρπάζων, ἐμπίπλαμαι δὲ οὐδενὸς ἱκανῶς. L.

Pro *sorbillans* unus cod. recte *sórbilans*, secunda brevi, ut *ventilans*. Ita *sorbilum*, quod postea *sorbitio*, jus quod sorbeatur. B.

Producam diem] I. e. diem quam potere longum faciam Martial, II. 89. v. quæ anotavimus ad Rutil. Lup. II. 100. R. D.

1 *Ego in hac re nihil reperio, quamobrem lauder*] Hæc scena est plena sententiarum senilium ad officia demonstranda. Et *tantopere*, vim adverbialem in se continet. Nam significat *nimis*. D.

Ego in hac re nihil reperio, quamobrem lauder tantopere] Hegio gratias egerat, quod Micio promitteret, se daturam operam, ut filius suus eam duceret uxorem, quæ vitiata fuerat; dum (*ille igitur* Z.) juste laudari se negat propterea, quia magis officium suum facit, non alii præstat, cum peccatum suum corrigat. E.

2 *Quod peccatum a nobis ortum est, corrigo*] Si diceret, *peccatum est a nobis*, participium fuisset. nunc quia *ortum* addidit, nomen est. Nunquam enim eadem pars orationis jungi, nisi per ἀσύνδετον, potest. D.

3 *Ita* non jungas cum *putant*, sed cum *injuriam fieri*. Est vero *ita* sequente *si*, sæpe quidem: *ea conditione*, ut Cic. Off. 1. 9. hoc ipsum *ita* justum est, *si* est voluntarium; sæpe vero etiam *tunc*. Cic. de Sen. C. 11: *ita* senectus est honesta, *si* se ipsa defendit. Hæc significatio est hujus loci. S.

4 *Si quam fecere, ipsi expostulant*] Hic distingue (Ms. B. SI QUAM FECERE. *Hic distingue*), et separatim infer; *ipsi expostulant*. *Si quam fecere, ipsi expostulant*] Sensus est manifestus: sed obscura sunt verba, et eorum collocatio et distinctio. Nam incertum, utrum *si expostulant*, intelligendum sit: an, *siquam*, pro una parte orationis accipi opporteat. D.

Ob vitiosam lectionem, in quam inciderat, in hoc loco explicando admodum se torquet Donatus. Leg. ex Bembino *expostules*, ut sit sensus: de facta ab eis tibi injuria; etiam insuper te accusant. Hæc est ratio Faerni, quam recte probat Bentlejus. Z.

Ultro si quam fecere ipsi] Hic locus e codice Bembino ita legendus *sibi fieri injuriam ultro si quam fecere ipsi, expostules*. R. D.

5 *Ultro accusant*] *Ultro*, nunc prave et perverse. *Id quia non est a me factum*] Hæc interrogatio, quasi subtristi vultu est proferenda. D.

Digitized by Google

H. Ah, minime: nunquam te aliter, atque es, in animum induxi meum.
Sed quæso, ut una mecum ad matrem virginis eas, Micio,
Atque istæc eadem, quæ mihi dixti, tute dicas mulieri:
Suspicionem hanc propter fratrem ejus esse, et illam psaltriam.
M. Si ita æquom censes, aut si ita opus est facto, eamus. **H.** Bene facis:
Nam et illi animum jam relevabis, quæ dolore ac miseria
Tabescit; et tuo officio fueris functus: sed si aliter putas,

6 *Ah! minime*] Non *minime ago*: sed, *Minime te credo esse illorum in numero*. D.

7 *Quæso, ut una mecum*] Servavit τὸ πρέπον, adjiciendo *Una mecum eas*: quippe ad incognitam matrem familias. D.

8 *Tute dicas mulieri*] In nomine ostendit, cur hæc ipse dicat. *Mulieri* enim, inquit, nimis pavidæ ac diffidenti. D.

9 *Suspicionem hanc propter fratrem ejus esse*] Nimis breviter ac succincte, et ut opportuit inter scientes. *Et illam psaltriam*] Propter fratrem ejus esse, subaudiendum est. (nil nisi *propter* subaudiendum esse videtur.) D.

Codex Meadianus pro *ejus esse* habet *esse ejus*. Igitur ad contortam Donati interpretationem vitandam, repone, *suspicionem hanc propter fratrem esse: ejus esse illam psaltriam*. Nam *ejus* est *fratris*. Sic Heant. IV. 3. 25. *Hanc esse Clitiphonis*; et hic IV. 4. 16. *Dicam fratris esse hanc?* B.

10 *Si ita æquom censes*] A justo et utili est tota sententia. Et sane hi (forte, *tres sane hic*. Ed. Mediol. 1476. tres sequentes versus non agnoscit) versus desunt, quos multa exemplaria non habent. D.

Si ita æquom censes] Aut si ita omnium facta expetiverunt, uti ad mulieres Micio pergeret, hæc eadem illis præsentibus polliceretur. Verum etiam dubitatione utens (*utitur* Z.) Micio; hoc ut plenius fieri possit, persuadet Hegio, quod illæ miseræ alterum solatium calamitatis habere non possint, nisi hic polliceatur. *Omnibus enim, quibus res minus secundæ sunt, nescio quomodo suspiciosi: omnia, quæ fiunt, ad contumeliam suam fieri magis putant. Quum minimum possint, semper se credunt contemni. Ergo placabilius est, si ipse coram pollicearis, et te purges.* E.

Etsi posterius si ob fidem Bembini Faernus ejecit: ob codd. omnes cæteros tamen et usum Terentii tuendum est. Vid. And. I. 3. 8. B.

11 *Nam et illi animum jam relevabis*] Et deinceps *illi* maluit dicere, quam *nurui*, adhuc divitem reveritus. *Dolore ac miseria*] *Dolore*, parturientis: *miseria*, injuria ab Æschino accepta. D.

Lege *relevaris*, quia sequitur *fueris functus*. Deinde ne accentus cadat in ultimam *animúm*, repone, *nam et illi jam ánimum rélleváris, quaé*, &c. Præpositio *re* in compositione fere duplicat consonantes apud veteres; ut *redduco, repperio; rellevo*. B.

Menander: Πολλῶν φύσει τοῖς πᾶσιν αἰτία κακῶν Λύπη. διὰ λύπης μανία γίνεται· Πολλοῖσι γὰρ νοσήματ' οὐκ ἰάσιμα· αὐτούς τ' ἀνῄρηκασι διὰ λύπην τινές. W.

Relevabis animum] I. e. recreabis, eriges. Simplex *levare* sæpe sic dicitur. R. D.

12 *Sed si aliter putas*] Artificiose,

Digitized by Google

Egomet narrabo quæ mihi dixti. M. Immo ego ibo.
H. Bene facis:
Omnes, quibus res sunt minus secundæ, magis sunt nescio quo modo
Suspiciosi: ad contumeliam omnia accipiunt magis:
Propter suam impotentiam se semper credunt negligi.
Quapropter te ipsum purgare ipsi coram placabilius est.

remittendo quod petebat, extorsit magis. D.

Tabescit] I. e. conficitur Lucret. III. 924. Cic. Catil. II. 4. R. D.

13 *Imo ego ibo*] Hoc adverbio quod ait *imo*, ostendit se promte agere et instanter quod promisit. D.

Ne hiet versus, et sententiæ medearis, repone, *immo ego quoque ibo*: nempe una cum Hegione. B.

14 *Minus secundæ*] Dicere sic maluit, ne *miseræ* diceret. *Nescio quo modo*] Hoc est, vehementia, nulla palam ratione. D.

Omnes quibus res] Menander: Ἔυπιστον ἀτυχῶν ἐστὶν ἄνθρωπος φυσει. L.

15 *Accipiunt magis*] Mire additum *magis*: quam possit sensus et sine hoc esse integer. D.

16 *Propter suam impotentiam*] Infirmitatem. Et rursus noluit humilitatem aut miseriam dicere. *Negligi*. Legitur et *claudere* et *claudicare*. D.

Illud *negligi* Faerno visum est nimis leve, et ab hoc loco alienum. Igitur cum in Bembino invenerit *claudier*, opinatus est, auctorem scripsisse, *calvier*, h. e. decipi. Verum hoc *calvi* nobis non placet. Primum quod plerumque active significat, *frustrari*, *decipere*. Deinde quod cum passive occurrit pro *decipi*, tum simpliciter accipitur, nulla addita *contumeliæ* significatione, quam Terentii locus postulat. Igitur si *calvier* illud sequimur, sensus loci est hic, *se semper credunt errare*, *falli opinione*, *decipi errore*. Quod et falsum est, et a Terentii loco prorsus alienum. Itaque equidem reponendum esse censeo *ludier*, h. e. ludificari, et falsis promissis decipi. Nam ita quadrant omnia, et *contumeliæ* notionem secum gerunt. Atque cum in vett. membranis *claudere* fere scribatur *cludere*, opinor in Bembino fuisse *cludier*: quod ortum est ex nostro *ludier*. B.

Credunt negligi] Sic fere omnes Mss. codd. in nonnullis tamen *claudier* est. Videri posset, scripsisse Terentium, *se credunt calvier*. ut in XII. Tabb. *Si calvitur, pedemve struit*. Sed vulgatam lectionem veriorem puto. Menander: Πρὸς ἅπαντα δειλὸς ὁ πένης ἐστὶ πράγματα· Καὶ πάντας αὐτοῦ καταφρονεῖν ὑπολαμβάνει. L.

Impotentiam] I. e. inopiam, humilem conditionem Cic. pro Murena c. 28. ubi v. Camerar. Contra *potens* est qui magna valet auctoritate et gratia. v. quæ notavimus ad Rutil. Lupum II. 74. R. D.

17 *Quapropter te ipsum purgare*] Utrum *te ipsum*, una pars orationis sit? an divise accipiendum? ut sit, *te* Micionem, *ipsum* Æschinum purgare. *Coram, placabilius est*] *Coram*, id est, præsentem, et coram præsentibus. et *coram* indiget adjectione: *palam* non indiget. Et *coram*, ad cæteras (*certas* Ms. B. et edd. vett. ante R. Steph.) personas refertur: *palam*, generaliter dicitur. D.

In Bembino est *coram ipsi*, h. e. matri. Sed omnes alii codd. et edd. vett. rectius habent. *Coram ipsis*, h. e. matre et virgine. Nam virginem ipsam non alloqui, non modo non placabilius fuisset, sed et contumeliosius, quam si nec matrem adiisset. B.

Placabilius est] I. e. ad placandum aptius. in Phorm. V. 7. 68. Lactant. IV. 28. R. D.

Digitized by Google

M. Et recte, et verum dicis. H. Sequere me ergo hac intro. M. Maxume.

ACT. IV. SCENA IV.

ÆSCHINUS.

DISCRUCIOR animi: hocine de improviso mali mihi objici
Tantum; ut neque quid me faciam, neque quid agam, certum siet?
Membra metu debilia sunt: animus timore obstipuit.

18 *Et recte, et verum dicis*] *Recte*, ad verba retulit: *verum*, ad rem atque sententiam. Potest enim recte et falsum dici, dummodo nullo vitio verborum nominumque dicatur; quanquam et ipsum fallere in tempore, quidam de officiis scribentes, *rectum* putent. D.

1 *Discrucior animi*] Hoc loco χαρακτῆρα amantis modice (*immodice*) juvenis, et senis facit indulgentis, ac lepidissimi patris. *Discrucior animi*] Ἀνταπόδοσις figura: ut Æn. XII. 19, *O præstans animi*. *Hocine de improviso mali*] Hæc verba repentino nuncio perculsum indicant Æschinum propter divortium stare: et iram circa se Sostratæ, et ejus filiæ ob raptum meretricis. *Objici*] Proprie, quia inopinanti. Nam *Objici* dicitur in utramque partem: ut, si quos ante quis videt, quam exspectaverit. quo verbo magnitudo doloris ostenditur ex improviso incommodo. D.

Deliberantem, quid faciat adolescens, convenit anus puellæ ejus quam vitiavit. Ab ea comperit, quod cognoverit Æschinum meretricem rapuisse, cum utique rapuerit fratri. opinio est, quod sibi potius rapuerit. Deliberat ergo quid agat, quod tanta suspicio de se inciderit, quod Sostrata puellæ mater credat, sibi rapuisse Æschinum meretricem, hoc quod audivit ex anu quadam. E.

Primus Faernus versum constituit, uti est apud Lindenbrog. Sed perperam. Nam in veterrimo nostro *discrucior animi* per se versum constituit. Tum Varro apud Rufinum de Metris Comicis p. 2707. diserte versum ita plane constitutum esse memorat. Alterum vero versum ita refinge, *hócine ex improvisó mali mi óbjici*. Creticus versus est, ex creticis pedibus cum uno Molosso constans. B.

Discrucior animi] Supplendum dolore. R. D.

Objici] Objici proprie dicitur malum in Phorm. III. 2. 18. Virg. Æn. II. 200. R. D.

2 *Ut neque quid me faciam*] Plus est, *quid me faciam*: quam, *quid faciam*. illud enim de rebus: hoc, de ipso homine intelligitur. *Neque quid agam, certum est*] *Certum est*, pro *certum sit*. nisi forte *ut*, *quam* significet. D.

Hunc tertium versum fac Trochaicum tetrametrum sic, *Tántum; ut neque quid dé me faciam, néc quid a. c. s.* Nam et *nec* secundo loco, et *quid de me* reperitur in nonnullis codd. nostris. B.

3 *Membra metu debilia sunt: animus timore obstipuit*] *Metu* patris: *timore* divortii. D.

Digitized by Google

Pectore consistere nihil consilii quit. vah!
Quomodo me ex hac expediam turba
Tanta? nunc suspicio de me incidit; neque ea immerito.
Sostrata credit, mihi me psaltriam hanc emisse: id anus
Mihi indicium fecit.
Nam ut hinc forte ea ad obstetricem erat missa: ubi
eam vidi, ilico
Accedo; rogito, Pamphila quid agat: jam partus adsiet?
Eone obstetricem arcessat? illa exclamat, Abi, abi jam,
Æschine:
Satis diu dedisti verba: sat adhuc tua nos frustrata'st
fides.
Hem, quid istuc obsecro, inquam, 'st! Valeas, habeas
illam quæ placet.

Hæc versus Choriambicos: *Membra metu débilia sínt: animus præ timore | 'Obstipuit: pectore consistere nil cónsili quit.* Lego *præ timore*, ut alibi *præ studio, præ iracundia, præ gundio*, &c. B.

Obstupuit] Meliores libri hic et aliis locis habent *obstipuit* de qua scriptura v. Heins. ad Virgil. Æn. I. 513. R. D.

4 *Consilii quit*] V. C. *consilii quid potest.* L.

5 Cod. vet. hunc et seqq. versus aliter ordinat, quam Faernus. *Vah* ex priore versu huc revoco, et *nescio* huc assumo, cum propter versum, tum et sententiam, *Vah, quó modo me ex hác expediam túrba, nescio: tánta nunc | Suspício de me incidit; | Néque ea immerito: Sóstrata credit mihi me psaltriam hánc emisse: id | 'Anus mi indicium fécit.* Sunt itaque tetrameter catalecticus, et plenus cum clausulis suis; ut solemne est in magna animi commotione. B.

6 *Nunc suspicio*] Modo ostenditur causa trepidationis Æschini. D.

7 *Id anus mihi indicium fecit*] Illa anus qui Sostrata dixerat, *curve, obstetricem arcessat.* D.

9 *Nam ut hinc forte ea ad obstetricem erat missa*] Apparet inter cætera eum dixisse, ad obstetricem se missam: an ultro hoc suspicatus est Æschinus? *Hinc* autem addendo, ostendit se ante fores Sostratæ stare. ut alibi, *ex Andro commigravit huc viciniæ. Ubi eam vidi*] Sunt qui addant supervacue *hanc*: et legunt, *hanc ubi vidi* (Videtur Donatus legisse *ubi vidi*. Atque ita est in Ms. B.) D.

10 *Pamphila quid agat: jam partus adsiet*] Amatoria interrrogatio, qua monstrat Æschinus curæ sibi esse res omnes. D.

Lectio codd. daorum et edd. vett. *Jamne partus adsiet* versui est commodior. B.

11 *Illa exclamat*] Non *respondet*, sed *exclamat*. Et bene vim addidit ad exclamationem fuisse. Ergo a vocis sono *exclamat*, non a verbis. *Abi, abi jam, Æschine! satis diu verba dedisti nobis*] Usque dum intelligeremus. D.

12 *Sat adhuc tua nos frustrata est fides*] Usque dum deciperetur (*detegeretur.* Z.) D.

Adhuc] I. e. ad hoc tempus usque Cic. Verr. I. 17. R. D.

13 *Hem! quid istuc, obsecro, inquam, est?*] *Hem*, interjectio est novas res et inopinatas audientis. *Valeas: habeas illam*] Quasi recedat et longe absit. at

Digitized by Google

Sensi illico ad illas suspicari; sed me reprehendi tamen,
Ne quid de fratre garrulæ illi dicerem, ac fieret palam.
Nunc quid faciam? dicam fratris esse? id quidem minime est opus
Usquam efferri. ac mitto; fieri potis est, ut ne qua exeat.
Ipsum id metuo ut credant: tot concurrunt verisimilia:
Egomet rapui: ipse egomet solui argentum: ad me abducta est domum:
Hæc adeo mea culpa fateor fieri. non me hanc rem patri,
Utut erat gesta, indicasse? exorassem ut eam ducerem.

in Andria, *valeant qui inter nos dissidium volunt*. D.

14 *Me reprehendi*] V. C. *me pallio reprehendi*. L.

Pro *reprehendi* tres codd. cum edd. vett. habent *repressi*. Etiam probe. Heaut. I. 2. 25. et Hec. V. 1. 39. B.

Me reprehendi] *Reprehendere se* eleganter dicitur pro se retinere ab aliqua re facienda vel dicenda, se reprimere, quod ipsum verbum *repressi* quædam editiones h. l. habent. Ovid. epist. XI. 53. R. D.

15 *Garrulæ*] Utpote anus *(anui)*. *Ac fieret palam*] Demeæ scilicet, cum minime opus fuit. D.

Ne quid de fratre garrulæ illi dicerem] Convenit enim, ne aliquid dicerem de fratre illi mulieri garrulæ, h. e. verbosæ et loquaci. E.

Ac fieret palam] Negatio *ne* revocanda est, quæ tacita vi copulationi includitur. Ovid. epist. VII. 81. Liv. XXIV. 40. v. Duker. de latinit. vett. ICtorum p. 375. R. D.

16 *Nunc quid faciam*] Figura διαλύσεως. D.

Nunc] Deliberatio ipsa supponitur *Numquid dicam, aut agam, fratris esse hanc?* Hæc non oportent indicari, ne fiant palam. *Age*, celari possit fortasse. Illud metuo, an credant, quod fratri rapui, quippe cum egomet rapuerim, ego argentum solverim, ad me adducta domum sit. Reperit consilium, ut ad illas pergeret, et se purgaret. E.

Bentlejus cum aliis edidit, *Dicam fratris esse hanc? quod minime'st opus*. Z.

17 *Ut ne qua exeat*] Erumpat: ut, Æn. II. 496.— *quum spumeus amnis exiit, oppositasque evicit gurgite moles*. D.

Vulgo *age mitto*: Victorian. *amitto:* Bemb. *ac mitto*, ut in Phorm. *Ac mitto imperium*. B.

Ne qua exeat] I. e. ne divulgetur ille raptus, *Exire* proprie dicitur, quod in vulgus emanat. Nepos in Datame c. 6. Gellius XII. 12. supra II. 4. 19. R. D.

18 *Ipsum id metuo, ut credant*] *Ipsum*, quod fratri rapui. et *ut*, pro *ne non* posuit. *Tot concurrunt verisimilia*] Ut mea esse credatur. D.

19 *Ad me abducta est domum*] Proprie, non dixit *adducta*, sed *abducta*: *abducitur* enim alienum; ut in Heautontimorumeno, *Abducimus tuam Bacchidem*. *Ad me* autem domum, moraliter dixit, pro *ad domum meam*. an ideo *ad me*, quia et illic luctatus leno est in retinenda contra Æschinum puella? D.

Egomet rapui] Priscian. lib. XIII. L.

21 *Utut erat gesta, indicasse?*] Id est, sine male, sine bene gesta erat: *ut* enim, certam qualitatem significat: *utut* incertam; quasi dicat, quoquo modo, male bene. *Exorassem ut eam ducerem*] Sic enim promiserat Sostrato se fuisse facturum. D.

Digitized by Google

Cessatum usque adhuc est: nunc porro, Æschine, expergiscere:
Nunc hoc primum'st: ad alias ibo, ut purgem me: accedam ad fores.
Perii! horresco semper, ubi pultare hasce occipio miser.
Heus, heus: Æschinus ego sum; aperite aliquis actutum ostium.
Prodit nescio quis: concedam huc.

ACT. IV. SCENA V.

MICIO. ÆSCHINUS.

ITA ut dixi, Sostrata,

22 *Nunc porro, Æschine, expergiscere*] Sic et alibi, *enimvero. Dave, nihil loci est segnitiæ, neque socordiæ.* Legitur et *jam*: quod est correptivum interdum. D.

Expergiscere] I. e. noli amplius cessare. Sallust. in Catil. c. 20. ubi v. Cort. R. D.

23 *Nunc hoc primum*] *Primum*, ab eo quod rogandus est pater. *Accedam ad fores*] Sostratæ scilicet. D.

24 *Horresco semper*] Satis amatorie: nam nimium semper est calor, et frigus recedit (Leg. vel, *nam in nimio amore frigus est, et calor recedit*: vel, *nam in amore nimium semper et frigus, et calor recedit.* Cf. Eun. I. 2. 4.) a corpore. ut, *Torus, Parmeno, tremo horreoque, postquam aspexi hanc.* D.

25 *Aperite aliquis actutum ostium*] Vim pluralem habet *aliquis*, quamvis singulariter dicatur: non est enim *aliquis*, nisi de multis. recte ergo *aperite aliquis* et nove. Nam (uterque liber addit, *veteribus*) non placet illud, ubi distinctiones sunt: unde *aperite* est una, altera *aliquis*. *Actutum ostium*] Ut assumatur rursus, *aperiat*. proprie enim veteres et *quis*, et *aliquis*, et *quisquam*, non observabant quo genere, aut quo numero declinarent. Est ergo figura ἀσχαϊσμὸς. D.

1 *Ita, uti dixi, Sostrata, facite*] Hinc apparet Micionem jam multa dixisse. D.

Ita ut dixi, Sostrata, facito] Hæc scena narrationem tenet, patrem inventum. Nam cum ingressus promisisset mulieribus se facturum esse, Æschinus ut vitiatam ducat uxorem, egreditur pater, et viso filio errorem hunc componit, quod Æschino adductus sit advocatus, ut illa puella cognato suo nuberet, ille duceret. Nescio esse quem vitiatorem, cui duri eam oporteret, ut adolescentis animus perspici posset. Mox aperit veritatem, et dicit, ut jam præpararet se Æschinus ad uxorem ducendam. Deinde ipse, quod supra dixi, narrat. E.

Ita ut dixi] V. C. *dixti*. Vid Diomed. libr. I. L.

Cum quatuor codd. pro *ut* lege *uti*; ut hic versus cum ultimo prioris scenæ faciat Trochaicum. Cæterum repone *dixti*, quod extat in sex codd. Nam Micionis ingenio aptius est obsequi quam imperare. B.

Digitized by Google

Facite: ego Æschinum conveniam; ut, quomodo acta
haec sint, sciat.
Sed quis ostium hoc pultavit? Æ. pater hercle est:
perii! M. Æschine.
Æ. Quid huic hic negoti'st? M. Tune has pepulisti
fores? tacet.
Cur non ludo hunc aliquantisper? melius est;
Quandoquidem hoc nunquam mihi ipse voluit credere.
Nihil mihi respondes? Æ. Non equidem istas, quod
sciam.
M. Ita? nam mirabar, quid hic negoti esset tibi.
Erubuit: salva res est. Æ. Dic sodes, pater,

2 *Facite*] Jubet ut vel securæ sint, vel adornent nuptias. *Ego Æschinum conveniam*] Mire, occursurus Æschino, Æschinum quærit. D.

Pro *facite* omnes nostri, *facito*. Et pro *sint* omnes Faerni et nostri, *sunt*. B.

3 *Pater hercle est*] Quid est hoc, quod Micio timetur? an quia illi non est confessus? Ostendit autem poeta tantundem pudorem posse, aut amplius, quam timorem. D.

4 *Quid huic hic negoti est*] Alius timor, quod hinc egreditur pater. *Tune has pepulisti fores?*] Sic cœpit interrogare, ut negationi locum præbeat. Et nota *pepulisti*, elatum verbum, et tragico cothurno magis, quam loquelæ comicæ accommodatum. D.

5 *Tacet*] Hoc apud se loquitur Micio. *Melius est*] Et non, *ludere bonum est*: sed *melius*. Et hoc meliore affectu dixit, quam si diceret, *dignus est*. D.

Illud proximi versus *tacet* occupat apud Faernum et Bentl. principium hujus versus. Z.

6 *Hoc nunquam mihi ipse voluit credere*] Contra illud, quod ait,—*Postremo alii clanculum Patres quæ faciunt, quæ fert adolescentia, Ea ne me celet, consuefeci filium*. *Credere* autem magno affectu dixit. non enim *confiteretur* ut patri (forte, *patruo*: aut mox pro *parenti* repone *fratri* Z.); sed *crederet*, ut parenti, aut sodali suo. D.

7 *Non equidem istas*] Deest, *pulsavi*. *Quod sciam*] Quantum scio. D.

Non equidem istas] Ms. R. *instas*. L.

8 *Ita? nam mirabar quid hic negoti esset tibi*] Accepit negationem Micio, ut ludere Æschinum posset. D.

Pro *itane* recte omnes libri *ita*. sed id Faernus male per interrogationem protulit. B.

9 *Erubuit: salva res est*] Nimis paterna sententia. Et e contrario Simo in Andria, *vide num ejus color, pudoris signum usquam indicat*. Et quanti affectus est, non dixisse *erubuit*, *salvus est*: sed, *salva res est?* Nonne videtur tibi res ejus omnis in Æschino constituta? Eodem animo et supra dixit, *in eo me oblecto, solum id est carum mihi*. Non enim *solum* intulit quod exspectabatur: sed absolute, quasi ex omnibus solum id est, inquit. D.

Erubuit: salva res] Lampridius in Heliogab. *Cum ad vindemias vocasset amicos nobiles, et ad corbes sedisset, gravissimum quemque percontari cœpit, an promtus esset in Venerem: erubescentibusque senibus, exclamabat: erubuit: salva res est. Silentium ac ruborem pro consensu ducens*. L.

Menander: Ἐρυθριῶν πᾶς χρηστὸς εἶναί μοι δοκεῖ. W.

Digitized by Google

Tibi vero quid istic est rei? M. Nihil mihi quidem: Amicus quidam me a foro abduxit modo Hunc advocatum sibi. Æ. Quid? M. Ego dicam tibi; Habitant hic quædam mulieres; pauperculæ, Ut opinor, has non nosse te, et certo scio:

10 *Nihil mihi quidem*] *Mihi*, id est, meæ propriæ rei. Et callida negatione cœpit: ut et illi adimat confitendi locum ac fiduciam: simulque fiat ei desperatio ducendæ ejus, cujus mentio tam contemtim ab ipso tractetur. D.

Nostri omnes, *rei est*. Repone *rei fuit*. Nam jam inde exierat Micio. B.

11 *Amicus quidem me a foro abduxit modo huc advocatum sibi*] Hinc incipit mendacium, mistum vero. Nam *amicus quidam me a foro huc*, verum est: *advocatum*, falsum. Sed *huc* et *quidam*, modo ἄμφικον habent levis negotii, et in quo nec magnæ personæ, nec res difficilis operæ aut longæ occupationis habentur. Et *advocatum* dicendo, alicujus negotium demonstravit: nam et *sibi* non vacat. si enim *mulieribus* addidisset, potuit aliud spacari. D.

12 *Quid?*] Deest *sit*: ut sit, *quid sit? Ego dicam tibi*] Sensile est. Nam id jam dicendum fuit, et hoc ἄμφικον habet vilis rei, quæ vel facile dici possit, vel non celanda sit. D.

13 *Mulieres pauperculæ*] Non potuit magis celare dignitatem formæ et ætatis puellæ, quæ amatur ab Æschino, quam ut eam primo eodem nomine cum matre nominaret: deinde communiter diceret de ambabus universa, quibus contemni debeant. *Quædam mulieres pauperculæ*] *Pauperculæ* addidit, ut magis desperet Æschinus impetrari posse has nuptias a patre. Et item *quædam*: ut ignobiles demonstrarentur. Et totum hoc cum abjectione pronunciandum est. *Quædam* et *pauperculæ* dicendo, adimit omnem spem nuptiarum: nam *quædam*, ignobilem indicat: *pauper*, indotatam. Quid ergo remanet, quod speret Æschinus? *Pauperculæ*] Nec pauperes saltem. D.

Habitant hic quædam mulieres pauperculæ. Virgo cum matre. Hicmeus amicus, qui me adduxit, illi genere est proximus: huic leges cogunt nubere hanc. De quo ille contra: commentæ sunt, h. e. mentitæ, *esse ex alio viro, nescio quo, puerum natum: neque eum nominat. Priorem esse illum: non oportere huic dare.* Deinde adolescens omnia defendit, quod conviciator sit, quod hic eam potius debeat ducere uxorem. Contra pater: *qua ratione istuc?* inquit, *quis despondit? quis dedit? cur duxit alienam?* Huic respondit Æschinus: *an sedere opportuit domi virginem tam grandem*] Ut veniret nescio unde cognatus? Et quasi arguit patrem, quod hæc magis debuerit dicere. Contra ille stultum vocat filium, siquidem hæc omnia (*omnino* Z.) contra illum, *cui venerat advocatus*. Deinde quasi aliena restituta sint (*aliena res ista sit*), monet filium, ut discedat. Tunc ille lacrimis prodit amorem. Pater cum quæsisset, ille narrare cupiens petit ut audiret. Tunc pater omnia se scire dixit, objurgat leniter, quod celaverit se. E.

14 *Opinor*] Vel adeo obscuræ sunt, et nullius pretii, *ut opinor, has non nosse te*. Potuit recte dicere et hoc, *ut opinor, has non nosti*: sed illud vetustius (alii, *vernustius*). *Ut opinor, has non nosse te*] Aut abundat *ut*: aut deest *scilicet*. Magnum autem crimen est in forma vicinæ puellæ, incognitam esse adolescenti de proximo. Et quia scit hunc esse de quo dixerit, *quam hic non amavit meretricem? aut cui non dedit aliquid?* subdidit causam, ne dignitatis pudorisque esset, quod eam incognitam Æschino esse dixisset: *neque enim diu huc*, inquit, *commigraverunt*. Et *ut opinor*, mire ipse sibi sumit atque confirmat, quod nondum ille confessus est. *Et certo scio*] Ἐπιτίθευς; parum dixi, inquit. D.

Ut sensum adjuves, lege *ut opinor*,

Digitized by Google

Neque enim diu huc commigrarunt. Æ. Quid tum postea?
M. Virgo est cum matre. Æ. Perge. M. Hæc virgo orba'st patre:
Hic meus amicus illi genere est proxumus:
Huic leges cogunt nubere hanc. Æ. Perii! M. Quid est?
Æ. Nihil: recte: perge. M. Is venit, ut secum avehat:
Nam habitat Mileti. Æ. Hem! virginem ut secum avehat?
M. Sic est. Æ. Miletum usque obsecro? M. Ita. Æ. Animo male'st.
Quid ipsæ? quid ajunt? M. Quid istas censes? nihil enim.

has non nosse te: et certo scio. Certe Donatus ita videtur legisse. B.

Opinor et certo scio] Sæpe veteres, quod primo tamquam dubium ponunt, mox inter loquendum consideratum pro certo affirmant. Cic. ad Attic. VI. 3. *Cicero puer legit ut opinor et certe epistolam*, &c. R. D.

15 *Quid tum postea?*] Gratissime proditur Æschinus amator, quum sedulo dissimulet. D.

16 *Virgo est cum matre*] Vult Micio sic audire Æschinum, tanquam alienissimum: et ideo velut inscius (forte *inscio* Z.) facti diligentius narrat. *Virginem* autem ἀρχαϊσμῷ (forte, ἐυφημισμῷ, aut, ἐυσχημόνως Z.) pro *muliere* dixit. D.

17 *Hic meus amicus*] Qui me advocatum abduxit de foro. D.

18 *Huic leges cogunt nubere*] Non *permittunt*, dixit, nec *jubent*: sed *cogunt*, ad perturbandum Æschinum, et recte. alia enim sinunt leges, alia cogunt fieri. Et ne esset quo resisteretur illi, vult ut mulieres a lege cogantur. *Perii!*] Hoc audit Micio, sed dissimulat. D.

Huic leges cogunt nubere hanc] Ex lege Attica, qua virgines orbas pauperesque, θῆττας, proximi cognati vel ducere, vel dotem iis dare, cogebantur, Cf. Phorm. I. 2. 75. et inprimis II. 3. 63. Bo.

Fuit autem similis lex in populo Israelitico. Vide Numer. XXXVI. 6. seqq. quod institutum a Phœnicibus ad Athenienses translatum autumat Grotius, de Verit. Relig. Christ. I. 15. Conf. Meurs. Them. Att. et Plutarch. in Solone. W.

19 *Nihil: recte*] Id est, recte quod perii. et nihil magis comicum. Et vide trisyllabum (*trisyllabo*) artificiose esse subjectum: ut qui *perii* dixit, vix hoc locutus fuisse videatur. *Perge*] Vide instantius interrogantem, quam extraneum decuit. *Is venit ut secum avehat*] Aliud pejus in amatam, ut nec Athenis saltem alteri nuberet. D.

20 *Nam habitat Mileti*] Πιθανῶς *Mileti:* et est adverbium locale. *Hem! ut virginem secum avehat!*] Hic acrius commoveri proditur adolescens, ut affectu fateatur, quod verbis negat. D.

21 *Sic est. Miletum usque obsecro? ita. animo male est.*] Ille oblitus sui, sic indignatur, ut in re propria. hic rursus callidi (alii, callide) vultu utitur, tanquam aliena narrantis. *Miletum usque obsecro?*] Bene *usque*. Nam *Miletos* colonia est Atheniensium in Ponto. *Animo male est*] *Animo male fieri* dicitur, quum ictu alicujus mœroris perculsus animus, non sustinet corpus: sequiturque ruina membrorum. D.

Animo male est] I. e. magno dolore afficior. Catull. Carm. XXXIX. Ovid. epist. XII. 144. Petron. c. 54. R. D.

22 *Quid ipsæ? quid ajunt?*] Non statim credit Æschinus pudicam ma-

Digitized by Google

Commenta mater est, esse ex alio viro,
Nescio quo, puerum natum; neque eum nominat;
Priorem esse illum, non oportere huic dari.
Æ. Eho, nonne hæc justa tibi videntur postea?
M. Non. Æ. Obsecro, non? an illam hinc abducet, pater?
M. Quid illam ni abducat? Æ. Factum a vobis duriter,
Immisericorditerque: atque etiam, si est, pater,
Dicendum magis aperte, illiberaliter.
M. Quamobrem? Æ. Rogas me? quid illi tandem creditis
Fore animi misero, qui cum illa consuevit prius?

trem familias statim consentire in nuptias novas viri ignoti. *Quid istas censes?*] *Posse dicere*, subaudiendum. *Nihil enim*] *Dicunt*, subaudiendum. et sic intelligendum *nihil*, non quod taceant; sed quod nihil confirmationis habeat, id quod dicunt. D.

Meliores libri pro *istas* habent *illas*. B.

23 *Commenta mater est*] Nunc dicit quid dicat. Etiam *commenta* dixit, id est, fallaciam confinxisse, verisimile comminisci. *Ex alio viro*] Jam de proximo tangit Æschinum. D.

25 *Priorem esse illum*] Mire tractat etiam partes Æschini. D.

26 *Nonne hæc justa tibi videntur postea?*] Scilicet illa, quæ amicus tuus dixerat prius, quam hæc audires. *Justa tua*] *Justa* quæ postea audisti, quam illa quæ pro Lemnio dicebas prius. Aut si hoc non est: quære quid sit *postea*. Videtur enim *postea* sic abundare, quomodo interdum *hodie* de stomacho adjicitur loquentis. ut Virg. Æn. II. 670. dicit, *Nunquam omnes hodie moriemur inulti*. D.

27 *Non*] Vultuose pronunciandum est *non*. *An illam hinc abducet, pater?*] *Hinc*, tanquam singultus ploraturi est. Nam sic est pronunciandum. *Pater*] Quasi hoc ad supplicandam dicatur. D.

28 *Factum a vobis duriter*] Non dure et *crudeliter*: sed quasi dura mente, id est, inflexibili, et quod Græci dicunt ἀτενίς. D.

29 *Immisericorditerque*] Nota octo (*septem*) syllabarum adverbium, atque insuper compositum, et cum conjunctione prolatum. D.

30 *Si est, pater, dicendum magis aperte*] Id est, apertius: quia jam apertum fuerat, *duriter* et *immisericorditer*. Et bene præfatus est, ne contumax adversus patrem videretur. *Illiberaliter*] Αὔξησις. Nam multa *duriter*, etiam si opus sit, *immisericorditer* quoque, et facienda sunt, et patienda, si ita ratio et causa cogat: et (*ut* Z.) non sit illiberale, id est, non malum atque inhonestum. *Illiberaliter*] Injuste, inclementer, non bene. quia *liberalis*, bonus dicitur. D.

31 *Quamobrem?*] Delectari magis cupiens Micio, Æschinum vult protrahere ad defensionem sui. D.

32 *Fore animi misero*] Quid de se plus diceret, si factum fateretur? *Qui cum illa consuevit*] Legitur et *illam*: et dicebant veteres, *Hanc rem consuevit* et ἰνοχμώνως. ut Plautus, Amph. I. 2. 28, *Et clandestina ut celetur consuetudo*. Et majore affectu non amorem allegavit, sed quod est commune cum bonis, et multo justius, consuetudinem. D.

Digitized by Google

Qui infelix haud scio an illam misere nunc amat,
Quum hanc sibi videbit præsens præsenti eripi,
Abduci ab oculis? facinus indignum, pater. 35
M. Qua ratione istuc? quis despondit? quis dedit?
Cui, quando nupsit? auctor his rebus quis est?
Cur duxit alienam? Æ. An sedere oportuit

Nostri omnes *cum illa*, et, *prius*. Sed si *illa* casu ablativo accipis, versus efficitur justo longior. Igitur lege vel, *quicum illa*, in casu recto; vel, quod verius existimo, *qui cum ea*. Deinde repone cum Bemb. et plerisque Faerni libb. vett. *prior*: ut in Eun. *Quia læsit prior*. B.

Consuevit] I. e. rem habuit. Sic honesto vocabulo res turpis significatur. Cic. Verr. V. 12. in Hec. IV. 1. 40. v. Bentl. ad h. l. R. D.

33 *Qui infelix*] Non *qui*: sed, *qui infelix*: et non *amat*, sed *misere*, dixit. et ita affectu proditur, qui ut alienus vult loqui. D.

Pro *amet* optimi Faerni, et omnes nostri habent *amat*; quod et versui convenit. B.

34 *Præsens præsenti eripi*] Adjuvant significationem hæc ex abundanti addita: ut, Æn. IV. 83. *Illum absens absentem auditque videtque*. Et, Æn. X. 600, *fratrem ne desere frater*. Sic Cæcilius in Eratosthene, *Hæc caterva plena gladiatoria, quum suum sibi alius sauciat: socius socium*. Et totus hic locus est translatus a Virgilio, in IV. Æneid. vers. 408. *Quis tibi nunc, Dido, cernenti talia sensus? Quove dabas gemitus, quum littora fervere late Prospiceres arce ex summa, totumque videres Misceri ante oculos tantis clamoribus æquor?* D.

Præsens præsenti eripi] Serv. libr. IV. ad vers. 83. *absens absentem audit*. L.

Lectio *præsens præsenti* est ineptissima. Quare repone *præsens præsentem*, h. e. præsens amator præsentem amicam. Atque ita plane laudatur locus a Servio ad Æn. IV. IV. 83. B.

Præsens præsenti] Bentlejus idoneis rationibus demonstravit, legendum esse *præsens præsentem*, cum amator præsens videbit præsentem amicam sibi eripi. R. D.

36 *Istuc*] Deest, *dicis*. *Quis despondit?*] Latenter objurgat Æschinum, rem sine patre gessisse. Et dicitur figura ἐνιτροχασμὸς. *Quis despondit?*] Quia non interfuit pater. *Quis dedit?*] Quia rapuit ante quam peteret. D.

37 *Quando nupsit*] Quia nuptiæ non factæ sunt. Et *nupsit* moleste additum, quasi aliena sit, quæ non legibus ducta sit. *Auctor his rebus quis est?*] Dativo casu; non *harum rerum*. Et Sallustius, Jug. 7. *Qui tunc Romanis imperator erat. Auctor his rebus quis est?*] Iterum objurgat, quia non interfuit pater, et agit sic dolens, velut sibi minus amoris præbitum fuerit, Micio: ut se his, quantum amor patitur, videatur ulcisci, quodque sibi negotium non confiteatur Æschinus. D.

Auctor] Auctores nuptiarum sunt parentes, cognati, tutores, qui nuptias aut confecerunt aut probarunt aut tabulas nuptiales obsignarunt. v. Cic. pro Cluent. c. 5. et ibi Græv. Sine ejusmodi auctoribus mulieres, quæ et apud Athenienses et apud Romanos in perpetua tutela erant, nuptias contrahere non poterant. v. Salmasium de modo usurarum p. 165. R. D.

38 *Cur duxit alienam?*] Utrum filiam? quæ possit aliena esse? nam omnes alienas filias ducunt. *An sedere oportuit*] *Sedere* proprie ignaviæ cessationis est. ut, Æn. XII. 15. *Sedemt spectentque Latini*. Et, *Quid sedes, Verres? quid spectas?* D.

Respicit morem Græcorum, de quo

Digitized by Google

Domi virginem tam grandem, dum cognatus huc
Illinc veniret, exspectantem? hæc, mi pater,
Te dicere æquom fuit, et id defendere.
M. Ridiculum: advorsumne illum causam dicerem,
Cui veneram advocatus? sed quid ista, Æschine,
Nostra? aut quid nobis cum illis? abeamus. quid est?
Quid lacrumas? Æ. Pater, obsecro, ausculta. M.
Æschine, audivi omnia,

Nepos in præfatione. Ubi vide interpretes. Virg. Æn. VII. 52.

Sola domum et tantas servabat filia sedes.
Jam matura viro, jam plenis nubilis annis.

Sed et *sedere* notat otiosum esse, et exspectare rei gerendæ occasionem. Cic. Fam. XVI. 7. *Iis enim ventis istinc navigatur, qui si essent, nos Corcyræ non sederemus.* W.

Domi sedere] Sic eleganter dicitur virgo quæ conditionem exspectat. Apuleius in Apol. p. 92. ubi v. Casaubon. R. D.

39 *Tam grandem*] *Grandem*, ad ætatem veteres retulerunt, non ad corpus. Et in parte ætatis dicitur *grandis*, non in tota vita, nisi si addatur *natu*, ut, *Grandis natu parens adductus ad supplicium.* Et *grandis infans*, et *grandis puer*, et *grandis ephebus*, et *grandis virgo* recte dicitur. Et unde scit Æschinus, an *grandem* hîc fingit ignotam? an quia dixit pater, commenta mater est esse ex alio viro nescio quo puerum natum? Ergo et illa *grandis:* et servus Milesius, qui tunc virginem petit, quum jam alteri data sit, vel rapta (*rupta* Mss.) sit alteri. D.

Pro *huc* cum edd. vett. et cod. Rivii et Donato repone *hinc illinc.* Nam sensus est, dum cognatus aliquis alicunde veniat; quo innuitur, nullum ei omnino fuisse cognatum, cui nubere posset. At si *huc illinc* legas; confitetur Milesium illum vere cognatum esse, et diu exspectatum, dum virgo grandiuscula sit facta. B.

Grandem] I. e. grandem natu Plaut. in Aulul. II. 42. 14. *grandiuscula est* in Andr. IV. 5. 19. R. D.

Hinc illinc] Sic legendum, non *huc illuc.* ita reponit idoneus Grævius ad Flor. IV. 2. p. 748. ediditque Bentlei. R. D.

40 *Dum cognatus hinc illinc veniret.*] Proverbialiter *hinc illinc.* D.

14 *Et id defendere*] Non potuit magis amatorie, et magis pueriliter loqui, quam ut non contentus quod ait, *Hæc dicere te æquum fuit:* etiam adderet, *et id defendere.* Patet autem qualis affectus est, quum etiam patri ob alienam causam blanditur, ut ipse nunc simulat. D.

42 *Ridicule*] Vocativus est casus, ab eo quod est *ridiculus.* D.

Lege *adversume;* quia hoc versu cæteræ omnes dictiones in *m* exeunt. B.

43 *Quid ista, Æschine, nostra?*] Hic jam ultima desperatio et Æschinum in confessionem protrahet, et in finem fallaciæ senem deducet. Et bene quidem *nostra* dixit. memor est enim se respondisse Æschino interroganti, tibi vero quid istic rei est? Nihil mihi quidem. Totum autem hoc senex ad id redegit, non tam ut torqueret Æschinum, quam ut majus faceret beneficium suum, exponendo id in quod pene periculum amor ejus incideret. D.

43 *Quid est? quid lacrumas?*] Quasi repente animadverterit flentem, et quasi causam omnem nesciat, sic inquirit. D.

45 *Æschine*] Non exhibuisset personam patris, nisi pietate victus, pati

Digitized by Google

Et scio: nam te amo: quo magis, quæ agis, curæ sunt mihi.
Æ. Ita velim me promerentem ames, dum vivas, mi pater,
Ut me hoc delictum admisisse in me, id mihi vehementer dolet:
Et me tui pudet. M. Credo hercle: nam ingenium novi tuum
Liberale: sed vereor ne indiligens nimium sies.
In qua civitate tandem te arbitrare vivere?

filium nollet confessione torqueri. Virg. Æn. I. 385. *nec plura querentem Passa Venus, medio sic interfata dolore est.* Bene ergo intelligunt, qui sic accipiunt, perrecturum adhuc fuisse Micionem, nisi victus affectu, fallaciam projecisset. D.

46 *Nam te amo*] Bene addit, *nam te amo*, et cætera. Nam et invidis, et inimicis moris est scire, quid agamus. D.

47 *Ita velim me promerentem ames*] Quam pie additam est *promerentem:* tanquam illic sit votum Æschini, quum possit pater etiam immeritum amare. Et animadvertendum est, *ut* semper sequi, vel statim, vel ex intervallo, maxime in hujusmodi confirmationibus. Sic Cicero, Divinat. in Cæcil. 13. *Ita velim mihi deos propitios, ut, quum illius temporis mihi venit in mentem,* &c. *Velim* autem, pro *volo* antique dicitur. D.

Ita velim me promerentem ames] Merito ames. Multi enim necessitate amant. ac propterea indigne; hoc est in se quod vult, ut pro merito se amet pater. E.

48 *Ut me hoc delictum admisisse in me*] *Me in me, αἰξενικῶς* adjectum est. D.

Delictum admittere in se] I. e. delictum committere. Cic. pro Cluent. c. 61. v. Notata ad Rutil. Lup. II. 83. R. D.

49 *Et me tui pudet*] Ambiguum quidam hoc dictum putant: sed apparet adolescentem propter suum peccatum dicere, non quod quioquam turpe fecerit patri (*pater* Ms. et edd. vett.) D.

50 *Ne indiligens nimium sies*] Non ergo ingratus, sed negligens Æschinus: nec negligens, sed *indiligens*: nec in alterum, sed in se deliquit. Miræ clementiæ genus est, aut omnino ignoscere, aut crimen in levius commutare. Nam tota objurgatio ita amica est, ut non multum a blandimento discrepet: magisque proficiat apud audientem, ut vult Terentius, quam illa aspera atque præfracta. D.

51 *In qua civitate tandem te arbitrare vivere?*] Communem locum inducit a loco, a persona, a facto, a tempore. *In qua civitate?*] Aliter pronunciandum est, id est, presse ac leniter: ne faciat illud Tullianum, Catil. 1. 4, *Pro di immortales! ubinam gentium sumus? quam rempublicam habemus? in qua urbe vivimus?* Et *tandem* pro *tamen* (male. Nam *tandem* eleganter additur interrogationibus, ut gr. ποτε, et vim addit; germ. in aller Welt. Z.) *In qua civitate?*] Hoc est, oblitus es Atheais te esse, ubi vivitur legibus? Vide omnes sententias poni accusatorias, et nihil (*nimii*) amoris. Isti sunt orationum colores difficillimi: sed elaboravit Terentius Micionem facere leniter accusantem, et inducere Demeam durissime blandientem. *In qua civitate?*] Quod objurgat Micio, magni amoris est, et necessaria pro persona assentatio. non enim convenit patrem nimium diligentem filium, ejus præterire peccata. D.

Digitized by Google

Virginem vitiasti, quam te jus non fuerat tangere:
Jam id peccatum primum magnum, et humanum tamen:
Fecere alii sæpe, item boni. at postquam id evenit, cedo,
Numquid circumspexti? aut numquid tute prospexti tibi 55
Quid fieret? qua fieret? si te ipsum mihi puduit dicere,
Qua resciscerem? hæc dum dubitas, menses abierunt decem.
Prodidisti et te, et illam miseram, et gnatum, quod quidem in te fuit.

In qua civitate tandem te arbitrare vivere?] Honesta objurgatio, ut et veniam det, et tamen corrigat. E.

52 *Virginem vitiasti*] Vide et rem dici, et abesse tragicam inclamationem, et ostendi delictum: et ad veniam festinari. Nam statim dicet, *Jam id peccatum primum est magnum, et humanum tamen.* Et tota pronunciatio hujusmodi verbis summissa debetur. D.

Melius collocat Bemb. *Non jus fuerat.* B.

52 Ne hic sit versus trimeter trochaicus hypercatalecticus, qualis apud Terent. alias nuspiam invenitur, gemina *magnum*, quod jam Faernus vidit; atque id euphoniæ causa transpone ita, *Jam peccatum primum id magnum; magnum, at humanum tamen.* B.

54 *Fecere alii sæpe, item boni*] Moris est exemplo lenire, quod purgare non possis. *Facere alii sæpe, item boni*] Consolatio ab exemplo. Et *boni*, non quum hoc facerent, sed alias boni. *At postquam id evenit*] *Evenit*, inquit, non *commissum est*. nihil innocentius dici potuit. D.

55 *Numquid circumspexti?*] ΣΥΝΗΘΗ ΗΑΑΗΤΑΝΑCΜΟC * (ἡ λέγος σύντομος Z.) pro *circumspexisti*. *Circumspicimus* præsentia, *prospicimus* futura. D.

56 *Qua fieret?*] Id est, qua ratione, quo modo fieret? et *qua ratione*, id est, quibus adminiculis, vel per quas personas? *Si te ipsum mihi puduit dicere*] Optime hoc additum est: quasi non debuerit Æschinum apud Micionem pudere. D.

Lege ex nostris fere omnibus, *si te mihi ipsum p. d.* B.

57 *Qua resciscerem?*] *Qua*, id est, per quos. et ad omnia subauditur, *numquid circumspexti? Qua resciscerem?*] Deest *re*, vel *ratione*. *Menses abierunt decem*] Mire *abierunt*. Quasi dicat, te cessante, menses cessere: et locus est incusationis a tempore. Et *abire* dicitur, quod paulatim nos deserit: hoc autem ex partu intelligit. D.

Menander apud Hermogenis Scholiastem: Ἐμβεβρόντησαι γελοῖον, ὃς μόνος ἐλευθέρας εἰς ἔρωθ' ἥκων σιωπᾷς, καὶ μάτην ποιούμενος Περιθίας γάμους σεαυτῷ. W.

Hæc dum dubitas] Dubitare sæpe jungitur cum accusativo pronominis neutrius generis. Cic. pro Rosc. Amerino c. 31. Ovid. XVII. 37. *hoc quoque enim dubito.* R. D.

58 *Prodidisti et te, et illam miseram*] Vide festivum senem, quantum se adolescenti accommodet: non enim illum, quem causa deposcit, sed amatorium ordinem fecit, prius dicendo *prodidisti te*, quam *illam*, tum etiam *gnatum*; ut ex animo amare videatur id quod natum est. *Prodidisti*] Decepisti, vel deservisti. ut Virg. Æn. I. 251. *unius ob iram prodimur. Quod quidem in te fuit*] Sallustius, Jug. 14. *Quod in familia nostra fuit, præstitit, ut in omnibus bellis adesset vobis.* Et, Cicero Verr.

Digitized by Google

Quid? credebas, dormienti hæc tibi confecturos Deos?
Et illam sine tua opera in cubiculum iri deductum domum?
Nolim cæterarum rerum te socordem eodem modo.
Bono animo es, duces uxorem hanc. Æ. Hem! M. Bono animo es, inquam. Æ. Pater,

IV. 11. *Senator P. R. quod in vobis fuit, jacuit et pernoctavit in publico. Quod quidem in te fuit*] Pro, id quod in te erat: id est, quantum in officio tuo spei et auxilii partiumque tuarum fuit: vel, quantum ad te spectabat. Et hic est illud, quod obsequentissimus pater vult, omnia per se esse correcta. D.

Quod quidem in te fuit] Quantum in te fuit, perdidisti, et illam, et gnatum, quod tacuisti. quod tu (adde *nil* Z.) prospexisti. Factum enim est vel fortuna, vel eventu meo, quod rem curarem, et intercederem, te eam uxorem ducturum. At ille parum credens fidem poscit. E.

Quod quidèm in te fuit] Plaut. Bacchid. III. 6. 21. *Ille*, quod in se fuit, *accuratum habuit*. Ennius, ex emendatione Jani Gulielmii: *Qui*, quod in me est, *exsecrabor hoc* quo lucet, *quidquid est*. W.

59 *Dormienti hæc tibi confecturos deos?*] Quam mitis, quam faceta odjurgatio! Videtur satis Micio ille esse, qui ante est descriptus? *Quid credebas? dormiente hæc, &c.*] Incerta distinctio: nam et per se *quid*, et *quid credebas*, legi potest: et velut hic subaccusatur Æschinus, *dormienti hæc tibi confecturos deos? ἀπὸ τοῦ ἀδυνάτου*. Et quæ sint quæ a diis, cessantibus præstari non possint, sequenti versu docet, ne videatur de diis male sensisse. *Dormienti*] Multo melius, quam si diceret *cessanti*. et non, *facturos*: sed quod plenum est, *confecturos*. Et mire Deos ponit in eo negotio, quod ipse prestat: tanquam hic et se et Deos excuset, quod non fecerint Æschino, quæ volebat, etiam dormienti. D.

Quid credebas? dormienti] Menander: Αὐτόματα γὰρ τὰ πράγματ' ἐπὶ τό συμφέρον ῥεῖ, κἂν καθευδήσῃ. Cicero VII. Verrin. *Quibus omnia populi Romani beneficia dormientibus deferunt*. L.

60 *Et illam sine tua opera in cubiculum iri deductum domum?*] Ἀπὸ τοῦ ἄλλου ἀδυνάτου. Ordo, *deductum iri domum*. D.

Deductum] *Deduci* proprie dicitur virgo quæ alicui conciliatur. Ovid. epist. XVI. 313. *pæne suis ad te manibus deducit amantem*. v. interpretes ad Cæs. de B. G. V. 14. R. D.

61 *Nolim cæterarum rerum te socordem*] Quam nihil imperiose ac pro auctoritate patria fit! *Nolim*, inquit, *te socordem cæterarum rerum esse*: non dixit, *ne sis socors*. D.

Cæterarum rerum] Antiquum loquendi genus pro *cæteris in rebus*. Cic. pro Quint. c. 3. de Senect. c. 2. *admirari soleo cum hoc tum cæterarum rerum tuam excellentem sapientiam*. Sic *omnium rerum* pro *in omnibus rebus*, quod ad omnes res attinet. Plaut. in Cistell. I. 1. 33. R. D.

62 *Bono animo es*] Apparet flenti hæc dicta omnia esse. Et hoc decuit verecundum adolescentem, et ex vi tantæ orationis, et metu amittendæ puellæ. Et *es*, modo imperativi modo est, temporis præsentis. Nam esto, futuri est. *Duces uxorem*] Datur in ultima objurgatione, et breviter et plena securitas. *Hem!*] Singultientis fletu et gaudio dixit *hem!* D.

Ne versus sit justo longior, tolle *hanc*, quod non agnoscit Donatus. Satis constabat, quam uxorem intelligeret. B.

Digitized by Google

Obsecro, non ludis tu nunc me? M. Ego te? quamobrem? Æ. Nescio:
Quia tam misere hoc esse cupio verum, eo vereor magis.
M. Abi domum, ac Deos comprecare, ut uxorem arcessas: abi.
Æ. Quid? jam uxorem,? M. Jam. Æ. Jam? M. Jam quantum potes. Æ. Di me, pater,
Omnes oderint, ni magis te, quam oculos nunc amo meos.
M. Quid? quam illam? Æ. Æque. M. Perbenigne. Æ. Quid? ille ubi est Milesius?

63 *Obsecro non ludis tu nunc me*] Mœstus amatoris animus ludentem serio loqui credidit: vera dicentem, quia optata sunt, putat ludere nunc. Potest et ob hanc causam dicere, *ludis tu me nunc*, quod nunquam eum antea luserit. *Ego te! quamobrem*] Magna vis pronominum cur non ludat; quibus et accessit consideratio rei. Nam primo *ego*, deinde *te*, deinde causæ propositio. Et recte *ludis*. Est enim amantis in falsum metum conjicere imminente lætitia, qualibet sententia: inimici vero in falsum gaudium quemquam impellere, sub alicujus mœroris adventum. et ideo negat se Micio in hac parte lusurum Æschinum, qui in aliis luserit. *Nescio*] Religiose dixit *nescio:* quasi non sit ratio, quare non credat patri, quamvis subjecerit causam. D.

Obsecro! non ludis] Diom. lib. 1. L.

Pro *non* rectius Bentl. cum Faerno edidit *num*. Z.

64 *Quia tam misere hoc cupio esse verum*] Pro nimis: quia nimia miseria: ut, *ne quid nimis*. hoc enim putant, qui virtutes mediocritates esse dixerunt. D.

Librorum quorundam *nisi quia*, onerat versum. Ejiciendum ergo est *quia*. Vide nos ad And. IV. I. 39. B.

Deos comprecare] I. e. fac sacra, vota et preces Diis nuptiarum præsidibus. De nuptialibus sacris v. ad Valer. Flacc. VIII. 244. R. D.

65 *Abi domum, ac Deos comprecare*] Magnus institor sui beneficii est, qui a Diis petendum esse dixit, quod ipse præstabit. an ideo quia ordinis fuerat, prius rem divinam facere, et sic uxorem arcessere? Et bene repetitum est *abi:* quasi hærenti morantique: ut, *Vos istæc intro auferte: abite*. D.

66 *Quid? jam uxorem?*] Accessit ad beneficium tempus. et ideo *jam* quasi gestiens repetit adolescens. *Quantum potes*] Aut deest cito: aut *quantum potest esse*. D.

Jam uxorem?] Ms. R. et V. C. *Jam uxorem ducam?* L.

Cum Donato et cod. vet. pro *potes* leg. *potest*. Vid. Phorm. IV. 3. 69. B.

67 *Ni magis te, quam oculos nunc amo meos*] Mire *nunc* addidit. Et eleganter inventum est, quod in se amator multum diligat, id est, oculos: ut e contrario in Eunucho, *adolescenti ipsi eriperem oculos*. id est, ipsos de quibus amat. D.

Quam oculos nunc amo] Ms. R. *nunc ego amo*. Catull. XIV. 1. *Ni te plus oculis meis amarem*. L.

Quam oculos] In exprimenda vi amoris crebra sit oculorum mentio quoniam oculorum sensus nobis omnium carissimus est. Catull. carm. III. 4. ubi v. Muret. R. D.

Codd. plerique, *Nunc ego ameo meos*. Recte; ut in ea sede sit Dactylus, non Trochæus. B.

68 *Quid? quam illam?*] Commendat se Micio, et familiariorem amatori facit, mentionem faciendo sæpius de amica in uxorem ducenda. *Æque*] Sic infert hoc, quasi dubitando invenerit.

Digitized by Google

M. Abiit: periit: navem ascendit. sed cur cessas?
Æ. Abi, pater:
Tu potius Deos comprecare: nam tibi eos certo scio,
Quo vir melior multo es quam ego, obtemperaturos magis.
M. Ego eo intro; ut, quæ opus sunt, parentur: tu fac ut dixi, si sapis.
Æ. Quid hoc est negoti? hoc est patrem esse, aut hoc est filium esse?
Si frater aut sodalis esset, qui magis morem gereret?
Hic non amandus? hicine non gestandus in sinu est? hem!
Itaque adeo magnam mihi injecit sua commoditate curam;

Perbenigne] Multum putat, quia amator hoc dixit: ergo *benigne*, large abundeque. *Quid? ille ubi est Milesius?*] Non amat, si statim timere desinit. unde Virg. Æn. IV. 298. *Omnia tuta timens; eadem impia fama furenti detulit armari classem, cursumque parari.* D.

69 *Abiit: periit: navem ascendit*] Facete, *abiit*: ne diceret, mentitus sum. atque ita dixit, ut infantibus nutrices de terriculis dicere solent: quas quum ipsæ confinxerint, abolitas volunt, postquam illos vident nimium pavere. Et mihi videtur ridens hæc dixisse: ut intelligat Æschinus, Micionem joco fuisse mentitum. D.

Periit] H. e. abiit, ut nesciamus ubi locorum sit. Sic *perire* accipit Schulting. in Quinctil. declamat. 13. p. 243. R. D.

70 Lege, *Tu deos potius*. B.

71 *Tibi obtemperaturos magis*] Mira sententia, Deos obsequi bonis, quasi bonis hominibus multum debeant. et in excusationem precandi Deos, vide quæ facultas nata sit patrem sine assentatione laudandi. Non est autem injuriosum, ad patrem referre deprecationem Deorum: sed magis honorabile. Nam tale est apud Virgilium Æn. II. 717. *Tu, genitor, cape sacra manu, patriosque penates.* ut ipse patrem portet, hic Deos. D.

Obtemperaturos] I. e. exaudituros tuas preces. Ovid. Metam. VIII. 724. R. D.

Magis] Pro *eo magis*. Sæpe præmisso *quo* omittitur *eo*. Rutil. Lup. I. 17. ubi v. quæ annotavimus. R. D.

72 *Ego eo intro, ut, quæ opus sunt, tu fac, ut dixi. si sapis*] Hic versus in quibusdam non invenitur. D.

73 *Quid hoc est negoti!*] Et mirantis hæc, et laudantis oratio est. Et bene videtur hujusmodi patrem Terent. probare. D.

74 *Qui magis morem gereret*] *Qui*, quo modo, qua re, qua ratione. D.

Si frater, aut sodalis esset, qui magis morem gereret?] Hic ita lenis est pater, ut hoc nec frater, nec sodalis ageret. Ita quemadmodum fratrem prætulit aut sodalem, quum *frater* fiducialiter agit, *sodalis* semper obtemperat. E.

75 *Hic non amandus?*] Omnia perfecit hic pater, ut et ametur, et laudetur, et foveatur. D.

76 *Magnam mihi injecit sua commoditate curam*] Mira sententia; mala etiam de bonis nobis nasci. an bonus parens magnæ curæ est filio? D.

Versus et sententia flagitat, ut pro *injecit* refingas *injicit*. B.

Commoditate] I. e. facilitate, humanitate. v. not. ad Heaut. III. 2. 10. R. D.

Digitized by Google

Ne forte imprudens faciam, quod nolit: sciens cavebo.
Sed cesso ire intro, ne mora meis nuptiis egomet siem.

ACT. IV. SCENA VI.

DEMEA.

DEFESSUS sum ambulando: ut, Syre, te cum tua
Monstratione magnus perdat Juppiter?
Perreptavi usque omne oppidum: ad portam, ad lacum;
Quo non? neque illic fabrica ulla erat; neque fratrem homo
Vidisse se aiebat quisquam. nunc vero domi
Certum obsidere est usque, donec redierit.

77 *Sciens cavebo*] Facere quod nolit scilicit. D.

Ne forte imprudens quid faciam, quod nolit. Sciens cavebo] Dabo operam, ne quod noliter pater faciam insciens, inspiciam et providebo. E.

Metri causa repone, et distingue, *Ne imprúdens faciam fórte quod nolit, sciens cavébo.* B.

78 *Sed cesso ire intro, ne mora meis nuptiis egomet siem*] Bene hoc, utpote objurgatus. D.

Cum Bemb. lege *moræ*, et versus gratia *sim* pro *siem*. B.

1 *Defessus sum ambulando*] Hic exemplum inducitur sævi patris ex affectu vero, et ob hoc invisi omnibus. non autem tantum *(tam)* amare vultu, quam ipsa re inducitur. Nam neque sibi, neque cuiquam alii, sed filio tantum consultum cupit. *De* autem, *valde* significat. *Ut, Syre, te cum tua monstratione*] *Ut*, pro *utinam*. et hæc omnia anhelans dixit. *Te cum tua*] Adhuc non credit in errorem se missum fuisse. *Te cum tua monstratione*] Ἰδιωτικῶς *Te cum tua monstratione*. D.

Defessus sum ambulando] Hæc scena accusationem tenet, quod adolescens vitiaverit virginem, et nunc meretricem rapuerit. Defenditur a patre. Hujus exordium sumitur. E.

3 *Perreptavi usque omne oppidum*] Tardus incessus, non perambulatio, sed *perreptatio* dicitur. *Ad portam, ad lacum. Quo non*] Mire propinquiora omisit, utpote *porticum*, *macellum*, *Cratini ædes*, *templum Dianæ*: et ultima posuit, ut quantum peragraverit, demonstraret. *Ad lacum*] Facete poeta memorem indubit senem, quorum minime opus fuit meminisse. D.

Perreptavi] Hoc verbo utitur ad lentum senis gressum significandum; nam qui tardo et segni gradu incedunt, *repere* dicuntur. Phædr. V. 1. 8. ubi v. interpr. R. D.

4 *Quo non*] Duobus dictis, *Quo non* addidit: quasi et ad dicendum lassus appareat. D.

Ut Lindenbr. ita olim edidit Faernus. Sed eo pacto *fabrica*, quod emphasin habet, occultatur in Thesi. Repone igitur, *Quo nón? nec fábrica illi úlla erat: nec fratrem homo.* Nam *illi* pro *illic* passim apud Terent. et Plautum occurrit. Deinde *nec* pro *neque* nostri quam plurimi habent. B.

5 Versus causa repone *aibas*. Nam hoc semper apud nostrum ut disyllabon occurrit. B.

6 *Certum obsidere est, usque donec redierit*] Proprie *obsidere* dixit. convenit enim et irato, et repente aggressuro.

Digitized by Google

ACT. IV. SCENA VII.

MICIO. DEMEA.

IBO, illis dicam nullam esse in nobis moram.
D. Sed eccum ipsum. te jam dudum quæro, Micio,
M. Quidnam? D. Fero alia flagitia ad te ingentia
Boni illius adolescentis. M. Ecce autem. D. Nova,
Capitalia. M. Ohe, jam. D. Ah, nescis qui vir sit.
M. Scio. 5
D. O stulte, tu de psaltria me somnias
Agere; hoc peccatum in virginem est civem. M. Scio.

et ab eo quod est *obsideo, obsidere* facit, producta media syllaba: ab eo quod est *obsido, obsidere* facit, eadem syllaba correpta. D.

Obsidere] pro sedere, compositum pro simplici Plaut. in Poen. prol. v. 23. R. D.

1 *Ibo, illis dicam*] In hac scena est exemplum intempestivæ objurgationis, ac per hoc ridiculæ. *Ibo, illis dicam*] Moris est secum loqui vel senes, vel maxime aliquid ex animo agentes. *Illis dicam*] Sostratæ et filiæ. D.

2 Lege ex nostris plerisque *Te jam dudum quæro, O Micio.* B.

3 *Fero alia flagitia ad te ingentia boni illius adolescentis*] Magno sonitu, ac ingenti ostentatione futuræ accusationis exorsus est. magna sunt enim omnia, et *fero*, et *alia flagitia*, et *ingentia*, et quod ἀμφιλογίας, *Boni illius adolescentis*, dicit. D.

Fero ad te flagitia boni adolescentis capitalia] *Capitalia* crimina sunt, quæ expresse poenam merentur. Deinde species criminis sic proponitur: *Hoc peccatum in virginem est civem*] Deinde quod *puer natus* sit. Primum in omnibus propositionis assensus traditur. Exinde leve docetur esse, quod ille computat crimen. E.

4 *Boni illius adolescentis*] Ἐμφασις, quæ semper amarius ponitur, quam criminatio manifesta. *Ecce autem!*] Ecce dicitur, quum repente triste aliquid rebus intervenit lætis, aut certe quum aliud agitur, aliud emergit novum. ut Virg. Æn. II. 203. *Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta, Horresco referens, immensis orbibus angues.* Et, Æn. II. 403. *Ecce trahebatur passis Priameia virgo Crinibus.* Et Cicero, Verr. V. 34. *Ecce autem repente ebrio Cleomene, exuentibus cæteris.* &c. *Nova*] Recentia: an mira et magna? ut, Ecl. III. 86. *Pollio et ipse facit nova carmina.* D.

Ecce autem] Hæc formula utuntur, quoties aliquid novum evenit, aut aliquid triste lætis rebus de improviso intervenit. Cic. pro Cluent. c. 5. Liv. VII. 35. ubi v. interpr. in Rud. II. 3. 6. v. Broukhus. ad Propert. II. 22. 20. R. D.

5 *Nescis qui vir sit*] Εἰρωνεία. Nam *vir*, ad laudem sumi solet. ut alibi, *Verum te judico. Scio*] Satis ridicule; nec, quod ille cupit, abnegat Micio: ut consentiendo, iracundiam Demeæ acriorem fieri * possibilem sibi (*fieri sinat, et postea bilem ejus sibi.* Z.) mitigare queat. Nam *scio* ad negotii totius gestionem retulit: non ad illud quod sit, *Nescis qui vir sit.* D.

Pro *O* nostri omnes, *ah.* Forte utrumque est retinendum; ut Demea præ animi dolore vix loqui possit sine interjectione dolentis. B.

7 *Civem*] Lex Solonis, ut Plutarchus ejus in vita narrat, erat: qui virgini in-

Digitized by Google

D. Oho, scis et patere? M. Quidni patiar? D. Dic mihi,
Non clamas? non insanis? M. Non. D. Malim quidem.
Puer natus est. M. Di bene vortant. D. Virgo nihil habet.
M. Audivi. D. Et ducenda indotata'st? M. Scilicet. 11
D. Quid nunc futurum'st? M. Id enim quod res ipsa fert:
Illinc huc transferetur virgo. D. O Juppiter!

genuæ vim intulerit, drachmis *centum* multator; quam ipse postea ita mutavit: raptor virginis *mille* drachmis multator. Postea vero lege sancitum est: raptor virginem, quam imminuit, ducito. S.

8 *Eho! scis, et patere?*] Jam et illi irascitur, non (adde *solum*) Æschino. D.

Nostri *eho*; sed melius Bembinus *Oho*. B.

9 *Non. malim quidem*] Alii volunt Micionem dicere, *malim quidem*: alii Demeam. D.

Bentlejus cum Faerno et Mureto rectius verba *malim quidem* Micioni quoque tribuit. Nam mitiori Micionis ingenio magis convenire sunt existimanda. Z.

Non malim] Equidem accipio pro *nolim* quidem sc. insanire. conf. infra v. 30. Editiones vero omnes post *non* puncto posito, *malim quidem* aliæ tribuunt Demeæ, sensu sane inepto, pleræque Micioni, plura, ni interpellaretur, locuturo. Muretus ita supplet: *malim quidem*, si fieri posset, aliter esse; sed, quando, quod factum est, infectum fieri non potest, æquo animo fero. S.

Malim quidem] Scilicet aliter esse v. infra v. 20. R. D.

10 *Puer natus est. Di bene vortant!*] Hic bono exemplo inducitur Micio irascentem juste Demeam leniter ferre: quia exanimato ob mœrorem non convenit inclementer ire obviam, quum possit in tempore objurgari, postquam destomachatus fuerit. Et vide quam facete: quum ille, *Puer natus est*, ad argumentum mali attulerit: hic ita respondit, quemadmodum solent illi, quibus puellam nasci metuentibus, nunciatur puerum natum esse. Nam in omnibus quæ cupite venerint (*cupita evenerint*), *Dii bene vertant*, dici solet: quia sæpe homines ea optaverunt, quæ aliis (*illis*) aliter atque exspectaverunt, contigissent. Quam potestatem rerum vertentium semet in utramque partem, Vertumno Deo superesse (*subesse* Z.), veteres existimaverunt. *Virgo nihil habet*] Vult rem sine remedio videri: quia scit posse nuptiis finiri solicitudinem. Et vide amaritudinem Demeæ contra omnes, ut nec virgini ipsi parcat. D.

11 *Audivi*] Ἀφελῶς et cum ἐξουθενισμῷ respondendum, quasi leve sit, quod admissum sit. *Et ducenda indotata est*] Ducenda scilicet, nisi damnandus sit Æschinus. et hoc verbum necessitatis vim habet: ut, Æn. XI. 230. *Pacem Trojano ab rege petendum*. D.

Ducenda indotata'st] Lege Attica, si quis puellam devirginasset, ejus ἢ γάμον ἄπροικον, ἢ θάνατον eligere cogebatur. Syrian. Sopat. in Hermogen. Plaut. Aulul. IV. 10. 62. *Si quid ego erga te imprudens peccavi. aut gnatum tuam, Ut mihi ignoscas, eamque uxorem mihi des, ut leges jubent*, L.

Post *indotata'st* tolle notam interrogationis, ut infra 33. B.

12 *Quid nunc futurum est?*] More irascentium, quum ipse sciverit quid futurum sit, Micionem interrogat. Et hujusmodi interrogatio, secundum figuram suam non habet responsionem: sed Micio sic respondit, quasi simpliciter inquirenti. D.

13 *Illinc huc transferetur virgo*] *Virginem* quæ etiam cum viro fuit, vocat. Virgil. Ecl. VI. 47. *Ah, virgo infelix!* D.

Digitized by Google

Istocine pacto oportet? M. Quid faciam amplius?
D. Quid facias? si non ipsa re tibi istuc dolet,
Simulare certe est hominis. M. Quin jam virginem
Despondi: res composita est: fiunt nuptiæ:
Demsi metum omnem. hæc magis sunt hominis. D. Cæterum,
Placet tibi factum, Micio? M. Non, si queam
Mutare: nunc quum non queo, animo æquo fero.
Ita vita'st hominum, quasi quum ludas tesseris:
Si illud, quod maxume opus est jactu, non cadit:

14 *O Juppiter! istocine pacto oportet?*] *O Juppiter!* tragice adjecit a Micione versus *(aversus* Z.) *Istocine pacto,* ad ipsum Micionem respiciens dixit. D.

15 *Si non re ipsa tibi istuc dolet*] Nunc *rem* pro *veritate* posuit. D.

Si non ipsa re tibi istuc dolet: simulare certe est hominis] Si non re vera tibi dolet, debes saltem vel fingere. E.

Verbum *Rogitas post facias,* quod vulgo in codd. extat, recte in Bemb. abest: nam versui repugnat. B.

16 *Simulare certe est hominis*] Non hoc dixit, quia hominis est mentiri: sed quia sæpe iracundiæ simulatio, custodia disciplinæ est. D.

17 *Jam virginem despondi: res composita est: fiunt nuptiæ*] Ne diceret, *despondi, composui, facio.* Et *despondet puellam* qui petit: *spondet* a quo petitur. Recte ergo socer futurus, *despondi,* dixit. D.

18 *Hæc magis sunt hominis*] Bene repetit *hominis:* ille enim dixerat, *simulare certe est hominis.* D.

19 *Cæterum, placet tibi factum, Micio?*] Nihil aliud volebat Demea, nisi ut sæviret Micio. quod impetrare non potuit, etiam ab eadem sentiente de pravitate et peccato Æschini. D.

Cæterum, placet tibi factum, Micio?] Videris scire, curam (Debebas scilicet curare rem Z.) male gestam, et fecisti ut vitiatam uxorem duceret. Interea tibi hoc factum complacet? Huic respondetur, non mihi quidem placuit, si mutari possit, nunc tamen, quia non valeo mutare, necessario placet. Quippe cum vita hominum sic se habeat, quemadmodum est jactus tesserarum. Si enim illud quod opus est, non cadit, hoc jam consilii et artis est, corrigere quod miserit casus. E.

21 *Quasi quum ludas tesseris*] Rectum erat si diceret, ita vita est hominum quemadmodum tesseris ludere, aut, quemadmodum ludus est tesserarum. Nota ergo genus locutionis. D.

Ita vita est hominum] Alexis apud Stobæum: Ταὐτο τὸ ζῆν ἐστὶν ὥσπερ εἰ κύβοι, Οὐ ταύτ' ἀεὶ πίπτουσιν· οὐδὲ τὴν βίῳ Ταυτὸν διαμένει σχῆμα· μεταβολὰς δ' ἴσχει. Quem locum imitatus est Tzetzes Chiliad. X. cap. 341.—ὥσπερ γὰρ ἐν τοῖς κύβοις Ἄλλοτε ἄλλα βάλλονται· οὕτω καὶ ἐν τῷ βίῳ Ἄλλοτε ἄλλα γίνονται μεταβολαῖς ποικίλαις. Ambros. de Tobia cap. II. *versatur enim eorum vita ut tesseræ.* Vid. Plato de Repub. lib. X. et Sophocles apud Stob. cap. 254. 256. Arrian. in Epictet. lib. 2. cap. 5. Plutarch. περὶ εὐθυμίας, et de Consol. ad Apollon. L.

Pro *quasi quum* repone *quasi si.* Ipse Donatus videtur *quum* supervacuum existimasse. Certe *quasi si* sæpe apud Plautum, et apud Terent. infra V. 8. 18. B.

Quasi cum ludas tesseris] Pulcherrima similitudo, quam primum legimus apud Platon. de republ. X. p. 514.

Digitized by Google

Illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas.
D. Corrector! nempe tua arte viginti minæ
Pro psaltria periere; quæ quantum potest,
Aliquo abjicienda est; si non pretio, gratiis.
M. Neque est, neque illam sane studeo vendere.
D. Quid igitur facies? M. Domi erit. D. Pro divum fidem!
Meretrix et materfamilias una in domo?
M. Cur non? D. Sanumne te credis esse? M. Equidem arbitror.
D. Ita me Di ament, ut video ego tuam ineptiam;

quamque deinde multi, quos laudat Lindenbrog. ad h. l. ex eo repetierunt. R. D.

22 *Si illud, quod maxime opus est jactu, non cadit*] Utrum, quod opus est, jactu non cadit? incerta distinctio. D.

Si illud, quod est maxime opus jactu, non cadit] Hunc locum Cæsar imitatus videtur de bello civili L. 3. *Si non omnia caderent secunda, fortunam esse industria sublevandam.* Et Guntherus Ligurin. lib. I. 237. *Nunc igitur, veluti cum luditur alea, prudens, Si qua male acciderint, ea lusor corrigit arte: Sic nos, humanæ lusit quos alea sortis, Consilio fati casum properemus iniqui Corrigere, et tanto solatia ferre dolori.* L.

Non cadit] Hunc locum imitatur Cæsar de B. C. III. 73. item Horat. II. 8. 85. R. D.

23 *Illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas*] Ars adhibenda pro fortuna, non enim si male jactus ceciderit, deserendus est ludus: et *forte* nunc pro *fortuna* intelligendum. D.

24 *Corrector!*] Quia dixit, *arte ut corrigas*. sed moris est iratis ab ultimo verbo contradicentis incipere. D.

26 Nostri *vel gratis*; alii *at gratis*. Sed particulam *at*, aut, *vel* recte Bemb. non habet. Deinde versus requirit *gratiis* trisyllabon, ut semper est apud Ter. et Plaut. B.

Abjicienda] *Abjicere* eleganter dicitur pro alienare cum fastidio, vili vendere. Plaut. in Mostell. III. 3. 3. ubi v. Gronov. qui hanc verbi vim etiam illustrat ad Senec. de Benef. I. 1. Sic et *projicire* dicitur Cic. ad Div. XIV. 2. R. D.

27 *Neque est, neque illam sane studeo vendere*] In scopulo versatur Micio, in quo eligit ineptus potius videri, quam prodat Ctesiphonem patri. D.

28 Nostri optimi recte *facias?* non *velis facere*, sed *possis facere?* et insuper leg. *Quid illa igitur facias?* Nam responsum *domi erit* postulat *illa*. B.

29 *Meretrix et materfamilias una in domo?*] Nescit enim, quod non Æschino sit rapta meretrix, arbitratur (*arbitratus* Z.) ambas in domo futuras. E.

30 *Cur non?*] Posset dicere, *non est Æschini amica*: sed celanda est culpa Ctesiphonis. D.

Versus hunc poscit ordinem, *Sanumne crédis te esse?* B.

31 *Ita me Di ament, ut video ego tuam ineptiam*] Ordo est, ita me Di ament (adde, *ut*), te facturum credo, ut habeas, quicum cantites. Ipse se fallit, non inquirendo ulteriorem (*interiorem* Ms. H. et B.) causam retentæ in domo meretricis. Mire autem *cantites*: quasi turpius sit cantare senem cum psaltria, quam coire. D.

Meliores nostri ita collocant, *ut vide tuam ego ineptiam*. B.

Digitized by Google

Facturum credo, ut habeas quicum cantites.
M. Cur non? D. Et nova nupta eadem hæc discet?
M. Scilicet.
D. Tu inter eas restim ductans saltabis. M. Probe:

32 *Quicum cantites*] Amatoria videlicet cantica et meretricia, qualia erant quæ Græce λαϊκὰ proprie dicebantur, id est, πορνίδων σκόλια, apud Aristoph. in Ranis; vel πορνικὰ ἄσματα, Cyrill. περὶ ἐξόδου ψοχῆς. velut illius odæ pars est, quam in eam rem Athenæus laudat Dipnos. lib. XV. Nec alia fuit subsequæ Virgiliani, quantumvis ἐγκωμιὰ cantilena, in Eclog. I. 5. *Formosam resonare doces Amaryllida sylvas.* et de qua Horatius Satyr. I. Eclog. 5. 15.— *absentem ut cantat amicam, Multa prolutus vappa nauta, atque viator.* Quæ etiam θυμελικὰ ἄσματα a Cyrillo dicuntur: nam εἰς θυμέλην sive scenam prodire soliti fuerunt, qui spectatores ejusmodi cantilenis assa voce oblectarent. Macer. I C. l. 24. ff. ad L. Jul. de adult. Atenim amatoriis cantilenis cum aliis, tum maxime vino incalescente, ut etiam nunc sæpe fieri amat, convivia perstrepebant. Basilius περὶ μεθυόντων: *γέλωτας παρ' ἀμφοτέρων, ἄσματα αἰσχρὰ, σχήματα πορνικὰ, ἁρθίζοντα πρὸς ἀσελγείαν.* Juvenal. Sat. XI. 171. *ille fruatur Vocibus obscœnis, omnique libidinis arte:* et quæ sequuntur. ubi vid. Scholiast. L.

33 *Et nova nupta eadem hæc discet*] Alius subaudiet *dicere* (*Psallere subaudi, et restim ducere*). Sed O magna in verbis elegantia! vide enim quam vim significet *discet*. et ideo non *ucor*, sed *nova nupta*, quam ad omnia docilem esse, ipsum indicat nomen. D.

Non hoc per interrogationem effertur, sed affirmative per irrisionem; ut supra II. B.

34 *Tu inter eas restim ductans saltabis*] Lusus est natus ob eo fune, quo introductus equus Durius (*equus ligneus* Mss. et edd. vett.) in Troiam est, cum nexis (*connexis* ed. Du B.) manibus fune, chorum ducunt saltantes. Hoc a quibusdam dicitur. sed ego puto, manu consertos choros puellorum puellarumque cantantes, *restim ducere* existimari: et id maxime convenire ad exagitandum importunitatem senis, veluti pueros imitantis. Simul etiam quia iste connexus manuum lascivus ac petulans adhuc discretionem conditionis, dignitatis, ætatis, inter meretricem, novam nuptam, et senem. Et hoc, quemadmodum dictum est: et quanto stomacho jam ab Æschino recessum est, et transitum ad Micionis luxuriam describendam. D.

Restim ductans saltabis] Cenus saliendi hoc tractum a Trojanis, qui cum funem tenerent, et equum introducerent, sic saltabant. E.

Restim ductans] Fuere veteribus in usu duo potissimum genera chorearum, bellicrepa sive πυρρίχη, et illa γελαστικὴ, qua in theatris et comessationibus utebantur. Sed theatrales variæ erant: ἐμμέλεια enim τραγικὴ, κόρδαξ κωμικὴ, σίκιννις σατυρικὴ: inventoresque earum Satyri. Lucianus περὶ ὀρχήσεως: Οἱ Διονύσου θεράποντες, οἱ Σάτυροι, ταύτας ἐφεύροντες, ἀφ' αὑτῶν ἑκάστην ὀνόμασαν. Ideoque Arrianus in Indicis κόρδακα σατυρικὸν vocat, γενικῶς, a repertore ejus, non qui sic a reliquis discriminaret: καὶ ὀρχήσεων συμβάξει (Dionysius) τὸν σατυρικὸν, τὸν κόρδακα τὸν παρ' Ἕλλησι καλούμενον. Itaque *restim ducere* Terentio est, quod κόρδακα ἅλλειν Aristoph. utrumque comicum. Cujusmodi sane saltationes frequentes introducuntur fabulis: Aristoph. in Vesp. Plaut. in Pseud. V. 1. Stich. V. 2. et alibi. Vidend. Athen. Dipnos. lib. I. Ulpian. in Demost. Olynth. 2. Pollux, Scholiast. Aristoph. in Nubib. et Etymol. Magn. L.

Digitized by Google

D. Probe? M. Et tu nobiscum una, si opus sit. D.
Hei mihi!
Non te hæc pudent? M. Jam vero omitte, Demea,
Tuam istanc iracundiam: atque ita uti decet,
Hilarum ac lubentem fac te gnati in nuptiis.
Ego hos conveniam; post huc redeo. D. O Juppiter,
Hancine vitam! hoscine mores! hanc dementiam!
Uxor sine dote veniet: intus psaltria est:
Domus sumtuosa: adolescens luxu perditus:
Senex delirans. ipsa, si cupiat, Salus
Servare prorsus non potest hanc familiam.

Restim ductans saltabis] Intelligit saltationis genus, quo funem tenentes saltabant et in diversum se invicem trahebant Horat. epistol. I. 10. 47. ubi v. interpr. inprimis Duker. ad Liv. XXVII. 37. R. D.

35 Etsi illud DE. *Probe* in Bemb. et duobus nostris reperitur: tamen est inepta, enervis et putida repetitio, nec reliquis conveniens, quæ cum irrisione omnia dicuntur. Corrige igitur versum sic, *et tute nobiscum*, &c. B.

36 *Jam vero omitte, Demea*] Mire urbanitatem expressit ultro (*non ultro* Z.) objurgantis, qui objurgatus est. D.

Versus probat lectionem codd. bonorum duorum, *O Demea*. B.

37 *Tuam istanc iracundiam*] *Tuam istanc* dicendo, et ridiculam, et supervacuam significat. Et bene *iracundiam*: nam *ira*, de causa est: *iracundia* de vitio multum irascentis. D.

38 *Atque, uti decet, hilarum ac lubentem*] Bene addidit *lubentem*: multi enim *hilares se* simulantes, non *lubentes* sunt. *Hilarum*] Vetuste, non *Hilarem*. D.

Lubentem] I. e. hilarem Plaut. in Persa V. 1. 8. Sic *lubentia* convivio rum pro *hilaritate* dixit Gellius I. 5. 2. R. D.

40 *Hancine vitam? hoscine mores? hanc dementiam?*] Ἐλλειπτικῶς omnia, utpote stomachose secum loquens. deest enim *esse*, aut quid tale. D.

41 *Uxor sine dote veniet*] Demea volens enumerare facta, concludit, quod uxor veniat domum *sine dote*, quod intus sit *meretrix*, quod *sumtuosa* sit *domus*, quod *adolescens luxu* sit *perditus*, quod *deliret senex*, ut si velit ipsa servare Salus, nunquam possit, familiam. E.

42 *Domus sumtuosa*] *Domus*, id est, homines. D.

43 *Ipsa, si cupiat, Salus, servare prorsus non potest hanc familiam*] Συμπαροιδία. Plautus, Asin. II. 2. 2. *Lubentiorem te faciam, quam ipsa lubentia est.* Etenim ὑπερβολὴ est, *ipsa Salus si cupiat servare, prorsus non potest hanc familiam.* Hinc licet æstimare quantum et caloris (*coloris* Mss. H. et B.) et gravitatis apud Terentium sit, ad imitationem Cæcilianam. Vide quantum creverit a superioribus, ut sic finiat. D.

Si cupiat Salus] Inscriptio vetus in Hispania:

NEC. HERCULES. QUEM. GADES.
COLUNT.
NEC BELLONA. QUAM, CAMERTES.
ADORANT.
NEC. DI. OMNES. ROMANI. ERIPERE.
ME.
A MORTE POTUERE.

Plautus Capt. III. 3. 14. *Neque jam servare Salus, si volt, me potest, nec copia est.* Cicero pro M. Fonteio, 6. *Salus ipsa virorum fortium innocentiam tueri non potest.* L.

44 Vulgo *Servare*] Non possum non

Digitized by Google

ACT. V. SCENA I.

SYRUS. DEMEA.

ÆDEPOL, Syrisce, te curasti molliter,
Lauteque munus administrasti tuum.
Abi: sed postquam intus sum omnium rerum satur,
Prodeambulare huc libitum est. D. Illud sis vide
Exemplum disciplinæ. S. Ecce autem hic adest

existimare, et hic et in similibus Plauti locis, ubi totus fere lepor in agnominatione situs est, reponendum esse salvare pro servare; neque vox vel obsoletior vel minus usitata rusticum dedecet. Atqui H dilucide: salvare. Bo.

Salus] Est Dea, Æsculapii filia quæ morbos depellit in Hec. III. 2. 3. R. D.

1 *Ædepol, Syrisce*] Hic exemplum inducitur licentiæ servorum sub miti domino. *Ædepol, Syrisce, te curasti molliter*] Quia detexit Ctesiphonem (*Quia detegendus est Ctesipho* Z.) jam oportet ut ebrius inducatur Syrus: per cujus fallacias tegatur (*non tegatur* Z.) adeo. Et *Syriscum* se dicit, non *Syrum*, τῷ ὑποκορίσματι. *Molliter*] Delicate. D.

Ædepol, Syrisce] Egreditur servus vinolentus, quod nomen ita pronunciavit ut ebrius, demonstrare curo (*demonstrans, se bene esse curatum.* Z.) E.

Ædepol, Syrisce] Prisc. libr. XIII. et XVIII. L.

Te curasti molliter] Frequens Plauto *curandi* verbum in lætitiis et convivio. Stich. V. 3. 9. Pœn. III. 3. 80. Virg. IV. 187. De apibus: *Tum tecta petunt, tum corpora* curant. Æn. III. 511. Æn. IX. 557. Unde *corporis cura* prandium dicitur Suetonio, Domit. 16. Cicero passim ad valetudinem retulit, Livius ceterique Historici ad refectionem militum. W.

Curasti] Curare proprium verbum mensæ et convivii. Horat. Epist. I. 4. 15. hinc frequens apud historicos est locutio *corpus curare*. v. Broukhus. ad Tibull. I. 5. 33. R. D.

2 *Lauteque munus administrasti tuum*] Ut quicquid esset bellissimum, carperes: cyathosque sorbillares. Aut *munus* servile, esse et bibere. D.

Lauteque munus administrasti tuum] Magnifice, tanquam de munere publico, quum intelligat de edendi et bibendi provincia. Sic Ergasilus apud Plautum, capt. IV. 3. 7.

Nunc ibo in præfecturam, ut jus dicam larido;
Et quæ pendent indemnatæ pernæ, eis auxilium ut feram.

Idem mox Demea, *quasi re bene gesta*, vocat. W.

3 *Abi*] Verbum vel sibi vel alteri cum laudatione blandientis. Nam sic dicunt, qui jam compotes sunt votorum omnium, perfectique in rebus universis. D.

Omnium rerum satur] Plenus omnium rerum. E.

4 *Prodeambulare*] Nota duas præpositiones uni dictioni adjunctas, ut, Georg. III. 256. *Pede prosubigit terram.* et ἀμφιπεριχρήνην, Iliad. β', 305. Et optime ad delicias experimendas hoc verbum convenit. Nam procedere segnem *deambulare* (*prodeambulare*) significat. Nam *deambulare* etiam intus potuit. D.

Lege et subdistingue, *Illuc sis vide; exemplum disciplinæ.* B.

5 *Exemplum disciplinæ!*] Quia unus

Digitized by Google

Senex noster. quid fit? quid tu es tristis? D. Oh scelus!
S. Ohe, jam tu verba fundis hic, sapientia?
D. Tun' si meus esses? S. Dis quidem esses, Demea,
Ac tuam rem constabilisses. D. Exemplum omnibus
Curarem ut esses. S. Quamobrem? quid feci? D. Rogas?
In ipsa turba, atque in peccato maxumo,
Quod vix sedatum satis est, potastis, scelus,
Quasi re bene gesta. S. Sane nollem huc exitum.

ex multis reliquis. An quia senior, et nuper etiam pædagogus, ut ipse ait, *quem ego puérum tantillum in manibus gestavi meis.* D.

Exemplum disciplinæ] I. e. qui exemplo suo ostendit, quæ sit familiæ regendæ ratio. R. D.

6 *Quid fit? quid tu es tristis?*] Mire securitatem ebrii hic expressit. numquid enim pertimescit interventum senis, ut solebat, Syrus? aut quicquam præcavet? Sabblanditur tantum, et ita rerum oblitus est, ut quum eum sævum sciat, causam tristitiæ ejus inquirat. D.

7 *Tu verba fundis hic sapientia*] Utrum *sapientia verba?* an *tu sapientia?* quia dixit supra, *Tu quantus quantus es, nihil nisi sapientia es. Fundis*] Utrum, sine ulla cessatione profers? An *perdis?* secundum illud, *Nam quid tu hic agas, ubi si quid boni præcipias, nemo obtemperat?* D.

Distingue post *jam:* ut sensus sit, ebe jam desine. Unus e nostris non male habet *fundes.* B.

8 *Dis quidem esses, Demea*] Ab eo quod est *Dis, ditis, dites* facit: ab eo quod est *Dives, divitis, divites.* D.

Dis quidem esses, Demea] Ut sit declinatio, hic *dis,* hujus ditis. E.

Plures et meliores libri, *Tu si meus esses.* Recte. Nam continuatur oratio, *exemplo omnibus curarem ut esses.* B.

9 *Tuam rem constabilisses*] Plaut. Capt. II. 3. 92. *edepol rem meam Constabilivi.* Liv. IV. 49. *Qui agros sedesque ac fortunas* stabilire *volunt.* Cic. Philipp. XI. 2. W.

Rem constabilisses] I. e. ut Cicero loquitur Philipp. XI. 2. rem familiarem constituisses, Plaut. in Captiv. II. 3. 93. R. D.

10 *Quamobrem? quid feci?*] Nihil nunc in Syro nisi simplex et purum ob ebrietatem. Et vide, *Quamobrem? quid feci?* dicere, non esse sobrii Syri. D.

11 *In ipsa turba*] Non minus ridicula importunitas Demeæ est, quam ebrietas Syri: qui adversum temulentum tantæ gravitatis orationem personat, ut ex dicentis vultu et verbis, et ex audientis habita et stupore magnam voluptatem percipiant spectatores. vides enim quanto pondere verborum cum ebrio litiget. D.

12 *Potastis, scelus*] Non quod plus videt senex, quam objicitur oculis: sed oratorie *potastis,* dixit, quum unum ebrium cernat: propter illud quod ait, *Exemplum disciplinæ.* quasi in omnibus sit, quod in uno nunc aspicitur. Virgilius, Æn. II. 65. *Et crimine ab uno disce omnes.* D.

Faerni et nostri omnes codd. habent recte *potasti.* B.

13 *Sane nollem huc exitum*] Et hoc dictum argumento est, Syrum oblitum omnium rerum nihil respondisse Demeæ per fallaciam: sed tantummodo pœnitere quod exierit. D.

Digitized by Google

ACT. V. SCENA II.

DROMO. SYRUS. DEMEA.

HEUS! Syre, rogat te Ctesipho ut redeas. S. Abi.
De. Quid Ctesiphonem hic narrat? S. Nihil. De. Eho carnufex,
Est Ctesipho intus? S. Non est. De. Cur hic nominat?
S. Est alius quidam, parasitaster parvolus:
Nostine? De. Jam scibo. S. Quid agis? quo abis?
De. Mitte me. 5
S. Noli, inquam. De. Non manum abstines, mastigia?
An tibi jam mavis cerebrum dispergam hic? S. Abiit.
Ædepol comissatorem haud sane commodum,

Nollem huc exitum] Ms. R. *Nollem huc exitum*. L.

Quasi re benę gesta] Formula ducta est a re militari. Proprie enim duces rem gerere sive rempublicam gerere dicuntur. v. Drakenb. ad Liv. IV. 46. R. D.

1. *Heus! Syre*] Quam clare dicat, ostenditur ex eo quod præmisit *heus*, antequam loqueretur. *Ctesipho*] Mire additum nomen est: quum aut sine hoc, aut per pronomen intelligi possit Ctesipho. *Ut redeas*] *Redeas* dicendo, ostendit et illum inter pocula, a quo egressus est ebrius. D.

Heus! Syre, rogat te Ctesipho, ut redeas] Puer missus a Ctesiphone adolescente, ignorans patrem præsentem, revocat Syrum, et dicit, se missum a Ctesiphone, ut cognoscat (*Hinc fit ut cogn.* vel leg. *Ubi cognoscit* Z.) pater intus esse filium, vehementer irascitur, intro ire cupiens tenetur a servo suo, sed, impetu facto, ingressus filium intus esse cognovit. E.

4 *Est alius quidam, parasitaster parvolus*] Non alius parasitaster, sed alius Ctesipho, qui est parasitaster. Et bene *non alter*, sed *alius*: quasi non duo, sed multi sint Ctesiphones. Et hoc sic pronunciandum est, ut simul et quærat, et dicat *nostin?* Quasi aycophanta, nunc addidit, *nostin'*; nam veteratoris est, etiam mentientem confidere. D.

Parasitaster parvolus] Ms. R. et vett. codd. *parasitaster paululus*. L.

Recte in Bemb. et plerisque nostris est *paululus*. Nam *parvolus* de ætate etiam dicitur, *paululus* nunquam nisi de statura: ut hic fit. B.

Parvulus] Recte Bentleius e codice Bembino edidit *paululus*. Parvulus etiam de ætate dicitur, paululus non nisi de statura Liv. XXXV. 11. R. D.

5 *Quid agis? quo abis?*] Hoc jam ebrio convenit, non illi quem cognovimus Syrum. Nam quod retinet senem, confessionis genus est. D.

6 *Non manum abstines, mastigia?*] Etiam injecisse manum, ut teneret Demeam, ex ipsius verbis cernitur. D.

Mastigia] A Græco μαστιγίας est flagellis dignus. verbero. R. D.

7 *An tibi jam mavis cerebrum dispergam hic?*] Ut apparet, baculo minatur. *Abiit*] Quia prohibere non potuit, demisso et desperanti vultu, quid factum sit, dicit, et abiisse pronunciat. D.

Recte Bemb. *Abit*. B.

8 *Ædepol commissatorem haud sane*

Digitized by Google

Præsertim Ctesiphoni. quid ego nunc agam?
Nisi dum hæ silescunt turbæ, interea in angulum
Aliquo abeam, atque edormiscam hoc villi. sic agam.

ACT. V. SCENA III.

MICIO. DEMEA.

PARATA a nobis sunt, ut dixi, Sostrata,
Ubi vis. quisnam a me pepulit tam graviter fores?

commodum] Τῷ χλευασμῷ (alii, τῷ ἐυφημισμῷ) tantum inopinatus supervenit (*superveniet* Z.) ut omnia sic offendat, quemadmodum qui comissatum ingreditur: quia comissatoris est supervenire ad scortum, et vociferari aliquid in jocularem strepitum, quare totum salse, totum ad Demeam contulit. D.

Ædepol commissatorem haud sane commodum, præsertim Ctesiphoni] *Commissatores* dicuntur, qui post cœnam veniunt ad lætitiam, et ad voluptatem. Ergo nunc novum commissatorem Ctesiphoni misimus patrem, cujus rationem habeat. E.

Similis sententia illa Menandri: Ὁ σκληρὸς ἀνὴρ ἐστιν ἐν νέοις γέρων. W.

9 *Præsertim Ctesiphoni*] Bona exceptio, ut appareat omnibus incommodum, et in his Æschino, sed præcipue Ctesiphoni. D.

10 *Nisi dum hæ silescunt turbæ*] Non quæ jam sunt, sed quæ erunt. D.

Silescunt] I. e. sopiuntur, componuntur Plaut. in Mil. II. 6. 100. R. D.

11 *Hoc villi*] Ὑποκόρισμα est *vini*: ut *unus ullus, asinus asellus, vannus vallus, vinum villum*. D.

Atque edormiscam hoc villi] Alicubi jaceam, et hoc vinum digerum dormiendo. Diminutive enim vinum *villum* dixit. E.

Edormiscam hoc villi] Ms. R. et V. C. *hoc vini*. L.

Villi] Villum est deminutivum a vino et hic ponitur pro crapula. v. Heins. ad Petron. c. 69. pag. 448. R. D.

1 *Parata a nobis sunt, ita ut dixi, Sostrata, ubi vis*] In hac scena collatio est personarum mitis parentis ac sævi. *Parata a nobis sunt*] De verbis abeuntis vult ostendere poeta, quam orationem cum Sostrata habuerit ingressus Micio. Et vides (*vide* Mss.) quas ἐλλείψεις interposuerit. Primo, *parata a nobis sunt*: quæ, non dixit: sed, *ita ut dixi* dicendo, significat se dixisse omnia. Deinde *ubi vis*, fiant nuptiæ, vel quid tale, aut omisit: aut dicturus hoc ipsum, audit vehementius fores esse pulsatas: et, quod agebat, abjecit. D.

Parata a nobis sunt, ut dixi, Sostrata] Hæc scena controversiam tenet, (excidit *an* Z.) pacta et conventa rata sint. Qui adoptandum filium dedit, pactus est, ut ipsum curaret, quem in adoptionem dederat, suum tantummodo curans. Inventus alter filius apud eum, qui adoptaverat, cum meretrice redemta. Quæritur, an, qui adoptaverat reus sit? Hic per præsentem statum responsio efficitur, quia illi dixerat, *cur recipis meum?* Respondetur, *communia esse amicorum omnia*; alienum illum non esse, sed communem. Hujus igitur accusationis exordium damnationis sumtum, posteaquam comperit Demea, adolescentem in domo fratris esse. E.

Daceria probat rationem cod. regii, quo hic demum initium actus quinti statuitur. Nam vulgaris divisio videtur absurda propterea, quod ibi finis actus quarti constituitur, ubi Demea in scena remanet. Deinde pro *ut* Bentl. edidit *ita ut*. Z.

2 *Quisnam a me pepulit*] *A me*, mo-

Digitized by Google

D. Hei mihi, quid faciam? quid agam? quid clamem? aut quorar?
O cœlum, O terra, O maria Neptuni! M. Heus tibi,

do id est *meus*. *Tam grassiter*] Quia irati omnia concite faciunt, quum pulsandas fores essent exituro foras Demeæ, sic eas pulsavit, ut et his ipsis irasci videretur. D.

Pepulit fores] Ex ea ratione, quam ad Andr. IV. 1. 58. explicuimus, ingressurus domum dicebatur *domum pellere* vel pultare, cum autem quis exire vellet, tum *crepare*, *concrepare*: sed notandus hic locus, ubi etiam egressus dicitur *fores* pellere. E. D.

3 *Hei mihi! quid faciam? quid agam? quid clamem, ante quorar? O cœlum! O terra! O maria Neptuni!*] Multum laboravit Terentius, ut *δυαλογίαν* servaret in dolore Demeæ: quo major debet in Ctesiphone reprehensio esse, quam in delictis Æschini. Et nota, quod ubi non invenit quod dignum loqueretur, ab interjectione cœpit, *hei mihi!* Et adhuc quum pro rei magnitudine oratio parva esset, *quid faciam?* inquit. In alieno indignatus est: in suo *quid faciam?* inquit. In alieno litigavit: hic ait, *quid agam?* In alieno clamavit et questus est: hic in suo relinquitur. Et præter *διανόησιν*, in Æschini peccato Micionem accusavit: in Ctesiphontis, elementa cum Diis omnibus ac toto mundo. Mira *αὔξησις*, et quam imitatur Virgilius, Ge. IV. 504. in Orpheo, post amissam rursus Eurydicen, *quid faceret?* inquit. omnia enim consumserat primus dolor. *Quo se rapta bis conjuge ferret?* nam quid, præter omnes terras atque inferos, loci remanebat? *Quo fletu manes*: per quem fletum manes, quasi omnes primis luctibus impleverat lacrymis. *Quæ numina voce moverat?* cui nec ira quidem inexperta remanserat. Et vide hic gradus doloris et iracundiæ, in tantum autem (*ουσία*) ut jam crescere non possint. quippe in initio fabulæ tantum tristis est Demea. Nam sic audit a Micione, *quid tristis es?* et ipse, *rogas me? ubi nobis Æschinus est? quid tristis ego sim?* Inde meus procedit in pejus: adeo ut sic incipiat, *disperii! Ctesiphontem audivi filium meum fuisse in raptione cum Æschino.* Inde postea dicit, *Næ ego homo sum infelix!* Ad postremum, *hei mihi! quid faciam? quid agam?* Et naturali quodammodo, postquam summus furor ad extrema pervenit, repente senex mutatur, et mitis est. D.

Hei mihi! quid faciam? quid agam? quid clamem?] Defensionis illud exordium est. E.

4 *O cœlum! O terra! O maria Neptuni*] Neptunus, quia medius sit inter cœlum et inferos, dum utriusque regni particeps habetur, elementorum omnium potior (*potitor*). Nam ideo tridentem habet, pro numero trium elementorum: ut apud Virgilium idcirco dicit. Æn. I. 133. *Jam cœlum terramque meo sine numine, venti, Miscere.* Et apud Homerum sic idem, Od. *ε*, 291. *Ὡς εἰπὼν, σύναγεν νεφέλας, ἐτάραξε δὲ πόντον, Χερσὶ τρίαιναν ἑλὼν πάσας δ' ἐξέσσυτο βίλλας Παντοίων ἀνέμων· σὺν δὲ νέφεσιν κάλυψε Γαῖαν ἰδὲ πόντον.* Et hoc est quod ait Horatius in Arte poetica, 93. *Interdum tamen et vocem comœdia tollit.* In hac enim tria rerum natura dividitur. Ut Virg. Æn. I. 62. *Principio maria, ac terras, cœlumque profundum.* Et per hoc totum mundum accusavit. *O cœlum! O terra! O maria Neptuni!*] Utrum Deos elementa vocavit, quod Diis quoque irascitur, qui in iis commorantur, ut dolentes solent? An quia Deos esse non putat, ideo hæc omnia Neptuni dicit: quasi dicturus esset, *Neptunia sint*, nisi intercederet persona Micionis: quem videns, ad aliud conversus, desiit diluvium et interitum rebus optare, objecto fratre, cui maxime irascitur, et propter quem detestabatur omnia. Tale est apud Virgilium, Ecl. VIII. 58. *Omnia vel medium fiamus mare.* An omnia accusat, ut indigna-

Digitized by Google

Rescivit omnem rem: id nunc clamat scilicet:
Paratæ lites: succurrendum'st. D. Eccum adest
Communis corruptela nostrum liberum.
M. Tandem reprime iracundiam, atque ad te redi.
D. Repressi, redii: mitto maledicta omnia:
Rem ipsam putemus. dictum inter nos hoc fuit,
Ex te adeo est ortum, ne tu curares meum,
Neve ego tuum? responde. M. Factum'st, non nego.

tes solent? Ut, Æn. II. 745. *Quem non incusavi amens hominumque, deorumque?* Et ut, Ecl. V. 23. *Atque deos atque astra vocat crudelia mater. Hem tibi!*] Τῷ ἰδιοτρόπῳ tibi. Nulli enim Micio loquitur. D.

O maria Neptuni] Sic *maria oceani* dixit Flor. IV. 12. p. 893. ubi v. Duker. Sæpe autem cœlum, mare et terram invocabant. Ovid. Trist. II. 53. addite Quinctil. declam. 6. p. 132. R. D.

5 *Id nunc clamat*] *Id*, ob id. D.

Etsi Bemb. Victor. et Servius ad Æn. II. 424. habent *ilicet*: tamen *scilicet* retinendum esse censemus. Nam nostrorum codd. consensu comprobatur, Terentii usui convenit, v. c. And. 1. 2. 14. *Id populus curat, scilicet*; et sententiam adjuvat. *Ilicet* enim cum sit desperantis, repugnat sequenti *Succurrendum est*. B.

6 *Scilicet. paratæ lites*] Videtur et ipse partimuisse, dicendo *scilicet*, et *paratæ lites*. Sed ut rursus confirmet seipsum, quia *succurrendum est*, ait. *Succurrendum est*] Ctesiphoni scilicet. D.

7 *Communis corruptela nostrum*] Qui communiter ambos corruperit. *Communis corruptela nostrum liberum*] Major accusatio est ita, quam prior: quippe quam jam modo de ambobus accusetur Micio, non de uno. D.

8 *Tandem reprime iracundiam*] Mire. Quia reprehendere nequit irascentem, nimietatem reprehendit irati. Et *ira*, de causa est: *iracundia*, de moribus. *Atque ad te redi*] Quia ira, ab eo quod est *ire*, dicitur, quod a se est, qui irascitur et furit. Et, *Ad te redi*, proprie dixit. Virg. Ge. IV. 443. *Verum, ubi nulla fugam reperit fallacia, victus In sese redit*. Et Cicero in Cæcil. 17. *Redit ad se, atque ad mores suos*. D.

Tandem reprime iracundiam, atque ad rem redi] Propositio est criminis. B.

9 *Repressi, redii*] Nec quid dicatur, sed quo gestu dicatur, specta: et videbis neque adhuc repressisse iracundiam, neque ad se rediisse Demeam. sed quam mire est atque perspicua moralitas, in hujusmodi rebus apparet. D.

10 *Rem ipsam putemus*] Videtur paulo citius destomachatus, quam res etiam incertæ poscebant. Sed et hoc morale: nam juste irati, omissa sævitia, ad ratiocinationes sæpe festinant. Et præterea illud accedit, quod non invenit jam, quod condigne dicat: simul etiam quia increpitus est a fratre, quod apud se jam non sit per iracundiam vehementem. *Rem ipsam putemus*] Tractemus, purgemus. Nam et hinc *putamina*, purgamenta dicta sunt: ut Plautus in Capt. III. 4. 122. ait, *Nucleum amisi, retinui pignori putamina*. Et Virg. Æn. VI. 332. *Multa putans*, inquit. *Putare* proprie, est falsa et cassa a veris et utilibus resecare. unde arborum purgatores, *putatores* dicuntur. Et *rem*, causam ipsam litis ostendit: ut, *Mitte ista, atque ad rem redi*. D.

Dictum hoc inter nos fuit; ex te adeo est ortum, ne tu curares meum, neve ego tuum? responde] Hæc propositio est legis. Crimen sic proponitur: *Cur nunc apud te potat? cur recipis meum? cur emis amicam, Micio?* Conclusio: *Quando ego tuum non curo, ne cura meum*. R.

11 *Ne tu curares meum*] Nam ambos curare, propemodum reposcere illum est, quem dedisti. D.

12 *Factum est*] Apparet Micionem

Digitized by Google

D. Cur nunc apud te potat? cur recipis meum?
Cur emis amicam, Micio? nam qui minus
Mihi idem jus æquum'st esse, quod mecum'st tibi?
Quando ego tuum non curo, ne cura meum.
M. Non æquum dicis. D. Non? M. Nam vetus verbum hoc quidem'st,
Communia esse amicorum inter se omnia.
D. Facete: nunc demum istæc nata oratio est.
M. Ausculta paucis, nisi molestum est, Demea:
Principio, si id te mordet, sumtum filii

inyitum quidem fateri, sed facete contemnere objecta. D.

13 *Cur recipis meum*] *Recipere* vel receptare plerumque in malam partem dicitur de his qui fures vel alios scelerātos in domum suam recipiunt et occultant in Hec. V. 1. 16. Hinc receptatores vel receptatores apud ICtos v. Brisson. de verbor. significat. R. D.

14 *Cur emis amicam, Micio?*] Inclamatio ista nominis magnam invidiam significat: ut, *regnumne, Æschine, hic possides?* Et, Æn. XI. 362. *Pacem te poscimus omnes, Turne. Num qui minus mihi idem jus æquum est esse*] Aut *num*, aut *qui* abundat. et est ordo, qui minus æquum est esse idem jus mihi, &c. *Qui* ergo, quare vel cur significat. D.

15 Lindenbrog. cum Faerno consentit. Variant codd; sed legendum arbitror, *Num qui minus mihi jus idem sit tecum, quod mecumst tibi?* Nam tecum poscit ipsa antithesis. Atque cetera conveniant Plaute Amph. Prol. 76. *Qui minus eadem histrioni sit lex, quæ summo viro?* B.

17 *Non*] Confidenter *non* repetivit, non habens rationem quam subjiceret: nisi illi proverbium venisset in mentem. Nam quia se videt in malam causam incidisse, totum vernaliter et facete agit; et subjicit æquitatem, ubi juste se tueri non potest. Quod tamen a Demea statim convincitur, dicendo, *Nunc demum istæc oratio nata*. ut ostendat illum perturbatum contraria postalisse dictis suis superioribus. D.

Non æquum dicis] Licet definitivus colligitur status, argumentum qualitatis est, causam non esse, juxta hoc, quæ in pacto collocata sunt, propterea quia *amicorum sunt omnia communia*. E.

Donatus et cod. bonus G. Fabricii totum hoc tribuunt Micioni. Sed nostri omnes interponunt Demeæ. Utrumque ita se commendat, ut nescias utrum præferas. B.

18 *Communia esse amicorum inter se omnia*] Inter Pythagoreos ortum dicitur. D.

Communia esse amicorum] Maluhus de Pythagora: τοὺς δὲ φίλους ἰσοψύχους, κοινὰ μὲν τὰ τῶν φίλων εἶναι πρῶτος ἀπεφήνατο; Hieronym. advers. Rufin. *Pythagorica et illa præcepta sunt, Amicorum omnia sunt communia*; Seneca de Benef. VII. 4. *Me scito et de amicis interrogare; omnia divitis illis esse communia; ergo nemo quicquam amico donare potest.* L.

Menander apud Suidam: Τὰ τῶν φίλων κοινὰ, οὐ μόνον τὰ χρήματα, καὶ τοῦ τε καὶ φρονήματος κοινωνία. W.

19 *Facete nunc demum istæc nata oratio est*] Alii totum jungunt: alii separant. Et bene *nata est*: nam sic dicimus de rebus repentinis: ut supra, *Ejus nata melius fieri haud potuit, quam factum est, hæc.* D.

20 *Ausculta paucis, nisi molestum est, Demea*] In duas partes dividitur tota persuasio; nihil passurum Demeam damni, nihil (*nihil filio*) corruptelæ. D.

21 *Principio, si id te mordet, sumtum filii quem fecimus*] Figurativa locutio

Digitized by Google

Quem faciunt, quæso facito hæc tecum cogites:
Tu illos duos olim pro re tollebas tua,
Quod satis putabas tua bona ambobus fore;
Et me tum uxorem credidisti scilicet
Ducturum: eandem illam rationem antiquam obtine:
Conserva, quære, parce: fac quamplurimum
Illis relinquas: gloriam tu istam obtine.
Mea, quæ præter spem evenere, utantur sine:
De summa nihil decedet: quod hinc accesserit,
Id de lucro putato esse omne. hæc si voles
In animo vere cogitare, Demea,
Et mihi, et tibi, et illis demseris molestiam.
D. Mitto rem: consuetudinem ipsorum. M. Mane;

est: ut, *Eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit!* D.

Principio, si id te mordet, sumtum filii quem faciunt] Jam hic non ex pactione quæstio est, sed ex eo, quod corruptis nunc moribus vivit, quod bona consumit. Cui rei affertur defensio, quod de suo sumtus faciat. Quamquam hic intenditur illa quæstio, semper in corruptis filiis consuetudo illa est, quæ amatur (*forte animetur*, aut, *cavetur*. Z.) Etenim proposuit nutritorum consuetudinem ipsorum. Hoc purgatur ita, quod ætate ista faciunt, et facile possit corrigere, cum ad maturitatem ætatis accesserit (*accessum sit*. aut *accesserint* Z.) E.

Id te mordet] Sic Græci quoque, τοῦτ᾽ ἐμὲ δάκνει. L.

22 *Quæso*] Modo objurgatorium est *quæso*. D.

Nostri, *facito hæc;* sed Bembinus *hæc facito*. B.

23 *Pro re tollebas tua*] Pro patrimonii tui qualitate. D.

Bembinus habet *duo* et *tolerabas*, h. e. sustentabas, alebas. Sed nostri codd. et vett. Grammatici exhibent omnes *tollebas*. Nam quod Faernus arbitratur, *tollebas* de adultis jam filiis non proprie dici: id quidem verum est, sed nihil ad rem. *Olim* enim ait. Igitur non de adultis agitur, sed infantibus. B.

Pro re tua] I. e. pro modo facultatum tuarum. R. D.

Tolerabas] I. e. sustentabas Liv. XXVI. 40. Vellei. Paterc. II. 19. Semper hoc verbum significat difficultatem aliquam alendi. v. Cort. ad Sallust. Catil. c. 37. R. D.

25 *Et me tum uxorem credidisti scilicet ducturum*] Ἐπαγωγή. D.

27 *Conserva, quære, parce, fac quamplurimum illis relinquas*] Hoc sic pronunciandum, ut appareat hanc ipsam voluptatem displicere Micioni. *Conserva* parta. *Quære* nova. *Parce* Omnibus. D.

28 Omnes nostri cum edd. vett. *gloriam tu istanc tibi obtine*. Repone autem, *illis relinquas, gloriamque istanc tibi*. Nam *obtine* putidum esset si hic repeteretur. B.

29 *Utantur sine*] Aut deest *his*, ut sit, *his utantur:* aut *mea utantur*, antique locutus est. D.

30 *De summa nihil decedet*] Rei tuæ scilicet. D.

31 *De lucro*] De lucro esse dicitur quod præter spem evenit, in Phorm. II. 1. 16. *quicquid præter spem eveniat id deputare esse in lucro*. Cic. ad Div. IX. 17. Liv. XL. 8. R. D.

33 *Demseris*] Pro *demes*. D.

34 *Mitto rem*] Pecuniam. Et hæc exclamatio est moralis adversum nimis tardos, ac non intelligentes homines. *Consuetudinem istorum*] *Loquor*, aut

Digitized by Google

Scio: istuc ibam. multa in homine, Demea,
Signa insunt, ex quibus conjectura facile fit,
Duo quum idem faciunt, sæpe ut possis dicere,
Hoc licet impune facere huic, illi non licet:
Non quod dissimilis res sit, sed quod is qui facit.
Quæ ego illis inesse video, ut confidam fore,

quid tale, subaudiendum. *Mitto rem: consuetudinem ipsorum*] Vel ab utilitate ad honestatem transit: vel a rebus ad illos ipsos, de quibus agitur. Cavetur enim, ne aut rem perdant, aut ipsi pereant. D.

Mitto rem, &c.] I. e. omitto de re nostra quam filii prodigunt veri, sed de prava illorum vita et moribus queror. R. D.

35 *Mane; scio: istuc ibam*] Moralis et faceta correptio, continens in se latenter blandimentum, quo deliniatur auditor (*alter.* aut, *Demea frater*). *Multa in homine, Demea, signa insunt*] Obscurissimus sensus et re et verbis. D.

Multa in homine, Demea, signa insunt, ex quibus conjectura facile fit] Quod facile adolescentes corrigi possunt, dixit inesse in eorum moribus indicia melioris disciplinæ; et probat ex consuetudine, quod sit exercet correctionem: duo unam rem faciunt. Quod ille (*Duo quum unam rem faciunt: ille* Z.) qui adolescentulus est, impune facit, ille cum grandior natu, crimen admittit. Hoc enim dixit, *Non quod dissimilis res sit, sed quod hic, qui facit*] Orabat de moribus, quod facile corrigi possint quæ faciunt. Jam in loco verentur, jam intelligunt, quod jam liberum arbitrium habeant, quod facile reduci possint ad integram disciplinam. Huic incidit alia quæstio: Hodie quia in luxuria vivunt, quemadmodum correcti licet perditis (*quemadmodum corrupti scilicet et præditi* Z.) malis moribus res suas diligenter administrabunt? Pergavit istud similiter consuetudine a proprio more senectutis, quod hæc ætas magis hoc vitium habeat, quod diligentiores faciat homines, ut res suas curent. Ergo etiam hoc (*ad hoc* Z.) *illos ætas acuet.* E.

36 Metri venustas postulat, ut legatur, *signa insunt, quibus ex*, &c. B.

37 *Duo quum idem faciunt*] Obscure locutus est, quum hic sit sensus: Duo idem faciunt, quorum uni licet facere, alteri non licet. *Duo quum idem faciunt*] Nam ambo et sapiunt, et intelligunt, et loco verentur. non ingenii vitium, sed ætatis est. *Sæpe, ut possis dicere*] Melius est *sæpe* ad superiora conjungere: nam possunt duo idem facere et casu, non ut similitudinem (*non ut simili studio idem*) facere videantur. tunc ergo erit signum, *sæpe idem faciunt. Dicere* autem posuit, pro intelligere et scire. ab eo quod præcedit, id quod sequitur. ut, *Fœneratum istuc beneficium pulchre tibi dices.* et; *Memorem me dices esse et gratum.* D.

38 *Hoc licet impune*] Augustin. Epist. 5. *Quod enim in diversitate personarum uno tempore accidere potest, ut huic liceat aliquid impune facere, quod illi non liceat, non quod dissimilis sit res, sed is qui facit: ita ab una eademque persona diversis temporibus tunc oportet aliquid fieri, tunc non oportet, non quod sui dissimilis sit qui facit, sed quando facit.* L.

39 *Non quod dissimilis res sit*] An quia huic licet? D.

Recte Bemb. pro *quod* utrobique habet *quo*. B.

Non quo sed quod] *Non quo* dicitur pro *non qui* sequente etiam in altero orationis membro *quod*. Cic. ad Div. VI. 4. R. D.

40 *Quæ ego esse in illis video*] Ordo et sensus hic est, multa in homine, Demea, signa insunt, ex quibus conjectura facile fit: quæ ego illis inesse video, ut confidam fore ita ut volumus. D.

Codd. omnes nostri, *quæ ego in illis*

Digitized by Google

Ita ut volumus: video sapere, intelligere, in loco
Vereri, inter se amare: scire est liberum
Ingenium atque animum: quo vis illos tu die
Reducas. at enim metuas, ne ab re sint tamen
Omissiores paulo. O noster Demea,
Ad omnia alia ætate sapimus rectius:
Solum unum hoc vitium senectus affert hominibus,
Attentiores sumus ad rem omnes, quam sat est:
Quod illos sat ætas acuet. D. Ne nimium modo

esse video. Recte. Eun. III. 1. 2. *Qui sal habet, quod in te est.* B.

41 *Intelligere, in loco vereri*] Non, *in loco intelligere:* sed, *in loco vereri.* D.

In omnibus fere nostris est, *video eos sapere:* et apprime huc convenit. B.

42 *Inter se amare*] Cito (*scite* Z.) dixit *inter se:* quod est, quum alter alterum invicem amat. D.

Scire est liberum Ing. a. a.] H. e. Scire licet eorum ingenium atque animum liberalem esse et nobilem. Juvenalis: tu *tibi liber homo, et regis convivia videris.* Faern.

44 *At enim metuas*] Ἀντίθεσις ad priorum tractatum pertinens, qui est habitus de consuetudine rei familiaris. *Ne ab re sint tamen omissiores paulo*] Quia amant, potant, olent unguenta. *At enim metuas, ne ab re sint tamen omissiores paulo*] Oratorie *paulo:* nam non *paulo* omissiores fore Demea, sed *plurimum* fore credit et metuit. Et *ab re*, a patrimonio. D.

Ab re omissiores] I. e. negligentiores in re familiari curanda. in Heaut. V. 2. 9. His mox opponuntur *attentiores ad rem.* R. D.

45 *Omissiores*] Ἀνειμένοι, ἀνετώτεροι, negligentiores. Sic in Heautontim. *Ubi te vidi animo esse omisso. O noster Demea*] Blanda et cum quodam complexu ejus, qui reprehenditur, incusatio, et de more sublata. Et sic hoc dixit, tanquam dicturus esset, multa te latent, simplex homo es. Nam hujusmodi sententia latenter quantam dicentis auctoritatem fidemque designat. D.

46 *Ad alia omnia ætate sapimus rectius*] Præterquam ad svaritiam. Et per hoc, quod optas liberis, vitium senectutis est. D.

Menander apud Stobæum: Εἰ τ' ἄλλ' ἀφαιρεῖν ὁ πολὺς αἰῶν χρόνος Ἡμῶν, τό γε φρονεῖν ἀσφαλέστερον ποιεῖ. W.

47 *Solum unum hoc vitium*] Cicero de Senect. 18. *Avaritia senilis quid sibi velit, non intelligo. Potest enim quicquam esse absurdius, quam quo minus viæ restat, eo plus viatici quærere?* Horat. in arte 169. *Multa senem circumveniunt incommoda: vel quod Quærit, et inventis miser abstinet, et timet uti: Vel quod res omnes timide gelideque ministrat. Hominibus*] V. C. *omnibus.* L.

Nostri omnes confirmant Lindenbrogii lectionem. *Senectus* est disyllabon, quasi *snectus*, ut *senex*, sæpe *snex.* B.

48 *Attentiores sumus ad rem omnes*] Proprie *attentiores* reddit *omissioribus.* supra enim dixerat, *Ne ab re tamen sint omissiores paulo. Quam sat est*] Quasi dicat, attentos nos esse non statim (*attentos nos esse nimium*, Ms. B. cum edd. ante Steph.) crimen est. D.

Attentiores ad rem] Hæc plena est locutio. Cicero absolute *attentum* dicit pro *parco* et *diligenti* v. Manut. ad Cic. ad Div. IX. 16. et Græv. ad eund. pro Roscio Amer. c. 15. R. D.

Quam sat est] I. e. quam opus est in Phorm. V. 3. 14. Liv. XXXVI. 10. R. D.

49 *Quod illos sat ætas acuet*] Μεταφορικῶς *acuet. Næ nimium modo bonæ tuæ istæ nos rationes, Micio, et tuus iste ani-*

Digitized by Google

Bonæ tuæ istæ nos rationes, Micio,
Et tuus iste animus æquus subvortat. M. Tace;
Non fiet. mitte jam istæc: da te hodie mihi:
Exporge frontem. D. Scilicet, ita tempus fert,
Faciundum'st: cæterum rus cras cum filio
Cum primo lucu ibo hinc. M. Immo de nocte censeo:

mus æquus subvortit] *Næ* valde. *Subvortit* infra legendum est. Si *ne*, pro non, conjunctio est. et *subvortat* legendum est, ita ut subaudiamus *Timeo*, vel aliquid tale. Et *tuæ* et *istæ* quod ait, significationem habent nullius modi rationem et ineptum (*rationum, et ineptarum*). Nam apparet non eas probari ab eo, qui sic loquitur. ut supra, *Jam vero omitte, Demea, tuam istanc iracundiam.* D.

Acuet] I. e. prudentes facit. Nep. in Dione c. 8. R. D.

51 *Tace, nan fiet*] *Tace* nunc pro ὐφημισμῷ positum est: quasi diceret, non subvertet. ne dixeris: quod mali ominis verbum est. D.

Animus æquus subvortit] V. C. *subvortant.* al. *evertant.* L.

Nostri omnes *subvortant.* Utrumvis probe. B.

Animus æquus] *Animus æquus* dicitur, qui, quicquid accidit, in bonam partam accipit. Flor. III. 21. *æquiore animo utcunque ferrem.* R. D.

52 *Da te hodie mihi*] Accommoda te ipsum voluntati meæ. Nam in (alii, *ad*) animum transtulit quod est corporis, ut in Eunucho: *mihi sese dare, sermonem quærere.* Cicero, Verr. III. 19. *Cerviculam jactare, et populo se accommodare. Da te hodie mihi*] Si non vis, inquit, propter te: vel propter me mitis esto. D.

53 *Exporge frontem*] Quia *contrahi* in verbo (*contrahi a severo.* aut, *contrahi contrario verbo* dicitur.) Et verbo isto ostenditur, quanto conatu opus sit ad explicandam tantam contractionem senectutis et severitatis. *Scilicet, ita tempus fert, faciundum est*] Vide si non hoc sit, quod Græci *ΜΙΡCΟΚΑλημερον (Μισκαλήμερον, i. e. odiosum, severum) dicunt: nam sic *et ita tempus fert*, et *faciundum* dicendo, ostendit se magis cogi necessitatibus, ut paulo sit tranquillior; et cum tanta difficultate promittit, tanquam mala subiturus sit. Atque adeo majorem partem secum disputat, necessario hoc velit nolit faciendum esse, ut sit lætior: et hoc quia *tempus fert: Faciundum est*] Satis mire: tanquam necessitate cogatur ad gaudendum agrestis senex * ξΜΙCΟΚΑλΗΜΕΡΟC (Μισκαλήμερος). D.

Exporge frontem] In rugas enim contrahitur frons per iracundiam; cum lætitia fuerit, porrigitur et extenditur. E.

Exporge frontem] I. e. ostende te hilarem. Plaut in Cas. II. 4. 3. idem valet *frontem explicare, solvere, relaxare*, contrarium *frontem contrahere, corrugare, ducere, adducere, adstringere* v. Lambin. ad Horat. Epist. I. 18. 94. et quæ annotavimus ad Rutil. Lup. I. 69. R. D.

54 *Cæterum rus cum filio cum primo lucu ibo hinc*] Hoc ideo facit, quasi gaudere interim non possit, nisi se vicinæ sævitiæ proximitate soletur. D.

55 *Cum primo lucu*] Ἀνευώνυσις (Ἀρχαϊσμὸς.) *Cum primo lucu*] Veteres dicebant *lucum*, pro *luce*, pro sole ponentes. Ergo *cum primo lucu*, quum primum sol cœperit illucescere. *Cum primo lucu*] Veteres masculino genere dicebant *lucem* (*Lucus.* Guido Juvenalis). *Ibo hinc*] Tanquam de malo loco. *De nocte*] Abundat *de.* D.

De nocte censeo] Tantummodo hoc age, ut nocte dones, dummodo hodie præbeas hilaritatem. E.

Nostri codd. universi sic, *cum prima luce ibo*, &c. At versus ita est justo longior. Faerans delendum *immo* censet; contra sententiam. Potius ejice

Hodie modo hilarum fac te. D. Et istam psaltriam
Una illuc mecum hinc abstraham. M. Pugnaveris.
Eo pacto prorsum illic alligaris filium.
Modo facito, ut illam serves. D. Ego istuc videro:
Atque illi favillæ plena, fumi, ac pollinis,
Coquendo sit faxo et molendo: præter hæc

ibo hinc, quod Donatus non legisse videtur. Cæterum leg. *Cum primo luci*. Nam *luci*, quod est adverbium, ut *mani*, extat in cod. Fabricii, et sic laudat Charisius ex Sisenna. B.

Primo luci] Adverbialiter ponitur more antiquo ut *mani* pro *mane*. Plaut. in Cistell. II. 1. 49. *cum primo luci cras*, &c. v. Perizon. ad Sanctii Min. I. 9. p. 64. et Bentl. ad h. l. His autem temporum nominibus sæpe additur præpositio *cum*. Hirtius de B. Afric. c. 62. *cum primo mane* Sallust. in Jug. c. 68. *cum occasu solis*. R. D.

De nocte] H. e. statim a media nocte vel multum adhuc nocti. Cic pro Murena c. 33. Horat. Epist. I. 2. 32. Sic *de die* est statim a meridie, multa adhuc die Liv. XXV. 23. ubi v. Drakenb. infra V. 9. 8. v. Bentl. ad Horat. Epist. I. 18. 91. et Ernest. in Clave Ciceron. voce *de*. R. D.

56 *Fac te*] Eodem verbo utitur, quo jamdudum: ut laborem ad lætitiam se convertentis ostendat: id est, elabora ut sis hilaris (*Fac te. non dixit esto; sed elabora, ut esse possis hilaris*. Uterque lib.) *Et istam psaltriam una illuc mecum hinc abstraham*] Vide singulas syllabas, imbutas amaritudine rustica atque agresti. Nam *istam* odium significat. *Psaltriam*: sævitia in nomine est, quam deliciosam oportet. et, *una mecum*: quam cum adolescentibus esse convenerat. et *illuc*: ad quem locum psaltriam secum ire compellit. Deinde ne vel in itinere pœna cesset, *cum filio ibo hinc*, inquit, *illam vero abstraham*. Nam *illuc* eo animo dixit, quo supra, *ibo hinc*. Et apparet illam quasi mancipium ducturum puellam non ut fidicinam. D.

Lege ex tribus nostris, *hilarum te face*. B.

57 *Mecum hinc abstraham*] Non abducam: sed quod est sævientis, abstraham. *Pugnaveris*] Magnam rem feceris. Sic Lucilius, *vicimus, O socii et magnam pugnavimus pugnam*. D.

Pugnaveris] I. e. magnam rem feceris, ut bene explicat Donatus. in Eun. V. 2. 60. R. D.

58 *Ego pacto prorsum illic alligaris filium*] Hæc cum risu dicit Micio. Et *ligare*, est injicere alieni vincula. Quis vero dicitur *alligari* ad aliquid, sine quo esse non possit? Ergo proprie ad amicam alligari adolescentem dixit amatorem. *Prorsum* autem, certe, recte, ac vere significat. D.

Lege cum codd. et Donato *illi* pro *illic*, adverbialiter, i. e. *rure*. B.

Illi alligaris filium] I. e. feceris, ut illic semper maneat filius. Propert. I. 5. 12. ubi v. Broukhus. *illi* antique pro *illic* nempe rure. R. D.

59 *Ut illam serves*] Acuendum *illam*: hoc est, non jam filium, sed *illam* serva, in qua utrumque retinueris. *Ego istuc videro*] Hoc est, *ut illam servem*. D.

60 *Atque ibi favillæ plena, fumi, ac pollinis coquendo sit faxo, et molendo*] Atqui *molere* prius est, quam *coquere*: sed illud prius posuit, quo pulchritudo magis fœdatur. an quia prius torreatur triticum, ut tundi possit? Ut Virg. Æn. I. 179. *Et torrere parant flammis, et frangere saxo*. D.

Favillæ plena, fumi] Homer. Od. ʹσ, 27, γραῒ καμινοῖ ἴσος. et ex eo Nicetas Choniat. καὶ γραῒ καμινοῖ ἴσοι ἐκ τοῦ κατησβολῶσθαι πυρί. L.

Appone *atque* priori versui, sic ut priori detur *at*, et *que* posteriori. R.

61 *Coquendo sit faxo, et molendo*] Ne ametur scilicet. *Coquendo sit faxo, et molendo: præter hæc*] Ἀπόλοσις octava. D.

Digitized by Google

Meridie ipso faciam ut stipulam colligat:
Tam excoctam reddam atque atram, quam carbo'st.
M. Placet.
Nunc mihi videre sapere. atque equidem filium,
Tum etiam si nolit, cogam ut cum illa una cubet.
D. Derides? fortunatus, qui istoc animo sies:
Ego sentio. M. Ah! pergisne? D. Jamjam desino.
M. I ergo intro: et cui rei opus est, ei hilarem hunc sumanus diem.

ACT. V. SCENA IV.

DEMEA.

NUNQUAM ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit,

62 *Meridie ipso*] Quum sol vehementior est. Et nomen fecit de adverbio. *Meridiem* dixerunt veteres, quasi *medidiem*, R pro D posito, propter cognationem harum inter se litterarum. *Ut stipulum colligat*] Quod sub sole fieri necesse est. D.

63 *Tam excoctam reddam, atque atram*] Ἰδιωτικῶς dixit *reddam*, pro *faciam*. Et *excoctam*, ad tenuitatem siccati coloris (*siccantis caloris*, Hadr. Jun. Forte, *siccatæ cuticulæ*): *atram*, ad colorem retulit. Et vide quam aspera, quamque ingrata clausula sit, qua sævidici senis finitur oratio. D.

Pro *placet* malim *places*; ut sæpe alibi hæc permutantur. B.

64 *Placet, nunc mihi videre sapere*] Non contradicit: timet enim suasor, ne lætitiam rursus provocet ad jurgium. *Atque equidem filium*] Non solum suadet lætitiam, sed etiam ridere cogit invitam. D.

65 *Una cubet*] V. C. *cum illa tunc cubet*. L.

Pro *cogas*, cum præcesserit *equidem*, recte meliores libri habent *cogam*, h. e. cogerem si ego essem tu. B.

66 *Derides? fortunatus, qui istoc animo sies*] Hoc verbum vultu Demeæ sic profertur, ut subrisisse videatur invitus. Sed rursu *ego sentios* amare severeque dixit. Et *ridet*, qui simpliciter ridet: *deridet*, *qui* cum alterius irrisione et contemtu ridet. *Fortunatus qui istoc animo sies*] Non laudantis est quod ait, *fortunatus*: sed moraliter reprehendentis, ut si dicas, quum te aliquid cura offenderit, fortunatos stultos (adde, *imitaris* Z.) qui nihil sentiunt. At (AT EGO) hoc quoque dixit in Eunucho, *at ego infelix neque ridiculus esse, neque plagas pati possum*. D.

Versus probat Bembini *isto*, pro *istoc*. B.

67 *Jamjam desino*] Et hic velut necessitatem queritur imponi sibi (*silendi*. Z.) D.

68 *Et cui rei opus est*] Cui rei credis, nisi nuptiis? hoc est, ludo atque lætitiæ, voto et gaudio nuptiali. *Hunc sumamus diem*] Non accipiamus, sed impendamus, et consumamus. Unde et *sumtum* dicimus pecuniam, quæ insumenda est. D.

Melior lectio est in Vatio. Basilic. et Bembino, *I ergo intro, et cui rei est, ei rei hunc sumamus diem*. Nam ita efficitur Senarius et cæteri. In verbis *cui rei est*, subintellige *dies*: ut sit, cui rei dies hic dicatus est. FABRN.

1 *Nunquam ita quisquam bene sub-*

Digitized by Google

Quin res, ætas, usus semper aliquid apportet novi;
Aliquid moneat, ut illa, quæ te scire credas, nescias;
Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies:

ducta ratione] In hac scena exemplum inducitur hominum, qui virtutem tædio deserunt, ob contemtum ejus apud omnes, seculumque vitiosius (forte, *obtentu ejus, quod apud omnes severum esse vitiosum sit.*) Et adeo favet Terentius clementioribus ac mitissimis patribus, ut hunc quoque adducat ad sententiam Micionis, non tamen hoc sentientem, quod ita fieri oporteat: sed quod ita res cogat. Vult enim naturalem inesse veris patribus acrimoniam: sed eam semper invidiosam esse adolescentibus. *Bene subducta ratione*] Bene disposita, bene computata: *ducere*, enim est digitis computare. sed *ducere* (*seducere* Mss. H. et B. Forte, *adducere*) est apud alium et palam: *subducere*, apud se ipsum et secreto. quo magis in verbo isto majoris attentionis et diligentiæ signum est. D.

Nunquam ita quisquam tam bene subducta ratione ad vitam fuit] Demea cum animadvertisset mores suos castitate duros, integritate intolerandos laudem non mereri, consuetudinem mutat; hoc doctus de se facere propterea, quoniam hæc apud homines consuetudo est. Est ergo huic scenæ qualitas, an juste faciat, quod mutet consuetudinem? Sumtis autem consuetudinibus rationis (*consuetudinis illius rationibus* Z.), quod nemo hominum ita subducta ratione et collecta vixit, ut non aliquid aut sua re aut ætate muneretur, licet nunc sibi utendum (*mutaverit, colligit eadem nunc sibi esse utendum.* Z.) Siquidem in senectute, jam decurso spatio, dimittit vitam præteritam propterea, quia nihil melius clementia et facilitate esse cognovit. Quippe cum frater Micio vixerit vitam in conviviis, ab omnibus laudaretur (*laudetur, et* Z.) omnium famam justam honestatemque mereatur. Contra hic *sævus, tristis, agrestis, parcus, truculentus* et *tenax* esse dicatur, laborem susceperit, ut uxorem duceret, dotaverit liberos, laboraverit primum, ut patrimonium quæreret (adde *et* Z.), ætatem tereret. Efficitur quasi duplex vita et comparatio, ita ut laudetur una, vituperetur altera; et hoc non tantum ex vobis ex (*urbis, et* Z.) judicio populi. Est ergo quasi per Thesin ista propositio, quod mala altera sit. Utrum ex judicio populari mala sit illa, quæ ignoscitur et tabitur. Ut (*probatur; an* Z.) merito hic et juste consuetudinem vitæ voluerit mutare. E.

Pro *fuit* leges linguæ poscunt *fuat*, h. e. *esse possit*. Nam si *fuit* ab auctore esset, ob temporum consecutionem posuisset mox, *apportaret, moneret*. B.

Subducta ratione] *Ducere, deducere, subducere*, propria verba sunt de rationibus pecuniariis. Veteres enim rationes computabant calculis additis vel subductis v. Gronov. Obs. II. 10. *Subducit rationes* qui eas computat et cognoscit, quid sit expensum, quid acceptum, quid reliquum. Plaut. in Curcul. III. 1. 1. Cic. ad Attic. V. epist. ult. Hinc eleganti translatione rationes subducere dicitur, qui secum meditatur, quomodo recte vivendum sit. Cic. ad Div. I. 9. R. D.

2 *Quin res*] *Quin*, modo *cur non* significat. *Quin res, ætas, usus*] Tria posuit, ex quibus *res* pro experientia ponitur: et hac dicit se esse mutatum. Nam mox dicet, *re ipsa reperi, Facilitate nihil esse homini melius, neque clementia.* D.

3 *Aliquid moneat*] Σύλληψις est per casus. subauditur enim *quem*. D.

4 *Quæ tibi putaris prima*] Ante alia eligenda: quæ et primo loco ponenda, ac per hoc optima. D.

Recte Bemb. et alii Faerni libri præstantiores habent *ut* ante *repudies*. B.

Digitized by Google

Quod nunc mihi evenit. nam ego vitam duram, quam vixi usque adhuc,
Prope jam excurso spatio mitto. id quamobrem? re ipsa repperi,
Facilitate nihil esse homini melius neque clementia.
Id esse verum, ex me atque ex fratre cuivis facile'st noscere:
Ille suam semper egit vitam in otio, in conviviis:
Clemens, placidus, nulli lædere os, arridere omnibus:
Sibi vixit: sibi sumtum fecit: omnes benedicunt, amant.
Ego ille agrestis, sævos, tristis, parcus, truculentus, tenax,

5 *Vitam duram quam vixi*] Ἀρχαϊσμὸς. ut Lucilius, *magnum pugnavimus pugnam*. *Nam ego vitam duram, quam vixi usque adhuc*] Prius dixit quid faciat, quam cur faciat. D.

6 *Prope jam excurso spatio*] Id est, ad calcem, et prope ipsos decursus metasque vivendi. Et est μεταφορὰ sumta a cursoribus. *Excurso spatio*] Id est, in summa senectute. *Id quamobrem? re ipsa repperi*] Quia secum loquitur, ideo multa reticet, et deest, *faciam?* et, *siquis quærat: et, dicam.* D.

Etsi omnes codd. exhibent lectionem Lindenbr. Priscianus tamen quinquies laudat rectius *decurso spatio;* quia excurso nemo dixit, nec adeo dicere potuit, cum excurrere nusquam sit transitivum. Deinde ut versui consulas, ejice *jam*. B.

Decurso spatio] I. e. vita prope exacta. Ducta est translatio a stadio in quo cursores se exercebant, quod Latini *spatium* vocant. Plaut. in Mercat. III. 2. 4. Cic. pro Quint. c. 31. v. Lambin. ad Lucret. III. 1055. et Schulting. ad Sen. controv. I. 121. R. D.

7 *Facilitate*] Jam facilem se infert. Inter *facilitatem* et *clementiam* hoc interest: *facilis* enim, cujus ira cito solvitur: *clemens*, qui non irascitur. D.

9 *Ille suam semper egit vitam*] Hic jam quasi comparativa qualitas inducitur de utroque: et ut ille in initio fabulæ locutus est, sic in fine hic loquitur. D.

10 *Clemens, placidus, nulli lædere os*] Mira varietas et in locis, et in partibus orationis. Et *clemens* est, qui colit mentem suam, nec eam vexat irascendo. *Clemens, placidus*] *Clemens* est circa recte agentes: *placidus* etiam circa delinquentes. Et *clementis* est nulli lædere os: *placidi*, arridere omnibus. Et *clemens* animo, *placidus* vultu. *Nulli lædere os*] Id est, nullam præsentem lædere. Et vide quam grate a nominibus verba transeant (*a nominibus ad verba transeat*). *Nulli lædere os, arridere omnibus*] Voluptatis affectus est duplex: aut enim ex quieto voluptas est, aut ex aliquo acta. ergo hic utrumque complexus est. *Et nulli lædere os*] Adeo ut nulli se contristem faciat. et hæc est figura ἀναδρομὴ, quam recurrimus per ea quæ diximus: et ἐξηγητικῶς omnia repetita sunt. D.

Nulli lædere os] I. e. nemipem coram offendere. R. D.

11 *Sibi vixit*] H. e. secutus est vitam sibi commodissimam alienis negotiis se non immiscens. R. D.

Benedicunt] I. e. laudant, probant. Cic. pro Sextio c. 52. R. D.

12 *Ego ille agrestis*] Bene addit *ille*, quasi jam notus, hoc ipso quod ferus

Digitized by Google

Duxi uxorem: quam ibi miseriam vidi! nati filii,
Alia cura: porro autem, dum studeo illis ut quamplurimum
Facerem, contrivi in quærundo vitam atque ætatem meam.
Nunc exacta ætate hoc fructi pro labore ab his fero.
Odium: ille alter sine labore patria potitur commoda:
Illum amant; me fugitant: illi credunt consilia omnia:
Illum diligunt: apud illum sunt ambo; ego desertus sum.
Illum ut vivat, optant: meam autem mortem exspectant scilicet.
Ita eos meo labore eductos maxumo, hic fecit suos
Paulo sumtu: miseriam omnem ego capio; hic potitur gaudia.

atque agrestis. Et sævus factis: *tristis* animo: *truculentus* vultu. Et aliter dici potest, ut *tristis* sit, qui dolet: *truculentus* et *sævus*, qui terret. Et ideo *αὔξησις* mira per ista decurrit. D.

Agrestis, sævos] Afranius apud Nonium: *vixisti tristis, durus, difficilis, tenax*. Et quid *tristis* hoc loco, explicat Nonius in voce *tristis*. L.

13 *Duxi uxorem*] Pendet, *duxi uxorem*. sed *etiam* cum magno significatu addendum est: majore enim pondere subtrahitur conjunctio. Nam, *duxi etiam uxorem*, dicendum fuit. *Quam ibi miseriam vidi!*] *Ibi*, inquit, quasi uxor locus sit. et hoc sine conjunctione, ut mala quæ enumerat, multa videantur. D.

Menander apud Stobæum: Τὸ γυναῖκ' ἔχειν, εἶναί τε παίδων, Παρμένων, πατέρα, μερίμνας τῷ βίῳ πολλὰς φέρει. W.

14 *Alia cura*] Non altera. D.

Ut versus stet, cum Faerno pro *porro* vulgari amplectere Bembini et Victoriani *heia*, quod, auctore Donato in Hecyram, est particula corripientis. B.

Ut quam plurimum facerem] I. e. conficerem, corroderem Liv. I. 9. Sic frequentissimum est *rem facere*. R. D.

16 *Hoc fructi pro labore*] Charis. I. 1? Prisc. I. 6. L.

Pro *his*, quod est in nostris codd. lege *eis*, ut dactylus sit in ista sede, non Trochæus. B.

Exacta ætate] I. e. ad finem perducta Cic. Verr. V. 9. Sallust. in Jug. c. 6. ubi v. Cortium. R. D.

17 *Patria potitur commoda*] Accusativo casu extulit, quod nos ablativo dicimus. id est, *patrio potitur commodo*. Accius in Clytemnestra, *feras potiuntur plagas*. D.

Patria potitur commoda] Servius Æneid. III. 278. ad illud *insperata tandem tellure potiti*. L.

19 *Illum diligunt: apud illum sunt ambo: ego desertus sum*] Hic ostendit Terentius verum patrem et molestiorem et odiosum esse magis adolescentibus. D.

20 *Illum ut vivat, optant*] Σύλληψις. Nam sic veteres loquebantur. Nos vero dicimus *illi optant*. non *illum*. *Illum*] Micionem. D.

21 *Fecit suos*] I. e. sibi obstrinxit, conciliavit. Nepos in Alcib. c. 3. infra V. 6. 10. quod imitatur Ovid. Art. amat. II. 259. *fac plebem mihi crede tuam*. R. D.

Digitized by Google

Age, age, nunc experiamur contra, ecquid ego possiem
Blande dicere, aut benigne facere, quando hoc provocat.
Ego quoque a meis me amari, et magnipendi postulo.
Si id fit dando, atque obsequendo, non posterioris feram.
Deerit: id mea minime refert, qui sum natu maxumus.

ACT. V. SCENA V.

SYRUS. DEMEA.

HEJUS! Demea, rogat frater ne abeas longius.
D. Quis homo? O Syre noster, salve: quid fit? quid agitur?

23 *Nunc experiamur*] Magis comice pluraliter *experiamur* dixit, quam si diceret, *experiar*. D.

Lege et distingue, *âge nunc jam, experiámur porro cóntra*, &c. Nam *jam* et *porro* extat in Bembino. Sed ut versus stet, delendum est prius *age*. B.

24 *Quando hoc provocat*] Non addit quis: sed intelligimus, Micionem significari. D.

Hoc provocat] Vulgo *eo*: alii *huc*. Sed Bemb. antiquorum more *hoc* pro *huc*. *Provocat*] In certamen vocat: Plaut. Curc. II. 3. 76. *Provocat me in aleam, ut ego ludam*. B.

Blande dicere] I. e. humanior esse sermone et verbis in Hec. V. 4. 21. R. D.

Benigne facere] I. e. liberalis et munificus esse Rutil. Lup. II. p. 127. ubi v. quæ annotavimus. R. D.

25 *Magni pendi postulo*] Diligi et amari. E.

26 *Si id fit dando, atque obsequendo*] Bene naturam secutus est, qui artem ignorat, putans agi verbis omnia debere non dando et obsequendo. *Si id fit*] Id est, jam a liberis si magnipendor. *Non posteriores feram*] Subauditur *partes*. aut, *Non parvi faciam (fiam)*, id est, non vincar a Micione. Et translatio est a partibus histrionum in fabula. *Non posteriores feram*] Primus in his ero, inquit, in (*in eo ero, inquit*, i. e. in Mss.) dando atque obsequendo. D.

Non posteriores feram] Hoc est, non posterior habebor. E.

Non posteriores feram] Scilicet partes i. e. primus ero in dando atque obsequendo v. Donat. ad h. l. Unde locutio ducta sit, explicuimus ad Eun. I. 2. 71. R. D.

27 *Deerit? id mea minime refert*] Vide, remanere in Demea non penitus ejectam securitatem (*severitatem*. Z.) D.

Deerit? id mea minime referit] Facile patrimonium quæram, unde producam vitam. E.

Deerit] Supplendum *si*, quod sæpe omittitur. R. D.

1 *Heus! Demea, rogat frater, ne abeas longius*] Hic ostendit poeta, quam absurde blandus conetur esse, qui non soleat: et quam immodica sit repentina largitas, ubi animus a parcitate nimia in contrarium vitium profusionis excurrerit. *Heus! Demea, rogat frater, ne abeas longius*] Ut apparet, jam edormivit crapulam Syrus. et satis moraliter dixit *frater*: nec addidit *tuus*. *Frater*] Moraliter. Nam deest *tuus*. D.

2 *O Syre noster, salve: quid fit?*] Jam non hæc blanda, sed dura sunt.

Digitized by Google

S. Recte. D. optume'st. jam nunc hæc tria primum addidi
Præter naturam, O NOSTER, QUID FIT? QUID AGITUR?
Servum haud illiberalem præbes te; et tibi
Lubens bene faxim. S. Gratiam habeo. D. Atqui, Syre,
Hoc verum'st, et ipsa re experiere propedíem.

ACT. V. SCENA VI.

GETA. DEMEA.

HERA, ego huc ad hos proviso, quam mox virginem

Nam *salve* dixit ei, non solum quem sæpe viderit, sed cum quo toties litigaverit. *Quid fit? quid agitur?*] Interrogat et quum sciat, et quum damnet actus ejus.

3 *Recte*] Bene respondit *recte*: hæc enim interrogationes de salute atque incolumitate ejus sunt, qui interrogatur. *Hæc tria*] Deest *verba*. D.

Jam nunc hæc tria primum addidi præter naturam] Expressit meras, non voluntates. Sed expresse bonitatem, quando et quid dixerit, memorat, et de se quid dixerit, indicat, quid forte verum sit (*indicatque quod id revera verum sit*. Z.) E.

4 *Jam nunc hæc tria primum addidi præter naturam, O noster, quid fit? quid agitur?*] Hoc pressius dictum est. *Præter naturam*] Plus dicit quam si diceret, *præter consuetudinem*. D.

Præter naturam] I. e. præter indolem, præter ingenium. Nepos in Attico c. 5. Petron. c. 52. v. Broukhus. ad Propert. II. 16. 28. R. D.

5 *Servum haud illiberalem*] Dura et importuna repente commutatio ex tanta vituperatione in laudem Syri, ostendit contra naturam suam niti Demeam. *Præbes te*] Id est, te ostendis, factis probas. D.

Servum haud illiberalem] H. e. servum tali ingenio, quali non servi, sed ingenui et liberi homines esse solent v. not. ad Andr. I. 1. 11. R. D.

6 *Et tibi lubens bene faxim*] Et *bene* ad quam rem adjectum est: an et *bene* * hoc addidit (forte, *et bene ad quam rem aptum est*, BENE FAXIM *addidit*] Quis enim credat tam subitis post sævitiam blandimentis, nisi factis quoque vera esse ostendantur? *Et tibi lubens bene faxim*] *Et*, additum est, ut ostendat hanc esse sententiam, non solum te laudo, sed etiam juvo: illud dicendo, hoc faciendo. *Et tibi lubens bene faxim*] Potest hoc et sic intelligi, *bene tibi faxim, et lubens*. multi enim bene, sed non ex animo faciunt. Omnia ergo addidit, quæ *placidum* ostendant ipsum, atque *clementem*. *Atqui Syre*] *Atqui* abundat per περίσσωσιν. *Syre*] Asseveratio est non credentis (*credenti*. Z.) D.

7 *Hoc verum est*] Quasi falsum fuerit illud, quod jargabat: et hoc sit verum, quod nunc dicit. *Propedíem*] Τάχιον. Nam *propedíem* adverbium est temporis: ut si diceret, *cito*. D.

In vulgari distinctione versus *ipsa* priorem corripit; sed præstat ita versus distinguere, *atqui, syre hoc | Verum'st*, &c. B.

1 *Hera, ego huc ad hos proviso*] *Ad hos*, ad Micionem et Æschinum scilicet.

Digitized by Google

Arcessant. sed eccum Demeam. salvos sies.
D. O, qui vocare? G. Geta. D. Geta, hominem maxumi
Pretii esse te hodie judicavi animo meo.
Nam is mihi profecto est servos spectatus satis, 5
Cui dominus curæ'st, ita ut tibi sensi, Geta.
Et tibi ob eam rem, si quid usus venerit,
Lubens bene faxim. meditor esse affabilis;

Proviso duas res significat: procedo et video. D.

Memor personæ suæ laborat fidem facere, ut credi possit, quam bonus sit. E.

Recte Bemb. et duo nostri veterrimi *huc* pro vulgari *hinc*. Cæterum nostri habent *provisam*: etiam recte. B.

2 *Sed eccum*] Hoc apud se. D.

3 *O! qui vocare?*] Hac interjectione utimur, ubi ex intervallo notos videmus. *O! qui vocare?*] Post *O*, nomine vocatarus, non habuit quod diceret: et ideo subjecit, *qui vocare?* Virg., *Æn.* I. 327. *O quam te memorem, virgo? namque haud tibi vultus Mortalis: nec vox hominem sonat. O dea certe, An Phœbi soror: an Nympharum sanguinis una?* Meris est autem inferiores proprio nomine vocari, si blandiri velis. sed hic nominis oblitus, dum dubitat et inquirit, inhæsit pronomini. D.

Qui vocare] I. e. quod tibi nomen est. Sen. epist. 95. R. D.

4 *Animo meo*] Hoc est, secundum animi mei sententiam, et quantum ad animum meum pertinet. D.

Recte Bemb. *pretii te esse hodie.* Ne *pretii* totum in Thesi occultetur. B.

5 *Nam is mihi est profecto servos*] In hoc laudando quia non laberat, subjecit specialiter merita ejus: aut, ut existimo, nihil habuit quod diceret nisi laudem, sine ullius facti mentione. Et *mihi*, id est, quantum ad judicium meum pertinet. D.

6 *Cui dominus curæ est*] Quum hic dominus habeat, *dominum* dixit: quia prævalet masculinum. Virg., *Æn.* II. 632. *Descendo, ac ducente deo flammam inter et hostes Expedior.* Et præterea sententia generalis inducitur, quum nullum specialiter dominum significat. *Ita ut tibi sensi, Geta*] Maximum delinimentum infert, cum nomine vocans, quod tantum (*quod usitatum in*) superioribus est. Et vide quam grate, postquam ipse dixit, nomine appellavit Getam (Ms. H. *Postquam audivit, his nomine appellavit Getam.* Forte, *postquam ipse dixit nomen, nomine a G.*). D.

Ita ut tibi sensi, Geta] Ut tibi curæ fuisse sensi dominum. Domino enim est optimus servus, si dominus est affabilis, hoc est, benignus et obtemperare propter bonitatem possit. E.

Versus commendat lectionem Bembini *uti* pro vulgari *ut*. B.

7 *Et tibi ob eam rem*] Quid *et tibi*? utrum quemadmodum aliis? an quemadmodum Syro? *Et tibi ob eam rem siquid usus venerit*] Defectus quidam rustici præter naturam blandientis, cogit dicta repetere sine gratia. Hæ autem promissiones ad hoc præmittuntur, ut quum in subjectis agi a Demea hujusmodi res cœperint, non sit absurdum spectatoribus, Demeam tam cito esse mutatum. D.

8 *Meditor esse affabilis*] Sic hoc lentius (*locutus*, lib. uterque), ut illud supra, *Jam nunc tria hæc addidi præter naturam, O noster, quid fit? quid agitur?* D.

Meditor esse affabilis] I. e. exerceo me ad affabilitatem. Sic *meditari se ad cursum* apud Plaut. in Sticho II.

Digitized by Google

Et bene procedit. G. Bonus es, quum hæc existumas. D. Paulatim plebem primulum facio meam.

ACT. V. SCENA VII.

ÆSCHINUS. DEMEA. SYRUS. GETA.

OCCIDUNT me quidem, dum nimis sanctas nuptias Student facere: in apparando totum consumunt diem.

2. 34. significat exercere se ad cursum. Veteres quodvis *corporum exercitium* meditationem dicunt, meditationem campestrem pro exercitatione armorum in campo Martio. R. D.

9 *Bene procedit*] I. e. ex voto succedit. *Procedere* etiam simpliciter dicitur pro prospere succedere. Liv. II. 44. *eandem viam velut processisset*, &c. ubi v. Drakenb. Eodem modo dicitur *provenire* Justin. VII. 6.(*) unde *secundarum rerum proventus* apud Livium XLV. 41. ubi v. Drakenb. Utrumque verbum eodem sensu etiam de personis dicitur. infra V. 9. 22. Plaut. in Trucul. II. 6. 35. *tu recte provenisti* v. Schulting ad Sen. Suasor. I. p. 15. R. D.

10 *Paulatim plebem*] Moraliter inferiorum turbam, *plebem* dixit: hoc est, ut in urbe vulgus, ita in familia servos. Et fit translatio ab iis qui honores dolose, ac non pro merito petunt, ambitiosique sunt. *Plebem primulum facio meam*] Hoc est, mihi faventem. Et e contrario Virgilius, Æn. II. 396. *Vadimus immisti Danais haud numine nostro*. D.

Paulatim plebem primulum facio meam] Præstando paulatim (*Præstando me affabilem paulatim mihi* Z.) multitudinem cogo fautorem. E.

(* Legitur tamen ibi *rebus feliciter provenientibus*. Bruns.)

1 *Occidunt me quidem*] Adolescens et Demea inter se affabiles, imaginem præbent, et quam dulcis sit junioribus assentatio, et quam ingrata censura. Ὑπερβολικῶς autem dixit *occidunt me*, pro *Nimis lædunt et cruciant me*. *Occidunt me quidem*] *Quidem* pro exspectatione est: tanquam in hac mora nullus alius occidatur, nisi qui amat, id est, ego. *Dum nimis sanctas nuptias*] Et *nimis sanctas* ridicule additum est in ea ducenda, quæ jam peperit. Nam *sanctum* est, quod omni observatione inviolatum est. Et bene additum est *nimis*: quia *nimium* (*nimirum* Z.) pro vitio ponitur: juxta illam sententiam qua dicitur: *ne quid nimis*. D.

Occidunt me quidem, dum nimis sanctas nuptias student facere] Erant mores, uti cum nuptiæ agerentur, symphonia caneret (*symphoniæ canerentur*. Z.) Verum adolescens cupidus nuptiarum festinat, et volens ducere uxorem, contemnit illam religionem in nuptiis suis. D.

Male in Bemb. est *equidem*. Nam probatæ latinitatis temporibus *equidem* non nisi primæ personæ junctum est. B.

Occidunt me] I. e. maximam mihi molestiam creant. Horat. epod. XIV. 5. in Phorm. IV. 3. 67. Sic *enecare* apud comicos passim dicitur. R. D.

2 Faernus, quem sequitur Benticius illud *totum* omisit. Z.

Digitized by Google

D. Quid agitur, Æschine? Æ. Ehem, pater mi, tu hic eras?
D. Tuus hercle vero et animo et natura pater;
Qui te amat plus quam hosce oculos. sed cur non domum
Uxorem arcessis? Æ. Cupio: verum hoc mihi mora est
Tibicina, et hymenæum qui cantent. D. Eho,
Vin' tu huic seni auscultare? Æ. Quid? D. Missa hæc face,
Hymenæum, turbas, lampadas, tibicinas:

3 *Quid agitur, Æschine?*] Jam ipse docuit, *quid fit*, et *quid agitur*? blandimentum esse. Jam nunc hæc tria primum addidit (*addidi*) præter naturam. *O noster, quid agitur? Ehem! pater*] Non sine consternatione respondet Æschinus: etsi hic blande interrogat, et miti vultu: nam ex improviso objectus est Demea, et insperanti. D.

Tu hic eras?] V. C. *Tun' hic eras?* L.

4 *Tuus hercle vero et animo, et natura pater*] Totum eripuit Micioni, cui ne animum quidem reliquit. D.

Hercle vero et animo et natura pater] Quum animo pater Micio videbatur, qui adoptaverat, hic utrumque sibi vindicavit, *et animo et natura*. R.

5 *Qui te amat plusquam hosce oculos*] Magis comicum, quam *amo*. *Sed cur non domum uxorem arcessis?*] Bene subjecit, quæ volenti esse credebat (*quæ velle Æschinum cred.*) D.

6 *Verum hoc mihi mora est. tibicina, et hymenæum*] Hoc est quod ait, *dum nimis sanctas nuptias student facere*. *Hymenæum* quidam Liberi et Veneris filium dicunt esse, qui primus certas nuptias instituerit. ideo per laudem cantatur virginalibus nuptiis ob hujusmodi meritum. Alii virum fortem Atticum dicunt fuisse, qui raptas prædonibus virgines, oppressis latronibus, intactas patriæ restituerit. Alii, quod ὑμὴν dicatur membrana quædam, qua est munita virginitas, quæ primo disrumpitur coitu, *hymenæum* putant, veluti *hymnum* vocari virginalium nuptiarum. Ergo sic accipe *hymenæum* in nuptiis, quemadmodum θρῖον in funere, vel in sacris *hymnum*. D.

Uxorem arcessis?] Ms. R. et V. C. *uxorem quæso arcessis?* L.

Recte Victorianus *moræ'st*. Olim, quia nullum inter verba, ut nunc contra fit, spatium relinqueretur vacuum, *mora est*, et *moræ st*, nisi a prudente lectore, distingui non potuerunt. B.

Hoc mihi moræ est] I. e. hoc me moratur, me retinet. Justin. XXIX. 2. R. D.

7 *Tibicina: et hymenæum*] Est autem vox, quæ in nuptiis dicebatur. E.

Hymenæum qui cantent] Ms. R. et vett. codd. *qui canat*. L.

8 *Vin' tu huic seni auscultare?*] Contemsit se ipsum dicendo *huic seni*: hoc solum afferens cause cur audiendus non sit, quod sit senex. Et totum hoc apparet lætissimo vultu dici. D.

9 *Turbas, lampadas, tibicinas*] Bene totum pluraliter: ut qui reprehendit sic multa. Plautus, *Quos tu mihi parasitos, lusos, quos Summanos somnias?* Hæc igitur vultu pronuncianda sunt, ut appareat ea displicere dicenti. D.

Hymenæum, turbas, lampadas] Hæc nuptiarum solemnia observavit Apul. Miles. IV. *Jam feralium nuptiarum miserrimæ virgini choragium struitur: jam tedæ lumen atræ fuliginis cinerem marcessit, et jonus tibia zygia mutatur in querulum Lydium modum: cantusque*

Digitized by Google

Atque hanc in horto maceriam jube dirui
Quantum potest: hac transfer: unam fac domum:
Traduce et matrem, et familiam omnem ad nos. Æ. Placet,
Pater lepidissime. D. Euge! jam lepidus vocor.
Fratri ædes fient perviæ: turbam domum
Adducet, et sumtum admittet. multa; quid mea?
Ego lepidus ineo gratiam: jube nunc jam
Dinumeret illi Babylo viginti minas.

lætus hymenæi lugubri finitur ululatu; et puella nuptura deterget lacrimas ipso suo flammeo. L.

Pro vulgari *turbam* recte Donatus, Bemb. Regius quidam et Servius ad Æn. X. 432. exhibent *turbas.* B.

Lampadas] I. e. faces nuptiales Ovid. epist. XII. 137. *ut subito nostras Hymen cantatus ad aures Venit et accensæ lampades igne micant* ubi v. Burmann. R. D.

10 *Atque hanc in horto maceriam jube dirui*] *Maceria* dicitur paries nanc* alicujus demaceretur *(paries non altus e calce macerata* W. *P. n. altus de macerato. Forte, P. n. altus sine calcis alicujus macerationc.* Z.) D.

13 *Euge! jam lepidus vocor*] Apparet Demeam experiendi causa assentari, non quod animo faciat. D.

Jam lepidus vocor] Miratur senex, sibi *lepidi* nomen imponi. et memoria in se rediens, qua jusserat, ut maceria dirueretur, secum loquitur: *fratri ædes fient perviæ.* Sed rursus redit ad laudem sibi dictam: *quid mea? Ego lepidus ineo gratiam.* E.

14 *Fratri ædes fient perviæ*] Elegantius quam *fratris.* D.

15 Bemb. habet *sumtum amittet*, deleto illo *et*, quod et versus respuit. Plerique nostri autem recte, *admittet.* B.

16 *Ego lepidus*] Irridens adolescentis animum sic inquit. *Ineo gratiam*] In gratiam eo, hoc est, amicos comparo. *Jube nunc jam*] Insultantis est verbum *jube*, tanquam præstet *(tanquam præsenti)* Micioni hoc dicit Demea. Aut apud se dicit hoc. *Jube nunc*] Quasi insultantes dicere solemus, nunc minari, nunc assistere, quem afflictam tenemus: ita et Micioni Demea dicit, *jube nunc. Jube nunc jam dinumeret Babylo illi viginti minas*] Nimis morale est, quum de absente tanquam de præsente agimus. Est autem, *jube nunc jam*, figura etiam apud Plautum frequentissima. *Jube nunc jam*] *Jube* sic dicit, quemadmodum supra ille, qui quum alius nemo adesset, alicui diceret (JUBE *sic dicit, quemadmodum supra.* vers. 10. ILLI. *Cui? ecquis amicus? nemo adest, cui diceret).* D.

Jam dinumeret ille Babylo viginti minas] Babyloni milites stulti dicebantur. Alii intelligant Babylones divites esse. Et hic sensus ille est ergo, ut Micio Babylo sit, qui viginti minas dedit pro meretrice, quæ rapta est. Ego nunc *jam lepidus vocor*, Micio licet viginti minas dederit, hoc tantum *(hoc tamen non* Z.) accepit nomen, ego sine sumtu laudor. E.

17 *Dinumeret*] *Dinumeret* dixit, quasi multum numeret. *Illi*] Cui *illi*? Ctesiphoni, lenoni, an Æschino? an Syro? *Babylo*] Fratrem, *Babylonem* ob nimiam liberalitatem vocat: an *Æschinum* nimis prodigum? D.

Illi Babylo] Ms. R. *Ille Babylo.* L.

Pro *illi* plerique codd. *Ille.* Igitur locus paulo difficilior accipiendus est de Demea averso, qui secum loquitur hunc versum, ut proxime antecedentia; adeo ut sit sensus: etsi frater iste pro-

Digitized by Google

Syre, cessas ire ac facere? S. Quid ago? D. Dirue.
Tu illas abi et traduce. G. Di tibi, Demea,
Benefaciant, quum te video nostræ familiæ
Tam ex animo factum velle. D. Dignos arbitror.
Quid tu ais? Æ. Sic opinor. D. Multo rectiu'st,
Quam illam puerperam nunc duci huc per viam
Ægrotam. Æ. Nihil enim vidi melius, mi pater.
D. Sic soleo. sed eccum, Micio egreditur foras.

digus viginti minas pro psaltria solverit; aut etiamsi ad gratiam adolescentium aucupandam denuo totidem minas consumat: ego tamen nunc parem ei gratiam refero. Nam *jube* recte Donatus interpretur per *age*: *Babylo* autem seu Babylonius est prodigus et profusus, ob luxum, quo tum Medi et Persæ infames erant. Hinc Scholiastes Juvenalis ad III. 221: *Meliora et plura reponit Persicus orborum lautissimus. Persicum quasi divitem posuit; eo quod Persæ divites: sic Horatius, Persicos odi, puer, apparatus: Terentius, dinumeret nunc ille Babylo xx minas.* B.

Babylo] Disceptant interpretes *Babylo* sit dativus a Babylus, an *Babylo* vocetur primo casu. Posterior sententia verissima est. Nam fratrem vocat *Babylonem* pro prodigo, quod Medi et Persæ tum omnium ditissimi et luxuriosissimi erant. Locum difficilem egregie expedivit Bentlei. cujus explicationem probat, cui raro Bentleiana placent, Burm. ad Sueton. in Nerone c. 36. R. D.

18 *Syre, cessas ire ac facere*] Ἰδιωτικῶς dicitur. *Dirue*] Hoc vultu dicitur adhortante. D.

Quid ago?] V. C. *Quid agam?* L.

Quid ego? Quod extat in nonnullis codd. vett. vera est lectio; subaudi *faciam*. Cæteri habent *ago*, aut, *agam*. B.

19 *Tu illas abi et traduce*] Notanda est σύγχυσις vel trajectio verborum pro *tu abi et illas traduce* quæ offendit Guyetum et alios, sed bene vindicatum est a Perizon. ad S. Minerv. IV. p. 723. Sic Plaut. in Mercat. V. 4. 35. *serva et subveni hunc senem.* R. D.

Factum velle] I. e. bene velle, favere. Gellius VII. 3. *quid utile esset*, &c. ubi v. magnum Gronov. Symmach. I. 77. *quæso ut ei virtute qua celsus es factum velis.* Plura de hac exquisita formula Casaub. ad Apuleii apolog. p. 168. R. D.

20 *Quum te video nostræ familiæ tam ex animo factum velle*] *Ex animo alicui facere*, est id facere, quod ille in animo suo velit; aut certe ex tota mente præstare, non perfunctorie. sed *ex animo factum*, bene factum intelligere debemus, ut sit, *ex animo*, quasi ex sententia. D.

21 *Dignos arbitror*] Multa defunt, et *vos*, et *esse*, et *qui fiant*. D.

22 *Quid tu ais?*] Eo vultu dicitur *quid tu ais*, quo videmus loqui eos, qui interrogant gesticulante vultu, quid sentiant de consilio suo, quos sciunt approbaturos esse. D.

23 *Huc per viam*] Ms. R. et vett. codd. *hac per viam*. L.

Concinnius nostri codd. *hac nunc duci per viam*. Nam *hac*, per scenam scilicet, quæ ipsa platea est. B.

25 *Sic soleo*] Potest εἰρωνεία videri: quippe quando tale consilium probat Demea, quod probaret adolescens. D.

Sic soleo] Hic mentitur, consuetudinem sibi præstandi dicit (*cum consuetudinem sic præstandi dicit* Z.) E.

Digitized by Google

ACT. V. SCENA VIII.

MICIO. DEMEA. ÆSCHINUS.

JUBET frater? ubi is est? tun' jubes hoc, Demea?
D. Ego vero jubeo, et in hac re, et aliis omnibus
Quam maxume unam facere nos hanc familiam,
Colere, adjuvare, adjungere. Æ. Ita quæso, pater.
M. Haud aliter censeo. D. Imo hercle ita nobis decet:
Primum hujus uxoris est mater. M. Quid postea? 6

1 *Jubet frater?*] Apparet Micionem dixisse, *cur diruis?* Syrum respondisse, *Quia hoc jubet frater tuus. Jubet frater?*] Dirui macoriam scilicet. *Tune jubes hoc, Demea?*] Interrogative pronunciandum totum: ita erit una persona. Et ostenditur breviter ex hujus verbis, quod prior dixerit Syrus. Et mirum initium: ne proœmio opus esset Demeæ, ad profitendum mutationem voluntatis. D.

Frater? ubi is est?] Hæc scena deliberantis personam tenet. Deliberat enim Micio, an provecta ætate ducat uxorem? Ac primum (adde *eum* Z.) videt dirui macoriam, quærit causas. Responsio est, *jubet frater*. Quamquam quidem intelligit *(quidam intelligunt* Z.), ipsum Micionem dicere, ut quasi cum audisset cujus sit, sed missus intelligi *(et quasi, cum audisset, quis jusserit, admiratum repetere* Z.), *jubet frater?* E.

2 *Hac re*] Macerise disjectione. *Et aliis omnibus*] Ut nuptiis senilibus. D.

Et aliis omnibus] Hic initium est persuasionis. Nam subjungit: *quam maxime unam facere nos hanc familiam; colere, et adjungere*] Quod utique pertinet ad matrem puellæ, uti Micio ducat uxorem. Huic narratio supponitur, *primum hujus uxoris est mater*. Laudatur *proba et modesta*. Ergo persuasione ei filius toreret, ac suum *(ergo persuasione ut filius obtineret, ac socrum* Z.) pater resumeret; adjecit illud, *natu gravior. Parere hæc jam per annos non potest: Nec, qui eam respiciat, quisquam est: sola est*. Deinde ab ea persuasione: tu voluptatem capies: *hanc te æquum est ducere; et te operam, ut fiat, dare*. Hoc adolescentem (adde *monet* Z.) ut et ipsum patrem cogat. E.

Deme præpositionem *in*, consentientibus nostris et Faerni libris fere omnibus. B.

4 *Colere, adjuvare, adjungere*] *Colere*, ad nurum pertinet: *adjuvare*, ad Hegionem: *adjungere*, ad Sostratam. Et notandum *coli* a superiore. ut, Æn. 1. 16. *Posthabita coluisse Samo; hic illius arma. Colere*] Subauditur *jubeo*, per ξεῦγμα. D.

5 *Imo hercle ita nobis decet*] Antiqui si addebant statim verbum, *nos decet facere, nos decet dicere*: si non addebant, *nobis decet*, dicebant (vid. supra III. 4. 45.) D.

6 *Primum hujus uxoris est mater*] Incipit a persuasione, sed latenter, ita ut ea quæ propositio consilio dicenda erant, ante demonstret, quam dicat quid fieri velit. Et hoc semper fit ab oratoribus in his rebus, a quibus incipere non oportet propter turpitudinem, aut incommoditatem rei, quæ persuadenda est. Considera adeo apud Virgilium, Æn. V. 606. ubi persuadet Iris matribus, ut naves suas incendant: et invenies hoc ipsum consilium ultimum poni post argumenta quamplurima, *quin agite, et mecum infaustas exurite puppes*. Et initium a possibili factum est: nam dicit, *hujus uxoris est mater*. D.

Versus recte procedit, si emendaveris *uxori*, et legeris cum edd. vett. et

Digitized by Google

D. Proba et modesta. M. Ita aiunt. D. Natu grandior.
M. Scio. D. Parere jam diu hæc per annos non potest:
Nec, qui eam respiciat, quisquam est: sola'st. M.
Quam hic rem agit?
D. Hanc te æquom'st ducere: et te operam, ut fiat,
dare.
M. Me ducere autem! D. Te. M. Me! D. Te in-
quam. M. Ineptis. D. Si tu sis homo,
Hic faciat. Æ. Mi pater. M. Quid? tu huic, asine,
auscultas? D. Nihil agis:
Fieri aliter non potest. M. Deliras. Æ. Sine te exo-
rem, mi pater.

uno nostro cod. *est. Quid postea?* Eadem constructio extat And. IV. 4. 50. B.

7 *Proba et modesta*] *Proba* sibi: et *modesta* apud alios. Et vide laudes consiliatoribus inventas et usitatas (Bentlejus conjicit, *conciliatoribus suetas* Z.) *Ita aiunt*] Hoc ita respondet, quasi dicat, *sed quid mea?* D.

8 *Scio*] Adhuc Micio non intelligit, quo res tendat: sed tamen vultu quodam admirantis, cur hoc dicatur, respondet. *Parere jam diu per annos hæc non potest*] Recte, ne contra filios suadere videatur. *Parere jam diu per annos hæc non potest*] Hoc autem addidit, ne contra filios pater suadere videatur nuptias, si illis coheredes esse procreandos suadeat. *Per annos hæc non potest*] Bene *per annos:* quia non est sterilis. D.

Parere jam diu] Priscian. l. x. L.

10 *Hanc te æquom est ducere*] *Te*, Micio, scilicet. *Et te operam*] *Te*, Æschine. Nam ad illum conversus a Micione est. Et quare Æschinum operam dare æquum est? scilicet ut prosit socrui. D.

11 *Me ducere autem!*] Magna vis in pronominibus posita est. Nam *me* ille sic dicit, quasi quem minime deceat. *Te*] Ille (*hic*) sic respondet, quasi quem maxime oporteat. *Ineptis*] Verbum est, quod facit *ineptio, ineptis, ineptit. Si tu sis homo*] Non *si es*, sed *sis* dixit: quasi in eo se hominem sit Æschinus probaturus. *Si tu sis homo*] Æschine. *Si sis*, pro si esse volueris, et si credi homo volueris. *Si tu sis homo*] Hic facete et mire coegit Æschinum ad persuadendum. non enim dixit, *si tu sis homo, persuade:* sed sic, faciat (*sed*, HIC FACIAT): ut ab illo non factum, sed effectum exigeret. D.

Si tu sis homo, hic faciat] Si etiam cedas ad id, quod cupio, continuo consentiat pater. E.

Me ducere autem] Particula *autem* cum interrogatione indignandi vim habet et correctioni servit, mox. v. 17. *promisisti autem* et v. 27. *paulum id autem*. R. D.

12 *Mi pater*] *Mi* vocativus casus est, ab eo quod est *meus*. *Quid? tu huic, asine, auscultas?*] Aptum convicium grandi et fatuo. D.

Ob libros plerosque Faernus edidit *quid tu autem huic*, &c. B.

Nihil agis] Frequens formula de insani opera. Cic. pro Roscio Amer. c. 45. *quæ si in patronum suum voluerit conferre, nihil egerit.* Rutil. Lup. II. 120. *cogis me injuriæ tuæ causam proferre. Nihil agis.* ubi v. quæ annotavimus. R. D.

13 *Fieri aliter non potest*] A neces-

Digitized by Google

M. Insanis? aufer. D. Age, da veniam filio. M. Satin' sanus es? ego
Novus maritus anno demum quinto et sexagesimo
Fiam: atque anum decrepitam ducam! idne estis auctores mihi?
Æ. Fac: promisi ego illis. M. Promisti autem? de te largitor, puer.
D. Age, quid? si quid te majus oret? M. Quasi non hoc sit maxumum.
D. Da veniam. Æ. Ne gravere. D. Fac, promitte. M. Non omittis?

serio. *Deliras*] Proprio vocabulo usus est, tanquam loquaci, Cf. Phorm. v. 8. 8. D.

Fieri aliter non potest] Pars utique deliberativa est, an necesse sit. E.

14 *Insanis? aufer*] Congrue seni *deliras*: juveni *insanis*. Et *aufer*, vel te, vel manum. Nam rogans, manum admovet scilicet, dicens *mi pater*. *Aufer*] Aut *te* deest, aut *manum*. aut pro eo quod est *abi*: ut sit, *aufer te*. D.

Da veniam filio] Ms. R. et vett. codd. *Da veniam, quæso, filio*. L.

Ut efficeretur octonarius jambicus acatalecticus, Faernus illud *ego* sequenti versui præposuit. B.

Aufer] Scilicet manum qua orans patris manum prensabat. Donatus intelligi vult *te*. *Auferre se* est *abire*, ut afferre se, advenire. R. D.

De veniam filio] H. e. fac rogata, concede quod filius petit Cic. ad Quint. fratr. III. 1. *Cæsaris consilium probo quod tibi veniam non dedit uti — rescriberet*. R. D.

15 *Ego novus maritus*] Apud Menandrum senex de nuptiis non gravatur. Ergo Terentius ὑστεροπρότερος. *Ego novus maritus anno demum quinto et sexagesimo fiam! atque anum decrepitam ducam?*] Hic deest *et quis, et quid, et quando*, et *quomodo*: ut sit, quis? *ego*. Quid? *novus maritus*. Quando? *anno demum quinto et sexagesimo*. Quomodo? *anum decrepitam ducam*. *Anno demum quinto et sexagesimo*] Hæc ætas est, ut Varro ait, etiam cornicorum senum. Et *demum*, adverbium tarditatis est. D.

Ego novus maritus] Repugno. Ab inhonesto argumentum ponitur: An turpe sit, uxorem ducere, etiam anum ducere. E.

16 *Atque anum decrepitam ducam!*] Hoc facete addit, tanquam faciendum hoc esset, si puella duceretur seni. *Idne estis auctores mihi?*] Hoc est persuasores. ut Virg., Æn. XII. 159. *Auctor ego audendi*. *Decrepitam*] *Decrepitam*, aut stomacho anili et iracundo: aut *decrepitam* obtusi animi et læsæ senectutis. aut *decrepitam*, cui sæpe moribundæ crepuerit planctu familia, id est, clamaverit. D.

17 *Largitor*] Verbum est imperativi modi, futuri temporis. *De te largitor, puer*] Acutius *de te* dictum est, quam *de tuo*. Et bene in eum, qui promiserat puellæ conjunctionem suam. D.

Promisti autem?] Ms. R. *promisisti*. Diomed. lib. 1. *De te largitor*] V. C. *de te sis largitor, puer*. L.

De te largitor] I. e. de bonis tuis. Plaut. in Pseudolo II. 4. 45. *possum a me dare* Cic. ad Attic. V. 21. *se a me solvere* v. Schwarz. ad Plinii Panegyr. c. 26. R. D.

18 Omnes nostri codd. recte, *quasi si hoc non s. m.* B.

19 *Da veniam*] Præsta beneficium,

Digitized by Google

Æ. Non, nisi te exorem. M. Vis est hæc quidem.
D. Age prolixe, Micio.
M. Etsi hoc mihi pravum, ineptum, absurdum, atque alienum a vita mea
Videtur: si vos tantopere istuc voltis, fiat. Æ. Bene facis.
Merito te amo. D. Verum, quid ego dicam? hoc confit quod volo:
Quid nunc quod restat? Hegio his est cognatus proxumus,

concede quod petitur. *Ne gravere*] Ne te difficilem præbeas, qui *gravem se* dicitur *præstare*, quia id facile non præstat in beneficio, quod potest. *Da veniam, ne gravere. fac, promitte.* Altrinsecus agentium, fatigantiumque verba sunt. D.

Non omittis?] V. C. *Non omittitis?* L. Ob codd. et usum Terentii lege *gravare.* Nam sic sæpe alibi, *ne nega, ne erucia te*, &c. Deinde ob fidem codd. Faerni et nostrorum pro *omittis* lege *omittitis.* B.

20 *Age prolixe, Micio*] Aut *age prolixe*, id est, age benigne: ut sit *prolixe* benigne, secundum veteres. aut per ἀσύνθετον, et ἴλλυ↓ω, *age* correptivum: ut ad *prolixe* subaudiatur, *noster esto*, aut quid tale: et *Micio* velut in suavi dictum sit (*veluti pro suavi dictum sit*, Z.) D.

Vis hæc quidem] Est formula eorum, qui vehementius premebantur vel vi externa vel verbis et oratione, Cic. de Amicit. c. 8. *vim hoc quidem est afferre.* Sueton. in Cæs. c. 82. *ista quidem vis est.* R. D.

21 *Etsi hoc mihi pravum, ineptum, absurdum*] *Pravum*, si animum ducit nullo commodo suo. *Ineptum*, qui non voto filiorum ducat uxorem. *Absurdum*, homini qui nunquam duxerit, et nunquam ducere voluerit, seni duci uxorem, quæ adolescenti ducta non sit. D.

Etsi hoc mihi ineptum, absurdum] Hic effectum est, ut cogatur respondere uxorem ducturum. E.

22 *Si vos tantopere istuc voltis, fiat*] Cur hic non vertitur (*veretur* Z.) de voluntate Sostratæ? An quia illam consentire necesse est vel propter paupertatem, vel ob amorem filiæ suæ? *Si vos tantopere istuc voltis, fiat*] Ridicule dixit et comice, uxorem se deducere, non quia velit, aut debeat: sed ut obsequatur jubentibus. D.

23 *Hoc confit quod volo*] Perficitur, inquit, quod volo: ut sumtum et turbam domum recipiat Micio, et ego ineam gratiam. D.

Primum ne Trochaicus temere sit inter Jambicos, lege *merito tuo te amo*; quod idem occurrit Eun. III. 2. Deinde hunc et seq. versum sic restitue, et suam cuique personæ redde orationem: Æ. *Bene facis.* | D. *Merito tuo te amo. verum.* M. *Quid?* D. *Ego dicam, hoc cum fit, quod volo* | M. *Quid nunc? quid restat?* D. *Hegio hic est his cognatus proxumus.* Ne versus, cessante Synalœpha, hiet, reponendum ducimus *Hegio hic*, moraliter et ex consuetudine, ut Heaut. V. 5. 21. *Archonidi hujus filiam*; et supra IV. 2. 42. *Scin Cretini hujus ditis ædes?* B.

24 *Quid nunc, quod restat?*] *Quod restat*, pro *quod sequitur.* An *quod restat*, tanquam reliquiarum priorum (*reliquiæ rerum peractarum*), ac per hoc minimum? *Hegio his est cognatus proxumus*] Commendatio personæ quasi no-

Digitized by Google

Affinis nobis, pauper: bene nos aliquid facere illi decet.
M. Quid facere? D. Agelli est hic sub urbe paululum, quod locitas foras: 26
Huic demus qui fruatur. M. Paululum id autem? D. Si multum sit, tamen
Faciundum est: pro patre huic est: bonus est: noster est: recte datur.

tu, etiam Micioni, ob merita sua. Et bene addidit *proxumus*: nam multi gradus et veluti rami sunt propinquitatis in affinitate et cognatione dispositi. D.

Hegio est his cognatus] Demea mutatis moribus bonitatem suam poscit exprimere (adde *et* Z.) multis multa donare efficit; nam cogit ut Hegioni ager donetur. Et hic quasi deliberantis est species. Nam primo ab honesto, cui donetur, etiam qui *proximus* sit mulieribus, qui *nobis affinis*, qui *pauper* sit. Quare adjungit: *bene nos aliquid facere illi decet*. Denique inquit, unde fieri possit, ad manum est: *agelli est hic sub urbe paullum, quod locitas foras*. Deinde confundit a dictis ejus, cui respondetur, quod *vitium commune* est senibus, *quod nimium ad rem in senecta attenti sint*. Ab inhonesto, hoc celatur. E.

25 *Affinis nobis*] Recte. Nam uxoris cognati, marito affines sunt. *Pauper*] Jam hoc nomine apparet aliquid flagitari. D.

Cuperus in Obs. I: 9. existimat, illud *bene* tribuendum esse Micioni; primum quod *facere alicui aliquid* sine *bene* simpliciter significet sæpe commodis beneficiisque afficere: deinde quod *bene* sit ejus, qui interrumpat aliquem, et simul eum pergere admoneat. Z.

26 *Quod locitas foras*] *Foras* dixit, locum pro persona ponens: quasi diceret, *nescio cui alieno*. sic et nos dicimus, *audi quid dicit* * *ecce hac*, pro *ecce hic* (*hic* omittit Ms. H.) Cicero, Verr. I. 26. *Hic tum alius ex alia parte*. Deest ergo aliquid, ut sit, *quod locitas foras versum*, aut si *foris*: *foris posito*, id est, alieno. *Sub urbe est paululum agelli hic*] Totum cum contemtione (*cum contemtu*, alii) pronunciandum. D.

Paulum, quod Faernus in uno cod. reperit, ratio versus exposcit. B.

Sub hac urbe] I. e. ad urbem, prope urbem. In hac forma *sub* inprimis ponitur in propinquitate loci editioris. Sic elegantius est *sub monte castra metari* quam *prope montem*. R. D.

Quod locitas foras] I. e. quod peregrinis locas colendum. R. D.

27 *Huic demus qui fruatur*] Id est, qui fructum capiat, non proprietate potiatur. Proprie ergo, et quasi de jure dixit *fruatur*. est autem *fruatur*, alatur: quia *frumen* dicitur summa gula, per quam cibum lingua demittit in ventrem. D.

Lege *paulum id autem est*? D. *Si multum'st, tamen*, &c. ut efficiatur versus tetrameter acatalecticus, ut cæteri. Cæterum in nostris codd. extat *id autem est*? in uno vet. *Paulum*, et in aliquot Faerni antiquis, *si multum est*. B.

Huic demus qui fruatur] I. e. huic concedamus fruendum, ut annuos inde fructus et reditus percipiat, ita tamen ut ager tuus maneat, qualis ICtis *usufructuarius* dicitur. Liv. XLII. 19. *Qui* est ablativus ut in Haut. IV. 5. 30. R. D.

28 *Bonus est: noster est: recte datur*] Ἐπιτροχασμὸς hortantis, et ἀσύνδετον multa congerentis. *Bonus est*] Potuit responderi, *quid mea? Bonus est: noster est*] Hæc omnia vultuose, tanquam invidiam parsimoniæ faciat Micioni. Et plus significat *noster*, quam si addatur, *quid noster? Noster est*] Bene addidit. Namque dixit, *pro patre huic est*. *Recte datur*] Quasi non quæ-

Digitized by Google

Postremo non meum illud verbum facio, quod tu, Micio,
Bene et sapienter dixti dudum, Vitium commune omnium est,
Quod nimium ad rem in senecta attenti sumus: hanc maculam nos decet
Effugere: dictum est vere, et re ipsa fieri oportet.
M. Quid istic? dabitur: quandoquidem hic volt. Æ. Mi pater.
D. Nunc tu mihi es germanus pariter corpore et animo. M. Gaudeo.
D. Suo sibi gladio hunc jugulo.

ratur, an dandum sit: sed illud solum, an *recte*. D.

Pro patre] I. e. loco patris. Cic. Verr. IV. 41. R. D.

29 *Non meum illud verbum facio*] Nunc *verbum* pro ἀξιώματι posuit, quod uno stringitur verbo. Ergo *verbum*, brevis sententia. *Non meum illud verbum facio*] Nota *verbum*, pro *sententia*. ut, *uno verbo dic, si quid est quod me velis*. Et, *miseram me! quod verbum audio?* *Verbum* dixit, veram sententiam. Nam *verba* esse a veritate dicta, testatur Varro. D.

Quod Palmerius et Gulielmius olim conjecerant, *postremo nunc meum*; id clare habet Regius Chartaceus ex veterrimo quodam transcriptus. Recte: et frustra receptam explicare conantur. B.

21 *Hanc maculam nos decet effugere*] *Maculam τῷ χλευασμῷ* dixit, irridens opinionem Micionis: quia parsimoniam, *maculam* putet. Et simul auxit, primo *vitium*, deinde *maculam* dicendo. D.

32 Ordinatio versuum horum, quæ est apud Lindenbr. auctorem habet Faernum. Nos quidem hunc ordinem statuimus: *Effugere: dictum est vere, et re ipsa fieri oportet, Micio.* | M. *Quid istic? dabitur quidem, quando hic volt.* Æ. *Mi pater.* D. *Nunc tu mihi,* | *Micio, es germanus pariter animo ac corpore.* M. *Gaudeo.* Nam in primo versu excidit *Micio*, quia sequebatur eadem vox: et in versu tertio *Micio* a præcedente *mihi* absorptum est. *Quidem*, *quando* codd. consensus comprobat. Omnes libri, præter unum eumque mediocrem, habent *animo et corpore*.. Sententia autem postulat *ac* pro *et*. Sensus enim est: *nunc*, cum hoc a te impetro, cum liberaliter et benigne facis; nunc pariter animo mihi germanus es, ac semper corpore fuisti. B.

35 *Suo sibi hunc gladio jugulo*] Ἀλληγορία. Et non *suo*, sed *suo sibi*, moraliter, et ut veteres solent loqui. D.

Suo sibi gladio hunc jugulo] Ipsum suo gladio interficio, quia ipse hoc dixit, unde nunc vincitur. E.

Suo sibi gladio] Simile fere illud apud Treb. Pollion, in Mario: *addidistis hæc verba dicitur interemtor: Hic est gladius, quem ipse fecisti.* Hieronym. Epist. ad Magnum: *justa fabulas posterum, suo se ense laceravit.* Variant vero scripti Terentii codd. quorum pars magna sic habet: *gaudeo, et suo gladio hunc jugulo.* L.

Suo sibi gladio hunc jugulo] I. e. quod ipse dixit, in ipsum converto, dicto suo contra ipsum utor. Idem proverbium est apud Ciceron. pro Cæcina. 29. *Suus sibi* eleganter jungantur et valent *suus proprius*. Plaut. in Capt. I. 1. 14. Cic. de Amic. c 3. Gellius V. 10. R. D.

Digitized by Google

ACT. V. SCENA IX.

SYRUS. DEMEA. MICIO. ÆSCHINUS.

FACTUM est, quod justi, Demea.
D. Frugi homo es: ego ædepol hodie mea quidem sententia
Judico Syrum fieri esse æquom liberum. M. Istunc liberum?
Quodnam ob factum? D. Multa. S. O noster Demea, ædepol vir bonus es.
Ego istos vobis usque a pueris curavi ambos sedulo: 5
Docui, monui, bene præcepi semper, quæ potui omnia.

1 *Factum est quod justi, Demea*] Id est, diruta est macceria. D.

Rursus aliud præstaturus munus post Hegionem servo, vult Syrum etiam liberum. Implentur deliberativæ partes. Quamquam meritis partes suas (*namque merita per partes sua* Z.) servus exsequitur, quod usque a pueris ambos curaverit sedulo, docuerit, monuerit, quod bene præceperit. Huic rei per irrisionem adjungitur etiam illud, quod obsonaverit cum fide, quod abduxerit scortum, convivium paraverit de die, quod hanc psaltriam hodie, nunc emerit. E.

Quod justi] V. C. *Quod jussisti*. L.

Hic versus præcedenti junctum efficit Trochaicum. Verum ne concinnitas pereat, et *gladio* totum in Thesi abscondatur, *fugulóque* in ultima se efferat; repone *jussisti*, quod in codd. nostris fere omnibus reperitur. B.

Factum est quod justi] Ducta est formula a more militiæ. Nam tribunus vel centurio jussus aliquid exsequi, imperatori renunciabat id factum. Sueton. Tiber. c. 21. ubi v. Casaub. R. D.

2 *Frugi homo es*] Utilis, ut fruges. *Ædepol hodie mea quidem sententia judico Syrum fieri esse æquom liberum*] Hoc est quod jamdudum promiserat Syro: sed nunc opportune. videtur enim modo meritum præcessisse. Et *sententia judico, συμπλοκή*. D.

Etsi multi codd. habent *ergo*, h. e. propterea quod frugi es: rectius tamen ob versum esse cum Faerno censeo *ego*. B.

4 *Quodnam ob factum?*] Jure. ascribi enim causas manumissionis in jure formula est. *Multa*] Oratorie maluit generaliter dicere, quam quærere specialiter, quod invenire non possit. Et Micio singulariter unum quærit, hic pluraliter multa respondet. *Ædepol vir bonus*] Jurat bonum: quia præter opinionem est. D.

Ædepol vir bonus es] In Ms. R. *es* desideratur. L.

Es abest a vett. nostris. Scribe vero *bonu's*; quod sono olim differebat a simplice *bonus*. B.

5 *Ego istos vobis usque a pueris*] Intelligit Syrus, laborantem pro se Demeam non habere quod dicat: et ideo ipse prosequitur ordinem meritorum: secundum quem apparet pædagogum fuisse. D.

6 *Docui, monui, bene præcepi*] Ridicule adduntur, et tantum (*sed tamen* Ms. B. et edd. ante Steph.) consuetudine: quia imputantur etiam facta prave pro bonis. *Quæ potui omnia*] Bene *quæ potui*: quasi plura vellet. D.

Digitized by Google

D. Res apparet. et quidem porro hæc, obsonare cum fide,
Scortum adducere, apparare de die convivium:
Non mediocris hominis hæc sunt officia. S. O lepidum caput!
D. Postremo, hodie in psaltria hac emunda, hic adjutor fuit,
Hic curavit: prodesse æquum'st: alii meliores erunt.
Denique hic volt fieri. M. Vin tu hoc fieri? Æ. Cupio. M. Si quidem
Tu vis; Syre, eho accede huc ad me; liber esto. S. Bene facis:
Omnibus gratiam habeo: et seorsum tibi præterea, Demea.

7 *Res apparet*] Mire irridet Demea, sic tamen ut serio agere videatur. D.

Res apparet] I. e. res ipsa docet, rerum testimonia adsunt. R. D.

Cum fide scortum] I. e. psaltriam quæ fidibus canat. Frequentior est pluralis *fides, ium*. R. D.

8 *Apparare de die convivium*] Id est, repente, neque ante prædictum, nec pridie constitutum. D.

9 *Lepidum caput!*] Servius lib. 1. Æneid. vers. 399. *pubesque tuæ, pubesque tuorum*. L.

10 *Postremo, hodie in psaltria hac emunda*] Et hoc totum serio dicitur, ut magis ridiculum videatur. *Hic adjutor fuit*] In re bona *adjutores*, in re mala *impulsores* dicuntur. Ergo hic adjutor dicitur a non irascente: a criminante autem et irato, impulsor. *Hic adjutor fuit; hic curavit*] De more repetitum est *hic*: quum dicitur, *hic adjutor fuit, hic curavit*. Sic enim solemus onerare audientem *(onerare mentem audientis)* meritis ejus quem laudamus. Deinde quid non præstitit, qui et officium corporis, ut adjutor: et curam animi præbuit, ut consultor? D.

Pro *hac*, quod Faerno placuit, nostri codd. *istac*. Igitur versus causa repone *ista*. B.

12 *Denique hic vult fieri*] Abutitur Demea, sciens prodigam voluntatem adolescentuli. D.

Denique hic vult fieri] Ne videretur hereditatem invidere, quod manumittat servum. Denique *(servum, ait, denique* Z.) vult filius fieri liberum servum. Qua re confirmata liber conficitur. Adjungitur aliud munus. vult enim congeminare Demea benevolentiam, ut et uxor Syri libera fiat. Merito illud adjungitur, quod *primam dedit* nato puero *mammam*, quasi jam infantis nepotis gratia illa accipiat libertatem. Adjungitur, *argentum* accipito *a me*, quo quasi beatus propter nepotem, etiam ipsam liberam faciat. R.

13 *Syre, eho! accede huc ad me*] Utrum ut eundem manu emittat, an ut palam fiat, jubet propius accedere, juris *(publici* addit Westerh.) consuetudine ludens? Et vide quam comicam manumissionem, quam facete induxerit atque condigne. D.

14 *Et seorsum tibi præterea, Demea*] Effecit Demea plus quam volebat. Nam qui conabatur amari, præfertur etiam his qui amantur. D.

Digitized by Google

D. Gaudeo. Æ. Et ego. S. Credo. utinam hoc perpetuum fiat gaudium,
Phrygiam ut uxorem meam una mecum videam liberam!
D. Optumam quidem mulierem. S. Et quidem tuo nepoti, hujus filio
Hodie primam mammam dedit hæc. D. Hercle vero serio,
Si quidem primam dedit; haud dubium, quin emitti æquom siet.
M. Ob eam rem? D. Ob eam: postremo a me argentum, quanti est, sumito.
S. Di tibi, Demea, omnes semper omnia optata offerant.
M. Syre, processisti hodie pulchre. D. Si quidem porro, Micio,

15 *Gaudeo. et ego*] Gratulantium Syro hæc verba sunt: quibus de more ille *credo*, respondet. *Utinam hoc perpetuum fiat gaudium*] Integrum, solidum, et nusquam interruptum. D.

16 *Phrygiam ut uxorem meam*] Ut ipse Syrus, ita uxor Phrygia: secundum veteres, qui servis nomina a nationibus imponebant. *Una mecum videam liberam.*] Hoc sic pronunciandum est, quasi gaudeat se recordatum Demeæ: quod quum ultro cogitat habuisse * plene oblitus fuit *(quasi gaudeat, se recordatum, quod Demea, qui sum ultro cogitat habuisse, plene oblitus fuit.)* D.

Uxorem] Servæ quæ a servis in contubernio habentur, non uxores aut conjuges, sed proprie contubernales habentur. Sed veteres scriptores non semper hoc discrimen observant. R. D.

18 *Hodie primam mammam dedit hæc*] Ridiculum meritum: siquidem oportuerit primam esse quamcumque. an quia causa est, quod ingenui dicuntur serio a nutricibus liberis educandi? *Hercle vero serio*] Adverbia sunt confirmantia παίλιν. D.

Pro *primam* hic et seq. versu ex codd. auctoritate et sententiæ elegantia repono *prima*. Deinde ob eosdem codd. in seq. versu lego *haud dubium'st*. B.

19 *Haud dubium, quin*] Ms. R. et V. C. *Haud dubium est, quin*. L.

Emitti] Scilicet manu. Locutio plena in Phorm. V. 5. 2. Simpliciter *emittere* apud Plaut. in Pseud. IV. 2. 42. R. D.

20 *Ob eam rem?*] Hoc eo vultu dicit, quo rem veluti excutimus, et ostendimus momenti esse nullius. *Argentum, quanti est, sumito*] Quanto pretio valet. *Argentum, quanti est, sumito.* Hoc verbo tenus *(utimur* W. Forte *usus est* Z.), ut faciunt qui persuadere aliquid cupiunt. D.

21 *Dii tibi, Demea, omnes semper omnia optata offerant*] *Omnes omnia*: antiqua elegantia, et figurata. D.

Repone, *Demea, omnia omnes semper optata*, &c. Si supra III. 2. 1. *Quodst omnia omnes sua consilia*, &c. et Plaut. Capt. II. 2. 105. *Di tibi omnes omnia optata offerant.* B.

22 *Processisti hodie pulchre*] Nunc vere pulchre processit Syrus. *Siquidem porro, Micio, tu tuum officium facies*] Hoc est patroni, ut libertum non deseras, sed ut alas manumissum. Plautus, Curc. IV. 3. 15. *Facis melius quam pars lenonum, qui libertos habent, et eos deserunt.* D.

Digitized by Google

Tu tuum officium facies; atque huic aliquid paulum præ manu
Dederis, unde utatur: reddet tibi cito. M. Istoc vilius.
Æ. Frugi homo est. S. Reddam hercle, da modo. Æ. Age, pater. M. Post consulam.
D. Faciet. S. O vir optume! Æ. O Mi pater festivissime!
M. Quid istuc? quæ res tam repente mores mutavit tuos?
Quod prolubium? quæ istæc subita est largitas? D. Dicam tibi:

Processisti pulchre] I. e. pulchre tibi processit. Horat. Serm. I. 2. 38. ubi v. Bentl. R. D.

23 *Si tuum officium facies*] Tunc omnia recte gesta videbuntur, *si officium tuum* compleas, et huic aliquid dones, ne iniqua libertas sit in paupertate illi, qui manumissus est. E.

Præ manu] Ita dicuntur nummi præsentes qui adsunt. Plaut. Bacchid. IV. 3. 10. Burmann. ad Petron. c. 76. p. 492. *præ manu* perperam refert ad *dare* comparans locutionem *nummos in manu ponere*. R. D.

24 *Unde utatur*] *Utatur*, vivat: unde *usura*, vita dicitur. ut, Cic. Catil. I. 12. *Unius usuram horæ gladiatori isti non dedisset*. an unde alatur, de quo usumfructum capiat, et cujus tibi sortem reddat? Et hoc melius: nam ideo addidit, *reddet tibi cito*. *Istoc vilius*] Hoc egit Terentius, ut, conversis officiis, usque adeo prodigum faceret Demeam, donec parcum redderet Micionem. *Istoc vilius*] Quasi *nihil minus*. negatio enim est floccum ostendentis, aut quid tale, cum ἰλλεύφαι. quia subauditur *quicquam*: et, *non dabo*. D.

Istoc vilius] Sine enim, ut istoc ne redeat. Ut Plautus, Curc. II. 1. 28. *Vænire poteris intestinis vilius*. I. e. absque intestinis. E.

Istoc vilius] Elegantem sensum et originem ex Suetonio, doctissimo antiquario, profert Charisius p. 180. *Istoc vilius: rex qui vocabat ad cœnam, si tibi ea res exhibenda indicaretur, quam exhibere non posset, ut tranquillus refert, Isto vilius; hoc est, erit cœna*. Non dubito, quin Terentius ad hoc dictum respexerit. Ergo *istoc vilius*, perinde hic est, ac *priora dedi, hoc non dabo*. B.

Unde utatur] I. e. quo vivat. Plaut. Trin. II. 2. 74. Cic. ad Attic. XI. 11. Hanc loquendi formulam pulchre explicat Gronov. R. D.

Istoc vilius] Donatus ait negationem esse floccum ostendentis aut tale quid v. Bent. ad h l. R. D.

26 *Faciet*] Ne quid negatum in fine fabulæ videatur, addidit Demea *faciet*. Et *faciet*, quod petis scilicet. quod irridens dixit, quasi de prodigo dicere videatur. Et mire *faciet*: quia nec credibile erat statim consensurum qui negaverat, et perpetuo (*propterea* Mss. Forte, *perpetua*) negatio esse in fine non debuit. D.

Laborat versus, nisi cum Victor. et decurtato Faerni, et nostro regio legas, *O pater mi f.* B.

27 *Quid istuc? quæ res tam repente mores mutavit tuos?*] Animadvertendum est, qua calliditate Terentius quærens finem fabulæ, complere lætitiam per ipsum Demeam nititur in universos, qui in tota comœdia tristis ac sævus interturbavit et vociferatus est. D.

Quid istuc? quæ res tam repente mores mutavit tuos?] Quærit, cur suam subito consuetudinem mutaverit Demea. E.

28 *Quod prolubium*] *Prolubium*,

Digitized by Google

Ut id ostenderem, quod te isti facilem et festivum putant,
Id non fieri ex vera vita, neque adeo ex æquo et bono:
Sed ex assentando, indulgendo, et largiendo, Micio. 31
Nunc adeo si ob eam rem vobis vita mea invisa est, Æschine,
Quia non justa, injusta, prorsus omnia, omnino obsequor;
Missa facio: effundite, emite, facite quod vobis lubet.
Sed si id vultis potius, quæ vos propter adolescentiam 35

quod Græci πρόθυμον, id est, promtus animus ad largiendum. *Subita est largitas?*] Repentina, ac per hoc ipsa est ingrata et immoderata: ut evenit, quum ex nimia parcis non largi et liberales, sed effusi prodigique reddantur. D.

Quod profusivum] Dicitur ultra naturalem mensuram alicujus rei abundantia. E.

Vulgo *proluvium*, sed meliores libri *prolubium*. Servius ad Æn. III. 217. ex Varrone laudat: *Varro de Lingua Lat. lib. V. Prolubium et prolubidinem dici, ab eo quod lubet; unde etiam lucus Veneris Lubentinæ dicatur.* B.

Quod proluvium] A *proluo* interpretes explicant effusam largitatem. Sed præstat legere *prolubium* a *prolubere*. i. e. promtus animus ad largiendum. Hanc scripturam sequitur Donatus confirmatque Bentl. R. D.

29 *Ut id ostenderem*] Abundat *id*. aut ἔλλειψις est, pro *per id*. *Quod te isti facilem, et festivum putant*] Multum detraxit Micioni, dicendo *te isti putant*, per quod significatur errare adolescentes, et hunc non esse festivum. *Quod te isti facilem, et festivum putant*] Bene in postremo dignitas personæ hujus servata est, ut non perpetuo commutata videretur: ut Truculenti apud Plautum. D.

Ut id ostenderem] Nunc jam ad declarationem vitæ sententiam (*nunc jam ad declarationem veræ suæ sententiæ redit* Z.), quod non recta vita est ea, quæ ex benignitate et clementia largiendo laudem quærit, sed illa melior, quæ peccata reprehendit, non parcit criminibus, et (*et* Z.) integritate illa, quæ custos dicitur. E.

31 *Indulgendo*] Attende indulgentiam a Demea culpæ adscribi demo. *Et largiendo, Micio*] Severe additum est nomen verbis ex animo plerantis (*prolatis*). D.

Duo ex nostris non habent *ex*; atque Donatus Oxon. Mss. *atque indulgendo*. Igitur versus causa repono, *sed assentando, atque indulgendo, et largiendo*, &c. B.

32 Nostri codd. *mea vita invisa, Æschine, est*: ut versus ipse postulat. B.

33 *Quia non justa, injusta, prorsus omnia omnino obsequor*] Proverbiales sunt hujusmodi elocutiones, *fanda nefanda, digna indigna, velis nolis. Effundite, emite, facite*] *Effundite*, ad Æschinum pertinet: *emite*, ad Ctesiphonem: *facite*, ad omnes. *Facite quod vobis lubet*] Propero (*propere*) rediit rursus ad amaritudinem pristinam. Hæc ἐπιτροπὴ est figura, qua invitos nos permittere ostendimus, quod nolumus fieri. D.

Quia non justa, injusta prorsus omnia, obsequor] Nunc autem in hæc omnia (*nunc autem propterea omnino*. Vel, *nunc autem ob hæc omnia* Z.) vobis vita mea invisa est, quia non æqualiter et *justa*, et *injusta* persequor. E.

Omnia obsequor] Eadem constructione ip Phorm. I. 2. 29. R. D.

35 *Quæ vos potius propter adolescentiam, minus videtis*] Hic ostendit Te-

Digitized by Google

Minus videtis, magis impense cupitis, consulitis parum,
Hæc reprehendere et corrigere me, et obsecundare in loco:
Ecce me, qui id faciam vobis. Æ. Tibi, pater, permittimus:
Plus scis quid facto opus est, sed de fratre quid fiet? D. Sino:
Habeat; in istac finem faciat. Æ. Istuc recte. Ω. Plaudite.

CALLIOPIUS RECENSUI.

rentius, magis Demeam simulasse mutatos mores, quam mutavisse. D.

36 *Minus videtis, magis impense cupitis, consulitis parum*] Ἐλρωνεία, *minus magis, parum*. D.

Consulitis parum] I. e. parum consulte agitis. Sallust. de republ. ordin. I. 1. v. Gronov. ad. Liv. XXI. 16. R. D.

37 *Hæc reprehendere, et corrigere me, et secundare* (*obsecundare* Ms. H.) *in loco*] Tribus tria redduntur: et utraque αὐξητικῶς. Illa in malam partem superiora: hæc in bonam, quæ inferiora sunt. Non tantum enim culpæ est, minus providere, quam impense cupere: nec tantum mali est impense cupere, quantum parum consulere. Item reprehendere, bonum est: melius, corrigere: optimum, secundare. Nam qui reprehendit, non continuo corrigit; qui corrigit, non ilico secundat, id est, lætissimum reddit et fidelissimum (*felicissimum*). Alii *secundare*, obsequi dictum putant: et ideo additum esse *in loco*: quasi non semper faciendum sit. Ergo *secundare*, vel tu melius convertere, vel obsequi intelligimus. D.

Obsecundare in loco] Ut oportuit, judicis sententiam declaravit, dum (*tum* Z.) adjecit *in loco*, uti diversa quæ faciat (*faciant* Z.) reprehendens, corrigens etiam in loco obsecundet et faveat. quemadmodum hic conversatione mollior visus est Demea, qui duvus antea videbatur, et (*ita* Z.) Micio vix probabilis, qui videbatur tenere bonitatem. Denique assensus ab omnibus commodatus videtur rectori esse: *tibi, pater, permittimus: Plus scis, quid facto opus est*. R.

Leg. *Et reprehendere et corrigere quem; obsecundare in loco*. Nam illud *me*, cum statim sequatur *me*, putidum et ineptum est consendum. B.

Obsecundare in loco] I. e. obsequi Liv. III. 35. ubi v. Drakenb. R. D.

38 *Tibi, pater, permittimus*] Noluit Terentius ab amoribus filiorum perpetuo repulsum patrem. D.

39 *Sino. habeat. in istac finem faciat*] Hæc quidem permissio est: sed et exceptionem in se continet: et cum quodam stomacho, et velut minaci denunciatione profertur. D.

Nostri omnes paulo melius, *plus scis quid opus facto est*. B.

40 *In istac finem faciat*] Hoc est, aut ne aliam amet, aut ne alteram comparet: ne post istam luxurietur alterius. *Istuc recte*] Bene. Et Micio non discessit de proposito suo, qui ut peccasse alias ostenderet fratrem ob nimiam asperitatem, cum exceptione quadam laudans verba ejus, *istuc recte* dixit. Quasi diceret, *non ut cætera*: et simul reposuit ei, qui supra dixerat, ut id ostenderem, quod te isti facilem,

Digitized by Google

et festivum putant, id non fieri ex vera vita, neque adeo ex æquo et bono, &c. D.

In istac finem faciat] Optime monuit, ut hæc venia detur præterito delicto. etiam de futuro terrere videtur, ut in his meretricibus (*hac meretrice* Z.) finem luxuriandi faciat. Denique ita laudatus est, *istuc recte*; quod et veniam tribuisti, et admonuisti, ne peccet amplius, istuc recte videtur. Tamen quasi quædam amissione præteritorum et (*tamen quasi quadam cum omissione præteritorum est* Z.) reprehensio, ut cætera illa quæ persuaserit recta non esse videantur, vel in manumisso servo Syro, vel in libertatem data muliere, vel in munere Hegionem tradi (*vel in libertate data mulieri, vel in munere Hegioni tradito* Z.), vel in suasione, ut ipse uxorem duceret, ut hoc (*duceret. Igitur ut hoc* Z.) consilium, quod nunc dictum est, *in istac finem faciat*, solum Micio laudasse videatur, dixit, *istuc recte*; tanquam superiora non recte. R.

Verba *istuc recte*, recte Donatus Micioni tribuenda esse existimat. B.

Digitized by Google

FRIDERICI LINDENBROGII

OBSERVATIONES

IN ÆLII DONATI. V. C.

COMMENT. ADELPHORUM.

IN SULPITIO.

FAMAM rei] Omnes scripti libb. —*Famamque amoris in sese.*

Ducet Æschinus] Mss. R. et Pith. *ducit Æschinus A se vitiatam civem Atticam virginem. Uxorem potitur Ctesipho citharistriam, Exorato suo duro patre Demea.*

IN PRÆFATIONEM.

Cantica mutavit] Cod. Pith. *mutatis per scenam modis cantavit.* Dan. *cantata.* D. et M.] Danielis cod. D. et V.

Per adoptionem] Ms. *adoptationem.*

IN ARGUMENTUM.

Uxorem non duxit] Reotius in Ms. *uxorem ducere et filios procreare noluit.*

Facetissimam decertationem] Ms. *dissertationem.*

Paginarum dinumer.] Ut Petron. cap. 80.—*ubi ridendas inclusit pagina partes.*

PROLOGUS.

7 Μικτὸς *rhintonica*] Mss. Μυκτὸς *rithmus.* Sed de rhintonica in prolegomenis: *Attellanas a civitate Campaniæ, ubi actitatæ sunt plurimæ: rhintonicas ab actoris nomine.* Stephanus de Urbib. ἀναγράφει καὶ Ῥίνθων Ταραντῖνος φλύαξ τὰ τραγικὰ μεταῤῥυθμίζων εἰς τὸ γελοῖον. Suid. Ῥίνθων Ταραντῖνος κωμικὸς, ἀρχηγὸς τῆς καλουμένης ἱλαροτραγῳδίας, ὅ ἐστι φιλαπογραφία. Hic ergo Rhinton hilarotragœdiam introduxit, ut alii tragicomœdiam; qualis adhuc extat Plauti Amphitruo.

20 *Furii Pii*] Ms. Dan. *Furi Pili.* In alio scripto cod. sic erat, in vita Terentii: *propter elegantiam studiorum morumque in amicitiam perductus Pub. Scipionis, Lælii Sapientis, Furii Publii,* Idque omnino verius arbitror.

25 *Imo potius cæteræ*] Ms. *sed et cæteræ.*

Sed ipsi senes] Ms. *Haud ipsi.*

ACT. I. SCENA I.

5 Ἐυθυμιματικὸς] Ms. ἐυδιάθετος.

8 Παραφορὰ] Ms. ἐπαναφορὰ; quod magis placet.

17 *Figura ipsa*] Ms. Dan. *Figura ipsata.* unde quid boni elici possit, cogitemus.

18 ΕΙΤΑ ΦΙΛΟΣ] Vitiosam hanc scripturam sic tentabat restituere Is. Casaubonus, εἶτα φίλως σχοινίῳ ἐμπεδούμενον. *deinde amicæ vinculo impeditum.* Vel hoc modo: ἐκεῖνα φίλον σχοινίῳ (vel γυναῖκα) ἐμπεδούμενον (vel συμπεδούμενὸν) ὀλεῖ. Increpatio est ejus, qui ducendæ uxoris erat auctor. *Itane tu amicum nexu amoris is perditum?* Sequentia satis superque perspicua sunt: Γαμεῖ Πάμφιλος· γαμεῖτω· καὶ γὰρ ἀ' ἐθέλουσί με. In Pithœorum codice Joanis Aurati, Viri clarissimi emendatio adscripta erat: εἰ τὰ φίλως ἔχειμι τῶν ἀπολούμενον. et postea: Πάμφιλος γαμεῖ, γαμείτω· καὶ γὰρ ἐθέλουσί με. Plani sunt Græcorum libri dictis hujusmodi, apud Stobœum et alios, quæ ibi legere satius est, quam hic transcribere.

43 *Modeste et* Ἰδιωτικῶς] Forte: ἐθικῶς.

47 Καλανδῶν AN*] Quantum ex Donati verbis conjicere licet, videtur sane legendum, κατ' ἀντιθετον.

Digitized by Google

ACT. I. SCENA II.

7 *Designatores dicti*] Helen. Acro ad Hor. l. I. Ep. 7. vers. 6. *Designatorem decorat lictoribus atris.* Seneca de benef. l. VI. c. 38. *An tu Arruntium, et Arterium, et cæteros, qui captandorum testamentorum artem professi sunt non putas eadem habere, quæ designatores et libitinarios, vota?* Numquid ergo Plauti Poenulus funebrib. ludis acta? Sic enim in prologo ejus fabulæ vers. 19. *Neu designator præteriens obambulet, Neu sessum ducat, dum histrio in scena fiet.* Insignis locus Ulpiani, l. 4. §. 1. ff. de his qui notant. inf. *designatores autem, quos Græci βραβευτὰς appellant, artem ludicram non facere Celsus probat, quia ministerium non artem ludicram exerceant. Et sane locus iste hodie a principe non pro modico beneficio datur.* Inscriptio vetus:

C. Matieni. C. F. Ouf.
Oviculæ. Annorum. xxvii.
Præco. Idemq. Dissignator.

29 *Odiosum et malæ vitæ*] Ms. *odios. et molestæ vitæ.*

35 *Confessionis genus sit*] Gerbertus ad Siguinum Senonens. Archiepisc. *qui enim accusatus ante judicem tacet, confitetur: et qui judice judicante pœnæ se addicit, confitetur.*

ACT. II. SCENA I.

9 *Stipulam aut floccum moverat, aut summum dignitum*] Sic in Sardanapali monumenti inscriptione;

Ω ΞΕΝΕ
ΕCΘΙΕ, ΚΑΙ ΠΙΝΕ. ΚΑΙΠΑΙΖΕ.
ΩCΤ' ΑΛΛΑ ΤΑ ΑΝΘΡΩΠΙΝΑ.
ΟΥΚ ΟΝΤΑ ΤΟΥΤΟΥ ΑΞΙΑ.

Quemadmodum enim Terentius, *hujus non faciam;* ita in hoc inscriptione, *οὐκ τούτου ἄξια.* Ad quæ verba sic Arrianus, Alexandr. *ἀναβάσ.* lib. 2. *τὸν ψόφον αἰνισσόμενος ὅνπερ αἱ χεῖρες ἐπὶ τῷ κρότῳ ποιοῦσι.* Dilucidius Athenæus Dipnos. l. XII. c. 7. *ὁ πάντων εὐδαιμονέστατος Σαρδανάπαλος, παρ' ὅλον τὸν βίον τιμήσας τὰς ἀπολαύσεις, καὶ τελευτήσας δείκνυσιν ἐν τῷ τοῦ μνήματος τύπῳ τοῖς δακτύλοις, οἷον καταγέλωτος ἐστὶν ἄξια τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα, οὐκ ἄξια ὄντα ψόφου δακτύλων.* et Steph. de Urbib. in voce: *ἀγχίαλη· τ' ἄλλα τούτου οὐκ ἄξια τοῦ ἀποκρότηματος.* Aristoph. in Ranis. pag. 166. *γρύζοντες οὐδὲ τουτί.* ad quæ notat Schol. *εἰκὸς αὐτὸν ἀπρακτοῦντα τῷ δακτύλῳ δεικνύειν τό, οὐδὲ τουτί.* Atque hoc Donatus; *moverat summum digitum.*

11 *Sæpe iræ ac lites*] Ut Alcumena in Plaut. Amphitr. III. 2. 8. — *satis faciat mihi, atque adjuret insuper Nolle esse dicta, quæ in me insontem protulit.*

21 *Et maxime proximi*] Verius puto si legatur: *et maxime a proximis.* quod ex historiis Græcis scire possumus.

44 *Absque voluntate*] Ms. *et cum voluntate.*

46 *Colaphizatum*] Gloss. Κολαφίζομαι *colaficor.* Hieronym. Epitaph. Paulæ: *eam colaphizaret, ne se extolleret.*

54 *Summæ desperatio*] Ms. *extra errorem orationis.*

ACT. II. SC. 2.

4 Διασύρει] Ms. *ἓν διὰ δυοῖν.*

Pares faciens] Ut Petr. 19. *sic paria constitueram.*

6 *Assentatione*] Ms. *assensione caperetur.*

12 *Servi lenonem*] Ms. *suam et lenonis.*

ACT. II. SC. 4.

6 *Etiam velle*] Ms. *etiamsi vellet.*

8 Τῷ ἰδιωτισμῷ] Ms. *τῷ ἀττικισμῷ.*

13 *De mensæ scriptura*] Nempe pecuniæ locandæ vel solvendæ duplex ratio: aut in foro de mensa, aut domi ax arca. infra Phorm. V. 7. 29. De mensa erat, quam argentarii nummulariive exponebant. l. 4. ff. de edendo lib. 47. ff. de pactis, et inde *mensularii* d. l. 47. Gloss. *mensularius* τραπεζίτης, De arca, quam servi exercebant; vel quicunque alii Kalendariis præpositi. l. 41. §. 1. ff. de reb. cred. et inde *arcarii.* Glossæ Lat. *Arcarius, dispensator.* l. 41. §. 17. ff. de fideicom. libertat. Qualis ille dispensator Arbitri, c. 30. *in prætorio aureos dinumerans.* Plaut. Curc. V. 3. 7. *Amici compulerunt, reddit argentum domo.* De *scriptura* vero *mensæ*: quia acceptæ et

Digitized by Google

erogatæ pecuniæ probatio scriptura codicibusque maxime continebatur, notato videlicet die et consule. l. 9. §. 2. ff. de edendo. Unde chirographis deperditis, vel incendio exustis, ex inventario, puta scripturæ nummulariorum, debitores conveniri possunt. l. 37. ff. de admin. et peric. tut. l. 27. §. 1. ff. de furtis.

Etiam servi illi solvi] Ms. *dicuntur autem et illi servi, qui*, &c.

Debitores potiorum] Al. *deb. preciorum*.

15 *Exclamationem facere donetetur*] Ms. *exclamatione agendi*.

16 *Hoc verbo*] Ms. *hoc responso*.

18 *Homo quam planiu' dictat*] V. C. *planitis dictitat*; al. *plurima dictat*.

ACT. III. SC. 1.

1 *Medicus, orator*] Ms. *medicus, ut tutor*.

3 * *recitatu*] Ms. *recitatu*.

10 *Παρέκτασις*] Ms. *παρίστασις*.

ACT. III. SC. 2.

6 *Hominem impurum*] Ms. *impium*.

20 *Amoris indices*] Tale quid apud Hieronym. in epistolis.

ACT. III. SC. 3.

4 *Ducimus enim volentes*] Ms. *ducimus etiam orantes*.

Nugæ, quod nihil agunt] Aliter Hieron. in Sophoniam cap. 3. Charis. Sosipater libr. 1. et 2.

5 *Meritoriam tabernam*] Gloss. *meritorium ξενοδοχεῖον*.

8 *Grex vel bonorum, vel mal.*] Ms. *grex vel mal. est, vel levium*.

9 *Pro ganeo*] Ms. *pro gauli*.

32 *Quod ante pedes est*] Gabrias Fab. 22. *νῦν θὺς ἄνω, βέλτιστε, γῆν οὐ βλέπεις*. Nicet. Choniat. *οἱ παρακεχήνασιν οὐρανὸν, τὰ δὲ ἐν ποσὶ μόλις ἔχουσι διορᾶν*.

50 *Cui contrarium in signif.*] Ms. *Cui cont. est idem significans*.

61 *Emendatio vultus*] Apul. in Apolog. de Socr. et Demosth. Elegans locus Phædri lib. III. Fab. 9. — *Cotidie speculo vos uti volo; Tu formam ne corrumpas nequitiæ malis, Tu faciem ut istam moribus vincas bonis.*

Formæ per imaginem resultatio] Apul. Apologet. de speculi imagine, *resultent ad facies suas reduces*. Ideo Lucianus eleganter in Amorib. *ἔσοπτρα τῶν ἀντιμόρφων χαρακτήρων ἀγράφους εἰκόνας* vocat.

69 *Ut allusionem*] Ms. *ut ludentem de sua*.

Ciceronis dictum] Quinct. VI. 4. *Ne illa quidem quæ Ciceroni aliquando, sed non in agendo, exciderunt, ut dixi, quum is candidatus, qui coqui filius habebatur, coram eo suffragium ab alio peteret: ego quoque tibi jure favebo.* Similis fere jocus Varron. de Re rust. III. 17. *Hos pisces nemo coquus in jus vocare audet.*

84 *Quo indignetur*] Ms. *quod indignetur*.

91 *Super Æschino*] Ms. *sit pro Æschino*.

ACT. III. SC. 4.

11 *Nemo enim moriens*] Vid. Jac. Menoch. I. C. Præsump. 5. l. 5. Placid. Lact. ad Stat. Theb. *Aiunt futura sentire morituros.*

In jure ultima judicia] Ulp. 1. init. π. Si quis omiss. *prætor voluntates defunctorum tuetur*. Paulus I C. l. 5. ff. Testam. quemad. aper. *publice expedit suprema hominum judicia exitum habere*. l. 1. C. de Sacros. Ecclesiis.

30 *Τῷ ἰδιωτισμῷ*] Ms. *τῷ ἀττικισμῷ*.

33 *Pondus uteri*] Statius Sylv. III. 4. 77. *Ferre timent famulæ natorum pondera matres.*

53 *Respondere proprie dicitur cum iis*] Verba Prætoris apud Ulp. l. 4. §. 1. ff. de interrogat. in jure. *Qui in jure interrogatus responderit*. l. 1. §. 1. l. 11. §. 5. et seqq. ff. eod.

ACT. IV. SC. 1.

13 *Cessare visum*] Τὸ visum in Ms. deest.

21 *Lupum vidisse homines*] Themist. Euphr. Orat. I. *καὶ τοιαῦτα ἄττα μορμολύκεια, ὥστε τοὺς ἀκούοντας φρίττειν καὶ ἀθυμεῖν, καὶ μικροῦ γίνεσθαι ἀναύδους· καθάπερ φασὶ τοὺς ὑπὸ λύκου ὀφ-*

Digitized by Google

τέρους ὀφθέντας. Ambr. Hexam. l. 6. c. 4. *Lupus si prior hominem viderit, vocem eripit, et despicit eum tanquam victor vocis ablatæ.* Id. l. 6. in Luc. c. 10. *Si quem priores* (lupi) *hominem viderint, vocem ejus quadam naturæ vi feruntur eripere. Si autem homo prius eos viderit, exagitari memorantur.* Vid. eund. Serm. 10. Psalm. 118. Cassian. Busc. l. XV. c. 1. ὁ λύκος προορῶν τὸν ἄνθρωπον, ἀσθενέστερον αὐτὸν καὶ ἄφωνον ποιεῖ, ὡς ὁ Πλάτων ἐν ταῖς πολιτείαις φησί· ὀφθεὶς δὲ πρότερος ὁ λύκος, ἀσθενέστερος γίνεται. Locus Virg. est Ecl. IX. 54. ubi Servius similia refert, et Theocriti Scholiast. ad Idyll. ιδ.

Pueros ludificantium terrore lupi] Ut in hoc dicto vetulæ Æsopicæ puerum increpantis, Fab. Λύκος καὶ Γραῦς. Παῦσαι τοῦ κλαίειν· εἰ δὲ μὴ, τῇ ὥρᾳ ταύτῃ ἐκδώσω σε τῷ λύκῳ. Hieron. advers. Pelag. III. *Ne quasi parvulis tristior quædam imago monstretur.*

ACT. IV. SCENA II.

1 *Cicero in Catilinam*] Ms. *Cicero in Catone.*

13 *Sed sic ipse egit*] Ms. *ut ipse ait.*

43 *Sallustius: ad Jovis mandem*] Locus corruptus, cui nec a Ms. auxilium, in quo sic est, *ad jovis manævani.* æque vitiose.

44 *Porta dicta*] Varro de Ling. Lat. libr. 4.

45 *Pistrina ut sutrinam et medicinam*] Plaut. Amph. IV. 1. 5. *In medicinis, in tonstrinis, apud omnis ædis sacras.* Et in Epidico, II. 2. 14. *Per medicinas, per tonstrinas, in gymnasio, atque in foro, Per myropolia et lanienas, circumque argentarias.* Vid. eundem in Menæchmis.

ACT. IV. SCENA IV.

2 *Ut quam significet*] Ms. nisi *forte significat, ut sit, o quam.*

ACT. IV. SCENA V.

23 *Nunc dicit*] Ms. *non dum d.*

28 *Græci dicunt ἀτταῖς*] Variant scripti codd. ΗΤΑΙΙΤΕCΤΟS. al. ΗΤΑΙΙ-ΙΒCΤΟS.

34 *Plena gladiatoria*] *l*σ. *plane glad.*

ACT. IV. SCENA VII.

4 *Esurientibus cæteris*] Ms. *cunctis.*

5 *Iracundiam Demeæ*] Ms. *vel consentiendo mitigare sibi amorem, fieri iracundum Demeam.*

15 *Virginem quæ etiam cum viro*] Eadem ratione *puellam* vocat Gell. quæ recens peperit. l. 12. c. 1. et *virginem maritum* P. Chrysol. qui bona sua primum vendidit. Serm. 148. *Inducta virgo inducit virginem mox maritum.* Nam et *virginem puerum* dixere investem, et a venereo contactu liberum. Paulin. in Epithalam. Jul. et Tit. *Concordes animæ casto sociantur amore, virgo puer Christi, virgo puella Dei.* Apud Marc. Empir. aliquotiens *chartam virginem* legimus, c. 8. quam Ulp. l. 52. §. 4. ff. de leg. 3. *chartam puram* vocat. Sed Mart. l. 1. Epigr. 67. *virginem chartam,* non puram intelligit, sed recens scriptam, plane ad Donati mentem; *scrinioque signatas Custodit ipse virginis pater chartæ.* Vid. quæ Servius notat ad illum Ecl. 6. v. 47, *Ah, virgo infelix,* et Æn. XI. v. 687. *muliebribus armis.* Jun. Philargyr. ad Eclog. III. 30.

ACT. V. SCENA I.

4 *Ad delicias exprimendas*] Id propter Laconica lege vetitum erat. Ælian. Var. hist. l. 2. c. 5. Ἀκούσαντες οἱ ἔφοροι Λακεδαιμονίων, τοὺς Δεξίλεων καταλαβόντες περιπάτῳ χρῆσθαι δειλινῷ, ἐπιστεῖλαν αὐτοῖς, Μὴ περιπατεῖτε ὡς τρυφώντων αὐτῶν μᾶλλον, ἢ τὸ σῶμα ἐκπονούντων.

ACT. V. SCENA IV.

1 *Apud alium et palam*] Ms. *apud alium quempiam.*

17 In versu Actii: *feras potiuntur*] Ms. *siras pot.* Gloss. πλίνται *sira.*]

ACT. V. SCENA VI.

5 *Aut, ut existimo*] Ms. *aut in Syro nihil.*

6 *Postquam ipse dixit*] Legend. *Postquam ipso audivit bis nomine appellatum Getam.*

Digitized by Google

ACT. V. SCENA VII.

5 *Hymenæum*] Vide Procli Chrestom. ap. Phot. qui eleganter hæc explicat: novissimeque addit Æol. dialecto Ὑμέναιον dici ἀπὸ τοῦ ὑμεναίειν, τουτ' ἐστι, ὁμονοεῖν, quod concorditer noviter maritatos semper vivere optarent. vid. locum ipsum et Serv. Æneid. lib. I. ad illum versum 651. *inconcessosque Hymenæos.*

10 *Alicujus demacerata*] Ms. *non altus demacerata.*

16 *Tanquam de præsente*] Ms. *quasi cum præs.*

ACT. V. SCENA VIII.

7 *Modesta apud alios*] Ms. *modesta alii.*

15 *Comicorum senum*] Cic. in Læl. 26. *Hodie me ante omnes comicos stultos senes,* &c. Plaut. etiam senibus illam ætatem præcribit, qua scortari desinant. Mercat. V. 4. 57. *Annos natus sexaginta qui erit, si quem scibimus sive maritum, sive hercle adeo cœlibem scortarier, cum eo nos hic lege agemus.*

20 *Micio velut insuavi*] Ms. *Micio velut insanis.*

21 *Non voto filiorum*] Ulp. l. 1. §. 8. π. de ventr. inspic. *voto liberorum suspiciendorum ductus.* l. 22. §. 7. ff. Solut. matr. *procreandæ sobolis cupidine.* Enim matrimonii hæc erat formula, LIBERORUM QUÆRENDORUM GRATIA, &c. Ennius apud Festum in *quæsere. Ducit me uxorem liberorum sibi quæsendum gratia.* August. Episc. LIBERORUM PROCREANDORUM CAUSA dixit. L. 1. de nuptiis c. 4. Idem Serm. 3. Dom. 3. post Trin. et ex Isid. de offic. Eccl. l. 2. c. 19. *Ipsæ tabulæ dotales indicant, quod causa* LIBER. PROCREAND. *ducitur uxor.* Itaque sic corrigenda DD. Impp. Marci et Lucii constitutio apud Io. Sarisber. Ep. 89. *Confirmamus statum liberorum vestrorum in eo matrimonio quæsitorum.* Hactenus enim corrupte editum *quæ* * *vesitorum.* Vid. Val. Max. l. 7. c. 7. Gell. l. 4. c. 3. Athen. dicebant ἐπ' ἀρότρῳ παίδων. Isid. Pelus. l. 3. Ep. 243. τὴν γὰρ παρθένον ὁ ἀνὴρ συναπτόμενος γυναῖκα, τουτέστι, γόνιμον ποιεῖ· διὸ καὶ παρ' Ἀθηναίοις ἡ συνάφεια ἡ κατὰ νόμον, ἐπ' ΑΡΟΤΡΩ ΠΑΙΔΩΝ ἐλέγετο γίνεσθαι. Justinus Mart. Apolog. 2. οὐκ ἐγαμούμεν, εἰ μὴ ἐπὶ παίδων ἀνατροφῇ. Vid. Luc. in Timone.

25 *Recte, non uxoris cognati*] Scribend. *recte; nam uxoris.*

ACT. V. SCENA IX.

2 Κυριολογία] Ms. περισσολογία.

4 *Adscribi causas manumissionis*] Marcian. l. 9. et seqq. π. de manumiss. et vind.

5 *Secundum quem apparet*] Ms. *sed apparet.*

18 *Confirmantia* παρέλκον] Ms. *confirmantia, cum* παρέλκον.

22 *Ut alias manumissum*] Ulpian. lib. 14. et passiam in Π. Tit. de aliment. et cibar.

33 *Velis, nolis*] Ms. *fas, nefas.*

36 Εἰρωνεία] Ms. ΠΟΙΚΙΙΝΑ.

Digitized by Google

C. SULPITII APOLLIN.

PERIOCHA IN TERENT.

HECYRAM.

UXOREM duxit Pamphilus Philumenam,
Cui quondam ignorans virgini vitium obtulit:
Cujusque, per vim quem detraxit, anulum
Dederat amicæ Bacchidi meretriculæ.
Dein profectus in Imbrum est: nuptam haud attigit:
Hanc mater utero gravidam, ne id sciat socrus,
Ut ægram ad se transfert. revenit Pamphilus:
Deprehendit partum: celat: uxorem tamen
Recipere non volt. pater incusat Bacchidis
Amorem. dum se purgat Bacchis, anulum
Mater vitiatæ forte agnoscit Myrrhina.
Uxorem recipit Pamphilus cum filio.

Digitized by Google

ÆLII DONATI, V. C. ORATORIS URBIS

ROMÆ, PRÆFATIO IN HECYRAM TERENTII.

HÆC fabula Appollodori (vid. Sidon. Apoll. IV. Epist. 12. L.) esse dicitur Græca. Nam et ipsa et *Phormio* ab eodem dicuntur esse translatæ : quum reliquæ quatuor sint Menandri comici. *Hecyra* autem dicitur ideo, quia per socrus et soceros in ea aguntur multa. Nam et ἑκυρὸς et ἑκυρά, soceri nomen, socrusque significant. Est autem mixta motoriis actibus ac stataríis : multumque sententiarum et figurarum continet in toto stilo. Unde quum delectet plurimum ; non minus utilitatis affert spectatoribus. Atque in hac primæ partes sunt Lachetis, secundæ Pamphili, tertiæ Phidippi, quartæ Parmenonis : ac deinceps aliarum personarum, quæ his adjunctæ sunt. Divisa est autem, ut cæteræ, quinque actibus legitimis, quos in subditis distinguemus. In hac prologus est et multiplex, et rhetoricus nimis, propterea quod sæpe exclusa hæc comœdia, diligentissima defensione indigebat. Atque in hac *protasis* turbulenta est, *epitasis* molllor, lenis *catastrophe*. Acta sane est ludis Megalensibus, Sexto Julio, C. Rabirio Ædilibus curulibus : egitque L. Ambivius. Modulatus est eam Flaccus Claudius tíbiis paribus. Tota Græca est, factaque et edita quinto loco, Cn. Octavio, T. Manlio Coss. Cantica et diverbia summo in hac favore susceptа sunt. Προσατικὰ in hac *πρόσωπα*, id est, personæ extra argumentum duæ sunt, Philotidis et Syræ. In tota comœdia hoc agitur, ut res novæ fiant, nec tamen abhorreant a consuetudine. Inducuntur enim benevolæ socrus ; verecunda nurus ; lenissimus in uxorem maritus, et item deditus matri suæ ; meretrix bona.

Digitized by Google

ARGUMENTUM.

VITIATAM in tenebris ante nuptias, cui annulum extorserat, meretricem amans dum ignorat Pamphilus, duxit uxorem gravidam ex compressu suo. Quam peregre profectus, quum reliquisset domi, rediens parientem offendit furtim et apud matrem suam. Qua re commotus, dum repudium, invitis parentibus et causam repudii nescientibus, parat, per meretricem, apud quam annulus inventus est, cognoscit tandem ita a se vitiatam uxorem, et ex se natum filium. *Primus* actus colloquium continet meretricis Philotidis ac lenæ Syræ inter se primum, deinde cum Parmenone: ut per harum personas, quæ προτατικαὶ dicuntur, argumentum spectator addiscat. *Secundi* actus tenor in hoc est; immeritam uxorem, veluti malam socrum, accusat Laches: et convenit Phidippum de eadem causa. Statim post quorum colloquium conquestio inducitur Sostratæ, quod falsum crimen invidiosumque sustineat. *Tertio* actus hæc adscribuntur: Conquestio Pamphili peregre redeuntis, de amore suo circa uxorem: Partitudo Philumenæ: Sostratæ verba super ægritudinem nurus, quam morbo credit afflictam: Fletus Pamphili errantis, quum putat non ex se filium natum esse. Colloquium Parmenonis cum pueris a navi venientibus, ut mox loquatur cum ipso (rectius Ms. *et mox cum ipso* L.) Pamphilo; a quo in arcem mittitur. Item Lachetis, Phidippique, et Pamphili verba de reconcilianda illi conjuge: et eorum abinvicem litigiosa dissensio. *Quartum* actum hæc complent: Perturbatio Myrrhinæ ex interventu mariti: et ejusdem cum eo nimis callida ac muliebris astutiæ disceptatio: Sostratæ, Pamphili, Lachetisque colloquium: inclamatio patris et soceri adversum Pamphilum uxorem recusantem: conventio meretricis promittentis se jusjurandum matronis exhibituram de non admisso ad se Pamphilo. In *quinto* actu Bacchidis

Digitized by Google

narratio de intus gestis, et colloquium cum Parmenone inducitur: quem nuncium mittit ad Pamphilum: Pamphilique ad ultimum actio gratiarum apud ipsam Bacchidem. Docet autem Varro, neque in hac fabula, neque in aliis esse mirandum, quod actus impares scenarum paginarumque sint numero: quum hæc distributio in rerum descriptione, non in numero versuum constituta sit; non apud Latinos modo, verum etiam apud Græcos ipsos.

Digitized by Google

FABULÆ INTERLOCUTORES.

BACCHIS meretrix.
LACHES senex.
MYRRHINA mulier.
PAMPHILUS adolescens.
PARMENO servus.
PHIDIPPUS senex.
PHILOTIS meretrix.
PHILUMENA meretrix.
SOSIA servus.
SOSTRATA mulier.
SYRA anus.

Digitized by Google

Digitized by Google

P. TERENTII HECYRA.

Acta ludis Megalensib. Sex. Julio Cæsare. Cn. Cornelio Dolabella Ædil. Curulib. non est peracta. Modos fecit Flaccus Claudi, tibiis paribus. tota Græca Apollodoru est. acta primo sine prologo. data secundo, Cn. Octavio, T. Manlio Coss. relata est Lucio Æmilio Paulo ludis funebribus. non est placita. Tertii relata, Q. Fulvio, L. Marcio Ædil. Curulib. egit L. Ambivius Turpio. Placuit.

PROLOGUS.

HECYRA est huic nomen fabulæ; hæc cum data est

Ludis Megalensibus] Ms. R. et vett. codd. *ludis Romanis*. L.

Tibiis paribus] Ms. R. *tibiis perilibus*. ut et in Andr. L.

Acta primo sine prologo] Variant scripti libb. quorum plurimi sic habent: *Cn. Octavio, Tito Manlio Coss. relata est iterum ludis funebribus, relata est III. Quinto Fulvio*, &c. L.

Prologus] Non omnes comœdiæ Terentii a Menandro videntur esse translatæ: nam hæc quæ Hecyra est, alterum Græcum habet auctorem; quis ille sit, habetur incertum. Alii Apollodorum volunt. Quid autem nunc ipsa contineat, explicabimus. *Prologus* inducitur duplex, propterea quia frequenter exclusa est, ut intelligitur. Videtur enim primam prologi partem antea dictam: posteriorem nunc esse sociatam. Consuetudinem quidem in omnibus diximus prologorum semper esse hanc, poetam commendare, argumentum dicere, audientiam postulare. Verum cum causa exordii semper ita sit, ut suspicio vel crimen, quod possit opinioni obesse, in principio defendatur, est hic purgandum quod frequenter exclusa est: videtur enim quiddam esse præjudicium, quod hæc comœdia placere non possit. defenditur autem causæ derivatione, per conjecturalem statum. Non enim ideo quia mala, est exclusa; sed quia *populus in funambulo animum occupaverit*. et hoc addit, quod semel exclusa est, vel quod rumor esset, datum iri gladiatores, populus convolavit cum tumultu, defuit loco: hoc enim ad id pertinet quod iterum videtur exclusa. Ita in omnibus exclusionibus per causæ mutationem defensio comparata. nunc verba tractemus. Græcum nomen *Hecyra*, Latine *Socrus* dicitur. Apposuit igitur ad faciendos docites auditores, primum nomen: deinde proponit quæstionem, cum dicit: *hæc cum data est nova, novum intervenit vitium et calamitas, ut neque spectari neque cognosci potuerit*. In quo defensio est magna, cum nunc dicit spectatam et cognitam repudiare. Deinde conclusio ejusdem causæ: *ita studio populus stupidus in funambulo animum occuparat. nunc hæc plane est pro nova*. Ergo si antea nullum initium hujus agendæ fuit, tanquam redit: *et hic qui scripsit hanc ob eam rem noluit iterum referre, ut iterum possit vendere*, Ne objiceretur, cur non repetita actio est post funambulum; si propter funambulum videtur exclusa, adjecta causa est, quoniam Terentius referre eam noluit, ut possit eam vendere. E.

1 *Hecyra est huic nomen fabulæ*] A nomine cœpit, ut incognitam probaret, et ideo spectandam. *Hecyra est huic no-*

Digitized by Google

...mitas,
... potuerit:
...nambulo

... est huic
... est sine
... quos Sex.
... labella edide-
... studio fu-
... data est lu-
... L. Æmilii Pauli: quos
... Maximus, et Corne-
... Tunc quoque non per-
... per studium populi circa gla-
... Tertio ad postremum intro-
... Q. Fulvio, L. Martio ædilibus:
... L. Ambivii, et L. Tur-
... est commendata. *Hecyra est huic*
nomen fabulæ] Totus hic prologus sub-
tilem conquestionem continet, ob hoc
(*ad hoc*) ne aperte populum neglectæ
(*non lectæ*. Liber uterque) fabulæ reum
faciat, et facile revocet in favorem. *Hæc*
quum data est nova] Ita dicitur, *data*
est fabula, ut *data est cœna*, *datum est*
prandium. Et *edidit* a *dato* (*edita a da-*
ta) descendit. *Hæc quum data est nova,*
novum intervenit vitium] Sic et Home-
rus Od. ώ, 40. κεῖτο μέγας μεγαλωστὶ
λελασμένος ἱπποσυνάων. Et *dari* dicitur
fabula, quum agitur: *stare*, quum pla-
cet. *Hæc quum data est nova, novum*
intervenit vitium] Σύλληψις prima: deest
enim, *huic*: et est figura παρονομασία,
nova, *novum*. D.

Pro *fabulæ* repone *fabulai*. B.

Eum data est nova] I. e. cum primum
acta est. Cic. Tusc. quæst. I. 1. *Livius*
fabulam dedit in Bruto c. 18. *Livius*
primus fabulam docuit. R. D.

2 *Vitium et calamitas*] Bene secun-
dum augures. *Vitium* enim est, si tonet
tantum: *vitium et calamitas*, si tonet et
grandinet simul, et etiam fulminet. *Vi-*
tium et calamitas] Translatio est ab au-
gurio: et *vitio creati* dicuntur *consules*.
Calamitas παρὰ τὴν καλάμην dicitur: *cla-*
des, quia clamatur (*quia* κλάδος *datur*:)
ut aliud sit grandinis culmum frangen-
tis, aliud furti, aut doli mali (*ut in dolis*
malis. Ms. B. et edd. vett.) Sic Pro-
bus. D.

Repone *nova*, *ei novum intervenit*,
&c. B.

Vitium] I. e. impedimentum. Vox
sumpta est ex augurali disciplina. Nam
augures *vitium* appellabant, si tonuisset
aut grandinasset aliudve sævum, quo
comitia dirimerentur, observatum esset.
Hinc *vitio creati magistratus* sunt malis
omnibus creati, qui cogebantur magis-
tratum deponere. Hinc etiam vitium
pro quovis impedimento. De proprie-
tate vocis *calamitas* diximus ad Eun. I.
1. 34. R. D.

3 *Ut neque spectari*] *Vitium*, quod
non spectata est: *calamitas*, quod non
cognita. *Ut neque spectari, neque cognos-*
ci] Mira defensio. siquidem non judi-
cio comœdia exacta est, si spectari cog-
noscique non potuerit: placitura scili-
cet, si audiretur. *Ut neque spectari, ne-*
que cognosci] Ideo theatrum, ideo spec-
tatores ideo actores: quia major pars in
gestu est, quam in verbis. *Cognosci*]
Vel probari, vel sciri: an Hecyra sciri
dicatur, quæ scita sit nomine (*quæ sit*
omnino ita, Ms. H.?) D.

Spectari] H. e. prospectari, usque
ad finem spectari. Sic capiendum hoc
verbum esse sequentia docent. v. Peri-
zon. ad Sanctii Min. IV. 11. p. 722.
R. D.

4 *Ita populus studio stupidus*] A de-
rivatione causæ. Non quia mala, inquit,
exclusa est; sed quia populus funam-
buli admiratione obstupuit: quod infra
de gladiatoribus dicet, ad commutatio-
nem causæ inducendam. *Ita populus stu-*
dio stupidus] Hic excusatur et populus,
qui neque judicavit de fabula, neque
tamen stulte erravit. *Stupidus*, pro stu-
pens. ut Ecl. VI. 20. *timidisque super-*
venit Ægle. D.

Digitized by Google

Animum occuparat. nunc hæc plane est pro nova:
Et is qui scripsit hanc, ob eam rem noluit
Iterum referre, ut iterum possit vendere.
Alias cognostis ejus; quæso hanc noscite.

ALTER PROLOGUS.

ORATOR ad vos venio ornatu prologi:

Studio stupidus] I. e. studio spectandi et admiratione stupens. R. D.

5 *Pro nova*] Recte: jam enim non est nova. D.

Animum occuparat] I. e. animum occupatum habebat. Pacuvius ap. Non. Marcell. p. 355. diversa structura. Plaut. in Pseud. I. 5. 135. *de quo te ad aliud occupes negotium.* R. D.

6 *Et is, qui scripsit hanc, ob eam rem*] Id est, ob eam causam. quasi dicat, non iterum acta est sine causa. Cur ergo non post funambulum relata est, ubi ille cessarat? in quo maluit avarum poetam populo inducere, quam suo operi diffidentem. D.

7 *Iterum referre*] Supervacuum est *iterum*. *Ut iterum possit vendere*] Aliis scilicet ludis. hoc, ut diximus, ad laudem fabulæ referatur (*refertur* codd. vett.): postquam tantum fiduciæ poetæ dedit. D.

Pro *possit* leges linguæ postulant *posset*. B.

8 *Alias cognostis ejus; quæso nunc hanc noscite*] Mire illi favorem petit ex aliis, quæ spectatori notæ sunt. *Ejus*] Poetæ (*notæ ejusdem poetæ* edd. unde R. Steph.) Quasi hæc omnino nota sit (QUÆSO NUNC HANC NOSCITE. *Quasi hæc omnino incognita sit.* Vid. Donat. ad vers. 1.) At in Andria, quæ omnium prima est, aliter ait, *ut pernoscatis et quid spei sit relliquum: posthac quas faciet deintegro comœdias, spectandæ an exigendæ sint vobis prius.* D.

Alias cognostis ejus, quæso hanc cognoscite] Optime animonuit, ut de præteritis poetam datum doceret, quo facilius posset scire populus, et hanc ejus comœdiam posse similiter comparari. E.

1 *Orator ad vos venio ornatu prologi*] Magna arte hic prologus scriptus est, nimis oratorie. Nam totiens expulsa fabula, quomodo honeste revocari potuit in proscenium, nisi primo ipsa impudentia pro fiducia proferretur? deinde actor peritissimus ipse Ambivius, probaret et poetam et comœdiam, cujus auctoritas elucet ex verbis? tum deinde subtiliter novo poetæ, a vetusto et magnæ auctoritatis Cæcilio peteretur exemplum, et peteretur ingeniosissime? Nam quod rudi Terentio contigit, accidisse memoratur veteri Cæcilio: quod huic semel, illi sæpe: quod huic in aliis nunquam, hoc illi fere in omnibus: quod huic, præter Hecyram, et actæ, et probatæ sunt cæteræ: illi partim exactæ, partim vix probatæ. Itaque his omnibus argumentis id actum est, ut neque desperandum sit de Terentio, quod expulsus est (alii, *explosus*. Forte, *exclusus*): ut nihilominus illi tantum attribuendum sit, ut aut par Cæcilio, magno tuno poetæ, aut ultro melior etiam esse possit. Hic autem L. Ambivius histrio, fuit actor comœdiarum. *Orator ad vos venio*] Oratorem audire oportere, jus

Digitized by Google

Nova, novum intervenit vitium et calamitas,
Ut neque spectari, neque cognosci potuerit:
Ita populus studio stupidus in funambulo

men fabulæ] Nominativo casu figuravit: quum in usu sit, ut dativo dicamus. quamvis præsto sint exempla, quibus veteres per omnes fere casus hoc genus locutionis enunciabant. *Hecyra est huic nomen fabulæ*] Hæc primo data est sine prologo, ludis Megalensibus: quos Sex. Julius, et Cornelius Dolabella ediderunt, sed occupato populo studio funambuli, displicuit. Postea data est ludis Funebribus. L. Æmilii Pauli: quos fecerunt Q. Fabius Maximus, et Cornelius Africanus. Tunc quoque non peracta est, per studium populi circa gladiatores. Tertio ad postremum introducta, Q. Fulvio, L. Martio ædilibus: virtute actorum L. Ambivii, et L. Turpionis est commendata. *Hecyra est huic nomen fabulæ*] Totus hic prologus subtilem conquestionem continet, ob hoc (*ad hoc*) ne aperte populum neglectæ (*non lectæ*. Liber uterque) fabulæ reum faciat, et facile revocet in favorem. *Hæc quum data est nova*] Ita dicitur, *data est fabula*, ut *data est cœna*, *datum est prandium*. Et *edidit a dato* (*edita a data*) descendit. *Hæc quum data est nova, novum intervenit vitium*] Sic et Homerus Od. ώ, 40. κεῖτο μέγας μεγαλωστὶ λελασμένος ἱπποσυνάων. Et *dari* dicitur *fabula*, quum agitur: *stare*, quum placet. *Hæc quum data est nova, novum intervenit vitium*] Σύλληψις prima: deest enim, *huic*: et est figura παρονομασία, *nova*, *novum*. D.

Pro *fabulæ* repone *fabulai*. B.

Cum data est nova] I. e. cum primum acta est. Cic. Tusc. quæst. I. 1. *Livius fabulam dedit* in Bruto c. 18. *Livius primus fabulam docuit*. R. D.

2 *Vitium et calamitas*] Bene secundum augures. *Vitium* enim est, si tonet tantum: *vitium et calamitas*, si tonet et grandinet simul, et etiam fulminet. *Vitium et calamitas*] Translatio est ab augurio: et *vitio creati* dicuntur *consules*. *Calamitas* παρὰ τὴν καλάμην dicitur: *clades*, quia clamatur (*quia κλάδοις datur*:) ut aliud sit grandinis culmum frangentis, aliud furti, aut doli mali (*ut in dolis malis*. Ms. B. et edd. vett.) Sic Probus. D.

Repone *nova*, *ei novum intervenit*, &c. B.

Vitium] I. e. impedimentum. Vox sumpta est ex augurali disciplina. Nam augures *vitium* appellabant, si tonuisset aut grandinasset aliudve sævum, quo comitia dirimerentur, observatum esset. Hinc *vitio creati magistratus* sunt malis ominibus creati, qui cogebantur magistratum deponere. Hinc etiam vitium pro quovis impedimento. De proprietate vocis *calamitas* diximus ad Eun. I. 1. 34. R. D.

3 *Ut neque spectari*] *Vitium*, quod non spectata est: *calamitas*, quod non cognita. *Ut neque spectari, neque cognosci*] Mira defensio. siquidem non judicio comœdia exacta est, si spectari cognoscique non potuerit: placitura scilicet, si audiretur. *Ut neque spectari, neque cognosci*] Ideo theatrum, ideo spectatores ideo actores: quia major pars in gestu est, quam in verbis. *Cognosci*] Vel probari, vel sciri: an Hecyra sciri dicatur, quæ scita sit nomine (*quæ sit omnino ita*, Ms. H.?) D.

Spectari] H. e. prospectari, usque ad finem spectari. Sic capiendum hoc verbum esse sequentia docent. v. Perizon. ad Sanctii Min. IV. 11. p. 722. R. D.

4 *Ita populus studio stupidus*] A derivatione causæ. Non quia mala, inquit, exclusa est; sed quia populus funambuli admiratione obstupuit: quod infra de gladiatoribus dicet, ad commutationem causæ inducendam. *Ita populus studio stupidus*] Hic excusatur et populus, qui neque judicavit de fabula, neque tamen stulte erravit. *Stupidus*, pro stupens. ut Ecl. VI. 20. *timidisque supervenit Ægle*. D.

Digitized by Google

Animum occuparat. nunc hæc plane est pro nova:
Et is qui scripsit hanc, ob eam rem noluit
Iterum referre, ut iterum possit vendere.
Alias cognostis ejus; quæso hanc noscite.

ALTER PROLOGUS.

ORATOR ad vos venio ornatu prologi:

Studio stupidus] I. e. studio spectandi et admiratione stupens. R. D.

5 *Pro nova*] Recte: jam enim non est nova. D.

Animum occuparat] I. e. animum occupatum habebat. Pacuvius ap. Non. Marcell. p. 355. diversa structura. Plaut. in Pseud. I. 5. 135. *de quo te ad aliud occupes negotium.* R. D.

6 *Et is, qui scripsit hanc, ob eam rem*] Id est, ob eam causam. quasi dicat, non iterum acta est sine causa. Cur ergo non post funambulum relata est, ubi ille cessarat? in quo maluit avarum poetam populo inducere, quam suo operi diffidentem. D.

7 *Iterum referre*] Supervacuum est *iterum*. *Ut iterum possit vendere*] Aliis scilicet ludis. hoc, ut diximus, ad laudem fabulæ referatur (*refertur* codd. vett.): postquam tantum fiduciæ poetæ dedit. D.

Pro *possit* leges linguæ postulant *posset*. B.

8 *Alias cognostis ejus; quæso nunc hanc noscite*] Mire illi favorem petit ex aliis, quæ spectatori notæ sunt. *Ejus*] Poetæ (*notæ ejusdem poetæ* edd. unde R. Steph.) Quasi hæc omnino nota sit (QUÆSO NUNC HANC NOSCITE. *Quasi hæc omnino incognita sit.* Vid. Donat. ad vers. 1.) At in Andria, quæ omnium prima est, aliter ait, *ut pernoscatis et quid spei sit reliquum: posthac quas faciet deintegro comœdias, spectandæ an exigendæ sint vobis prius.* D.

Alias cognostis ejus, quæso hanc cognoscite] Optime animonuit, ut de præteritis poetam datum doceret, quo facilius posset scire populus, et hanc ejus comœdiam posse similiter comparari. E.

1 *Orator ad vos venio ornatu prologi*] Magna arte hic prologus scriptus est, nimis oratorie. Nam totiens expulsa fabula, quomodo honeste revocari potuit in proscenium, nisi primo ipsa impudentia pro fiducia proferretur? deinde actor peritissimus ipse Ambivius, probaret et poetam et comœdiam, cujus auctoritas elucet ex verbis? tum deinde subtiliter novo poetæ, a vetusto et magnæ auctoritatis Cæcilio peteretur exemplum, et peteretur ingeniosissime? Nam quod rudi Terentio contigit, accidisse memoratur veteri Cæcilio: quod huic semel, illi sæpe: quod huic in aliis nunquam, hoc illi fere in omnibus: quod huic, præter Hecyram, et actæ, et probatæ sunt cæteræ: illi partim exactæ, partim vix probatæ. Itaque his omnibus argumentis id actum est, ut neque desperandum sit de Terentio, quod expulsus est (alii, *explosus*. Forte, *exclusus*): ut nihilominus illi tantum attribuendum sit, ut aut par Cæcilio, magno tuno poetæ, aut ultro melior etiam esse possit. Hic autem L. Ambivius histrio, fuit actor comœdiarum. *Orator ad vos venio*] Oratorem audire oportere, jus

Digitized by Google

Sinite exorator ut sim, eodem uti jure uti senem
Liceat, quo jure sum usus adolescentior:
Novas qui exactas feci ut inveterascerent,
Ne cum poeta scriptura evanesceret. 5.
In his, quas primum Cæcili didici novas,
Partim sum earum exactus, partim vix steti.

gentium est: oratorem non licet injuriam pati. Ideo ergo, ne expellatur, non se prologum, sed oratorem nominat. Plautus, Pœn. I. 2. 171. *impia secrete oratorem verberas.* D.

Orator ad vos venio ornatu prologi sinite exorator sim] Alius est hic prologus a superiore, qui fuit superioris exclusienis: hic vero propter exclusionem tumultus convenientis populi, propter spectandos gladiatores. *Sinite exorator siem* vel *sim*, sinite inquit, quod oro impetrem. E.

2 *Sinite exorator ut sim*] *Orator* est dum agit (*orat.* Mss. et edd. ante Steph.): *exorator* quum impetraverit (*impetravit.* Ibidem). Ita illud, dicentis: hoc, jam effecti significationem habet. Et *orator est*, cui causa defendenda mandatur. *Eodem ut jure uti senem liceat*] Ut, Æn. V. 350. *me liceat casus miserari insontis amici.* D.

Bentl. duce Faerno edidit *sinite exorator sim.* Z.

Eodem jure uti] H. e. eandem conditionem habere. *Jus* sæpe est conditio, status. Cic. Agrar. III. 2. *libera prædia meliore jure sunt quam serva* mox repetit vocem *jure* ut centies optimi scriptores. v. Manut. ad Cic. divinat. c. 1. et Drakenb. ad Liv. I. 43. R. D.

3 *Quo jure sum usus adolescentior*] Tanquam aliud agens affert exempla, quibus ostendat, turpe non esse Terentio exclusam esse unam illius fabulam, quum multorum poetarum multæ exactæ sint: et in his Cæcilii, cujus illo tempore magna auctoritas fuit. *Adolescentior*] Hæc comparatio minus a positivo sonat, et vim diminutivam exprimit: ut, Æn. VI. 304. *jam senior; sed cruda deo, viridisque senectus.* D.

Quo jure sum, usus adolescentior] Hic prologus dicitur ab Ambivio Turpione, quia senex fuerat qui est in ea actor; petit ergo uti pari modo utatur senex benivolentia populi, qua et adolescens. E.

4 *Novas qui exactas feci ut inveterascerent*] Σύλληψις. *Inveterascerent*, denuo agerentur. quia nondum acta, nova dicitur fabula. *Exactas*] Expulsas. *Inveterascerent*] In consuetudinem venirent, spectarentur, amarentur. D.

Novæ qui exactas feci ut inveterascerent] Qui labore meo novas comœdias exclusas ad populi aures revocavi, et veteres confeci. E.

Inveterascerent] I. e. in consuetudinem venirent. Lucret. IV. 1061. *ulcus vivescit et inveterascit alendo.* Cic. ad Attic. XIV. 9. *quæ mihi viderentur habitura etiam vetustatem.* R. D.

5 *Ne cum poeta scriptura evanesceret*] Causa facti honestior est, non se poetæ unius, sed ipsius poematis causa laborare. D.

6 *In his, quas primum Cæcili didici novas*] A simili argumentum, quod fit per comparationem artificiosam et oratoriam rerum ac personarum. D.

Quas primum Cæcili didici novas] Comœdiarum scriptor Cæcilius fuit. ergo ad hunc laborem suum profert exemplum de altero auctore, qui populo placuerit; et ostendit populi quodammodo rem, et scenæ dubiam fortunam esse: uti comœdia excludatur aliquotiens. E.

7 *Partim sum earum exactus, partim vix steti*] Vide, plus esse in exemplo: siquidem partim exactæ sunt Cæcilii fabulæ, partim vix admissæ: quum una

Digitized by Google

Quia sciebam dubiam fortunam esse scenicam,
Spe incerta certum mihi laborem sustuli:
Easdem agere cœpi, ut ab eodem alias discerem
Novas, studiose; ne illum ab studio abducerem.
Perfeci ut spectarentur. ubi sunt cognitæ,
Placitæ sunt. ita poetam restitui in locum,
Prope jam remotum injuria adversarium

Hecyra exclusa sit. Et est sensus, aut displicui, inquit, aut aliquibus vix placui. *Partim rum earum exactus*] Pro in aliis (cum in vett. libris sit *aut tibidis*, leg. *ante mihi actis*). Et simul splendida locutio est. *Partim* adverbium est. Et proprie locutus est. Nam *fabulæ* aut *agi* dicuntur, aut *stare*. D.

7 *Partim*] *Partim* construitur ut *quidam* vel sequente genitivo vel præpositione aliqua. Nepos in Attico. c. 7. *quorum partim invitissimi castra vent secuti, partim cum summa ejus offensione domi remanserunt*. Cic. de Legib. II. 17. *partim ex illis distracti ac dissipati jacent*. v. Gell. X. 13. et Gronov. Observ. III. 2. R. E.

Steti] *Stare* dicuntur actores vel fabulæ, cum placent spectatoribus et probantur in Phorm. prol. v. 9. *olim cum stetit novu*, contra *cadere* dicuntur cum explodantur et exigantur. Horat. epist. II. 1. 176. *securus cadat an recto stet fabula talo* v. Lambin. Male vulgo hoc trahitur locus Ciceron. ad Div. I. 4. *cum in senatu pulcherrime staremus*. Nam hoc intelligendum ex illa verbi ratione cum pro *dicere* usurpatur. Stantes enim dicebant. v. Ernest. in Clave Ciceron. in voce *stare*. R. D.

8 *Quia sciebam dubiam fortunam*] Non igitur poetæ culpa, sed casus est, cum ideo fortunæ eventum extulit *(ad fortunam eventum retulit*. Sic infra vers. 22.) D.

9 *Spe incerta certum mihi laborem sustuli*] Sententiose, et verum. Nam ubi certa spes est, nihil opus est labore certo ac vehementi. *Spe incerta*] Pro, spei incertæ, ut deest in? *Incerta certum*] Honesta figura, quæ dicitur ἀντιθετον. D.

Spe incerta certum mihi laborem sustuli] Hic se commendat, quo facilius impetret quod desiderat. *laborem certissimum sustuli*; at placendi spes est et (dele *et* Z.) incerta. E.

10 *Easdem*] Exactas. *Cœpi*] Difficultatem facti et molimen ostendit. *Ab eodem*] Cæcilio scilicet. D.

11 *Novas studiose, ne illum ob studio*] Παρόμοιον. *Ne illum ab studio abducerem*] Iterum causa honestatis. D.

12 *Perfeci, ut spectarentur*] Attende quantum pondus habeat, quod non *feci* dixit, sed potius *perfeci*: ut molem difficultatis ostenderet. *Ubi sunt cognitæ, placitæ sunt*] Elegans promissio, et hanc placituram, si cognoscatur. Et est conjectura a futuro tempore. D.

Ubi sunt cognitæ, placitæ sunt] Vides a simili, quemadmodum hic argumentum et conjecturam fecerit; si quidem illæ Cæcilii comœdiæ quæ exclusæ sunt, quia ante non erant cognitæ, posteaquam meo labore cognitæ sunt, placere cœperunt. ergo et istæ placebunt sine dubio, cum cognoscentur. E.

13 *Placitæ sunt*] Nota participium sine verbo. *Ita poetam restitui in locum*] Mire non Cæcilium, sed poetam: ut hoc generaliter populo præstitisse, non uni homini videatur. *Restitui in locum*] Quia remotum et exclusum dixit. D.

Placitæ sunt] Servius Æneid. X. 105. L.

14 *Prope jam remmotum*] Geminavit *m* secundum antiquos, qui omnes in verbis liquidas duplicabant. D.

Digitized by Google

Ab studio, atque ab labore, atque arte musica.
Quod si scripturam sprevissem in præsentia,
Et in deterrendo voluissem operam sumere,
Ut in otio esset potius, quam in negotio:
Deterruissem facile, ne alias scriberet.
Nunc quid petam, mea causa æquo animo attendite.
Hecyram ad vos refero, quam mihi per silentium
Nunquam agere licitum est; ita eam oppressit calamitas.
Eam calamitatem vostra intelligentia
Sedabit, si erit adjutrix nostræ industriæ.

15 *Ab studio, atque ab labore*] Bene ostendit se populo profuisse, Cæcilium poetam ad laborem revocando atque artem. *Ab* (Faernus recte correxit sic, *revocando*. ATQUE ARTE MUSICA. *Ab* Z.) autem in tertio commode (*commate* Z.) audiendum est: ut, Æn. I. 431. *hic portas alii effodiunt, hic alta theatri Fundamenta locant alii, immanesque columnas Rupibus excidunt, scenis decora alta futuris.* D.

Consensu codd. repone *atque arte ab musica*. Hoc enim nec a versu nec a Ter. consuetudine abhorret. B.

16 *In præsentia*] Statim ut a populo ejiciebatur. D.

Pro *scripturam* leg. *scriptorem*. Nam verba, quæ sequuntur, *deterrere, in otio esse, scribere*, scripturæ non conveniunt. B.

18 *Ut in otio esset potius, quam in negotio*] Ex ipsis rerum nominibus ostendit facilitatem deterrendi. D.

20 *Nunc quid petam, mea causa*] Bene *petam* et *mea causa*, quasi orator. *Mea causa æquo animo attendite*. Commendatio personæ levis per aliam personam gravem, secundum præcepta in rhetoricis. D.

21 *Hecyram ad vos refero*] A causa principium narrationis inducitur. *Hecyram ad vos refero*] Principium a principali quæstione, an cognita sit, et an spectando sit. *Quam mihi*] A persona dicentis. D

Quam mihi per silentium nunquam agere licitum est.] Hic jam, comparatione a simili ducta et terminata, ad primam quæstionem redit: docetque quod sit frequenter exclusus non suo vitio, neque judicio de comœdia. Petit igitur audientiam ut populus præbeat: et ponit hic ipsam duplicem exclusionis causam. Nam primam sic colligit, *cum primum eam agere cœpi, pugilum gloria, funambuli eodem accessit expectatio.* Deinde actionem alteram sic memorat: *vetere in nova cœpi uti consuetudine. in experiundo ut essem.* Hoc est ut iteram tentarem. *Refero denuo.* Deinde adjecit quod utile fuerat ad comœdiæ judicium, *primo actu placeo.* supponit deinde causam cur exclusus est, *cum interea rumor venit datum iri gladiatores, populus convolat, tumultuantur, pugnant de loco.* Declarata causa vel re, ad officium prologi redit, potens audientiam, *nunc turba non est; otium et silentium est.* Et jam sublatæ sunt causæ quibus sum frequenter exclusus. ad audiendum operam date. E.

22 *Ita eam oppressit calamitas*] Hoc succedit pro illo, quod est a persona adversariorum. Simul ad fortunam retulit culpam populi: non enim dixit, quod præsto erat. D.

23 *Eam calamitatem*] *Calamitatem* repetit, ne nos fabulam illum dicere putaremus. D.

24 *Vostra intelligentia*] Ab audito-

Digitized by Google

Quum primum eam agere cœpi, pugilum gloria,
Funambuli eodem accessit exspectatio,
Comitum conventus, strepitus, clamor mulierum
Fecere, ut ante tempus exirem foras.
Vetere in nova cœpi uti consuetudine,
In experiundo ut essem: refero denuo.
Primo actu placeo: quum interea rumor venit

rum persona (*a spectatorum*, vel, *judicum persona*). *Nostræ industriæ*] Rursus a sua. Et bene περιφράσει usus est: ne diceret, *vos nobis*. D.

25 *Quum primum eam agere cœpi*] Jam hinc narratio subtilis inducitur, et ut non lædat populum, et ut defendat poetam. *Pugilum gloria*] Περίφρασις, ἀντὶ τοῦ pugiles etiam gloriosi: ut minus turpe sit, antelatos eos esse. Sicut Virgil. Æn. V. 368. *vastis cum viribus effert Ora Dares, magnoque virum se murmure tollit, Solus qui Paridem solitus contendere contra.* Hæc est gloria pugilum, gratia funambuli. *Pugilum gloria*] *Pugil* dictus est a pugna: et *pugna* a pugno. Veteres namque ante usum ferri et armorum, pugnis et calcibus, et morsibus, corporumque luctatione certabant. D.

Pugilum gloria] Hoc referendum est cum reliquis nominativis ad verbum *fecerunt*, quamvis ab eo separatum sit per sententiam de funambulo, quæ alterius est constructionis. Sic si locus capiatur cum Perizon. ad S. Min. IV. 11. p. 714. non opus est Bentleii emendatione, qua *accedens* pro *accessit* scribit. R. D.

26 *Pugilum gloria, funambuli eodem accessit exspectatio*] Πολυλογία. *Funambuli eodem accessit exspectatio*] Duplex causa ad unam exclusionem adhibetur. *Accessit exspectatio*] Narratio cur exclusa sit. hoc est, non poetæ culpa dejecta (*rejecta*) est, nec judicio populi: et ideo nunc admittenda est. *Exspectatio*] Desiderium. ut Virg. Æn. II. 283. *exspectate venis*. D.

Accessit exspectatio] Vett. codd. *accessit spectatio*. L.

Ne orationis series perturbetur, pro *accessit* repone *accedens*. B.

27 *Comitum conventus*] Utrum eos comites dicit, qui sunt pugilum affectatores? an servos, qui dominos sequuntur? *Studium*] Certamen diversis faventium. *Clamor mulierum*] Bene *mulierum*: non enim timet eas, quibus suffragari vel refragari non licet in theatro. D.

Cum nesciam, qua ratione vel pugilum assectatores, vel asseclæ dominorum dici possint *comitum conventus*; forte legi debet *comiti conventus*; casu genitivo a *comitium*. B.

Strepitus] Donatus in libris suis *studium* reperit, quod est certamen diversis faventium et hæc lectio melior videtur Heinsio ad Ovid. Amor. III. 2. 67. R. D.

28 *Ut ante tempus exirem foras*] Τῷ ἐξοδικῷ, ne gravem passus videatur injuriam. D.

29 *Vetere in nova*] Ἀντίθετον primum. *Vetere in nova cœpi uti consuetudine*] Nisi novam comœdiam intellexeris, non erit aperta (*apta*, libb. vett.) sententia. Nam et supra dixit, *nunc hæc plane est pro nova*. An a Terentio *nova* ideo dictum est, quia nunquam alias exclusus est? Et bene *vetere*: ut ostendat turpe non esse, quod et aliis poetis sæpe contigerit. D.

30 *Refero denuo*] Aut re abundat, aut *denuo*. D.

In experiundo ut essem] I. e. ut experirer. *Esse in aliqua re* frequens est pro *in aliqua re versari*. R. D.

31 *Primo actu placeo*] Rationabiliter dixit *primo*: quia quinque sunt actus, partes fabulæ. *Placeo*] *Placeo* dixit pro eo quod est, fabula placet, aut Terentius. Et mire, non diu, in-

Digitized by Google

Datum iri gladiatores, populus convolat:
Tumultuantur, clamant, pugnant de loco.
Ego interea meum non potui tutari locum.
Nunc turba nulla est: otium et silentium est.
Agendi tempus mihi datum est: vobis datur
Potestas condecorandi ludos scenicos.
Nolite sinere per vos artem musicam
Recidere ad paucos: facite, ut nostra auctoritas
Meæ auctoritati fautrix adjutrixque sit.
Si nunquam avare pretium statui arti meæ;

quit, pependit judicium, sed statim placuit (*placui*): ut quod sequitur, non judicio, sed perturbatione factum sit. *Cum interea rumor venit datum iri gladiatores*] Hoc abhorret a nostra consuetudine: veruntamen apud antiquos gladiatores in theatro spectabantur. D.

32 *Datum iri*] *Datum iri* dixit, ut fabulam commendet: ut et omnia spectatori et populo dicantur. D.

Gladiatores] Sæpe dicuntur ipsum spectaculum gladiatorium, ut apud Cicer. ad Div. X. 32. *gladiatoribus Gallos equites immisit in populum.* R. D.

34 *Non potui tutari locum*] Facete repetit *locum.* D.

35 *Nunc turba nulla est*] Ἀντανάδοσις πρὸς τὸ (ἀντὶ τοῦ) *tumultuantur. Turba*, id est, θόρυβος. *Nunc turba nulla est: otium et silentium est*] *Turbam* retulit ad id quod supra dixit, *clamor mulierum. Otium*, πρὸς τὸ *pugnant, silentium*, πρὸς τὸ *clamant. Nunc turba nulla est: otium et silentium est*] Quæ adhortatio per enumerationem. D.

Liber Bembinus et Donatus Faerni recte habent *nunc túrba non est.* B.

36 *Agendi tempus mihi datum est*] Ab Ædilibus scilicet. *Vobis datur potestas condecorandi ludos scenicos*] Quasi et aliquid agat populus, quum spectet. D.

38 *Nolite sinere per vos*] Σχῆμα διανοίας, ῥητορικὴ ἐπίπληξις. *Artem musicam*] Oratorie: quasi non Terentii causa agatur, sed artis musicæ. D.

Nolite sinere per vos artem musicam recidere ad paucos] Date potius operam ut faceatis comœdias scribentibus, ne ars musica ad paucos revertatur: et si aliquid excludatur, comœdiæ adscribant. E.

39 *Facite ut vestra auctoritas meæ auctoritati adjutrix fautrixque sit*] Vos comœdias cum libenter audire cœperitis, erit studium scriptoribus maximum, unde mea ad clangendum (*pangendum* W. forte *clarendum* Z.) crescet auctoritas, siquidem multi per me placebunt. Et commendat se quod nunquam pretium statuit artis suæ maximum, ut avarus videretur. et quod maxime ipsum quæstum putaverit, populo semper placere. E.

40 *Meæ auctoritati*] Quia jam senex est. *Meæ auctoritati fautrix, adjutrixque sit*] Qua Terentium probo; et est figura ἀναγωλία. Vult autem se esse ejus auctoritatis, ut et populo placere jam debeat, qui ipsi placet. D.

41 *Si nunquam avare*] Commendatio ab ante dictis (*actis* codd. vett.) id est, a personæ attributis. *Si nunquam avare*] A meritis defensoris argumentum ad laudem fabulæ. *Si nunquam avare*] Per hæc verba Terentius vult demonstrare, quam gravis auctor sit, qui suas comœdias probet. Sic Horatius, Epist. II. 1. 81.—*ea quum respondere conaris quæ gravis Æsopus, quæ doctus Roscius egit.* D.

Pretium] Histrionibus certa merces dabatur ab editoribus ludorum vel de publico, quam proprie *lucar* appellabant. v. Lips. ad Taciti Annal. I. 77. R. D.

Digitized by Google

Et eum esse quæstum in animum induxi maxumum,
Quam maxume servire vostris commodis:
Sinite impetrare me, qui in tutelam meam
Studium suum, et se in vostram commisit fidem.
Ne eum circumventum inique iniqui irrideant.
Mea causa causam accipite, et date silentium;
Ut lubeat scribere aliis, mihique ut discere
Novas expediat, posthac pretio emtas meo.

42 *Et eum esse quæstum, in animum induxi*] Modo non *nunquam* subauditur: sed si. ut sit, et si eum esse, &c. *Maximum quam maxime*] *Inique iniqui* παρόμοιον. D.

43 *Quam maxime servire vostris commodis*] Plus dixit *commodis*, quam si diceret *voluptatibus*. D.

Servire vestris commodis] I. e. studere, operam dare Cic. ad Div. V. 21. *valetudini tuæ et tranquillitati animi servias.* Nepos in Hamilc. c. 1. ubi v. Heusinger. R. D.

44 *Sinite impetrare me, qui in tutelam meam*] Ordo est, sinite impetrare me, ne eum circumventum inique iniqui irrideant, qui in tutelam meam studium suum, et se in vestram commisit fidem. D.

Qui in tutelam meam studium suum, et se in vestram commisit fidem] Poeta enim quodammodo auctore commendatus est. E.

47. *Mea causa*] Quasi orator *causam* dixit. *Mea causa, causam hanc accipite*] Hoc oratorie. sic enim fit, quum persona pro persona ad commendationem affertur. *Mea causa, causam*] Παρονομασία. *Et date silentium*] Quasi fabulæ ac poetæ. D.

Mea causa causam hanc accipite, ac date] Scit se optimi meriti esse, et quam frequenter populo placuerit: et idcirco propter se dicit audientiam esse comœdiæ dandam (reliquus Eugraphii in hanc fabulam commentarius primum editus est e Ms. per Westerhovium. Z.) E.

Causam accipite] *Causam accipere* vel ut Cicero loquitur, *recipere* dicuntur causidici, qui causæ defensionem suscipiunt. R. D.

48 *Ut libeat scribere aliis*] Oratorie ἀπὸ τῆς ICATHOS (ἰσότητος B.) * *Mihique ut discere novas expediat*] Proprie *discere*. docet enim poeta, discit scenicus. D.

Ut libeat] Ms. R. *ut lubeat*. L.

Pro *aliis* rescribendum censeo *alias*; nempe ut Terentio lubeat scribere *alias novas*. Sic supra vers. 10. occurrit *alias discere novas*. Et Ad. prol. 25. *poetæ* occurrit, non *aliis poetis*. B.

49 *Novas expediat posthac*] Ab utili argumentatio est. Et bene, *ut expediat:* tanquam facturus sit, et si non expedierit, dum quæstum maximum servire populo putat. *Pretio emtas meo*] Æstimatione a me facta, quantum Ædiles darent: et proinde me periclitante, si abjecta fabula, a me pretium, quod poetæ numeraverint, repetant. Ergo *meo*, a me facto, a me statuto. Nam quomodo alibi dixit, *postquam ædiles emerunt?* Et bene, ut sequatur populus judicium ejus, qui æstimare vere fabulas potuerit. *Pretio emtas meo*] Ut quidam volunt, *periculo*. D.

Pretio emto meo] *Meum pretium* Brookhusius Donatum secutus ad Propert. explicat æstimationem a me factam, quod ædiles fabulam emerant, quanti auctor æstimasset. Sed durior est hæc ratio; ac, licet verum, plerumque ædiles a poetis fabulas emisse, aliquando tamen actores quoque fabulas suo pretio emerunt, ut Paris histrio apud Juvenal. Sat. VII. 87. a Statio emit Agaven. R. D.

Digitized by Google

ACT. I. SCENA I.

PHILOTIS. SYRA.

PER pol quam paucos reperias meretricibus
Fidelis evenire amatores, Syra.
Vel hic Pamphilus jurabat quoties Bacchidi,

1 *Per pol quam paucos reperias meretricibus fidelis*] Novo genere hic utraque προτατικὰ πρόσωπα inducuntur. Nam et Philotis et Syra non pertinent ad argumentum fabulæ. Hoc autem maluit Terentius, quam aut per prologum narraret argumentum, aut θεὸν ἀπὸ μηχανῆς induceret loqui. *Per pol quam paucos reperias*] Hæ personæ Terentii more extrinsecus assumuntur, ut sic argumenti obscuritatem spectator effugiat. *Per pol quam paucos*] Animadvertendum est in hac fabula, Terentium bonam meretricem inducturum, ne id contra morem videatur facere, etiam aliam meretricem non malam inducere: ut id exemplis fiat tritius, et usu verisimile. *Per pol quam paucos*] Ordo est, *pol per quam paucos reperias.* Nam *per pol*, non est Latinum, sed κατὰ τμῆσιν *perquam*, id est, nimio (*nimis* Z.) *Quam paucos*] Quidam non *paucos*, sed *paucis* legunt. Sic enim Apollodorus αλπαICHPAS THC rel IONHNC THPAIC-CI PAγγιbaIωC * (οὐδένοτ' ἐραστὰς ταῖς ἑταίραισι συνέβη βέβαιος. Tan. Fab. Melius vero Bentleius, Ὀλίγαις ἐραστὴς γέγον' ἑταίραισι, Σύρα, βέβαιος. Z.) *Reperias*] Aptum verbum ad raritatem. Et ideo non dixit *pauci sunt*, sed *paucos reperias*: quasi quærens. Non autem reperitur, nisi quod quæritur: non quæritur, nisi quod præsto non sit. D.

Pol quam paucos reperias meretricibus fideles evenire amatores, Syra] Hæc scena, quæ priorem in prima parte (*quæ priori in parte* Z.) continet tractatum, an juste meretrix faciat, cum aliquem diligat, in postrema narratione sicut in om habet (*in postrema narrationem fabulæ, ut in omnibus, habet* Z.); quoniam argumentum in prologis Terentius nullum tenet. Omnes igitur ejus comœdiæ in primis scenis argumenti plurimam exprimunt partem. Ea igitur meretrix, quæ hic est, longe a fabula est constituta. Nam aliam meretricem amat Pamphilus. Nunc ista interponitur, ut ei peregre advenienti, atque miranti, quod meretricem duceret. Narratur (*miranti, quod meretrice relicta uxorem duxerit ille, narretur* Z.) quid causæ fuit. Quæ res dum exponitur, argumentum pars aliqua declarat (*argumenti pars aliqua declaratur.* Z.) E.

Per pol quam] Servius Æneid. I. 644. L.

Pro *paucos* leg. cum Apollodoro Donati *paucis*, h. e. singulis singulos; non *paucos amatores*, quasi uni plures contigisse vellet. Deinde ex Apollodori illo γέγονε lege *evenisse* pro *evenire* in versu seq. Id quod et versui et sententiæ commodius est. B.

Per pol quam] Per tmesin dicitur pro *pol perquam* sic in Andr. III. 2. 6. *per Ecastor scitus puer* pro *Ecastor perscitus puer*. R. D.

2 *Fidelis*] Hujusmodi sententias rhetores διανοίας vocant. Et mire, non *esse*, sed *evenire* dixit; ut non rationis, sed casus sit id, quod rarissimum est. *Fidelis*] *Fidi*, in miximis: *fideles*, in minoribus negotiis. D.

3 *Vel hic Pamphilus*] Transitus a

Digitized by Google

Quam sancte, ut quivis facile posset credere,
Nunquam illa viva ducturum uxorem domum.
Hem! duxit. S. Ergo propterea te sedulo
Et moneo, et hortor, ne cujusquam misereat.
Quin spolies, mutiles, laceres, quemquem nacta sis.

generali sententia ad specialem. *Vel*] Nunc veluti: alias conjunctio disjunctiva est, alias correptionem significat. ut apud Ciceronem, Ver. IV. 2. *vel optimam Messanæ vitam.* Virg. Ecl. VIII. 69. *carmina vel cœlo possunt deducere lunam.* Aut *vel, ut* modo. *Jurabat quoties Bacchidi! quam sancte!*] Tria sunt: quod *jurabat*, et *quoties*, et quam *sancte*. Quod totum de more amatorum et meretricum dixit, quæ jurejurando teneant, quos lege non possunt. D.

Vel hic Pamphilus] Vel *etiam* significat. Ut, Virg. Ecl. VIII. 69. *carmina vel cœlo possunt deducere lunam.* E.

4 *Ut quivis*] Non modo Bacchis, quæ amica erat. D.

5 *Nunquam illa viva ducturum uxorem*] Παράδοξος prima. jurabat nunquam illa viva uxorem ducturum. D.

Nostri plerique melius collocant, *vivæ uxórem ducturúm domum.* B.

6 *Hem! duxit*] Pronuncia ut mirantem ostendas. *Hem! duxit*] *Hem* adverbium demonstrantis est: ut, *hem alter. Ergo propterea*] Modo *ergo* affectum exprimit reprehendentis tarde sibi consentientem: sic Virg. Æn. 11. 707. *ergo age, care pater, cervici imponere nostræ. Propterea sedulo*] *Sedulo* instanter, et ex animo: vel sine dolo. D.

Ergo propterea sedulo admoneo, et hortor, ne cujusquam te misereat] Atque meretrix temperata est, lena vero asperior. ejus etenim truces mores esse plurimum. Debeat meretrice blanditia *(mores esse solent plurimum; debent autem meretricis esse blandi.* Z.) aliter enim diligi non potest, nisi cum forma cum blandimentis conveniat *(cum forma quoque blandimenta conveniant.* Z.) E.

Veteres nostri *em*, cæteri *en*. B.

7 *Et moneo, et hortor*] *Monemus* consilio, *hortantur* impulsu. *Ne cujusquam misereat*] Deest *te*. D.

Ne cujusquc misereat] Vett. codd. *ne cujusque te misereat*. L.

Bembinus, quem, ut semper fere, sequitur Faernus, habet, *ne cujusquam misereas*: nostri omnes, *ne cujusquam te misereat*. Recte, dummodo TE ponas post *ne*. B.

8 *Quin spolies, mutiles, laceres*] *Quin* pro *quo minus*. Et magna persuasio est ad malefaciendum. *Spolies*] *Spoliare* est, non minimam partem auferre. *Mutilare*, aliquid detrahere, sine quo res esse non possit. *Lacerare* autem, quum omnino non habeas, quod imminuas. *Mutiles*] Imminuas: unde *mutili* dicti sunt boves, aut capri, sine cornibus. Nam male, qui a *multa* putant dici. et inde *Mulciber* Vulcanus, quod sit mutilatus ac debilis: id est, claudus. Nam proprie *Mulciber* dictus est, quod omnia mulceat, id est, molliat ac vincat. D.

Mutiles] Hoc est, debiles reddas. Unde aiunt, quod claudus sit Vulcanus, inde dictum esse res virilis posuit mulier *(quad claudus sit Vulcanus dictus poetis Mulciber.)* Quamquam illic intelligi potest, quod omnia mulceat, et mollia igne faciat. E.

Faernus ob Bemb. et alios aliquot codd. legit *quemque*. Sed duo perantiqui nostri *quemquem*; quod et versus confirmat, h. e. *quemcunque*. cf. Cledonius p. 1908. qui ipse *quemquem* hic legit. B.

Spolies, mutiles, laceres] H. e. omnibus bonis eum spolies et ad summum inopiam redigas. Similis metaphora in Phorm. II. 2. 13. v. Duker. de latinit. veter. JCtor. p. 433. R. D.

Quemquem] Pro *quemcunque* Liv. I. 24. ubi v. interpr. Bentl. et alii ediderunt

Digitized by Google

P. Utin' eximium neminem habeam? S. Neminem:
Nam nemo illorum quisquam, scito, ad te venit,
Quin ita paret se, abs te ut blanditiis suis,
Quam minimo pretio suam voluptatem expleat.
Hiscine tu, amabo, non contra insidiabere?
P. Tamen pol eandem injurium est esse omnibus.
S. Injurium autem est ulcisci adversarios?
Aut qua via te captent, eadem ipsos capi?

quemquam. Sic. Plaut. in Menechm. V. I. 17. R. D.

9 *Utin' eximium neminem habeam?*] *Utin'* pro *ut ne.* Ἀντίστροφος. Et perseverat in ἀλληγορία. Nam *eximia pecora* dicuntur, quæ a grege excepta sunt ad usus dominorum sacrum, ut uberius pascantur. Sed proprie *eximii* sunt porci majores, qui ad sacrificandum excepti liberius pascuntur. Etenim boves, qui ad hoc electi sunt, *egregii* dicuntur: et *oves lectæ.* ut Virg. Æn. IV. 57. *mactant lectas de more bidentes.* Ita et *porci eximii. Utin' eximium*] Deest, *censes:* ut sit, censes ut eximium neminem habeam? vel certe dones (alii, *dores*, alii *monas.*) *Utin' eximium*] Separatum ex omnibus. Proprie *eximius porcus* est, exemptus a grege, atque signatus macula aut nota. *Habeam?*] Deest censes, aut vis, aut mones. D.

Eximium neminem habeam?] Exceptum et ab aliis separatum. E.

Eximium neminem habeam] H. e. neminem eximam, omnes eodem modo tractem. Cic. in Cæcil. c. 16. *cum omnibus Siculis faceret, injurias te illi unquam eximium fuisse.* Liv. IX. 34. *tu unus eximius es in quo hoc præcipuum ac singulare valeat. Eximius* et *egregius* proprie voces sunt in re sacra et dicuntur de victimis, quæ e grege sumuntur ad sacrificandum. v. Donat. ad h. l. et Drakenb. ad Liv. VII. 37. E. D.

10 *Nam nemo quisquam*] Παρίλκων tertium. Nam abundat *quisquam. Scito, ad te venit*] Bene additum est *scito:* et moraliter, et acutius pronunciandum. est enim verbum illorum, qui familiares corrigunt. D.

Nostri omnes concinnius, *nam nemo quisquam illorum*, &c. B.

11 *Quin ita paret se*] Hoc verbum *paret*, adversum munificos (*nullificos*) et segnes sumitur. Ut alibi, *itane te parasti, ut spes nulla relinqua in te siet tibi? Abs te*] Pro, ex te. D.

Unus Bemb. habet *se*; cæteri Faerni et nostri omnes recte *sese.* B.

12 *Suam voluptatem expleat*] Bene *expleat*, quod contrarium meretrici est, amatorem voluptate satiari. D.

13 *Hiscine*] Ἐρώτησις. Id est, talibus. Et vide si pulchra meretrix puella est. *Insidiabere?*] Insidiari malum est: sed contra insidiari, justum est. D.

14 *Tamen eandem pol esse omnibus injurium est*] Idem aliter, et vehementius intulit. Nam pejus est eandem esse omnibus, quam nullum excipere. *Injurium*] Iniquum. *Injurium* autem indignantis modo significatio est: et vim adverbii habet. D.

Injurium esse omnibus] Injurium est esse omnibus similem, id est, asperam seu sævam meretricem. R.

15 *Ulcisci adversarios*] De more *adversarios* mutato nomine posuit. durum enim fuerat, si *amatores* dixerat. D.

Injurium est autem, ulcisci adversarios] Defendit et hanc partem suam, quod asperam meretricem esse desiderat. Dicit enim, non amatores esse, sed *adversarios*, ex hoc quod ad libidinem complendam sine mercede festinant. E.

16 *Qua via te captent*] Qui te captant sæpe, tu eos vel semel cape. D.

Consensus codd. probat *aut quâ viâ captent té illi. Via* hic est monosyllabon. B.

Digitized by Google

Eheu me miseram! cur non aut istæc mihi
Ætas et forma est, aut tibi hæc sententia?

ACT. I. SCENA II.

PARMENO. PHILOTIS. SYRA.

SENEX si quæret me, modo isse dicito
Ad portum, percontatum adventum Pamphili.

17 *Eheu me miseram!*] Bene, quia non persuasit: sed *(suum. Z.)* affectum doloris expressit. Intelligitur enim ex vultu ejus, non eam persuasisse quod voluit. *Eheu me miseram? cur non aut istæc mihi ætas, et forma est*] Ἐμπαθῶς sit, quod reliquum est: quia quod volebat, persuadere non potuit. Et bene *istæc ætas et forma:* quia utrumque non habet. Et mire e contrario descripta est deformitas lenæ, et formam et voluntatem malam gerentis. D.

18 *Aut tibi hæc sententia?*] Δυσωπῶς; simulque ostendit secundum φυσιογνωμικούς, difficile deformem reperiri bonam. D.

1 *Senex si quæret me, modo isse dicito*] Hoc servus dixit, in scenam de proscenio respiciens. *Senex si quæret me*] Duæ conjectaræ sunt in hac scena: an veræ sint nuptiæ: et an versimile sit, abstinere potuisse adolescentem a virgine sibi nuptum tradita. *Senex si quæret me*] Magis expressit consuetudinem, dicendo *senex:* quam si diceret, *dominus major. Senex si quæret me*] Ut ex verbis suis tam meretrix, quam lena descripta est: ita et Parmeno ipse qualis sit, ostenditur ex sua sibi locutione. Exeundi autem causa de argumento sumitur: quia Pamphilus absens est, exspectatur in dies ejus adventus. *Senex si quæret me, modo isse dicito ad portum*] Hæc omnia submissa et velocí pronunciatione efferenda sunt. hoc enim desiderant hujusmodi verba, utpote et servi et festinantis. D.

Senex si quæret me] Hæc, ut dixi, scena narrationem tenet; in qua conjectura est, non esse istas firmissimas nuptias; et alia incedens *(alia inde est Z.)* quod et adolescens illibatam diu in domo habuit uxorem, et a se intactam eo tempore, quo nuptiæ fuerunt; quibus *(de quibus. R.)* propriis locis argumenta tradimus. Ut oportet tamen servus exiens domo mandat, quasi præ sollicitudine si ad portum descenderet usque erat quando Pamphilus veniat, qui a patre veniat missus est *(tradamus, ut oportet. Jam nunc servus exiens domo mandat conservo, ut, si forte quærat senex, ubi sit, dicat, se ad portum descendisse, sciscitatum quando Pamph. veniat, qui a patre in Imbrum missus est. Z.)* ut hereditatem sibi relictam capere posset ab hoc, de aliis ut sine ipso causam hanc intelligat *(posset. ad hoc addit, ut, nisi ipse quærat, aliis causam hanc ne indicet. Z.)* Si te, inquit (adde, *non* Z.) interrogaverit, ne dixeris. Huc *(hæc Z.)* enim causa cum integra fuerit, quod ei dictum non est, me isse ad portum, facile alio loco dici possent *(potest Z.)* E.

2 *Percontatum adventum Pamphili*] Honestam causam dixit, id est, Pamphili adventum. Et *percunctatum*, et *percontatum* scribitur. sed *percontatum* a conto dicitur, quo nautæ utuntur ad exploranda loca navibus opportuna. si vero *percunctatum*, ab eo quod a *cunctis* perquiratur, dicitur. D.

Digitized by Google

Audin' quid dicam, Scirte? si quæret me, uti
Tum dicas: si non quæret, nullus dixeris:
Alias ut uti possim causa hac integra.
Sed videon' ego Philotium? unde hæc advenit?
Philotis, salve multum. PH. O salve, Parmeno.
S. Salve mecastor, Parmeno. PA. Et tu ædepol, Syra.
Dic mihi Philotis, ubi te oblectasti tam diu?
PH. Minime equidem me oblectavi, quæ cum milite
Corinthum hinc sum profecta inhumanissimo:

3 *Audin,' quid dicam, Scirte?*] *Audis*, modo sentis, intelligis. ut Virg. Æn. I. 23. *progeniem sed enim Trojano a sanguine duci audierat.* Item alibi Georg. I. 514. *neque audit currus habenas. Audin', quid dicam, Scirte?*] *Audis* modo pro advertis. *Audin' quid dicam, Scirte?*] Convenit nomen servo puero, παρὰ τὸ σιωπᾶν, quod est gestire et ludere. *Scirte*] Καφὸν πρόσωπον inducitur. D.

Si quæret, &c.] Præcedit imperativus *dicito* sequitur subjunctivus *dicas*, in quo supplendum est *fac* vel si quid aptius. Virg. Æn. III. 114. Liv. III. 21. *imitamini turbam—et qui exemplo aliis esse debetis, aliorum exemplo peccetis potius quam alii vestro recte faciant*, &c. ubi v. Duker. R. D.

4 *Nullus*] Pro non. D.

5 *Alias ut uti possim*] Inter *alias* et *alia*, hoc interest: quod *alias* alio tempore significat: *alia* aliter, aut per alia. *Integra*] Non dicta. D.

Integra] *Integrum* vel *in integro* esse dicitur, quod adhuc est nostri arbitrii, quod adhuc ita in potestate est ut vel fieri vel omitti possit Cic. Vett. II. 40. *cum tibi in integro tota res esset* Liv. XXXIX. 4. *ut ea disceptatio integra ad adventum suum servaretur.* v. Drakenb. ad Liv. XL. 17. R. D.

6 *Sed videon' ego Philotium?*] Mire inventa est causa narrandi ideo, quia peregre venit meretrix: alioquin si Athenis esset omnia sciret. *Sed videon' ego Philotium?*] Sic solet dubitari, advenientibus ipsis, quos post multum temporis intervallum vident. *Unde hæc advenit?*] Cum quodam contemtu ejus *hæc* dicit Parmeno. D.

8 *Salve mecastor, Parmeno*] Olim salutantes addebant jusjurandum, ut hoc sedulo facere viderentur. *Me*] Aut adjectio est, et abundat: aut positum est pro μὰ syllaba: ut Græci μὰ τὸν Ἀπόλλωνα dicunt. *Et tu ædepol, Syra*] Irrisit ad *ecaster* addendo *ædepol*. Et quod illa Parmeno, ille hic addidit Syra. *Syra*] *Sura* veteres legerunt, U pro Y ponentes: ut *Musia, Suria*. D.

9 *Dic mihi, Philotis*] Vide licentiam: supra *Philotium*, hic *Philotis* dixit. *Ubi te oblectasti tam diu?*] Facete dictum meretrici: non, *ubi fuisti? sed, ubi te oblectasti?* D.

Ut versum adjuves, mutato ordine, lege *Philotis, dic mi ubi*, &c. B.

Oblectasti tam diu] I. e. ubi tam diu vitam jucunde transegisti; interdum *oblectare* etiam in malam partem dicitur ut apud Plaut. in Asin. I. 2. 13. *sordido vitam oblectabas pane.* v. Gronov. in lectionib. Plaut. p. 36. R. D.

10 *Minime equidem me oblectavi*] *Me* acutius proferendum est: et respondet περὶς τὸ TE. D.

Minime equidem me oblectavi, quæ cum milite Corinthum hinc sum profecta inhumanissimo] Ac oblectatio sit argumentum finitima actu *(an oblectatio sit, sumit argumentum ab arte.* Z.) quod cum *milite*; ab habitu, quod *inhumanissimo*; a loco, quod *hinc profecta*; a tempore, quod *biennium*. E.

11 *Corinthum hinc sum profecta*] *Hinc* magnum ostendit dolorem habere

Digitized by Google

Biennium ibi perpetuum misera illum tuli.
PA. Ædepol te desiderium Athenarum arbitror,
Philotium, cepisse sæpe, et te tuum
Consilium contemsisse. PH. Non dici potest,
Quam cupida eram huc redeundi, abeundi a milite,
Vosque hic videndi, antiqua ut consuetudine
Agitarem inter vos libere convivium.
Nam illic haud licebat, nisi præfinito, loqui,
Quæ illi placerent. PA. Haud opinor, commode 20

Philotion, quod relictis Athenis Corinthi habitaverit. *Cum milite Corinthum hinc sum profecta inhumanissimo*] Multa dixit: et *milite*, et *hinc*, et *inhumanissimo*. *Inhumanissimo*] Quid potuit de milite dici, nisi in superlativo? namque omnis miles inhumanus: hic vero inhumanissimus. *Corinthum hinc sum profecta*] Hæc argumenta sunt, an se oblectare potuerit a persona, quia miles inhumanissimus: a loco, quod hinc profecta: a tempore, quod biennium. a re, id est, ab injuria quam tulit. D.

12 *Biennium ibi perpetuum*] Ut continuationem sui casus ostenderet, *perpetuum* dixit. *Misera*] Muliebris interpositio τὸ *misera*. *Illum tuli*] Non, cum illo fui, sed *tuli*: adeo nos me oblectavi. D.

Biennium enim perpetuum misera illum obtuli] Quo non queritur. Deinde humanitatem amoris meretrix (leg. pertali] *Duo nunc quæritur; primum diuturnitatem temporis; deinde inhumanitatem militis.* Z.) et ut oportuit de rebus et de tempore. *Misera illum*] Quemadmodum Cic. Verr. *hoc uno prætore per triennium pertulisse.* Et moderate, ut hæc pertulisse se dixerit. E.

13 *Desiderium Athenarum*] Quod Corinthum profecta es. *Athenarum arbitror*] Quod dixit *(dixti) hinc* ante σιδωκὴν * Athenarum. et ἀμφιβολία *te desiderium cepisse (ante μετάληψιν.* ATHENARUM TE DESIDERIUM CEPISSE. Ἀμφιβολία.) *Ædepol te desiderium Athenarum arbitror cepisse sæpe*] Quod cum milite inhumanissimo. D.

15 *Consilium contemsisse*] Pœnitudine esse possessam *(pœnituisse te esse profectam.)* D.

16 *Huc redeundi*] Iterum a loco. *Abeundi a milite*] A persona. *Vosque hic videndi*] A re. *Redeundi, abeundi, vosque hic videndi*] Oratorie unam rem in tria divisit, huc redeundi, abeundi a milite, vosque hic videndi: ut diceret, huc veniendi. D.

18 *Agitarem inter vos libere convivium*] Inter *agere* et *agitare* hoc interest: quod *agere*, est aliquid (excidit forte, *serium*) vel necessarium facere: *agitare*, voluptarium. Ergo *agitarem*, exercerem. D.

19 *Nam illic haud licebat nisi præfinito loqui*] Legitur et *illi*: ut sit circumflexus accentus, et significet *illic*: ut Æn. II. 548. *illi mea tristia facta.* et absolutum est. *Præfinito*] Deest tempore, aut quid tale. *Nisi præfinito loqui*] A tempore. Hic ostendit, quid dixit supra, *tuli*: et quid sit *agitare convivium libere. Nisi præfinito loqui, quæ illi placerent*] Duo dixit: et *præfinito*, et *quæ illi placerent*: ut neque quantum velles, neque quod velles, diceres. D.

Nam illic haud licebat, nisi præfinito, loqui, quæ illi placebant] Nam apud militem, nisi certus, esse sermo non poterat, vel in numero, vel in qualitate; ut et quantum dicerem, præfiniret, et quid dicerem. E.

Pro *illic* Donatus recte legit *ille*. Non enim aliter stat versus. B.

Præfinito] I. e. certo modo præscripto. R. D.

20 *Haud opinor commode*] *Commode*,

Digitized by Google

Finem statuisse orationi militem.
Ph. Sed quid hoc negoti est? modo quæ narravit mihi
Hic intus Bacchis? quod ego nunquam credidi
Fore, ut ille hac viva posset animum inducere
Uxorem habere. Pa. Habere autem? Ph. Eho tu, an non habet?
Pa. Habet: sed firmæ hæ vereor ut sint nuptiæ.
Ph. Ita di deæque faxint; si in rem est Bacchidis:

pro blande et bene: ut, *nunquam tam dices commode.* D.

21 *Finem statuisse orationi militem*] Argute *militem*: quia quasi inimicus sit orationi, quæ in pace plurimum potest. D.

Finem statuisse orationi] I. e. modum loquendi præscripsisse, præfinisse. Finis sæpe est certus modus ac mensura. Cic. de Offic. I. 29. *qui appetitus longius evagantur—non satis a ratione retinentur, hi finem et modum transeunt.* R. D.

22 *Sed quid hoc negoti est?*] Hic ad argumentum nunc descendit. In Phormione, *sed quis tu es tristis?* prælatis scilicet allocutionibus, et separatarum et permistarum personarum: ne jejune ad argumentum veniens, non (aut dele *non*, aut corrige *nunc.* Z.) agere fabulam, sed narrare videretur. *Quid hoc negoti est?*] Bene addidit *negoti*, ut augeret invidiam facti. Nam potuit dicere, *quid hoc est?* Sed, ut diximus, ad invidiam et magnitudinem rei, *negoti* dixit. *Quæ narravit mihi*] *Quæ*, qualia scilicet, et quanta. *Modo quod narravit mihi*] *Quæ*, legendum est: ut sit, qualia et quanta: et hoc *ἐν ὑπερβατῷ.* D.

23 *Quod ego nunquam credidi*] Hoc totum cum invidia pronunciandum ex animo meretricis, quæ facinus indignum nuptias putat. D.

Quod ego nunquam credidi fore, ut hoc ille viva posset animum inducere uxorem habere] Hinc proponit, ut res origine narrationi seducat audisse se, quam Pamphilam duxerit. Deinde serius (*hic proponit, ut rem ad originem narrationis reducat, audivisse se, quod Pamphilus* uxorem duxerit. *Deinde serius.* Z.) proponit id ipsum, quod confirmaturus est, sicut supra diximus, per argumenta. E.

24 *Ut hac ille viva posset*] Mire ostendit ex eisdem verbis eandem hanc esse, quam supra dixit, *nunquam illa viva uxorem ducturum. Posset animum inducere*] Quasi in rem duram et immanem. D.

25 *Habere autem?*] Ostendit prænuntiatione, quod prope est, ut non habeat. D.

26 *Sed firmæ hæ vereor ut sint nuptiæ*] Bene pro persona servi, qui vult dominum uxorium esse magis, quam amatorem Bacchidis. *Sed firmæ hæ vereor*] Animadverte Terentium in nuptiis hoc dictum (forte, *dubium*) servare, utrum firmas an infirmas dicat nuptias. *Ut*] Ne non. D.

Sed firmæ hæ vereor ut sint nuptiæ. Ph. *Ita di deæque faxint, si in rem est Bacchidis*] Faciant quidem dii deæque, ut vereor, ut firmæ istæ nuptiæ sint. Non tam prodest Bacchidi. Propterea qm (*faciant quidem dii deæque, ut firmæ istæ nuptiæ sint. Nam tamen id non prodest Bacchidi propterea, quoniam.* Z.) aliam fortasse Pamphilus ducet uxorem. E.

Pro *hæ* duo codd. recte habent *hæc*; ut evitetur homœoteleuton. B.

27 *Si in rem est Bacchidis*] Bene additum, *si in rem est Bacchidis*: ut ostenderet, se non malignitatis, sed benevolentiæ causa, talia vota suscipere. *In rem*] Pro, utilitatem: *ab re*, contra utilitatem. D.

Digitized by Google

Sed qui istuc credam ita esse? dic mihi, Parmeno.
PA. Non est opus prolato: hoc percontarier
Desiste. PH. Nempe ea causa, ut ne id fiat palam,
Ita me di bene amabunt, haud propterea te rogo,
Ut hoc proferam, sed ut tacita mecum gaudeam.
PA. Nunquam tam dices commode, ut tergum meum
Tuam in fidem committam. PH. Ah noli, Parmeno:
Quasi tu non multo malis narrare hoc mihi,
Quam ego quæ percontor, scire. PA. Vera hæc prædicat;

28 *Sed qui istuc credam*] Id est, nuptias esse infirmas. *Sed qui istuc credam, ita esse? dic mihi, Parmeno*] Superiore voto excusavit crimen curiositatis: jam videtur post *(propter)* Bacchidem autem velle. D.

29 *Non est opus prolato: hoc percontarier desiste*] Vide quam convenienter poeta, quum id agat, ut narrantem Parmenonem inducat, tamen multis diverticulis morales facetias interneotat. *Non est opus prolato: hoc percontarier desiste*] Incerta distinctio, utrum *prolato hoc*, an *hoc percontarier*. D.

Non est opus prolato] I. e. evulgari non debet. Casaubon. ad Athen. l. 14. pag. 731. hanc formulam male comparat cum Græco οὐχ ἥδεως ἤγνω. R. D.

30 *Nempe ea causa, ut ne fiat palam*] Dubitantem servum nihil potius recusarem narrare. optima persuasione meretrix inducit causam. inquit *(dubitantem servum, aut potius recusantem narrare optima persuasione meretrix inducit, dicendo causam; nempe, inquit.* Z.) Ea causa proferre non vis, ne istuc palam fiat, sed audita nos taceamus. volumus, nam *(tacebimus. Volumus enim.* Z.) rem gaudii tantum modo in animo ostendere. E.

31 *Ita me di bene amabunt*] Pro *ament*: ut Æn. I. 273. *donec regina sacerdos Marte gravis geminam partu dabit Iliæ prolem.* D.

Di bene amabunt] V. C. *ament*. L.

Nostri *bene ament*. Nec Bembinus nec Donatus Faerni habet illud *bene*. Igitur ut stet versus, leg. cum Donato *ita me di amabunt*. B.

32 *Ut hoc proferam*] Prodam, Bacchidi scilicet, vel cuilibet. *Mecum gaudeam*] *Mecum*, intra me, Virg. Æn. I. 41. *hæc secum*. D.

33 *Nunquam dices tam commode*] Hæc pronunciatio ejusmodi esse debet, ut ex ea appareat prope delinitum Parmenonem, vix se posse continere quin narret. *Nunquam dices tam commode*] Quasi ex parte labefactus est: sic enim loquitur. D.

Ut tergum meum in fidem tuam committam] Nunquam ita mihi persuades, ut fidei tuæ credam tergum meum, ut, dum tibi credo, circa plagas periclitari possim. E.

34 *Ah! noli, Parmeno*] Artificiose se fingit audire nolle, ut tacitura credatur, si audierit: quia curiositas signum est loquacitatis. Sic Horat, Epist. I. 18. 69. *percontatorem fugito: nam garrulus idem est*. D.

35 *Quasi non tu multo malis*] Deest, *ita dicis*: ut sit, *ita dicis quasi*. Et nemo Philotis non est instantior hac calliditate, ut magis servum ad dicendum provocet. *Quasi non tu multo malis narrare hoc mihi*] Ἔλλειψις: deest enim, *ita gravaris dicere*, aut *ita negas te esse locuturum*. D.

36 *Vera hæc prædicat; et illud mihi vitium maximum est*] Hæc lentius apud sese: illud clare, *si mihi fidem das*. Etiam alia se habere vitia exceptione significat, in hoc quod dicit, *illud mihi vitium maximum est*. D.

Vulgo *percontor*. Sed Bemb. Victor.

Digitized by Google

Et illud mihi vitium'st maxumum. si mihi fidem
Das, te taciturum, dicam. PH. Ad ingenium redis.
Fidem do; loquere. PA. Ausculta. PH. Istuc sum. PA.
Hanc Bacchidem
Amabat, ut cum maxume, tum Pamphilus, 40

et duo ex nostris rectius *percontor*. Si enim *perconter* legeris, ordo erit, *quam ego volo scire ea quæ perconter*; sin autem *percontor*; ordo est hic, *quam ego quæ percontor volo scire hoc*. B.

37 *Et illud mihi maximum vitium est*] Servile vitium est, tacere non posse. *Si mihi fidem das*] Animadverte, his dilationibus etiam spectatorem suspendi, quo libentius audiat. *Si mihi fidem das*] Fideliter, pro *des* (*si mihi fidem das, te taciturum*. Si fideliter condes). D.

Si mihi fidem das, te taciturum] Benevolentiam tuam promittis, silentium te redditurum (*retenturum* Z.) cum dixero. E.

Si mihi fidem das] I. e. si mihi sancte promittis. Cic. ad Div. V. 11. *quamcunque ei fidem dederis, præstabo*. Interdum *fidem dare* est fidem firmare, efficere ut quid credatur. Ovid. Fastor. II. 20. *nunc quoque dant verbo plurima signa fidem*, v. Schwarz. ad Plinii Panegyr. 74. R. D.

38 *Ad ingenium redis*] Quia a se discesserat, si taceret. Cicero, *redit ad se*. D.

39 *Hanc Bacchidem amabat, ut cum maxume*] Ejusmodi est hæc tota narratio, ut defensionem adolescentis contineri videatur: quod meretricem amicam necessitate coactus deseruerit. Mire igitur unde quæstio est, inde cœpit: *amabat*, inquit, *Bacchidem*. Sic et in secundo Æn. II. 13. Virgilius, an fortiores Græci Trojanis: *fracti bello*, inquit, *satisque repulsi ductores Danaum*. D.

Hanc Bacchidem amabat, ut cum maxime, tum Pamphilus] Hic narratio sumitur, quod hoc tempore, quo vehementer Bacchidem Pamphilus diligebat, pater cœpit eum compellere, ut uxorem duceret. Primum exhinc accusatur (*excusatur* Z.) adolescens, quod non ipse nuptias petiit, sed coactus a patre est. Senex cum adhibuerit preces et verba, quod *senem esse* diceret, quod *illum unicum*, eumque habere se *præsidium* velle *senectuti suæ*. Deinde pro adolescente istuc est, ne continue meretricem deseruerit, licet a patre cogeretur. Nam *ille*, inquit, *primo se negare*. Ad postremum frequenter a patre compulsus in hoc promovit, ut deliberet, non ut tam sentiret (*ut deliberaret, non ut consentiret* Z.) Hoc enim dicit, *fecit animi ut incertus foret*, pie doctrinæ, anne amori obsequeretur magis. Deinde *tundendo, atque odio denique effecit senex*. Vides, quemadmodum longe vel me, vel persuasionis voluptatem Pamphilo tradidet (*quemadmodum longitudinem amoris meretricis, vel persuasionis paternæ difficultatem Pamphilo tradiderit*. Z.) Neutiquam gravem ibi vitæ molestiam ægre tulit. E.

Istic sum] I. e. jam attendo, hoc ago. R. D.

40 *Bacchidem amabat*] Ordo et sensus hic est: hanc Bacchidem tum amabat Pamphilus, ut cum maxime amabat, quum pater uxorem ut ducat, orare occipit. Et *ut* positum pro *quemadmodum*. Et *maxime* bis numero subauditur. Et *cum maxime*, una pars orationis est: aut *cum maxime* pro nimis. D.

Ut cum maxime] Sensus est, Bacchidem ita tum amabat ut eum maxime eam amarat. *domus celebratur ita ut cum maxime*. Cic. ad Quint. fratr. II. 6. De harum particularum usu disputant Duker. ad Flor. II. 16. p. 430. et Ernest. in Clave Cicer. voce *maxume*. R. D.

Digitized by Google

Cum pater, uxorem ut ducat, orare occipit:
Et hæc communia omnium quæ sunt patrum,
Sese senem esse, dicere: illum autem unicum:
Præsidium velle se senectuti suæ.
Ille se primo negare. sed postquam acrius
Pater instat, fecit animi ut incertus foret,
Pudorin anne amori obsequeretur magis.
Tundendo atque odio denique effecit senex:

41 *Quum pater*] *Quum*, modo adverbium est temporis, pro *quando*. *Orare occipit*] Maxima necessitas est, orans pater. D.

42 *Et hæc, communia omnium*] Quid si injustum est, quod orabatur? ostendit justum, et frequentatum, quod dicebat pater. D.

43 *Sese senem esse dicere*] Omnem causam adolescentis senex amputavit, pro suo senili commodo rogans: potuisset enim adolescens dicere, quam pro me curam geris, hanc precor pro me deponas. *Senem esse dicere*] Illud posset agere amator contra utilitatem suam: sed non poterat filius contra utilitatem patris. Ergo ut cogeret pater, suam causam interponebat. D.

Repone *seném esse esse dicere, illum autem esse unicum*. Nam *senem* in vulgari lectione occultatur male in Thesi. Unus regius habet *senem se esse;* et cæteri omnes *esse* ponunt ante *unicum*. B.

44 *Præsidium velle se senectuti suæ*] *Præsidium senectutis*, sobolem et successorem dicit. D.

Présidium senectuti] Liberi sæpe dicuntur parentum præsidia, munimenta, subsidia. v. Taciti Annal. I. 3. et ibi Lipsium. R. D.

45 *Ille primo se negare*] Utrum deest *ducere?* an *negare se nuptiis (an negare sc. nuptias). Sed postquam acrius pater instat*] Tria dicit et *acrius*, et *pater*, et *instat*. *Sed postquam acrius pater instat*] Postquam, inquit, pater acrius instat, non compulsus est Pamphilus, sed tantum deliberavit. D.

Præter Bembinum cæteri omnes rectius ordinant, *ille primo se negare*. B.

46 *Pater instat*] Major vis est quum pater instat, quam quum rogat. D.

47 *Pudorine, anne amori obsequeretur magis*] Sic ostendit in utramque partem, ut tantum *(tamen)* in animo honesti adolescenti pudor amorem vincere debuisset. *Pudorine, anne amori*] Ἀναπόλουθον. non enim præposito *utrum*, intulit *anne*. *Pudorine, anne amori*] Latens excusationis ratio explicata est. *Pudori*, patris scilicet: *amori*, meretricis. D.

48 *Tundendo, atque odio*] *Tundere*, est sæpius idem repetere: translatio a fabrorum malleo. *Odio*] Assiduitate. Attendenda est difficultas uniuscujusque verbi. *Tundendo, atque odio denique effecit*] *Denique* temporis longitudinem significat. *Efficimus* vero, quod cum magno conatu et molimine facimus, vixque per nos finem accipit. *Tundendo, atque odio denique effecit senex*] Mire interposuit moras, ad postremum confessurus uxorem ductam. Primo, inquit, negavit, post, deliberavit: ad postremum, duxit. Non, inquit, ipse: sed effecit hoc senex. Ita mutatione personæ totam voluntatem adolescentis absolvit. *Denique effecit*] Oratorie tempus apposuit: nam hoc significat *denique*. *Odio*] Hoc est, instantia. D.

Tundendo] H. e. Idem sæpe et moleste repetendo. v. Not. ad Andr. II. 2. 11. ubi eodem sensu est *obtundere*. R. D.

Odio] I. e. importunitate, molestia quæ odium facit. Plaut. in Asin. II. 4. 40. *jam hic me abegerit suo odio*. Horat. Serm. I. 7. 6. ubi v. Torrentium. in

Digitized by Google

Despondit ei gnatum hujus vicini proxumi.
Usque illud visum est Pamphilo neutiquam grave,
Donec jam in ipsis nuptiis, postquam videt
Paratas: nec moram ullam, quin ducat, dari:
Ibi demum ita ægre tulit, ut ipsam Bacchidem,
Si adesset, credo ibi ejus commiseresceret.
Ubicunque datum erat spatium solitudinis,
Ut colloqui mecum una posset: Parmeno.
Perii, quid ego egi? in quod me conjeci malum?
Non potero hoc ferre, Parmeno: perii miser!
PH. At te di deæque perduint, cum istoc odio, Laches.

Phorm. V. 6. 9. v. Perizon. ad S. Min. II. 13. et Ernest. in Clave Ciceron. hac voce. R. D.

49 *Despondit ei gnatam*] Vide, non hic dici, duxit uxorem Pamphilus: sed totum ad patrem referri. D.

50 *Neutiquam*] Non nimis. D.

Pro *neutiquam* duo codd. *ne utiquam*: et ita semper scribendum. Semper enim primam corripit. B.

51 *Donec jam in ipsis nuptiis*] Nota locutionem sensu magis, quam verbis manifestam. *Donec jam in ipsis nuptiis*], Deest, *positus constitutusve ita doluit, et ægre tulit*. Aut repetere debemus sic, in ipsis inquam nuptiis. *Donec jam in ipsis nuptiis*] In mentione nuptiarum effervescit animus amatoris. D.

52 *Nec moram ullam, quin ducat, dari*] Ubi nec aliquam dieculam, vel dilationem videt ad nuptias. *Quin*] Quo minus. D.

53 *Ibi demum*] Denique, postremo. Et mire additum est *ibi*: quia male pendebat, *in ipsis nuptiis*. et sic est, quasi dixisset, in ipsis inquam nuptiis. *Demum ita ægre tulit, ut ipsam Bacchidem, si adesset, credo ibi ejus commiseresceret*] Hoc ὑπερβολικῶς. ut Virg. Æn. XI. 259. *vel Priamo miseranda manus*. *Ut ipsam Bacchidem*] Quæ nunc accusatrix est. Et est argumentum ab animo. *Ægre tulit*] Idem Virg. Æn. II. 6. *quis talia fando, Myrmidonum, Dolopumve, aut duri miles Ulyssei, temperet a lacrymis?* D.

Ut ipsam Bacchidem, si adesset, credo, ibi ejus commiseresceret] Ut si præsens Bacchis eo tempore fuisset, quæ utique hæsa fuerat, quæ dolebat, ita ægre Pamphilo fuit in his nuptiis, ut Bacchis ejus commisereretur. Quemadmodum Virgilii illud est Æn. XI. 259, *vel Priamo miseranda manus*. E.

54 *Credo ibi*] *Ibi*, pro tum. D.

56 *Ut colloqui mecum una posset*] Παρέλκον tertium. Et argumentum a persona, quod ait, *mecum*. *Parmeno, perii!*] Argumentum a dictis: quod ait, *Parmeno, perii! Parmeno*] Moraliter, et autonomasiace nomen repetit. Et significanter facit, non addendo *dicebat*, et in μεμητικὸν a δεηγηματικῷ transeundo. Et mire interposuit nomen, ut affectum doloris ostenderet. Sic Virg. Æn. IV. 20. *Anna, fatebor enim*. D.

58 *Parmeno, perii miser!*] Ἐν ἔθει repetit nomen. D.

Nostri omnes, *non potero ferre hoc*: quod metro est commodius. B.

59 *At te di, deæque perduint*] Obtinuit et persuasit servus. Nam jam meretrix seni irascitur, non Pamphilo. *Cum istoc odio*] Cum instantia ac molestia. D.

Repone, *at té di deæque cúm tuo istoc odio, Laches*. Nam plerique Faerni codd. Donati illud *perduint* non habent; quod elegantius subauditur. Nam nimis inhumane profertur ab ea,

Digitized by Google

PA. Ut ad pauca redeam, uxorem deducit domum.
Nocte illa prima virginem non attigit:
Quæ consecuta'st nox eam, nihilo magis.
PH. Quid ais? cum virgine una adolescens cubuerit
Plus potus, sese illa abstinere ut potuerit?
Non verisimile dicis: nec verum arbitror.

quæ irata non est, nec animo commota. Aut pro *perduint faxint*, ut Plaut. Most. II. 3. 33. B.

60 *Ut ad pauca redeam*] Tanquam multa sint, quæ de Pamphili amore dici possint. *Ut ad pauca redeam*] Præceptum oratorium in longa narratione, pro veritatis inquisitione. reddit enim auditorem acriorem, quem spes finis recipit (*reficit*) fatigatum. *Uxorem deducit domum*] *Uxor* dicitur, vel ab ungendis postibus, et figenda lana: id est, quod quum puellæ nuberent, maritorum postes ungebant, ibique lanam figebant. vel quod lotos maritos ipsæ ungebant. cujus rei testis Ennius: *exin Tarquinium bona femina lavit et unxit.* D.

Deducit] *Deduci* proprie dicebatur puella, quæ nubebat et ad maritum, pueris, patrimis et matrimis faces præferentibus, ducebatur. Tibull. Eleg. III. 4. 31. *ut juveni primum virgo deducta marito.* v. Gronov. lection. Plaut. p. 110. et interpret. ad Liv. X. 23. R. D.

61 *Nocte illa prima*] Pronunciandum acutius *illa prima*: quasi dicat, plena desiderii, plena cupiditatis. Similiter addidit *virginem*. Et expresse, *non attigit nocte illa prima*, quasi dicat, plena amoris et plena dulcedinis: ut mirum sit quod infertur, *non tactam virginem*. Et hic argumentum est, quanta fecerit Pamphilus erga amicam suam. *Virginem non attigit*] *Virginem ἔμφασις* est: quamvis non amatam, virginem tamen. et non dixit, non amplexus est: sed, *ne attigit quidem*. D.

Nocte illa prima virginem non attigit] Affectum ostendit Pamphili amantis meretricem. Sed conjectura hic nascitur alia, an verisimile sit, adolescentem cubuisse cum virgine, et se ab ea abstinuisse? quam rem exsequitur meretrix in argumentis. Quod ait, *cum virgine una adolescens cubuerit plus potus, illa se abstinere ut potuerit? non verisimile dicis; nec verum arbitror.* Hoc solvitur illo argumento, quod meretrix amatores omnes habet, cum quibus ei duco. Credit (*habet, qui cupidi ejus sunt, eo credit* Z.) adolescentes universos se femineo sexu abstinere non posse. Non intelligo causas amoris esse (*non intelligit causas meretrix, esse posse* Z.) alias odii; ideo adjecit: *credo ita videri tibi: nam nemo ad te venit, nisi cupiens tui: ille invitus illam duxerat.* E.

62 *Quæ consecuta est nox*] Eam primam noctem scilicet. *Nihilo magis*] Quasi in nihilo possit esse magis aut minus. Et *nihilo magis*. asseverationis est. D.

63 *Quid ais? cum virgine una*] Invenitur quasi interjectio (*quasi semper in Terentio*, edd. ante Steph. forte, ἐς ἐπὶ πολὺ) *una* id est, simul uno loco. *Cum virgine*] A persona. *Una*] A loco. *Adolescens*] A persona. *Cubuerit*] Ab habitu et occasione. *Cum virgine una adolescens cubuerit*] Argumenta in conjecturam necessario posita: quibus Terentius ex utraque parte disputans, τὸ ἀπίθανον purgat, ne quis illum stulte hæc posuisse judicaret. Hæc (*hoc* edd. vett. i. e. idee, ea arte) enim meretrix tarde credit argumentis, ne a Parmenone vincatur. Hinc est quod ait Horatius, *vincere Cæcilius gravitati, Terentius arte.* D.

64 *Plus potus*] Ab impulsione, et ex accidentibus. D.

Plus potus] Prisc. l. IX. L.

Plus potus] Plena locutio est: plus solito potus. R. D.

65 *Non verisimile dicis*] Αὔξησις per-

Digitized by Google

Pa. Credo ita videri tibi: nam nemo ad te venit,
Nisi cupiens tui: ille invitus illam duxerat.
Ph. Quid deinde fit? Pa. Diebus sane pauculis
Post, Pamphilus me solum seducit foras:
Narratque, ut virgo ab se integra etiam tum siet: 70
Seque ante, quam eam uxorem duxisset domum,
Sperasse, eas tolerare posse nuptias:
Sed quam decrerim me non posse diutius
Habere, eam ludibrio haberi, Parmeno,

versa: prius est enim verum, deinde verisimile. Sed ideo sic dicit, quia est sæpe non verisimile, verum tamen: ut, Decios pro alieno commodo mori voluisse. *Non verisimile dicis*] Hoc jam plus est, tantum eum amasse Bacchidem, quantum non possit credi. D.

Nostri omnes, *neque verum*. B.

66 *Credo ita videri tibi: nam nemo ad te venit*] Magno compendio usus est, non ostendens cur hoc falsum sit, quod putet meretrix: sed cur hoc putet. ita ex ejus persona totum refellitur, quod objicit. D.

67 *Ille invitus*] *Invitus* dicendo, quasi admonet iterum iterumque. ut Virg. Æn. IV. 361.—*Italiam non sponte sequor*. D.

68 *Quid deinde fit*] Interponitur persona ad exitum festinans: ut alibi, *quam metui quorsum evaderes*. *Diebus sane pauculis post*] Hic exitus est. D.

69 *Pamphilus me solum seducit foras*] Ne testis quisquam et arbiter secretorum interveniat. *Me solum seducit foras*] Familiaris in servo jactantia, de dominorum familiaritate. simul quia decens est, ut per eum, quid gestum sit, spectatores sciant. D.

Seducere] Est seorsim ducere, ut solus cum sola colloquar. Cic. ad Div. I. 9. *sæpe cum in senatu modo severe seducerent*. Cf. Ernesti in Clave Cicer. Phædr. III. 10. 11. *maritus—seductus in secretum a liberto suo*. Barbari hodie *seducere* dicunt pro in fraudem inducere. v. Græv. ad Cicer. ad Div. II. 7. R. D.

70 *Narratque, ut virgo a se integra etiam tum siet*] Hoc est illud quod supra dixerat, *nocte illa prima virginem non attigit*. D.

Ab se] I. e. quod ad se attinet. Plaut. in Curcul. I. 1. 51. *tam a me pudica est quasi soror mea sit*. R. D.

Integra] Cujus pudicitia illibata est. Catull. LXII. 36. *vos item simul integræ virgines*. R. D.

71 *Seque ante, quam eam uxorem duxisset domum*] Bonus color purgationis: diceretur enim, quare, si illam odio habebat, ducebat uxorem? D.

72 *Tolerare posse*] *Tolerare*, verbum est mala patientis. D.

73 *Quam decrerim me non posse diutius habere*] Ἀποστροφὴ καὶ ἀθρόησις, ἀπὸ διηγήματος εἰς μιμητικήν. *Decrerim*] Statuerim et defixerim. D.

Sed quam decreverim me non posse diutius habere, eam ludibrio haberi, Parmeno] Sensus est, et quam ego decreverim non habere, vel quam decreverim me diutius habere non posse, iniquum est, eam haberi ludibrio. Quin integram parentibus reddam, quæ res integra est, quæ res mihi in hac honesta est, quod integra redditur. E.

Decrerim] *Decernere* est ex iis verbis, quorum perfecta veteres fere contracta efferebant, *decrerim, decrero, decresse* v. Drakenb. ad Liv. II. 26. Est autem *decernere*, existimare, judicare. v. dictata ad Heaut. I. 1. 95. R. D.

74 *Eam ludibrio haberi*] Honesto verbo et pudoris pleno usus est: et nove pro vitiari. D.

Digitized by Google

Quin integram itidem reddam, ut accepi ab suis,
Neque honestum mihi, neque utile ipsi virgini est.
PH. Pium ac pudicum ingenium narras Pamphili.
PA. Hoc ego proferre, incommodum mihi esse arbitror:
Reddi patri autem, cui tu nihil dicas vitii,
Superbum est: sed illam spero, ubi hoc cognoverit,
Non posse se mecum esse, abituram denique.
PH. Quid interea? ibatne ad Bacchidem? PA. Cotidie.
Sed, ut fit, postquam hunc alienum ab sese videt,

Ludibrio haberi] I. e. vitiari; *ludere, illudere, ludificari* sæpe hoc sensu dicuntur. R. D.

75 *Quin*] Quo minus. *Integram*] Id est, honestam: non enim dixit, spoliatam virginem aut mulierem. *Ut accepi a suis*] Vigilanter quidem integram specificat: id est talem, qualem accepit a suis. potuit enim vitiatam accepisse, ut sæpe evenit. Ergo non abundat, *ut accepi a suis*, sed habet significationem. D.

Etsi omnes codd. habent *a suis*: consuetudini tamen Terentii magis convenit legere *reddam, ut accepi, suis*. B.

76 *Neque utile ipsi virgini est*] Nam mihi turpe est, post nuptias intactam virginem reddere; incommodum virgini, quia fortasse credi hoc non potest. E.

77 *Pium ac pudicum ingenium narras Pamphili*] Erga meretricem *pium, pudicum* erga virginem. Cogitur *pium* dicere Pamphilum, quem perjurum putabat. *Pium et pudicum ingenium narras Pamphili*] An simul erga virginem et pium et pudicum? an pium erga meretricem, pudicum erga virginem? D.

78 *Hoc ego proferre*] Verba Pamphili sunt: non ut quidam putant, ad personam Parmenonis referentes. *Hoc ego proferre*] Amorem scilicet meretricis. D.

Hoc ego proferre, incommodum mihi esse arbitror] Ex amore Parmenonis interposuit narrationem, hoc esse quod fieri non debeat, diu fuisse cum marito virginem et Pamphilo non contactam. E.

Versus stat, si pro *mihi* legas *mi*. B.

79 *Cui nihil dicas vitii*] Nunc *vitii*, culpæ uxoriæ. D.

Cui nihil dicas vitii] Scilicet esse vel quem nullius culpæ accusare possis. Plant. in Asin. V. 2. 49. *dotatæ uxori vitium dicere*. Nepos. in Agesil. c. 5. R. D.

81 *Abituram denique*] *Denique*, moram significat, et postremam tarditatem. itaque postremo, vel sero abituram indicat. D.

82 *Quid interea*] Exsultantis est, et gestientis audire. *Interea*] Inter eos dies. D.

83 *Postquam hunc alienum ab sese videt*] Pro *alienatum* dixit. ut in Phormione, *quid? ego vobis, Geta, alienus sum?* Nam quomodo *alienum*, si amabat, dixisset? *Postquam hunc alienum*] Oratorie, non tam Bacchidem excusat *(accusat)*, quam a verisimili causa vult inducere, quod ipsa sit in Pamphilum durior. *Alienum ab sese videt*] Id est, maritum: nam hoc nomen a meretricibus alienum est. D.

Sed, ut fit, postquam hunc alienum ab sese videt] Purgavit causam meretrici *(meretricis Z.)* quod asperior facta est, dicendo, *sed, ut fit*. Ut et ipsa consuetudo per omnia effecta sit, et improba orta *(ut et ipsa, consuetudine meretricum omnium procax effecta sit, et improba orta erga Z.)* amatorem suum, cum a se vidisset alienum. E.

Digitized by Google

Maligna multo, et magis procax facta illico est.
PH. Non edepol mirum. PA. Atqui ea res multo maxume 83
Disjunxit illum ab illa: postquam et ipse se,
Et illam, et hanc quæ domi erat, cognovit satis.
Ad exemplum ambarum mores earum existimans.
Hæc, ita uti liberali esse ingenio decet,

84 *Maligna multo*] *Maligna*, difficilis. *Maligne* est, qui difficultatem sui ostendit. *Procax*] Dispoliatrix et petax; *procare* enim, est petere. Virg. Æn. I. 538. *procacibus Austris*: id est, impudentibus. Nam qui multum petit, impudens est et procax. Unde et *proci* dicti sunt, qui filias alienas in matrimonium petierunt. D.

Magis procax] Non. Marcell. in *procacitas*. L.

Ad evitandam mirabilem sane et perturbatam verborum collocationem repone, *maligna magis et magis*, &c. præsertim cum duo codd. non habeant illud *multo*. Nonius tamen v. procacitas, *maligna multo* legit. B.

Maligna facta est] I. e. difficilis quæ parce præbebat corpus suum. v. Donat. ad h. l. R. D.

85 *Non edepol mirum*] Obtinuit quod volebat Parmeno. Nam credidit Philotis injuriam factam Pamphilo. *Atqui ea res multo maxime*] Opportune concitatius Pamphilum defendit Parmeno, postquam Philotis inducta est, ut fateretur injuriam factam. *Atqui ea res*] *Atqui*, imo. Legitur et *atque*. D.

Non edepol mirum] Siquidem hæc ipsa causa est, quod Pamphilus amator a meretrice distractus sit, postea ortum intelliget (*postequam improbam factam intelligit* Z.) et eam esse meretricem, et (*sed* Z.) eam quæ domi fuerat, uxorem pudicam, modestam, temperantem, injuriam viri sustinentem. *Atqui illa res maxime disjunxit illum ab illa*] Cum (*interrumpit*, cum Z.) amplius meretrix meretricem defendisset, quod improba facta esset amatori. E.

Plerique libri pro *atqui* hic exhibent *atque*. B.

87 *Et illam*] Meretricem malam. *Et hanc, quæ domi erat*] Uxorem modestam. *Et illam, et hanc, quæ domi erat*] *Illam* quæ meretrix esset: *hanc*, id est, uxorem. *Cognovit*] Diligentius et attentius consideravit. Nam *cognoscere* est diligenter et attente considerare. *Cognovit satis*] Bene satis, ex ipsius moribus, et ex meretricis. D.

Ad exemplum] Negat Bentl. se intelligere quid significet *ad exemplum* corrigitque *ad amussim* i. e. accurate. Amussis est regula fabrorum qui opus examinant an rectum sit. Corruptum locum esse liquet; Bentleii conjectura an vera sit, dubitamus. R. D.

88 *Ad exemplum*] Quasi ad imaginem, et collationem, et speciem comparationis. *Existimans*] Intelligens. D.

Ad exemplum ambarum mores earum existimans] Reputans et pertractans amborum mores ad exemplum. E.

Illud *exemplum* et versum et sensum turbat. Igitur ne versum ut ineptum et inutilem ejiciendum cum Guyeto putemus; reponamus *ad amussim*, h. e. diligenter, accurate, absolute, scrupulose judicans et exigens mores amborum. B.

89 *Hæc, ita ut liberali esse ingenio decet*] Qualitas comparativa. D.

Cum *liberale ingenium* hic ob seriem orationis non commode pro ipsa muliere accipi possit; repone, *hæc, ita uti liberali atque ingenuæ decet*. Ita enim *ingenua* opponitur *meretrici*, quæ fere semper vel libertina vel peregrina erat. Atque Phor. I. 3. 16. *ingenua* et *liberalis* conjunguntur. B.

Digitized by Google

Pudens, modesta; incommoda atque injurias
Viri omnes ferre, et tegere contumelias.
Hic animus partim uxoris misericordia
Devinctus, partim victus hujusce injuriis,
Paulatim elapsust Bacchidi: atque huc transtulit
Amorem, postquam par ingenium nactus est.
Interea in Imbro moritur cognatus senex
Horunce: ea ad hos redibat lege hereditas.

90 *Pudens, modesta*] Haec contra vitia meretricia posuit. Pudens haec, illa procax: modesta haec, illa maligna. reliqua vero superadduntur ornamenta uxoris, matronaeque laudes. *Incommoda atque injurias*] Callide, laudata uxore non repetit vitia meretricis apud meretricem: et simul contentus de uxoris laudibus, vitia meretricis intelligit. *Incommoda atque injurias viri omnes ferre*] Figura ἀλλαξὶς. D.

91 *Tegere*] Hoc plus est, quam ferre. et *tegere:* quod meretricem amaret. Et plus dixit *tegere*, quam celare. *Tegere* enim ad hoc dixit, ut non solum cuiquam non ediceret, sed et ne quis sciret. D.

92 *Hic, animus*] Oratorie dixit. non enim Pamphilum dixit: sed animum Pamphili. *Hic, animus*] *Hic* pro tum. Virg. Æn. IX. 346. *hic amnis gravis, atque animi maturus Alethes. Uxoris misericordia*] Ἀμφιβολία. *Uxoris misericordia*] Recte, quia ex misericordia amor nascitur. Sic et in Phormione, *misertum est, virgo ipsa facie egregia.* Virg. Æn. IV. 13. *heu, quibus ille Jactatus fatis!* D.

93 *Devinctus, partim victus*] De proximo repetivit πυθόμενον, *devinctus, victus. Partim victus hujusce injuriis*] Qualitas relativa. D.

Recipe lectionem omnium codd. *victus hujus injuria.* B.

94 *Paulatim elapsus*] Adeo est tardus amor Pamphili et magnus, ut etiam post injurias difficile discedat. *Elapsus*] Animus, non Pamphilus. D.

Paullatim elapsus est Bacchidi] Quemadmodum seu laxati, seu laxare sedem incertum (*quum sibi vincula laxari sensisset, amoris sedem incertam mutavit.* Z.). E.

Elapsus Bacchidi] V. C. *elapsus est a Bacchide.* L.

Pro *huic* Bembinus recte *huc.* B.

Huc transtulit amorem] P. e. hanc amare coepit. Propert. I. 12. 18. *sunt quoque translato gaudia servitio* in Heaut. H. 4. 10. eamdem rem ita expressit. Cic. Philipp. II. 31. *sibi cum illa mima posthac nihil futurum, omnem se amorem abjecisse illinc atque in hanc transfudisse.* R. D.

95 *Postquam par ingenium nactus est*] Au sibi par? an absolute bonum? ut dicimus, *sic par est facere te.* Ergo aut sibi par, aut uxori; id est, liberali feminae. *Par ingenium nactus est*] *Par ingenium*, eandem voluntatem. Sallustius, Jug. 41. *quos eadem odisse, et eadem metuere in unum coegit.* Idem alibi Catil. 20. *non idem velle, atque idem nolle, ea demum firma amicitia est.* D.

Postquam par ingenium nactus est] Postquam optimum puellae ingenium recognovit, et sibi par. E.

96 *Interea in Imbro moritur cognatus senex*] Bene causa abitionis Pamphili narratur. *Moritur cognatus senex*] Bene, quod ait *senex:* nam acerbum funus non conveniebat fabulae. In comoedia itaque apud Terentium, aut meretrix molesta, aut ex duabus una uxor moritur, aut senex. Ita ex hujusmodi mortibus, vel incommodum vitatur, vel lucrum insuper nascitur, ut non sit causa lugendi. D.

97 *Horum*] Maluit *horum*, quam *dominorum*, dicere. *Ad hos redibat lege hereditas*] Verbo juris usus est: ea enim

Digitized by Google

Eo amantem invitum Pamphilum extrudit pater.
Relinquit cum matre hic uxorem: nam senex
Rus abdidit se: huc raro in urbem commeat.
PH. Quid adhuc habent infirmitatis nuptiæ?
PA. Nunc audies. primo dies compluscules
Bene conveniebat sane inter eas. interim
Miris modis odisse cœpit Sostratam:

legitima est hereditas, quæ familiæ debebatur. D.

Cum Bembinus legat hoc ordine, *ad hos ea*, et ex nostris duo habeant *rediit*; hanc lectionem amplectendam censeo. Cf. And. IV. 5. 4. B.

98 *Eo amantem*] Modo jam uxorem: non enim amicam. *Invitum Pamphilum extrudit pater*] Invitum recessisse vis verbi demonstrat. Nam proprie *extrudere* dicitur, qui manibus expellit: sed hic translatione usus est, ut ostenderet, tantum importunitatis verbis senis fuisse, quantum impulsio manum efficere potuisset. *Extrudit*] Verbum necessitatis (West. addit, *et aptum importunitati*. Z.) D.

Eo amantem Pamphilum excludit pater] *Amantem* nunc scilicet uxorem, non meretricem, quam jam reliquerat. E.

99 *Relinquit*] Inertia præsentis temporis. Legitur et *reliquit*. *Relinquit cum matre hic uxorem*] Præparatio ad futurum errorem. D.

Relinquit cum matre] Ms. R. et V. C. *reliquit*. L.

Lege *reliquit hic cum matre uxorem*. Nam omnes nostri *reliquit*. Et duo ex nostris optimi illum ordinem verborum habent. Alioqui *matre* male in Thesi mergitur. B.

100 *Nam senex rus abdidit se*] *Nam* hic inceptiva particula est. ut, *nam meus conservus est homo haud magni pretii*. Plautus in milite glorioso, II. 1. 67. *Rus abdidit se*] Verbum reprehendentis senem: quod *se abdidit*, dixit. *Huc raro in urbem commeat*] *Huc* bene dixit, ut ostendat Parmenonem in urbe esse. Mira *εἰκονοποιία*. fac enim præsentem, et nullus error in fabula est. *Commeat*] *Commeare* est abesse inde, ubi te esse oporteat. Ergo hoc dicto ostendit, quam raro ad urbem veniat senex. quippe *commeatus* est ex aliqua commoratione temporalis abscessus. D.

Nostri omnes *sese*. Repone, *rus abdit sese*. B.

101 *Quid adhuc habent infirmitatis nuptiæ?*] Bene usque adhuc suspensa narratio est. et in hac interrogatione quasi substomachatur Philotis decepta, quod nihil videat infirmitatis in nuptiis, quod optaverat. *Quid adhuc habent?*] Hoc tristior meretrix dixit. D.

Quid habent infirmitatis nuptiæ] Opportune quæsivit eo tempore, quo magis nuptiæ confirmatæ fuerant; siquidem dixit *amantem Pamphilum* a patre exclusum *invitum*. Cujus rei supponitur narratio postulationis dicitur litis principia de exordio simulatum (vix dici potest, quam negligenter Westerhovius in his edendis versatus fuerit. Sed mirum non est, quod hic non fuit, quem compilaret, uti alias. Forte legi debet, *cujus rei supponitur narratio*. POSTULATIO NUNQUAM. *Postulatio dicitur litis principium exortum ex ira simulata*. Z.) E.

102 *Nunc audies*] Sic ait, quasi jamdudum audire cupienti, vel quasi ad molestam percontatricem. D.

Repone *primo hos dies compl.* Ita enim passim, *aliquot hos dies*, &c. B.

103 *Bene conveniebat sane*] *Bene*, pro multum: et *sane*, valide. quia qui sanus, idem et validus. D.

Rescribe ex cod. regio *convenibat*. B.

104 *Interim miris modis odisse*] Huc usque Parmenonem poeta verba passus est dicere: cætera actibus servaturus.

Digitized by Google

Neque lites ullæ inter eas, postulatio 105
Nunquam. PH. Quid igitur? PA. Si quando ad eam accesserat
Confabulatum, fugere e conspectu ilico:
Videre nolle. denique ubi non quit pati,
Simulat se a matre arcessi ad rem divinam: abiit.

Interim miris modis] Mire ad finem comœdiæ rerum explanatio reservatur. Namque si quæras, fallitur Parmeno, quum non odio socrus, sed pudore simultatem adversus socrum Philumena simulaverit. *Interim*] Modo repente: et est adverbium temporis. *Miris modis*] Miris exemplis. D.

Cum apud Cledonium pag. 1915. quamquam mendose, locus noster laudetur sic; *miris modis odisse aiunt adolescentem Sostratam*; forte hic pro *cœpit*, quod facile potest subintelligi, substituendum est *adolescens*; quod ipsum de muliere occurrit infra IV. 4. 39. et alibi. B.

105 *Postulatio*] Expostulatio, querela. sed proprie *expostulatio* est apud illum ipsum, qui peccaverit: *postulatio*, de illo apud alterum. D.

Postulatio] Dicitur, quæ frequentius expostulatio i. e. querela. Plautus in Bacchide III. 3. 45. *acris postulatio hæc est*. Sic *postulare* pro *expostulare*. R. D.

106 *Quid igitur?*] Recte dixit, si hoc non fuit, quid ergo? *Postulatio*, querela, et quasi justa interpositio querelarum. D.

Si quando ad eam accesserat confabulatum, fugere e conspectu ilico: videre nolle] Cum socrus accedere vellet frequenter ad nurum, sæpe fugiebat. Fugitandi causa hæc est, quia puella est, quam Pamphilus violarat aliquando nocte, et ex illa annulum detraxerat, et hanc post duos menses duxit uxorem, et duobus mensibus nuptiarum eam non attigit; post vero cum ea esse cœpit. Ex primo compressu gravida facta est puella. Hoc igitur metuens, quod jam gravida esse cœpisset, suam præsentiam nurus socrui denegabat, ne partus in utero cerneretur. Eadem discedit ad matrem, *ad rem divinam*, hoc est, propter sacrificium evocata. Sæpius redit, et (*sæpius repetita est, sed* Z.) ægra simulata est; et socrus cum ad visitandum veniret, admissa non est. Sed ita hæc ut conjecturis confirmet, quæ (*itaque hic velut conjecturis confirmat, quod* Z.) si vel propter iram, vel propter odia cum Pamphilo esse jam nollet, idcirco infirmæ sunt (*sint* Z.) nuptiæ. Nam *senex* pater *rure venit: patrem continuo convenit Philumenæ. Et quid egerint*, nescire se servus dicit. Ita ad postremum conclusio est, et probatum, quod infirmæ sint nuptiæ. R.

107 *Fugere e conspectu illico*] Bene *e conspectu*: utpote, quæ caveret gravida intelligi. Sed tamen subjungit, *videre nolle*: ut ignorantia Parmenonis appareat, qui argumentum odiorum credidit, quod Philumena neque videri vellet, neque videre. *Fugere e conspectu*] Ne videretur. D.

108 *Videre nolle*] Ne videret. *Denique ubi non quit pati*] *Pati* et sustinere, et sustineri intelligi potest hoc loco. utrum postquam non potuit sustinere socrum? an postquam illam socrus ferre non potuit, sic se celantem nurum? Potest etiam sic intelligi, ubi non potuit augmenta odii sui ipsa nurus pati et continere, migravit ad socrum (*a socru.*) *Non quit pati*] Tolerare aut tolerari: quia *patior* commune est. Nam *patior te*, et *a te*, dicimus. D.

Non quit pati] Ms. R. *non quivit pati*. L.

109 *Abiit*] Proprie *abiit*: quia non exspectavit, ut mitteretur. D.

Recte Bembinus habet *ad matrem*; et pro *abiit* legit *abit*. B.

Digitized by Google

Ubi illic dies est compluris, arcessi jubet:
Dixere causam tunc, nescio quam. iterum jubet:
Nemo remisit. postquam arcessunt sæpius,
Ægram esse simulant mulierem. nostra ilico
It visere ad eam: admisit nemo. hoc ubi senex
Rescivit, heri ea causa rure huc advenit:
Patrem continuo convenit Philumenæ.
Quid egerint inter se, nondum etiam scio:
Nisi sane curæ est, quorsum eventurum hoc siet.
Habes omnem rem: pergam quo cœpi hoc iter.
PH. Et quidem ego: nam constitui cum quodam hospite

110 *Ubi illic dies est complures*] Ἀρχαίως *dies*, non *diebus* dixit. *Arcessi jubet*] Non addidit *quæ*, quia intelligitur. D.

Dies est compluris] Priscian. libr. 3.

111 *Dixere causam tunc nescio quam*] Ideo *nescio quam*, quia nullius momenti, ac falsam. D.

Ejice illud *tum*, aut *tunc*; quod et versum gravat, et sedem habet incertam, et nihil confert sententiæ. B.

112 *Nemo remisit*] Hic jam apertius odium videtur, ubi nec jam fingitur causa. *Postquam arcessunt*] Subauditur *nostri*, id est, missi a socru. *Postquam arcessunt*] Id est, missi a nobis scilicet. Et mira varietas. D.

Aliquot ex nostris, *arcessivit*: unde ex scripturæ similitudine natum est *arcessunt*. Sed recte duo habent *arcessit*. B.

114 *It visere*] Ut Æn. I. 527. *populare penates venimus*. *It visere ad eam*] *Visere*, officii est: *videre*, quærentis aliquem. *Admisit nemo*] Injuriosa etiam ipsa pronunciatio est. *Hoc ubi senex rescivit*] *Scimus* quæ ad nos deferuntur: *rescimus* celata. D.

It visere ad eam] Macrob. de different. (Sect. de Infinito modo p. 744. ed. Lips.) L.

Visere ad eam] Pro visere eam. Ovid. Amor. II. 2. 21. *ibit ad affectam, quæ non languebit, amicam*. *Visere*, ubi idem qui in Terentio Græcismus est, *ibit visere* pro *ibit visum*. v. ibi Heins. R. D.

115 *Heri ea causa*] Bene *ea causa*: quippe qui se ruri abdidisset. D.

117 *Nondum etiam scio*] Παρέλκον tertium. *Nondum etiam*] Recte servavit reliquis partibus fabulæ pendulum et attentum spectatorem. D.

118 *Nisi sane curæ est, quorsum eventurum hoc siet*] Bene: quia curiosus est Parmeno, et idem garrulus. Nam per totam fabulam talis inducitur. *Nisi sane curæ est*] Ἔλλειψις. deest *scire*. Et est σύλληψις, *scio*, *scire* cum ἀναβάσει. D.

Curæ est] I. e. anxius et sollicitus sum. Cic. ad Div. X. 1. *maxime mihi curæ est non de mea quidem vita sed de patria*. R. D.

119 *Habes omnem rem*] Quasi dicat, quam audire expetisti. *Pergam, quo cœpi hoc iter*] *Pergam hoc iter*: ut, Æn. VI. 240. *tendere iter pennis*. *Quo cœpi hoc iter*] Ad portum scilicet. D.

120 *Nam constitui cum quodam hospite*] Dicit causam, cur in reliqua fabula non appareat persona hujus meretricis. *Constitui*] *Constitui* proprie. Nam de hujusmodi rebus dicitur convenire et constituere, de cujusmodi rebus apud extraneos meretrices agunt. D.

Digitized by Google

Me esse illum conventuram. PA. Di vortant bene Quod agas. PH. Vale. PA. Et tu bene vale, Philotium.

ACT. II. SCENA I.

LACHES. SOSTRATA.

PRO deum atque hominum fidem! quod hoc genus est, quæ hæc est conjuratio? Ut omnes mulieres eadem æque studeant, nolintque omnia?

121 *Di vortant bene quod agas*] Sæpe enim res eveniunt aliter, quam volumus: et ideo Vertumnus colitur, qui præest rebus vertentibus. D.

Pergam iter] Scilicet facere. Sallust. in Jug. c. 29. *maturavere iter pergere* ubi v. Cort. R. D.

1 *Pro deum atque hominum fidem!*] In hac scena accusatio socrus est: quæ se conjecturaliter defendit, dicens nihil a se factum in perniciem nurus. *Pro deum atque hominum fidem!*] Ἐφωνῶς ab exclamatione cœpta scena est. Senex enim est difficilis et iratus. *Quod hoc genus est? quæ hæc est conjuratio?*] Conatur Terentius adversus famam socrum bonam reperire; et incipit a generali exclamatione, quo vehementior sit ejus accusatio: paulatimque ad speciale crimen descendit. *Quod hoc genus*] Accusatio a persona: cui accidit ex sexa et *(cui accedit extra sexum etiam* Z.) quod socrus est. *Conjuratio*] *Confessio (consensio)* bonæ rei est, *conjuratio* malæ. et inde conjuratio Catilinæ dicta est. *Quæ hæc conjuratio?*] Accusatio a re. D.

Pro deum atque hominum fidem! quod hoc genus est? quæ hæc est conjuratio?] Hæc scena locum communem tenet in socrum; qui dividitur his partibus a socru. Hoc *(tribus partibus: a sexu. Hic* Z.) enim dixit: *utin' omnes mulieres eadem æque studeant, nolintque omnia?* Deinde et ab eo quod *socrus;* tertio ab eo, quod Sostrata est. Nam ab eo quod socrus, sic adjunxit: *itaque adeo uno animo omnes socrus oderunt nurus.* Adeo. *(ab eo* Z.) quod Sostrata est: *in eodemque omnes mihi videntur ludo docte ad malitiam. Et si ludo, si ullus est, magistram hanc esse aetis certo scio*] Sumitur autem in locis communibus quod Laches credit, nurum, hoc est, uxorem Pamphili, propterea domo discessisse, quod socrus mores non posset sustinere. Cum supra diximus, sicuti *(cum tamen, sicuti supra diximus, soliosi* Z.) partes celandi causa domo illa discesserit. E.

2 *Ut omnes mulieres eadem æque studeant*] Bono argumento utitur. Læsisti nurum, quia socrus es: et nulla socrus diligit nurum. *Ut omnes mulieres*] Accusatio a causa eadem. *Studeant*] Majoris operis est *studere*, quam *velle*. D.

Pro *ut* legitur in Bemb. et Victor. *Utin*, quod concitatius putat Faernus. At hic consistere nequit, quia ultimam semper producit. Igitur lege *utn'*. B.

Digitized by Google

Neque declinatam quicquam ab aliarum ingenio ullam reperias?
Itaque adeo uno animo omnes socrus oderunt nurus:
Viris esse advorsas æque studium est, similis pertinacia est.
In eodemque omnes mihi videntur ludo doctæ ad malitiam:
Ei ludo, si ullus est, magistram hanc esse satis certo scio.

3 *Neque declinatam quicquam*] Id est, flexam vel inflexam, ab eo quod declinaverit: ne pardm sit, diversam vel dissimilem dixisse. ut est illud, *illum tumultum inflexit.* D.

Neque declinatam] Menander: γυνὴ γυναικὸς πώποτ' εἰδὶ διαφέρει. L.

4 *Itaque adeo uno animo*] Nescias an ex sententia hac, vel adeo ex hac scena nomen fabulæ sit inventum. *Itaque adeo*] Necessaria sententiæ ἀμφιβολία, ad describendam utramque personam. D.

Omnes socrus oderunt] Hieronym. adversus Jovinian. cap. XXIX. in *Lepti urbe semibarbara et posita in solitudine moris est, ut nurus altera die ollam mutuam postulet. Cui illa negat, ut scias illud verum esse Terentii, quod consulto ambigue extulit: omnes socrus oderunt nurus.* Idem in Michaam cap. 7. *Terentius in Hecyra, quid hoc est, inquit, omnes socrus oderunt nurus: quod quanquam ambiguum sit, tamen propemodum naturale est, ut nurus socrum, et socrus oderit nurum.* L.

Huno versum, qui toto pede deficit, ambiguitate laborat, et filum orationis interrumpit, spurium esse censeo. Nam cum crimen aliquod commune *omnium mulierum* proferatur, male hic repente accusantur *socrus.* Atque si omnium est idem studium; qui fit, ut *nurus* et *socrus* tantopere inter se discrepent? B.

Uno animo] I. e. eodem animo. Sic dicitur *una voce, uno ore.* v. Heins. ad Ovid. Metam. X. 33. *serius aut citius sedem properamus ad unam.* R. D.

5 *Viris esse advorsas*] Aliud argumentum; læsisti nurum, ut mihi adversareris. Nam mulier es, et mulieres omnes adversantur *viris. Æque studium est*] *Studium*, est voluntas hominis attentior atque impensior. *Similis pertinacia est*] Αὔξησις. Nam *studium* et bonum est: *pertinacia* vero nunquam non mala. D.

Ut verum laboranti succurras, repone *viris advorsari aéque*, &c. Cf. infra. II. 2. 29. et. IV. 4, 32. R.

In eodem omnes ludo doctæ ad malitiam] I. e. omnes sunt æque improbæ, altera alteri non cedit improbitate. Locutio ducta est a ludo sive gladiatorio sive literario. v. Torrentium ad Sueton. Cæs. c. 26. *doctæ ad malitiam* dicitur ut apud Ciceron. pro Milone c. 4. *ad quam legem non docti sed facti sumus.* R. D.

6 *In eodemque omnes mihi videntur ludo doctæ ad malitiam*] Tria in accusatione posuit, ex quibus duo sunt communia, unum ipsius. quod *mulier* est, et quod *socrus*, communia: quod ipsa specialiter *magistra* est ad malitiam, Sostratæ. Ex his colligit, injuriam passam nurum, per conjecturam. D.

7 *Et ei ludo, si ullus est, magistram*] Magna amplificatio crimiais. dubitat an sit ludus malitiæ: et magistram non dubitat Sostratam, sed *certo scio*, inquit. D.

Omnes libri male habent *et ei ludo.* Recte in Rembin. *Et* abest. Cæterum leg. *ei ludo, si ulla sit magistra, hanc esse*, &c. Nam de ludo non du-

Digitized by Google

S. Me miseram, quæ nunc, quamobrem accuser, nescio! L. Hem!
Tu nescis? S. Non, ita me Di ament, mi Laches:
Itaque una inter nos agere ætatem liceat. L. Di mala prohibeant.
S. Meque abs te immerito esse accusatam, postmodum rescisces. L. Scio:
Te immerito? an quicquam pro istis factis dignum te dici potest?

bitat, quia ipse in præc. versu talem ludum esse dixerat; sed de magistra dubitandi causa erat, annon mulieres πολυπειφανίαν esse mallent. B.

8 *Me miseram!*] Et hæc ἐμπαθῶς cœpit, sed ad misericordiam spectat defendentis oratio. *Quæ nunc, quamobrem accuser, nescio*] Oratorie pro se loquitur mulier. siquidem majoris innocentiæ est nescire crimen, quam defendere. Et his verbis ostenditur, sine noxa esse etiam Philumenam: non solum hanc, quæ loquitur, Sostratam. D.

Denique adjungit mulier: *me miseram! quæ nunc, quamobrem accuser, nescio. Meque abs te immerito esse accusatam, postmodum rescisces*] Quoniam præsenti tempore nullam ad cœnam (nulla adhuc criminationis Z.) de se habitæ potest esse purgatio, defensionem de futuris temporibus pollicetur, his scilicet, quibus rediturus est Pamphilus. Ejus enim adventu res absolvi potest, et discessionis causa agnosci. E.

Me miseram! quæ nunc] Servius Æneid. I. 410. L.

Lege hunc et seq. versum sic: *me miseram, quæ nunc quamobrem accuser, nescio!* L. *Hem, tu nescias?* | S. *Ita me di bene ament, mi Laches.* Nam e ratione Faerni seu vulgari, senarii hi inter cæteros septenarios locum non commode obtinent. At ex nostra ratione septenarius cum clausula familiaris et Terentio. Reposui *nescias*; quia post indicativum verbum, quod repetitur, solet in conjunctivo poni. Deinde illud *non* cum septem codd. omisi, quia sensui officit. Nam *non* cum *nescire* junctum signif. *scire*: quod ab hoc loco est alienum. B.

9 *Non, ita me di bene ament! mi Laches*] Modo *mi Laches* non est blandientis, sed ejus qui periclitetur innoxius. *Non, ita me di bene ament!*] Ἄτυχος πίστις per jusjurandum. *Non, ita me di bene ament!*] Animadvertendum, veteres non minus ἐυφημισμὸν in verbis, quam καιάφατον neglexisse: velut hic, *ita me di bene ament!* D.

10 *Itaque*] Modo duæ partes sunt orationis. *Di mala prohibeant!*] Seniliter odit uxorem, cujus amor optabilis fuit in adolescentia. *Di mala prohibeant!*] Ut una inter nos agamus ætatem. D.

11 *Postmodum rescisces*] Hæc figura ab oratoribus ἐπάγγελμα nominatur: in qua aliquid promittimus judicibus nos probaturos, quum metuimus, ne quid illis temere persuasum sit. *Postmodum rescisces*] Fiducia innocentiæ. *Resciscere* est, quum quod de industria celatur, vix argumentorum vi agnoscitur. D.

Cum Bemb. leg. *postmodo*, quod versus exigit. Tum illud *scio*, cum irato seni non conveniat, tribue ipsi Sostratæ: adeo ut absolute ponatur; ut Adel. IV. 1. 10. B.

12 *An quicquam pro istis factis*] Amare; παρὰ προσδοκίαν. D.

Digitized by Google

Neque declinatam quicquam ab aliarum ingenio ullam reperias?
Itaque adeo uno animo omnes socrus oderunt nurus:
Viris esse advorsas æque studium est, similis pertinacia est.
In eodemque omnes mihi videntur ludo doctæ ad malitiam:
Ei ludo, si ullus est, magistram hanc esse satis certo scio.

3 *Neque declinatam quicquam*] Id est, flexam vel inflexam, ab eo quod declinaverit: ne parum sit, diversam vel dissimilem dixisse. ut est illud, *illum tumultum inflexit.* D.

Neque declinatam] Menander: γυνὴ γυναικὸς πώποτ' οἶδι διαφέρει. L.

4 *Itaque adeo uno animo*] Nescias an ex sententia hac, vel adeo ex hac scena nomen fabulæ sit inventum. *Itaque adeo*] Necessaria sententiæ ἀμφιβολία, ad describendam utramque personam. D.

Omnes socrus oderunt] Hieronym. adversus Jovinian. cap. XXIX. *in Lepti urbe semibarbara et posita in solitudine moris est, ut nurus altera die ollam mutuam postulet. Cui illa negat, ut scias illud verum esse Terentii, quod consulto ambigue extulit: omnes socrus oderunt nurus.* Idem in Michaam cap. 7. *Terentius in Hecyra, quid hoc est, inquit, omnes socrus oderunt nurus: quod quanquam ambiguum sit, tamen propemodum naturale est, ut nurus socrum, et socrus oderit nurum.* L.

Huno versum, qui toto pede deficit, ambiguitate laborat, et filum orationis interrumpit, spurium esse censeo. Nam cum crimen aliquod commune *omnium mulierum* proferatur, male hic repente accusantur *socrus.* Atque si omnium est idem studium; qui fit, ut *nurus* et *socrus* tantopere inter se discrepent? B.

Uno animo] I. e. eodem animo. Sic dicitur *una voce, uno ore.* v. Heins. ad Ovid. Metam. X. 33. *serius aut citius sedem properamus ad unam.* R. D.

5 *Viris esse advorsas*] Aliud argumentum; lœsisti nurum, ut mihi adversareris. Nam mulier es, et mulieres omnes adversantur viris. *Æque studium est*] *Studium*, est voluntas hominis attentior atque impensior. *Similis pertinacia est*] Αὔξησις. Nam *studium* et bonum est: *pertinacia* vero nunquam non mala. D.

Ut varsui laboranti succurras, repone *viris advorsari æque*, &c. Cf. infra. II. 2. 29. et. IV. 4. 32. R.

In eodem omnes ludo doctæ ad malitiam] I. e. omnes sunt æque improbæ, altera alteri non cedit improbitate. Locutio ducta est a ludo sive gladiatorio sive literario. v. Torrentium ad Suetom. Cæs. c. 26. *doctæ ad malitiam* dicitur ut apud Cicoron. pro Milone c. 4. *ad quam legem non docti sed facti sumus.* R, D.

6 *In eodemque omnes mihi videntur ludo doctæ ad malitiam*] Tria in accusatione posuit, ex quibus duo sunt communia, unum ipsius. quod *mulier* est, et quod *socrus*, communia: quod ipsa specialiter *magistra* est ad malitiam, Sostratæ. Ex his colligit, injuriam passam nurum, per conjecturam. D.

7 *Et ei ludo, si ullus est, magistram*] Magna amplificatio criminis. dubitat an sit ludus malitiæ: et magistram non dubitat Sostratam, sed *certo scio*, inquit. D.

Omnes libri male habent *et ei ludo.* Recte in Bembin. *Et* abest. Cæterum leg. *ei ludo, si ulla sit magistra, hanc esse*, &c. Nam de ludo non du-

Digitized by Google

S. Me miseram, quæ nunc, quamobrem accuser, nescio! L. Hem!
Tu nescis? S. Non, ita me Di ament, mi Laches:
Itaque una inter nos agere ætatem liceat. L. Di mala prohibeant.
S. Meque abs te immerito esse accusatam, postmodum rescisces. L. Scio:
Te immerito? an quicquam pro istis factis dignum te dici potest?

bitat, quia ipse in præc. versu talem ludum esse dixerat; sed de magistra dubitandi causa erat, annon mulieres πολυπραγμονεῖν esse mallent. B.

8 *Me miseram!*] Et hæc ἐμπαθῶς cœpit, sed ad misericordiam spectat defendentis oratio. *Quæ nunc, quamobrem accuser, nescio*] Oratorie pro se loquitur mulier. siquidem majoris innocentiæ est nescire crimen, quam defendere. Et his verbis ostenditur, sine noxa esse etiam Philumenam: non solum hanc, quæ loquitur, Sostratam. D.

Denique adjungit mulier; *me miseram! quæ nunc, quamobrem accuser, nescio. Meque abs te immerito esse accusatam, postmodum rescisces*] Quoniam præsenti tempore nullam ad cœnam (nulla adhuc criminationis Z.) de se habitæ potest esse purgatio, defensionem de futuris temporibus pollicetur, his scilicet, quibus rediturus est Pamphilus. Ejus enim adventu res absolvi potest, et discessionis causa agnosci. E.

Me miseram! quæ nunc] Servius Æneid. I. 410. L.

Lege hunc et seq. versum sic: *me miseram, quæ nunc quamobrem accuser, nescio!* L. *Hem, tu nescias?* | S. *Ita me di bene ament, mi Laches.* Nam e ratione Faerni seu vulgari, senarii hi inter cæteros septenarios locum non commode obtinent. At ex nostra ratione septenarius cum clausula familiaris et Terentio. Reposui *nescias*; quia post indicativum verbum, quod repetitur, solet in conjunctivo poni. Deinde illud *non* cum septem codd. omisi, quia sensui officit. Nam *non* cum *nescire* junctum signif. *scire*: quod ab hoc loco est alienum. B.

9 *Non, ita me di bene ament! mi Laches*] Modo *mi Laches* non est blandientis, sed ejus qui periclitetur innoxius. *Non, ita me di bene ament!*] Ἄτυχος πίστις per jusjurandum. *Non, ita me di bene ament!*] Animadvertendum, veteres non minus ὑφημισμὸν in verbis, quam καιόμφατον neglexisse: velut hic, *ita me di bene ament!* D.

10 *Itaque*] Modo duæ partes sunt orationis. *Di mala prohibeant!*] Seniliter odit uxorem, cujus amor optabilis fuit in adolescentia. *Di mala prohibeant!*] Ut una inter nos agamus ætatem. D.

11 *Postmodum rescisces*] Hæc figura ab oratoribus ὑπάγγελμα nominatur: in qua aliquid promittimus judicibus nos probaturos, quum metuimus, ne quid illis temere persuasum sit. *Postmodum rescisces*] Fiducia innocentiæ. *Rescicere* est, quum quod de industria celatur, vix argumentorum vi agnoscitur. D.

Cum Bemb. leg. *postmodo*, quod versus exigit. Tum illud *scio*, cum irato seni non conveniat, tribue ipsi Sostratæ: adeo ut absolute ponatur; ut Adel. IV. 1. 10. B.

12 *An quicquam pro istis factis*] Amare; παρὰ προσδοκίαν. D.

Digitized by Google

Quæ me, et te, et familiam dedecoras: filio luctum paras:
Tum autem, ex amicis inimici ut sint nobis affines, facis;
Qui illum decrerunt dignum, suos cui liberos committerent?
Tu sola exorere, quæ perturbes hæc, tua impudentia.
S. Egone? L. Tu, inquam, mulier, quæ me omnino lapidem, non hominem putas.

13 *Quæ me, et te, et familiam*] Jam sic accusat, quasi probaverit crimen. et est amplificatio. *Quæ me, et te, et familiam*] Hæc exaggeratio est, quæ δεινότης appellatur: quum ex uno maleficio multa fiunt ab oratoribus crimina. *Dedecoras*] *Dedecoratur*, quod honestum est (adde, *in animo* Z.): *turpatur*, quod honestum est corporale. D.

Quæ me, et te, et familiam dedecoras: filio luctum paras] Hic jam specialis accusatio est ipsius in Sostrata (*Sostratam* Z.) ab his rebus, quæ sequuntur, hoc est, quæ in affectu (*quæ oriuntur ab affectu* Z.) post jurgium. E.

Illud *omnem* post *familiam*, quod auctoritate Bemb. recepit Faernus, respuit metrum, codd. cæteri omittunt, et sensus damnat. Nam *omnis familia* complectitur servos et ancillas, ut Adel. V. 7. 12. sed *familia* hic dicitur de genere, et majoribus. B.

Ex amicis inimici ut sint] Sic Cæsar de B. C. III. 104. *plerumque in calamitate ex amicis inimici existunt.* v. notat. ad Andr. I. 1. 10. R. D.

15 *Dignum, suos cui liberos committerent*] Multum sonanter, et accusatorio strepitu, nec masculinum genus, nec femininum posuit: nec unam (adde, *filiam*), sed liberos. Sic Cicero, Fam. IV. 5. *ea cui tuos liberos committas:* quum de uno ageret. et, *habemus enim liberos:* de puella. *Dignum*] Sic dixit *dignum*, ut honoris genus sit, accipere uxorem meruisse. *Suos cui liberos committerent*] Nota liberos in significatione etiam unius filiæ. D.

Dignum decreverunt, suos cui liberos committerent] Ejecta (*sciendum* Z.) est, communi genere *liberos* esse positos, ut feminas intelligamus. E.

Qui illum decreverunt dignum] Serv. Æn. X. 532. L.

16 *Tu sola exorere*] Emergis, reperiris. Verbum hoc impudentiam notat. Cicero, pro Deiot. I. *exortus est servus, qui, quem in eculeo appellare non posset, eum accusat solutus. Exorere*] Existis. *Exoriri* dicitur, qui non exspectatus invadit in aliquem. D.

Pro *impudentia* tres codd. recte *imprudentia*, ob versum, et sensum. Nam humani viri non est, uxorem impudentem dicere. B.

Exorere] I. e. existis, reperiris. Inprimis hoc verbum dicitur de illis, qui præter exspectationem existunt. v. Donat. ad. h. l. R. D.

17 *Tu, inquam, mulier, quæ me omnino lapidem, non hominem putas*] *Tu mulier*, ἔμφασιν malitiæ habet. et omnino expressio consuetudinis est ad indignationem. Et *lapis* nunquam utilis, nisi ad telum, quem magis ad injuriam delegit. Nam saxum melius, quam lapis. Ut Virg. Æn. XI. 131. *saxaque subsectare humeris. Tu, inquam, mulier*] Sic Euripides, Androm. 85.: Πολλὰς ἂν ἴδοις μυχαπὰς, γυνὴ γὰρ εἶ. et Virg. Æn. IV. 569. *varium et mutabile semper femina. Lapidem, haud hominem*] Sufficeret, *lapidem putas:* sed de stomacho, *haud hominem*, additum est. Plautus, Mil. II. 2. 80. *herus meus elephanti corio circumtectus est, non suo.*

Digitized by Google

An quia ruri crebro esse soleo, nescire arbitramini
Quo quisque pacto hic vitam vostrorum exigat?
Multo melius hic quæ fiunt, quam illic ubi sum assidue, scio:
Ideo quia, ut vos mihi domi eritis, proinde ego ero fama foris.
Jampridem equidem audivi cepisse odium tui Philumenam:
Minimeque adeo mirum: et, ni id fecisset, magis mirum foret.
Sed non credidi adeo, ut etiam totam hanc odisset domum:

Haud hominem putas] Ἓν ἤθει. Sic Apollodorus, σὺ μὲ παντάπασιν * eHCAT (ἡγήσαιο) λίθον. D.

Tu, inquam, mulier] Tanquam solus senex (*sexus* Z.) sufficere possit ad crimen, et hæc ætas qua mulier est. Id (*sic* Z.) enim Virg. Æn. IV. 569. *varium et mutabile semper femina.* E.

Tu, inquam, mulier] Convicium sollemne in sequiorem sexum, *mulier.* Plaut. Casin. II. 2. 36. *I foras, mulier es.* Euripid. Ὦ παγκακίστη καὶ γυνὴ· τί γὰρ λέγων Μεῖζον σὲ ὄνειδος ἐξείποι τὶς ἄν? Cercinus tragicus apud Athen. Dipnos. lib. XIII. Ὦ Ζεῦ, τί χρὴ γυναῖκας ἐξειπεῖν κακὸν Ἀρκοῦν ἂν εἴη, κἂν γυναῖκ' εἴπῃς μόνον? L.

Pro *egone* Faerni, versus postulat *egon*, quod passim occurrit. B.

18 *An, quia ruri esse crebro soleo*] Memor sui est, qui dixerat, *rus abis* (*rus abdidit se*). D.

Ob versum et auctoritate trium codd. repone, *an quia rurí esse crebro soleo.* B.

19 *Quo quisque pacto hic vitam vestrorum*] *Vestrorum*, pro *vestrum.* sic veteres. D.

Alii *vestrarum.* Sed retine vulgare *vostrorum*, ut utrumque sexum intelligas. B.

20 *Multo melius hic quæ fiunt*] Ὑπερβολῇ usus est. ut in Adelphis, *an non prius totis sex mensibus olfecissem?* D.

Pro *illic* cum Mureto lege *illi*, quod versus exposcit. B.

21 *Ideo quia ut vos mihi domi eritis*] Mire confirmat, unde sciat: ne suspiciose crimen objicere videretur. Et bene *mihi:* quia commoditas familiæ ad hunc redundatura est. D.

Quia, ut vos mihi domi eritis, proin ego ero fama foris] Idcirco diligenter et caute vestram vitam in urbe commorantium rogo atque pertracto (*perscrutor* Z.) quia proinde ut vos domi eritis, ita me opinio et fama populi sermone celebrabit. E.

Fama foris] V. C. *pro fama foris.* L.

Unus cod. *dómi mihi eritis;* recte: quippe *domi* in ictu esse debet. B.

22 *Pridem equidem audivi cœpisse odium tui Philumenam*] Primo objurgatio est Sostratæ, cur non amet nurum. Secundo, cur non ametur a nuru. Tertio, cur usque adeo (adde, *ut*) puella nupta deserat domum. D.

23 *Minimeque adeo mirum*] Satis amare, pro merito dicit odium, contra meritum amoremque: simul excusat nurum: quæ oderit talem socrum: et simul prævenit, *quid si non læsa est, sed odio me habet?* D.

Et, ni id fecisset, magis mirum foret] Adeo tui mores noti omnibus, uti, quod puella jurgio discessit, mirum sit, mirum magis est, et (*discesserit, mirum non sit; mirum magis esset,* Z.) si inter vos amicitia perseveraret. E.

24 *Sed non credidi adeo*] Deest, *osuram fuisse.* D.

Digitized by Google

Quod si scissem, illa hic maneret potius, tu hinc isses foras.
At vide, quam immerito ægritudo hæc oritur mihi abs te, Sostrata:
Rus habitatum abii, concedens vobis, et rei serviens;
Sumtus vestros otiumque ut nostra res posset pati,
Meo labori haud parcens, præter æquom atque ætatem meam.

26 *At vide, quam immerito ægritudo hæc mihi oritur abs te, Sostrata*] Ἠθικῶς post acrem invectionem seipsum miseratur, ut invidiam duræ inclamationis in ipsam convertat. Sic in Andria, *age nunc: jam ego pol hodie, si vivo, tibi ostendam, herum quid sit pericli fallere.* Et continuo, *Chreme, pietatem gnati! nonne te miseret mei? Tantum laborem capere ob talem filium? Quam immerito ægritudo hæc oritur mihi abs te, Sostrata*] Postquam de injuria dixit, de persona ejus cujus fama est, id est * cum (forte, *cujus fama periclitatur, id est, sua, nunc injuriam ostendit* Z.) *Ægritudo hæc oritur*] *Oritur*, et magnitudinem rei significat, et repentinum impetum. ut supra, *tu sola exorere.* D.

Et vide, quam immerito ægritudo hæc oriatur mihi, Sostrata, abs te] Omnis accusatio concluditur qualitate, quod non merito tantam ægritudinem sensi fecerit, cum junxit, quod rus discesserit, ut illic habitaret, asserit, ut et voluptatibus earum, quæ in urbe morarentur tantum sumtus quod in totum earum resque domestica sustineret, ut sibi ipse non parceret, et contra quo justum est, et ætas similes pati potest utique gratæ ingis esse debuerat referret (*fecerit. Nam junxit, quod rus discesserit, ut illic habitaret, et cederet voluptatibus earum, quæ in urbe morarentur, rei serviens ita, ut sumtus, quum in otio essent ipsæ, res domestica sustineret, ut sibi ipse non parceret; contra quam justum isset et ætas similes pati posset injurias. Itaque gratæ mentis esse deberet cavere,* Z.) ne aliqua (adde *se* Z.) senem tangeret ægritudo. E.

27 *Rus habitatum abii*] Quia dixit, *senex rus sese abdidit. Concedens vobis*] Ne diceretur, quod sit voluptatis causa. *Vobis*, melius pluraliter, quam si diceret *cui. Concedens vobis, et rei serviens*] *Concedens vobis*, id est, ut vos in urbe essetis. *Rei serviens*] Res servit divitibus, quia abundant: rei serviunt pauperes, quia se coartant ad angustias rei. Ita ergo res pro qualitate sua et servit, et ei rei (*eidem* Z.) servitur. Horatius, Epist. I. 10. 47. *imperat aut servit collecta pecunia cuique.* D.

Concedens vobis] *Concedere* ponitur pro simplici *cedere* i. e. locum dare. Plaut. in Amphitr. I. 1. 119. *neque nox quoquam concedit die.* v. Drak. ad Liv. II. 47. *concedendo illi suas laudes.* R. D.

28 *Vestros sumtus, otiumque*] *Sumtus vestros*, idem quod alibi. *Otium*] Vitam urbanam. Vel quod nihil acquiritis. ut in Adelphis, *hanc ego clementem vitam urbanam, atque otium secutus sum. Otiumque*] Hoc est, amorem (*hoc amare* Ms. H.) quasi nihil agentibus. *Ut nostra res posset pati*] Mediocris scilicet: ut comici patresfamilias. D.

Ut nostra res posset pati] I. e. ut sufficere possem sumtibus quos facitis ferendis. Horat. Epist. I. 18. 28. *meæ stultitiam patiuntur opes*, &c. i. e. meæ opes tantæ sunt ut stultitia illas non attenuet. R. D.

29 *Præter æquum, atque ætatem meam*] *Prater æquum*, quia vos estis domini: vel quia vos fruimini, quum ego doluerim. *Ætatem*] Quia senex. Virg. Æn. VI. 114. *vires ultra, sortemque senectæ.* D.

Digitized by Google

Non te pro his curasse rebus, ne quid aegre esset mihi?
S. Non mea opera, neque pol culpa evenit. L. Imo maxume.
Sola hic fuisti: in te omnis hæret culpa sola, Sostrata.
Quæ hic erant, curares: cum ego vos solvi curis cæteris.
Cum puella anum suscepisse inimicitias non pudet?

30 *Non te pro his curasse rebus*] Mirus senex: pro his, inquit, tot *rebus* meam et facilem redderes: curares, ne quid aegre esset mihi. Et *te* sic pronunciandum, quasi dicat, etsi alii non curarent, tu curare debuisti. D.

31 *Non mea opera, neque pol culpa*] Vellet dicere, nurus culpa evenit: sed melius dixit, *non mea*: ne accusando confirmaret, quod dixit senex, *omnes socrus oderunt nurus*. *Neque pol culpa evenit*] Bene additum, *neque pol culpa*. Potuit enim fieri, ut non fecerit ipsa injuriam: sed tamen permiserit fieri. mire tamen nec ipsa accusat nurum. *Non mea opera, neque pol culpa*] Videtur unum dixisse *opera* et *culpa*: et tamen non est idem. *Opera* enim est, si scientes læserimus: *culpa*, si nescientes. quorum alterum sceleris, alterum stultitiæ est. D.

Non mea opera, neque pol culpa evenit] Quantum potest, mulier defendit se solam debuestam, quod non jurgii vel discessionis ipsa causa sit. Hoc facile scit (*sed hoc facile revincit* Z.) senex, quod sola fuit in domo, et necessario ad culpam ipsa sola sit causa. Denique ipsius diligentia et cura esse debuerat, ne qua aegritudo nasci posset. Ne senex non tam laboret probare! crimen, quod intendit, qm inde sequitur, quod (*quam quod inde sequitur, id* Z.) adjungit: *cum puella anum suscepisse inimicitias, non pudet?* Ut probaret animum emittatur (ILLIUS DICAS CULPA FACTUM. *Ut probarat argumentum, elicit id* Z.) quo mulier posset dicere, quo magis redderet graviorem accusationem, si illa istuc diceret, quod illius culpa factum est (*esset* Z.) jurgium. E.

Evenit] Mss. quidam habent *venit*, quod non contemnendum. Nam *venire* pro *evenire* alii quoque scriptores dicunt. Liv. IX. 12. *omnia quæ deinde venerunt* ubi v. Duker. R. D.

32 *Sola hic fuisti*] Ratio. et deest *enim*: ut sit, sola enim hic fuisti, quod ad filium et maritum pertinet. Nam non sola, cum qua nurus. *Sola hic fuisti*] *Sola*, quantum pertinet ad regendam domum: cæterum et filius, et nurus erant: sed *sola*, id est, sine me. *In te omnis hæret culpa*] Etsi in nura culpa aliqua, in te omnis est tamen Sostrata (*si est injuria aliqua, culpa in te omnis est, Sostrata*. Ms. H.) *Sola, Sostrata*] Optime geminavit *sola*, more iracentium: nondum nomen posuit, et *Sostrata*, additum ad amaritudinem inclamantis. D.

33 *Quum ego vos solvi curis cæteris*] *Vos*, pro *te*: ut, Æn. XII. 60. *desisto manum committere Teucris*. *Quum ego vos solvi*] Nova figura, *solvi vos*. D.

Dedit auctor, suo more, *cum ego curis solvi cæteris*. B.

34 *Cum puella anum suscepisse inimicitias*] Hoc dicit, tanquam concesserit etiam nurum iniquam esse. *Cum puella*] (excidit *ut*) *puellam* blande dixit: ita hanc cum amaritudine, *anum*. D.

Puella] Puellæ dicuntur feminæ adolescentiores etiam nuptæ. v. Ovid. Epist. I. 115. *quæ fuerum te discedente puella* Penelope de semet ipsa ad Ulyssem. Fast. II. 557. *viduæ cessate puellæ*. R. D.

Digitized by Google

Illius dices culpa factum. S. Haud equidem dico, mi Laches.

L. Gaudeo, ita me di ament, gnati causa: nam de te quidem,

Satis scio, peccando detrimenti nil fieri potest.

S. Qui scis, an ea causa, mi vir, me odisse assimulaverit,

35 *Illius dices culpa factum*] Prævenit defensionem: et eam sic pronunciavit ut crimen. *Haud equidem dico, mi Laches*] *Mi Laches* modo dixit, quasi gravissimum accusatorem arguens (forte *timens*. Z.) et quasi defatigata et delassata ejus inclamationibus. Non ergo blandientis est modo *mi*: sed invidiose rogitantis. D.

36 *Gaudeo*; *ita me di ament, gnati causa*] Quod similis filius non sit, an quod talem uxorem habeat, quam nec inimica accusare possit? Et *gnati causa*, dixit: quia talem uxorem habens, sua causa quid gaudeat, non (forte, *nunc*. Z.) habet. *Nam de te quidem satis scio*] Id est, nihil detrimenti fit, si tu pecces; id est, nunquam, inquit, peccando pejor fieri potes: sed es eadem quæ semper es. Sensus est: jam talis es, ut pejor fieri non possis. Sic Cicero Verr. I. 1. *est idem Verres, qui fuit semper*. D.

Nam te quidem, satis scio, peccando detrimenti nihil fieri potest] Hoc per ironiam pronunciandum. Nam certus sum, quod temperata (*te peccante*, aut, *tuo peccato*. Z.) nulla damna sentimus, neque res nostra familiaris ullum patitur detrimentum. E.

De te peccando detrimenti nil, &c.] I. e. jam talis es ut peccando pejor fieri non possis. R. D.

37 *Peccando detrimenti*] Servas, inquit, numerum peccatorum, nec fit ullum copiæ detrimentum. sed quum plurimum delinquas, tantundem semper admittitur. *Peccando detrimenti*] Hic sensus obscurus est: attamen hic, dum quantumcunque, inquit, sceleris admiseris, id est, quantumcunque peccaveris, nihil de existimatione minuitur, nihil de pudore derogatur: eadem es quæ fuisti, quia pejor fieri non potes. *Peccando detrimenti*] Quidam hanc putant *sponsionem*: quasi dicat, certus sum, quod ex nulle peccato tuo damnum pati possumus. sed male. D.

38 *Qui scis, an ea causa, mi vir*] Defensio a derivatione causæ: in qua ostenditur non hanc esse, quam objicit causam senex, cur abierit nurus ad matrem suam. D.

Qui scis, an ea causa, mi vir, me odisse assimulaverit, ut cum matre plus una esset?] Hic causa mutatur; quod illa forte domo discesserit, non quod socrus odium vitare vellet, sed diutissime cum matre moraretur. Quod revincit senex, odio potius factum, quod amissa sit (*quod heri admissa non sit*. Z.) Mutat causam, cur amissa non sit, sed (*cur admissa non sit, et se*. Z.) defendens mulier dicit: *Enim lassam oppido dicebant esse*] *Oppido* autem intelligimus valde. Contra senex rursus invenit (*invehit* Z.) quod ipsa potius puellæ morbus sit, ut ejus mores ægritudinem afferant, non quod illa morbo corporis aliquo laboret. Concludit invectionem et generale nomen (*ab generali nomine, seu, crimine*. Z) socrus, quod nulla sit earum, quin filium ducere velit uxorem; ac, si quam voluerit, illa datur quæ placita est conditio. Ad postremum cum duxerint filii, socrus iterum expellunt foras conjuges liberorum. R.

Me odisse adsimulaverit] Ms. R. *me odisse se, adsimulaverit*. L.

Digitized by Google

Ut cum matre una plus esset? L. Quid ais? non signi hoc sat est,
Quod heri nemo voluit visentem ad eam te intro admittere?
S. Enim lassam oppido tum esse aiebant: eo ad eam non admissa sum.
L. Tuos esse illi mores morbum magis, quam ullam aliam rem, arbitror:
Et merito adeo: nam vostrarum nulla est, quin gnatum velit
Ducere uxorem: et quæ vobis placita est conditio, datur:
Ubi duxere impulsu vestro, vestro impulsu easdem exigunt.

39 *Ut cum matre*] Deest *sua*. *Ut cum matre una plus esset?*] Ἰδιωτικῶς dixit: id est, diu ac majorem partem. D.

Antiqui codd. Faerni et nostri recte collocant *plus una esset*. B.

40 *Quod heri nemo voluit*] Bene infirmavit defensionem senex, dicendo, si propter matrem abiit, cur tu exclusa es, quum venires? D.

41 *Enim lassam oppido*] Infirmius defenditur socrus, ut error senis usque ad καταστροφὴν perseveret. *Enim lassam oppido*] Pro, *oppido enim* dixit. Supervacua ponitur interdum hæc conjunctio, aut pro altera conjunctione. *Oppido*] Valde. translatio a rusticis, qui interrogati, quemadmodum fruges provenissent, respondebant, *oppido*, id est, quæ sibi et oppido sufficere potuissent. *Eo*] Propterea, ideo. D.

Festus Pomp. videtur olim pro *oppido* hic legisse *affatim*. Nam, *Terentius*, inquit, *affatim dixit pro eo quod est ad lassitudinem*. Cæterum versus, et Terentiani moris causa scribe, *aibant*, ut sit dissyllabon. B.

42 *Tuos esse illi mores*] Acerbissime institit senex et accusationi uxoris, et defensioni nurus: siquidem hoc sensu dicat, nurum nec mendacii culpam incurrere, quæ vere ægrotet ex moribus malæ socrus. D.

Morbum magis] In Ms. R. *magis* desideratur. L.

Bemb. recte habet, *tuos esse ego illi mores*. B.

43 *Nam vestrarum nulla est*] Pro *vestrum*. hoc enim venit ab eo quod est *vestra*. *Quin gnatum velit*] *Quin*, quæ non. D.

Et merito] Frequens formula præsertim apud poetas. Propert. I. 17. 1. ubi v. Broukhus. R. D.

44 *Et quæ vobis placita conditio est, datur*] Imago hic quædam argumentationis, quæ dicitur ἀπ' ἀρχῆς ἀχρὶ τέλους: quod Latine dicitur, *ab initio ad finem*. Et ut generaliter cœpit invectionem, ita generaliter conclusit in socrus. et est sensus, eo improbius facitis, quod illas, quas elegeritis, odistis. D.

45 *Ubi duxere impulsu vestro*] Bene verba eadem stomachose et significanter repetivit, ut improbitas ex proximo appareat impulsu. *Ubi duxere impulsu*] Videtur, ut supra diximus, hæc tota scena ad hoc interposita, ut fabulæ nomen hinc intelligeremus inventum. Et impudentiam socruum impulsus re-

Digitized by Google

ACT. II. SCENA II.

PHIDIPPUS. LACHES. SOSTRATA.

ETSI scio ego, Philumena, meum jus esse, ut te cogam,
Quæ ego imperem, facere: ego tamen patrio animo victus faciam,
Ut tibi concedam; neque tuæ libidini adversabor.

petitio demonstravit. *Impulsu vestro*] Sic in Heautont. *scortari crebro noluit, noluit crebro convivarier.* D.

Exigunt] Scilicet domo i. e. divortium cum illis faciunt. Plaut. in Mercat. IV. 96. *uxor exigitur matrimonio.* Sueton. in Cæs. c. 50. *cujus causa post tres liberos exegisset uxorem.* R. D.

1 *Etsi scio ego, Philumena, meum jus esse*] In hac scena moralis allocutio Phidippi est ad filiam, mitissimi patris colorem ostendens. *Etsi scio*] Apparet et hic multa prius patri suo Philumenam locutam fuisse. Ergo hæc responsio est, non principium. *Scio meum jus esse, ut te cogam*] Hoc idem in Adelphis, *non necesse habeo omnia pro meo jure agere. Ut te cogam*] Etiam invitam scilicet. D.

Etsi scio, Philumena, meum jus esse, ut te cogam, quæ ego imperem, facere] Hæc scena in exordio quidem locutionem ad filiam habet patris, quod cum in domo reperisset, cogeret uti ad Pamphili dominum reverteretur, et tamen tradentis, quod absente Pamphilo filia reverti noluit (*nolit.* Z.) Post habet excusationem et defensionem, quod ni sit, reus fit injuriarum senex, quod filiam abduxerit suam marito absente, et apud (*apud se.* Z.) segram esse patiatur, tanquam curam atque diligentiam inde (*ipse filii.* Z.) conjugis habere non possit. Igitur hujus accusationis initium tale est: *Phidippe, etsi ego meis me omnibus scio esse apprime obsequentem, sed non adeo, ut facilitas mea corrumpat illorum animos*] Hoc initium tollit id quod foras dicere se (*quod fortasse dicere posset.* Z.) pater; apud me filium pietate contineo. Denique adjungit: *Quod si tu idem faceres*] Non consentiendo tantum, ut animos tuorum corrumpas, *magis in rem vestram, et nostram esset.* Deinde adjungitur vehemens et generalis accusatio: *nunc video in illarum potestate esse te.* Et narratio supponitur: *heri adii te de filia: ut veni, itidem incertum amisti.* Deinde quæstionum argumenta cum invectione: *haud ita decet, si perpetuam vis esse affinitatem hanc, celare te iras. Si quid est peccatum a nobis, profer: aut ea refellendo, aut purgando, vobis corrigemus, te judice ipso; sin ea est causa retinendi apud vos, quia ægra est: te mihi injuriam facere arbitror, Philippe, si metuis. satis ut meæ domi curetur diligenter.* Hoc ut diligenter confirmare possit, et jurejurando in se positum monstrat affectum: *at, ita me di ament! haud tibi hoc concedo, etsi illi pater es, ut tu illam magis salvam velis, quam ego.* Et adjungit, *filii causa.* Hujus rei purgatio supponitur sic, ut in illa collocetur causa, cur illa discesserit. Tamen, quod absens Pamphilus, idcirco non redeat, ex eo suspicio datur, socrum talem esse, quam absente marito nurus sustinere non possit. Nam dicit: *illam ad vos redire non video, si possum facere ullo modo. Nam postquam attendi magis, et cœpi agere, ut rediret,* &c. E.

2 *Patrio animo victus*] Bene *victus*: quia non ratione facio. Victus est undecunque, qui (*victus est qui undecunque.* Z.) recedit a jure. D.

3 *Neque tuæ libidini*] *Libido* est quælibet voluntas temere suscepta. Et bene *libidini*: est enim non æquum, decito

L. Atque eccum Phidippum optume video: ex hoc jam scibo, quid siet.
Phidippe, etsi ego meis me omnibus scio esse apprime obsequentem,
Sed non adeo, ut mea facilitas corrumpat illorum animos:
Quod tu si idem faceres, magis in rem et nostram, et vostram id esset.
Nunc video in illarum potestate esse te. P. Heja vero.
L. Adii te heri de filia: ut veni, itidem incertum amisti.

mariti abesse (Ms. B. et edd. vett. ante Steph. *animo mariti obesse*) nuptam. Et si enim pro *voluntate* posuit *libidinem*: tamen sebaccusavit hoc nomine. D.

4 *Optume*] Opportune. *Ex hoc jam scibo*] Legitur et *hinc*, locale adverbium. et quasi comminatur uxori, modo se inventurum ipsam peccasse, non nurum. *Quid siet*] Utrum quid sit rei? an quid siet nurus? utrum innocens, an iniqua? Et videtur hoc Sostratæ dicere: nam vicini sunt inter se proximi Laches et Phidippus. D.

Lectio Bembini versui est convenientior *hinc jam scibo*. Tum pro *siet* versus poscit *sit*. B.

5 *Phidippe, etsi ego meis*] Expostulatio Lachetis apud Phidippum, accusationem continens, tanquam causam injuriarum intendat. *Scio esse apprime obsequentem*] Principium a persona ejus cum quo agitur, et sua: et an utile sit, nimis obsequi hominem suis. *Apprime*] Vehementissime. D.

Apprime obsequentem] Charis. lib. 2. L.

Ne ἀναπλασθῶ statuamus, Terentiumque adeo solœcismi reum faciamus, pro *etsi* repone *et*, id est, *etiam*. Oratorie, primo se fatetur levioris culpæ reum esse, quo gravioris arguat Phidippum. B.

6 *Sed non adeo, ut mea facilitas*] *Facilitas*, indulgentia. *Sed non adeo, ut mea facilitas*] Deest *tamen*. et est ἀναπλασθῶ tertium. D.

7 Nostri codd. *in rem vostram et nostram*. Civilius hoc et moratius est, ut illorum commodum prius spectetur. Cæteram ob versum repone *magis rem in vostram*, &c. B.

Magis in rem nostram] Bentlei. edit. *magis rem in vostram et nostram id esset*, addens hoc civilius et moratius esse. Sed veteres millies suum nomen alterius nomini præponunt neque talia exigenda sunt ad morum, qui nunc sunt, elegantiam. v. Burmann. ad Lucan. IX. 985. R. D.

8 *Nunc video*] Jucunde temperat ejus culpam, quem accusat, quum dicat illum coactum a suis facere sibi injurias. *Heja vero!*] Modo adverbium corripientis. *Heja vero*] Παρίλκον. D.

Ne in medium verbum cæsura cadat, repone, *nunc* video in illarum *ésse te potéstate*. E.

In illarum potestate esse te] I. e. facere te quicquid illæ volunt, plane illis obsequi et nulla in re adversari. Cic. ad Attic. III. 22. *eum totum esse in illius potestate*; Divers. V. 4. *omnibus in rebus me fore in tua potestate* ubi v. Græv. R. D.

9 *Adii te heri de filia*] Narratio. Et memoriter poeta, quia dixit *heri*, ea causa rure huc advenit, patrem continuo Philumenæ convenit. *Itidem incertum amisti*] Pro *amisisti*, συγκοπῇ. Et *itidem* quid est? an id, incertum amisisti, ut ad te incertus veni? Jungendum ergo *ut veni*, *itidem*, ut sit, ut veni, ami-

Digitized by Google

Haud ita decet, si perpetuam vis esse affinitatem hanc,
Celare te iras. si quid est peccatum a nobis, profer:
Aut ea refellendo, aut purgando, vobis corrigemus.
Te judice ipso. sin ea est causa retinendi apud vos,
Quia ægra est: te mihi injuriam facere arbitror, Phidippe,
Si metuis, satis ut meæ domi curetur diligenter.
At, ita me dii ament, haud tibi hoc concedo, etsi illi pater es,
Ut tu illam salvam magis velis, quam ego. id adeo gnati causa;
Quem ego intellexi illam haud minus, quam se ipsum magni facere.

sisti itidem incertum. Incertus, inquit, veni: incertus a te recessi. D.

Incertum amisti] Ms. R. *amisisti*. L.

10 *Haud ita decet*] Non usque adeo decet. Et est confirmatio. *Haud ita decet*] Bene additum est *ita*. etsi enim celandæ iræ: non usque adeo tamen, ut discordiam pariant. D.

Lege *si perpetem hanc vis esse aff.* Nam *perpetuam* respuit versus, qui in ea sede vel creticum postulat, vel pæonem quartum. Deinde omnes nostri codd. *hanc* ponunt post *perpetuam*. B.

12 *Aut ea refellendo, aut purgando*] *Refellit* qui negat: *purgat* qui (Mss. et edd. vett. *qui idem*) fatetur, et sic defendit. Ergo *refellimus* per conjecturam: *purgamus* per cæteros status (*per certos casus*. Ms. B.) *Vobis corrigemus*] Plus dixit *vobis*, quam *tibi*. D.

Ut peccata contra metrum tollantur, refinge *aut ea refellendo tibi aut purgando corrigemus*. B.

13 *Te judice ipso*] Virgil. Ecl. IV. 59. *Pan deus Arcadiæ mecum si judice certet*. Quid enim est *te ipso*, nisi scilicet reo culpæ, et tibi ipsi ac tuis favente? vel qui me speres vincere. *Sin ea est causa retinendi apud vos*] Reprehensio. D.

Ne *causá* in fine temere acuatur, repone, *sin ea est retinéndi causa apúd vos*. B.

14 *Árbitror, Phidippe*] Bene addidit nomen, excitans audientem. D.

15 *Satis ut meæ domi curetur diligenter*] *Ut*, ne non. et jungendum est *satis diligenter*. non enim, *metuis satis*. D.

16 *At, ita me Dii ament, haud*] Addidit jusjurandum: vix enim credibile est tantundem amare socerum, quantum patrem. *Etsi illi pater es*] Sallustius in primo libro, *et liberis ejus avunculus erat*. *Etsi illi pater es*] Compendium attulit Virg. Æn. II. 289. *heu fuge, nate dea*. Hoc enim sentit, quanquam natus dea sis, fuge tamen. D.

Concedo ut] Eadem constructio est apud Cicer. ad Div. X. 29. *nec iis concedo ut te salvum malint quam ego*. Idem aliis locis hoc verbum construit cum *qui* ad Div. X. 3. *nemini concedentem qui tibi vetustate necessitudinis potior possit esse*. R. D.

17 *Id adeo gnati causa*] Honeste amori nurus rationem subjecit piam. Nam non continuo rectum est, nimis amari a socero nurum, nisi propter filium diligatur. Bene ergo *gnati causa*. incredibile est enim, patrem non patria pietate superari. D.

Illud, *quam ego*, cum oneret versum, et sententiæ noceat, ejiciendum esse existimo. B.

18 *Quem ego intellexi*] Et causam sui amoris ostendit, et mariti nullam

Digitized by Google

Neque adeo clam me est, quam esse eum graviter laturum credam,
Hoc si rescierit: eo domum studeo hæc, prius quam ille, ut redeat.
P. Laches, et diligentiam vestram, et benignitatem
Novi: et quæ dicis, omnia esse, ut dicis, animum induco:
Et te hoc mihi cupio credere: illam ad vos redire studeo,

erga conjugem culpam: quippe qui amet. Ut a Parmenone dictum, *eo amantem invitum Pamphilum extrudit pater. Quem ego intellexi illam haud minus, quam se ipsum magnifacere*] Hic subtiliter oneratur culpa nurus: si quidem indigne injuriam faciat socero et marito. D.

Se ipsum magnificare] V. C. *magnifacere*. L.

Repudio Bembini *magnificare*, quod nusquam apud nostrum occurrit, et versus improbat. Recte igitur tres e nostris vett. *magni facere*. B.

Magnificare] I. e. magni facere, magni æstimare. Sæpe hoc verbum occurrit apud Plaut. cujus loca Rivius ad h. l. indicavit. Idem auctori ad Herenn. IV. 21. restituit Grævius. Verum Bentl. in Terentio et Plauto legi jubet *magni facere* nec abhorret a vero, librarios cadentis latinitatis verbum magnificare, quod ipsis erat familiarius e vulgata bibliorum versione, alteri passim substituisse. R. D.

19 *Neque adeo clam me est, quam esse*] Ingeniosissime poeta jam præparat causam simulaturo ob hanc rem iracundiam Pamphilo. D.

Repone *neque adeo clam te est, quam ése eum latúrum graviter credam*. Nam transpositionem τοῦ *graviter* accentus postulat, et mutationem τοῦ *me* in *te*, sensus: quia sequitur *credam*. B. Si quid mutandum est, equidem corrigendum censeo *credas* cum interrogatione. Cf. Eun. II. 2. 44. *quam hoc munus gratum Thaidi arbitrare esse*? Z.

20 *Hæc prius, quam ille ut redeat*] Hic subtiliter etiam terrorem injecit iracundiæ mariti. D.

Pro *hæc* cum edd. vett. lege *hanc*; et pro *ut* nostri omnes recte *huc*. B.

21 *Laches, et diligentiam vestram*] Principium similiter a persona est factum. *Laches, et diligentiam vestram*] Remotivo statu agit Phidippus pro persona sua. Nam in filiam removet culpam, cur non redeat: et relativam simul tentat qualitatem. potest enim videri, eam injuria socrus ad hanc voluntatem esse compulsam. *Laches, et diligentiam vestram*] Ab eo cœpit, quo maxime motus est, et quod in primis purgandum sibi fuit: ne suspectam aut voluntatem, aut diligentiam habere videatur affinium. Et cum affectu quodam, et gemitu dixit *Laches*, quod ille ait, *Phidippe*. Et bene a nomine cœpit, ut consentire illi videatur. *Et diligentiam*, quod ille ait, *sin metuis, satis ut meæ domi, &c.* Et *vestram* melius, quam *tuam*: quum ille dixerit de se tantum. Et *benignitatem*, quod ait, *haud tibi concedo, etsi illi pater es, ut tu illam, &c. Et diligentiam vestram, et benignitatem*] Ἀναδίπλωσις ad utrumque. Diligentiam: quia dixit, *si metuis, satis ut meæ domi curetur diligenter*. Benignitatem: quia dixit, *haud tibi concedo, etsi illi pater es, ut tu illum salvum magis velis, quam ego*. D.

Et benignitatem] Additur in Ms. R. et vett. libb. *quam exhibebis erga meam familiam*. sed alia manu. L.

22 *Et quæ dicis, omnia esse, ut dicis*] Quod juravit: et quod dixit *gnati causa*, et quod addidit, *quod illam amet Pamphilus*. D.

23 *Et te hoc mihi cupio credere*] Me-

Digitized by Google

Si facere possim ullo modo. L. Quæ res te facere id prohibet?
Eho, numquidnam accusat virum? P. Minime. nam postquam attendi
Magis, et vi cœpi cogere ut rediret; sancte adjurat,
Non posse apud vos Pamphilo se absente perdurare.
Aliud fortasse aliis vitii est: ego sum animo leni natus:
Non possum advorsari meis. L. Hem! Sostrata. S. Heu me miseram!
L. Certumne est istuc? P. Nunc quidem ut videtur: sed num quid vis?

lius, quam si et hic juraret. *Et te hoc mihi cupio credere*] Bene collegit ex vicissitudine, quod volebat. D.

24 *Si facere possim*] Hic est remotio, *si facere possim ullo modo*. et mollius dixit, quam si *nec facere possum*, dixisset. hoc enim vult intelligi, *volo et (at) non possum facere*. D.

Nostri codd. nameris paulo melioribus collocant, *quæ rés te id facere prohibet?* B.

25 *Eho! num quidnam accusat virum?*] Gesticulatio quædam secretiora quærentis. sæpe enim de maritis puellæ parentibus queri solent aliquid ejusmodi, quod solis ipsis committendum est. *Eho! num quidnam accusat virum?*] *Eho*, interjectio ponentis animum propiorem. Nam illa quærit, quæ solent de maritis puellæ matribus queri. *Nam postquam attendi*] Institi. Et vide, num desit *animum*: ut sit *attendi animum*. non enim plenum est, sed nudum. Adverti enim oculos, aut animum, subauditur. D.

26 *Sancte adjurat*] Τὸ *ad*, nunc suetivum est: significat enim *valde*. D.

27 *Non posse apud vos Pamphilo se absente perdurare*] Bene hic addit poeta verba Philumenæ, ad quæ Phidippus respondebat, quum diceret, *etsi scio ego, Philumena, meum jus esse, &c. Non posse apud vos Pamphilo se absente perdurare*] Magnifice contra illud quod Laches dixit, ægre laturum Pamphilum. et ita locutus est, quasi hoc Pamphilo gratius esse debeat. *Perdurare*] Proprie et muliebriter dixit. D.

Se absente perdurare] Servius Æneid. XII. 816. L.

28 *Aliud fortasse aliis vitii est*] Sic dixit, ne diceret, Sed coge ut redeat: et mollius dixit *aliis* (Bentleius conjicit Donatum scripsisse *alii* Z.) quam si *tibi* dixisset. *Ego sum animo leni natus*] Hoc contra illud quod primum dictum est, etsi ego meis omnibus scio me esse apprime obsequentem: sed non adeo, ut facilitas mea illorum corrumpat animos. *Ego sum animo leni*] Qualitas venialis. *Animo leni natus*] Hoc est plenum. nam *sum animo leni*, quum dicimus, ἰλλωτικῶς profertur. D.

Recte pro *aliis* septem codd. habent *alii*, ut Laches ipse intelligatur. B.

Leni ego sum animo natus] Verbum natus eleganter abundat. ut in aliis formulis. *vir natus, mortalis natus, mulier nata*. v. not. ad Rutil. Lup. II. 94. R. D.

29 *Non possum*] Conclusio. *Hem! Sostrata*] Quæ dixisti, non mea opera, neque pol culpa evenit. *Heu me miseram!*] Ad se rediri totiens, quasi delassata, conqueritur. D.

Non possum advorsari meis] Purgat naturam suam, quod tali vitio esse confessus est (*vitio esse confitetur esse* Z.) ut voluptati suorum advorsari non possit. E.

30 *Certumne est istuc?*] Quod Phila-

Digitized by Google

Nam est quod me transire ad forum jam oportet. L. Eo tecum una.

ACT. II. SCENA III.

SOSTRATA.

ÆDEPOL næ nos sumus mulieres inique æque omnes invisæ viris,
Propter paucas: quæ omnes faciunt, dignæ ut videamur malo.
Nam, ita me di ament, quod me accusat nunc vir, sum extra noxiam.
Sed non facile est expurgatu: ita animum induxerunt, socrus

mem non redeat. *Numquid vis?*] Discedentis verbum. D.

31 *Transire*] Cito ire. D.

1 *Ædepol, næ nos mulieres sumus inique æque omnes*] In hac scena est allocutio, qua inducitur secum loquens suus: per quam orationem mores ejus, et animus mitis intelligi possit. *Ædepol næ nos mulieres*] Laches generaliter incusavit socrus: hæc plurimas defendit. Causa accusationis iniquæ, non enim omnes sumus malæ. *Inique æque*] Comicum παρόμοιον. Et vide sententiam, defensionem accusatarum socrum continentem: contra illud quod ait, *itaque uno animo omnes socrus oderunt nurus*. Officium enim boni poetæ est, nullum genus hominum specialiter ludere. Sic Virg. Ge. III. 282. *quod sæpe malæ legere novercæ*. Id est, non omnes novercæ, sed tantum mea (*malæ*. codd.) D.

Ædepol næ nos sumus] Hæc scena conquestionem tenet, quod immerito accusatur, quippe cum sibi intendatur accusatio non ex moribus, neque ex propria vita, sed communi nomine, quod socrus sit; quæ non omnes malæ sunt: sed cum paucæ invisæ sunt viris: propter mores, efficiunt ut omnes dignæ videantur malo. E.

Illud *mulieres* Faernus recte ex auctoritate Bembini delet, quod oratio non poscit, et ratio trochaici repudiat. B.

Ædepol næ] Uti hic *næ* post *ædepol*, sic post *medius fidius* abundat apud Cicer. ad Attic. IV. 4. ubi v. Bosium. R. D.

3 *Nam ita me di ament*] Bene jurat. Nam sine jurejurando incredibile est (excidit *quod*), sit bona socrus. *Quod me accusat*] Deest *in eo*. ut sit, in eo quod me accusat nunc vir, sum extra noxiam. An *quod*, propter quod? D.

Cod. C. C. recte collocat *vir nunc*; ut *vir* sit in ictu. B.

4 *Socrus omnes esse iniquas*] Intelligitur, quibus iniquas, id est nuribus: quia socrus nomen est ad aliquid dictum. *Ita animum induxerunt*] *Inducere animum* est ita tenere, ut non amittant (*remittant* Z.): id est, persuadere animo suo. D.

Digitized by Google

Omnis esse iniquas. haud pol me quidem: nam nunquam secus
Habui illam, ac si ex me esset nata: nec, qui hoc mihi eveniat, scio:
Nisi pol filium multis modis jam exspecto, ut redeat domum.

ACT. III. SCENA I.

PAMPHILUS. PARMENO. MYRRHINA.

NEMINI ego plura acerba credo esse ex amore homini unquam oblata,
Quam mihi. heu me infelicem! hancine ego vitam parsi perdere?

5 *Haud pol me quidem*] Esse iniquam, subaudiendum est a superiore, ut sit *pol* pro pleno jurejurando. *Haud pol me quidem*] Subaudiendum *scio esse*, aut *novi esse*, aut tale quid, secundum ἔλλειψιν, quæ familiaris est his, qui secum loquuntur. D.

6 *Nec qui hoc mihi eveniat*] Qui, unde. *Multis modis*] Vehementer. *Jam exspecto, ut redeat domum*] Quia nihil mirum in matre est, exspectare ut filius redeat: idcirco additum, *multis modis*. D.

7 Recte ob rationem trochaici octalectici Faernus e Bembino reposuit *multimodis*. Deinde pro *expecto* ob sensum et versum recipe *expeto*. Vid. ad Eun. IV. 6. 5. B.

1 *Nemini ego plura acerba*] Hic allocutio est per conquestionem. Et bene non se amatoribus modo, sed infelicibus amatoribus comparavit: et principium est a summa totius mali. *Nemini ego plura acerba*] Ab eo loco conquestionis, in quo dicitur, quod nulli fere talia adversa contigerint. *Nemini ego plura acerba*] Nimis cothurnati et tragici in hac scena dolores essent, non comici, nisi adderet, ex *amore*. *Nemini ego plura acerba esse credo*] Acerba dupliciter evenerunt Pamphilo. ex præterito, de meretrice: ex præsenti, de uxore. D.

Nemini ego plura] Veniens Pamphilus peregre cognoscit in portu a servo, uxorem suam, quam diligebat, domo discessisse. Ægre fert. Est enim maxima cura, quia suspicio est, puellam propter mores discessisse. Habet et incertum, quid faciat. amat uxorem, sed obtemperat matri. Ita habet conquestionem calamitatum suarum ex præterito amore similiter a l. (quod ex *præterito amore meretricis similiter multa* Z.) sit passus. Unde major sollicitudo, amorem relinquat, an adversus pietatem faciat. Explicata conquestione quærit a servo, quid sit, cur uxor discesserit? E.

Nostri libri collocant recte, *nemini plura ego*. Illud *nemini* ut *nemini* est pronunciandum. B.

Oblata] I. e. objecta ut alibi loquitur. Sic *offerre injuriam* infra V. 1. 13. R. D.

2 *Heu me infelicem!*] Ab ipsa sim-

Digitized by Google

Hacine causa ego eram tantopere cupidus redeundi domum?

Cui quanto fuerat præstabilius, ubivis gentium agere ætatem,

Quam huc redire: atque hæc ita esse miserum me resciscere. 5

Nam nos omnes, quibus est alicunde aliquis objectus labos,

plici exclamatione. *Heu me infelicem!*] Lacrymans hoc dicit. *Hancine ego vitam*] Ab eo quod ab adversis ad adversa delatus sit. *Parsi perdere*] *Parco*, conservo, *parsi* facit: *parco*, veniam do, *peperci*. Modo ergo continui, abstinui significat. D.

Hancine ego vitam parsi perdere?] Hoc est, servavi, ne perderem. *Parsi* enim est ab eo, quod est *parco*. Sed si *parco* significat, veniam do, præteritum facit, *perperci*. Si *parco*, conservo, præteritum *parsi* facit. E.

Parsi perdere] Diomed. lib. I. Priscian. lib. X. L.

Vitam parsi perdere] I. e. abstinui vitam perdere. Ovid. Trist. III. 3. 51. *parce tamen lacerare genas*. R. D.

3 *Cupidus redeundi domum*] Ab eo quod contra spem contigit malum. D.

Accentus gratia repone *hacine causa eram ego tantopere*. B.

4 *Ubivis gentium agere ætatem*] A malorum suorum comparatione. *Ubivis gentium agere ætatem*] Magna detestatio præsentis loci, eligere quasvis terras, vel quamvis gentem potius, quam eam in qua est. Virg. Æn. III. 601. *Tellite me Teucri, quascunque abducite terras*. Et *gentium* hic abundat. Et bene, *ubivis gentium agere ætatem*: quia supra dixerat, *hancine ego vitam parsi perdere?* Nimis enim tragicum fieret, *satius erat in mari perire*. D.

Ubivis gentium] Hoc est, ubicunque. E.

Illud *cui*, mutatum in *ah*, appone præcedenti versui. Nam ita et metro, et loquentis affectui vim addes. Cf. And. II. 1. 7. B.

5 *Atque hæc ita esse miserum me resciscere*] Quod ait, lacrymantis est. *Resciscere*, est vix reperire, quod de industria fuerat celatum. D.

6 *Nam nos omnes, quibus est alicunde*] Aut deest *apud*, ut sit, apud nos omnes. Aut *nos omnes*, pro nobis omnibus. *Nam nos omnes*] Ratio superioris sensus. et deest *apud*, aut *penes*, aut quid tale. *Nam nos omnes, quibus est*] Constat hanc σύλληψιν esse. retulit enim *lucro est*, non ad *nos omnes*, sed ad *quibus est alicunde*; ut sit ordo, nam quibus est alicunde aliquis objectus labos, lucro est tempus, hoc est, nos omnes (*nobis omnibus.*) *Nam nos omnes, quibus est*] Hac figura usus est etiam Tullius pro Murena 12. *prætor quoque ne se pulchrum ac beatum putaret, et quoque carmen compositum est*. Nam ille dativum casum subjecit, cum præposuisset nominativum. Et totum Apollodori est, qui sic ait * ΟΙ ΓΑΡ ΑCΙCΟΤΝΙΕC ΤΟΝ ΧΡΩCΝΟΥ ΔΙΕΝ ΚΙ ΤΙΚΗΚΟΤΗC * (Οἱ γάρ μίλλοντες τὸ τοῦ χρόνου τῶν ὧν πλέθος νομίζουσιν. Z.) *Quibus est alicunde*] Hoc genus locutionis absolutum (*solæcum* B.) dicitur. Tale est apud Virg. Æn. X. 244.) *crastina lux, mea si non irrita dicta putaris, Ingentes Rutulæ spectabis cædis acervos*. D.

Nam nos omnes] Etenim nos, qui peregre positi (*profecti* Z.) sumus, *in lucro* habemus. Hic omnino sensus est. Verum elocutio ardua. Nam quum proposuisset, *nos omnes*, subjunxit, *in lucro est*. Quum utique esse debuerit, *nobis omnibus*; ut sit integrum, *nobis*. Sed hoc locutionis genus antiqui absolutum appellabant. Ut Virg. Æn. X. 244.

Digitized by Google

Omne quod est interea tempus, prius quam id rescítum'st, lucro'st.

PAR. At sic citius, qui te expedias his ærumnis, reperias. Si non redisses, hæ iræ factæ essent multo ampliores: Sed nunc adventum tuum ambas, Pamphile, scio reverituras. Rem cognosces: iram expedies: rursum in gratiam restitues. Levia sunt hæc, quæ tu pergravia esse in animum induxti tuum.

PAM. Quid consolare me? an quisquam usquam gentium'st æque miser?

crastina lux, mea si non irrita dicta putaris, Ingentis Rutilæ spectabis cædis acervos. E.

Ad evitandum solœcismum lego ex uno cod. regio *nam omnibus nobis, quibus*, &c. Duo alii habent *nam nobis omnibus*. B.

Nam nos omnes] Notandum est ἀναπόλαυστον quo primum nominandi casus positus ex, mox verbum, quod dativum postulat, subjectum. Talia optimis quibusque scriptoribus vel invitis excideruntvel studio quæsita sunt ut oratio gratam negligentiam haberet. Multa exempla congesserunt Muretus epist. XXXIII. Davis ad Cæsar. de B. C. I. 41. et Cort. ad Sallustii Jugurth. c. 30. R. D.

7 *Receptum est*] Σχῆμα ἀναπολόγητον * (παρηγμένον. Z.) D.

8 *At sic*] Sed sic. *At sic, citius qui te expedias ærumnis, reperias*] At hoc modo, quod venisti, et discordias esse celerius reperire poteris: et quo modo his ærumnis te absolvas. Et bene *expedias ærumnis*, aut enim solvunt nos curæ abeuntes, aut impediunt et ligant advenientes. Ut Æn. I. 566. *solvite corde metum, Teucri secludite curas. At sic, citius qui*] Sententia contraria. Nam supra sic collegit, si ignorare mala sua unicuique bonum est: sequitur ut malum, sit, ea cito cognovisse. Hic per contrarium. Si in adversis suis succurrere unicuique quamprimum bonum est: sequitur, ut cito ea cognovisse sit quam optimum. D.

Expedias] Dicit magis prodesse scivus, quod Pamphilus sit (*citius sciat rem.* ant, *reversus sit* Z.) Ex hoc enim fieri potuit, ut dominum (*dominum* Z.) peditione domestica possit absolvere. E.

9 Versus causa repone *si non redisses, hæc iræ*. Illud *hæc* pro *hæ* habet unus cod. R.

10 *Sed nunc adventum tuum ambas*] Ne accusare alteram altera audeat. D.

Scio reverituras] Ms. R. *reveritas*. L.

11 *Rem cognosces*] Melius est *rem*, quam *litem*. *Rem cognosces: iram expedies: rursum in gratiam restitues*] Τρίμελος sententia. Et bono ordine usus est. Prius enim fit querela, deinde ponitur iracundia, postremo redditur in consilium (*concilium*, h. e. arctam conjunctionem et familiaritatem. Z.) D.

12 *Levia sunt hæc tu pergravia esse*] Genus consolationis, non a substantia, sed a quantitate. non dicit non esse causam sollicitudinis (*non dicit enim esse causam sollicitudinis gravem* Z.) sed levem dicit. *Quæ tu pergravia esse*] Bene additum contra *levia*, non gravia, sed *pergravia*. *Levia sunt*] A quantitate. *In animum induxti tuum*] Id est, persuasisti tibi. D.

Illud *hæc* Bentleius cum aliis omisit. Z.

13 *Quid consolare me? an quisquam*

Digitized by Google

Prius quam hanc uxorem duxi, habebam alibi animum amori deditum:
Jam in hac re ut taceam, cuivis facile scitu'st, quam fuerim miser:
Tamen nunquam ausus sum recusare eam, quam mihi obtrudit pater.
Vix me illinc abstraxi, atque impeditum in ea expedivi animum meum;
Vixque huc contuleram: hem nova res orta'st, porro ab hac quæ me abstrahat.
Tum matrem ex ea re me aut uxorem in culpa inventurum arbitror:

unquam] Ut solet in vero angore, ipsa consolatione aggressit dolor. Et ingeniose, non inquit *dicis*, sed *consolaris me*: et hoc ipso ostendis scire te, quod miser sum. D.

Quid consolare me?] Ille ipso medendi genere suscitat vulnera, et vehementer omnia, quæ sibi ex amore contigerint, enarrat, et suas innumeras miserias per partes enumerat. His conquestionibus mala sua exaggerat. Ad postremum tamen concludit iram interea se expediri unquam (*iram inter eas a se expediri nunquam* Z.) posse. Hoc servus frangit, negans, magnam causam contigisse, et facit a persona et a simili argumentum, comparans mulieres pueris. Dehinc trepidatio pro parturiente puella. Hæc enim jam movetur integro partu. Verum arbitrantur non Pamphilum auctorem hujus conceptionis. Ex hac tamen voce dolentis in partu adolescens nescio quid suspicatur, ergo interrogat nescio quid. E.

14 *Prius quam hanc uxorem duxi*] Hoc refert ad illud caput in quo ait, *nemini ego plura acerba esse credo ex amore homini unquam oblata. Prius quam hanc uxorem duxi*] Ante rem. *Habebam alibi animum amori deditum*] An miser sit in amore ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους, ante rem, in re, et post rem. *Habebam alibi*] Gravius dixit *alibi*, quam si *in meretrice* diceret. Et maluit *alibi* dicere, quam *ad meretricem*. D.

Alibi] I. e. in alio amore; *alibi* eodem modo de personis dicitur, quo *unde* et *inde*. R. D.

15 Tres codd. paulo concinnius collocant, *facile est scitu*. B.

16 *Quam mihi obtrudit*] Recte enim dici potuit, quomodo ergo uxorem duxit, si amabat? Et bene *obtrudit*, quia invito. Sic alibi, *aliquid monstri alunt: ea quoniam nemini obtrudi potest, itur ad me*. Et *obtrudit*, pro obtrudebat, ἐνέργεια (ἐναλλαγὴ) temporis. D.

Obtrudit pater] V. C. *obtulit pater*. L.

17 *Vix me illinc abstraxi*] *Vix*, vel μόλις, vel statim significat. *Atque expedivi animum meum*] Curæ, ut diximus, aut ligant, aut solvunt. ut Virgil. Æn. IV. 479. *quæ mihi reddat eum, vel eo me solvat amantem*. amatoris (*amatoriæ*. alii.) enim curæ vincula dicuntur. D.

Pro *illinc* leg. *hinc*, quia in vers. 15. est *in hac re*; et pro *ea* leg. *eo* sc. *amore*, quia supra est *occupatus in alio amore*.

18 *Vixque huc*] Maluit *huc*, quam *ad uxorem* dicere. *Hem! nova res orta est, porro*] *Porro*, deinde. Et vim habet deinde modo implicationem continuarum miseriarum referentis. D.

19 *Ex ea re me*] In Ms. R. *me* deest. L.

Lege *tum aut matrem*. B.

Digitized by Google

Quod quum ita esse invenero, quid restat, nisi porro ut fiam miser?
Nam matris ferre injurias me, Parmeno, pietas jubet:
Tum uxori obnoxius sum: ita olim suo me ingenio pertulit:
Tot meas injurias; quæ nunquam in ullo patefecit loco.
Sed magnum nescio quid necesse est evenisse, Parmeno,
Unde ira inter eas intercessit, quæ tam permansit diu.
Par. Haud quidem hercle parvom, si vis vero veram rationem exsequi.
Non maxumas, quæ maxumæ sunt interdum iræ, injurias

20 *Quod cum ita esse invenero, quid restat, nisi porro ut fiam miser?*] Ordinem servavit allocutionis, in quo a præteritis, a præsentibus, a futuris inducitur personæ loquentis oratio. *Nisi porro ut fiam*] *Porro*, postea, vel in postremum. Alii conjunctionem putant. D.

21 *Pietas jubet*] Apte, quia *ferre* dixit, addit *jubet*. D.

22 *Tum uxori obnoxius sum*] Matris cum dixisset, non intulit *uxoris*, sed mutavit casus. *Ita olim suo me ingenio pertulit*] *Olim*, ad diuturnitatem refertur, non ad spatium præteriti temporis. D.

23 *Tot meas injurias*] Hæc sunt injuriæ quas supra dixit, *nocte illa prima virginem non attigit: quæ conserata est nox, eam nihilo magis*. Et deinde, *quid interea? ibatne ad Bacchidem? Quotidie. Tot meas injurias*] Aliam vim habet quod dixit, *me pertulit*: aliam, quod adjecit, *injurias meas*: aliam, quod *reticuit*. *Quæ nunquam ullo patefecit loco*] Non dixit *quas*, sed *quæ*, ut ad omnia, non ad *injurias*, referatur extrema conclusio. D.

Quæ sc. uxor. tres codd. *nunquam ullo*, omisso illo *in*. Repone, *nunquam nullo patefecit loco*. B.

23 *Injurias quæ*] Grammatices ratio postulat *quas*, sed maluit Terentius *quæ* dicere, ut conclusio ad omnia referatur. v. Donat. ad. h. l. et est hæc generis mutatio satis usitata. v. Broukhus. ad Propert. I. 18. 23. R. D.

24 *Sed magnum nescio quid necesse est*] Bene de ambabus sentiens, putat magnam causam esse, quæ iram fecerit et iram diuturnam. D.

25 *Quæ tam permansit diu*] Et a re, et a tempore. D.

26 *Haud quidem hercle parvum est*] Servilis ratio et sordida: et non his respondens omnibus quæ dixit Pamphilus, sed tantum novissimæ parti. *Parvum*] Subaudiendum, *necesse est evenisse*, vel *evenit*. Nam consequens sententia tollit, quod ille dixit, *necesse est*. *Si vis vero veram rationem exsequi*] *Vero*, vel nomen est, vel conjunctio, vel adverbium. D.

Pro *haud* quod sensum turbet, Lelgius conjicit *at*: codex autem quidam Faerni habet *aut*, quod retinendum est. Deinde ut sensus sit salvus, lege *si vis veram verbo ad rationem exigi*. B.

Veram rationem exsequi] I. e. inquirere, pervestigare Liv. III. 8. *exsequendo subtiliter numerum, &c.* Hinc scepe Livius jungit, *exsequi quærendum, exsequi scitandum*, v. Gronov. ad Liv. IX. 3. R. D.

27 *Non maxumas, quæ maxumæ sunt, interdum iræ, injurias faciunt*] Injurias faciunt iras, non iræ injurias. sed hic *faciunt* ἀντιπαθῶς dixit, secundum superiorem rationem increpans errorem Pamphili, qui de iræ magnitudine æstimet injuriæ quantitatem. Alii *faciunt*,

Digitized by Google

Faciunt: nam sæpe est, quibus in rebus alius ne iratus quidem est,
Quum de eadem causa est iracundus factus inimicissimus. 29
Pueri inter sese quam pro levibus noxiis iras gerunt!
Quapropter? quia enim, qui eos gubernat animus, infirmum gerunt.
Itidem illæ mulieres sunt, ferme ut pueri, levi sententia:

probant, ostendunt. intelligunt. Caute dixit *interdum*: plerumque enim sic. *Non maxumas, quæ maxumæ sunt*] Sensus est, in quo primum, non iræ injurias faciunt: accipiendum est. secundum, non maxumus maxumus. *Faciunt*, pro ostendant. D.

Non maxumas] Ovidius: *magnaque de facili jurgia lite cadunt*. L.

Ut sententiæ laboranti succurras, repone *non maxumæ——injuriæ*; adeo ut *iræ* per Græcismum positum sit pro *iras*. Apud Græcos, quos noster passim sequitur, nomen sequitur casum pronominis, ut mox vers. 31. B.

29 *Cum de eadem causa*] Rectum erat si diceret, *cum in eisdem rebus*. adjiciendo causa obscuravit elocutionem suam: sed convenit servo hæc humilitas orationis. Nam plenum (*plenum*) erat, si diceret: nam sæpe est, quibus in rebus alius ne iratus quidem est, cum de eisdem rebus est iracundus factus inimicissimus. *Est autem* pro evenit dixit. et est ordo: sæpe est, cum quibus in rebus alius ne iratus quidem est: de eadem causa iracundus, factus est inimicissimus. *Iracundus factus inimicissimus*] *Iratus* quidem est, qui ex aliqua re lacessitus irascitur. *Iracundus*, qui ex parva nullave causa præcedente irascitur. D.

30 *Pueri inter sese*] Argumentum a simili. *Quam pro levibus noxiis*] Interrogative. *Noxiis*, injuriis, culpis. D.

Pro *quam* sensus causa malim *quas*. B.

Iras gerunt] Sic *odium gerere* dixit Livius XXVIII. 22. *cupiditatem gerere* Justin. XVII. 1. *desideria gerere* Quinctil. declam. 10. ubi *gerere* sumendum est pro *habere*. v. Burmann. ad Calpurn. Flacc. declamat. 13. inprimis frequens *animum gerere* Cic. Parad. c. 5. *gerere animum laude dignum* Justin. XLIV. 2. *feris propiora quam hominibus ingenia gerunt*. Seneca in Hippolyto 573. *quam victus animum feminæ mitem geram*. R. D.

31 *Quapropter?*] Διαγωγικῶς interrogat. *Quia enim, qui eos gubernat animus*] Αἰτιολογικὴ ἀνάμνησις. *Infirmum gerunt*] Ἐσχηματισμένως ἀντὶ τοῦ *infirmus est*. Sed ἀκολουθία ista convenit servo. D.

Gubernat animus] Plutarch. περὶ ἀοργησίας. Lucret. III. 448. *nam veluti infirmo pueri, teneroque vagantur Corpore; sic animi sequitur sententia tenuis*. L.

Animus infirmus] *Infirmus animus* proprie tribuitur ei qui motibus animi non moderatur. Cæs. de B. G. IV. 5. *infirmitatem Gallorum veritus quod sunt in consiliis capiendis mobiles*. R. D.

32 *Itidem illæ mulieres sunt ferme ut pueri*] Artificiose *mulieres* a persona: a similitudine, *pueri*: a facto, *iras gerunt*: ab accidentibus similitudinis, *animus infirmus*: a collatione personæ mulieris accidentium, *levi sententia*: a facto, *fortasse unum aliquod verbum inter eas iram hanc conciverit*. qua sententia totum hic sublatum est quod ait: *sed magnum nescio quid necesse est evenisse, Parmeno, unde ira inter eas intercessit. Itidem illæ mulieres*] Sexus alius, ad (*sexus alter quoad Z.*) ingeni-

Digitized by Google

Fortasse unum aliquod verbum inter eas iram hunc conciverit.

PAM. Abi, Parmeno, intro, ac me venisse nuncia. PAR. Hem, quid hoc est? PAM. Tace:

Trepidari sentio, et cursari rursum prorsum. PAR. Agedum, ad fores

Accede propius. hem, sensistin? PAM. Noli fabularier:

Pro Juppiter! clamorem audivi. PAR. Tute loqueris, me vetas.

M. Tace obsecro, mea gnata. PAM. Matris vox visa'st, Philumenæ.

um, et sensus idem est. Et mire similitudinem contulit ad id quod agitur. D.

Levi sententia] I. e. mutabili consilio; *sententia* valet consilium, animum. Plaut. in Mostell. I. 3. 15. *ut lepide res omnes tenet sententiasque amantium.* Idem in Mil. II. 1. 51. *ego quia inspexi mulieres sententiam.* R. D.

33 *Fortasse unum aliquod verbum inter eas iram hanc conciverit*] Sic Plautus, *fortasse te amare suspicabere (suspicarier* B.) Nam veteres infinitivo modo adjungebant *fortasse. Conciverit*] Commoverit. *Iram hanc conciverit*] Legitur et *conciviisse (conciviisse* B.) *Et rem conciviisse*, et rem novam fecisse. *Conciverit*] Decreverit, fecerit. D.

Versus causa lege *jam hanc conciisse, here.* B.

Conciverit] Donatus legit *conciviisse*, quæ verior lectio est. Nam veteres *fortasse, scilicet, videlicet* cum infinitivo construebant. v. Gronov. Obs. III. 9. et notata ad Heaut. II. 3. 117. R. D.

34 *Me venisse nuncia*] Notandus mos veterum quo mariti, etiam premisso servo, uxoribus nunciabant se venire. v. Broukhus. ad Tibulli Eleg. I. 3. 89. E. D.

35 *Cursari rursum, prorsum*] *Rursum* proprie retro: *prorsum* ante significat. et est proverbiale, ut dicimus, *sursum deorsum, intro foras, hac illac*, et similia: Græci ἄνω κάτω. *Trepidari sentio, cursari rursum prorsum*] *Trepidatio*, ad vocem referitur loquentium; *cursatio*, ad somum pedum. Et *trepidatur* primo (*modo* Z.) ab his, qui morbum putant: *cursatur* ab his, qui partum sciunt. D.

Rursum, prorsum] Al. *surrum prorsum.* Plaut. Amphitr. V. 1. 60. *ego cunas recessim rursum vorsum trahere et ducere.* L.

Trepidari] *Trepidare* est *satagere*, discurrere cum pavore quodam. Sallust. in Jug. c. 67. *milites improviso metu—trepidare ad arcem cœpisse.* Liv. XXVII. 1. *ut pars trepidantium terga invaderent* ubi. v. interpret. inprimis. Duker. ad Flor. III. 10. p. 583. R. D.

36 In Bemb. legitur *accedo propius.* B.

37 *Tute loqueris: me vetas?*] Mire expressus est mos suscultantium. D.

In Bemb. et Victor. recte est *audisti*, pro vulgari *audia.* B.

38 *Tace obsecro, mea gnata*] Non solum hic Juno Lucina non inducitur, sed etiam silentium parturienti interpon, imponitur: quia furtiva conceptio est. Et tamen ejusmodi verba sunt matris, ut dantaxat argumentum scientibus manifesta sint: Pamphilo vero et Parmenoni, tanquam ægram continentia filiam videantur. *Tace obsecro, mea gnata*] Conceptum furtivum furtim convenit nasci. *Matris vox visa est*] Omnia hæc quæ sensu percipi possunt, *visa* dicimus. Virgil. Æn. VI. 257. *visaque canes ululare per umbram.* D.

Digitized by Google

Rédisset unquam, ut me ambulando rumperet.
PAM. Quid cessas? PAR. Quid vis dicam? an conveniam modo?
PAM. Immo, quod constitui me hodie conventurum eum,
Non posse: ne me frustra illic exspectet. vola.
PAR. At non novi hominis faciem. PAM. At faciam ut noveris:
Magnus, rubicundus, crispus, crassus, cæsius,
Cadaverosa facie. PAR. Dii illum perduint.

21 *Rumperet*] *Rumpere* aliquem ambulando, currendo significat ita aliquem fatigare, ut proprie rumpatur ut deficiat. Plautus in Captiv. prol. v. 14. *ego me tua causa ne erres non rupturus sum.* R. D.

22 *Quid vis dicam? an conveniam modo?*] Non enim mandaverat quicquam, qui sine causa mittebat, oblitus bene dissimulare (*oblitus pæne se simulare* Z.) ut qui mentiuntur. Et sic pronunciandum *an conveniam modo?* ut reprehendere dominum Parmeno videatur. *An conveniam modo?*] Εἰρωνικῶς dixit. Nam non hoc interrogantis simpliciter. D.

23 *Imo quod constitui me hodie*] Deest, *nuncia*; ut sit, imo nuncia. Et sumitur a superiori sententia, qua dixit, *quid vis dicam? Imo quod constitui me hodie*] Apparet eum hanc conquisitam, et vix corrasam invenisse causam. D.

24 *Vola*] Ἠθικῇ ὑπερβολῇ usus est. Ita curras, ut volare magis, quam currere videaris. Et antea transcurrere jusserat: nunc adjecit imperio. Nam (*adjecit pro imperio domini*) non *curre*, sed *vola*. D.

Pro *illic*, quod versui repugnat, Faernus recte correxit *illi*. B.

25 *At non novi hominis faciem*] Moralis expressio pigritiæ in tot excusationibus posita est. *At faciam ut noveris*] Stomachose pronunciandum *at*; quod et Pamphilus repetit dicens, *at faciam ut noveris*. D.

26 *Magnus, rubicundus, crispus, cæsius, crassus*] Properatio, συναθροισμός. et acervo sine conjunctivo est usus. *Magnus, rubicundus*] Imperite Terentium de Myconio crispum dixisse aiunt, cum Apollodorus calvum dixerit: quod proprium Myconis est. ut Lucilius, *Myconi calva omnis juventus*. Unde etiam proverbium Græcum Μυκώνιος φαλακρός. Sed ego Terentium puto scientem facetius Myconium crispum dixisse. *Cæsius*] Glaucis oculis, quasi felis oculos habens et glaucos. D.

Cæsius] Oculis tortis paulum. E.

27 *Cadaverosa facie*] Sublivida, ac personata rubore et livore. Rubicundi enim et crassiorem faciem sæpe habent: quod est proprium cadaveris. Potest et pulposa intelligi et crassa, quasi cadaverosa, *caro* enim dicta est, eo quod careat anima. Et *caro* proprie dicitur mortuorum. Virg. Ge. IV. 255. *et corpora luce carentum*. Unde *carnifices* dicti, quod carnes ex homine faciant. *Pulpa* vero proprie et quæ manducatur, eo quod pulsetur et conscindatur. Potest et *r* pro *d* poni: ut *caro* sit dicta quasi *cado*. ut Virg. Æn. VI. 481. *belloque caduci Dardanidæ*. quod jam scilicet sine anima sit et cadat. *Dii illum perduint*] More pigrorum male optat ei, propter quem mittitur. D.

Cadaverosa facies] Sidon. Apoll. lib. XIII. Epist. 3. *sordidior est atque deformior cadavere rogali*. L.

Recte Bemb. et Donatus pro vulgari *facies* habent *facie*; et hæc verba non Parmenoni, sed Pamphilo tribuunt. At *cadaverosa* displicet, quia a cadaverum forma, quæ varia et incerta est,

Digitized by Google

Quid, si non veniet? maneamne usque ad vesperum?
PAM. Maneto: curre. PAR. Non queo: ita defessus sum.
PAM. Ille abiit. quid agam infelix? prorsus nescio
Quo pacto hoc celem, quod me oravit Myrrhina,
Suæ gnatæ partum: nam me miseret mulieris.
Quod potero, faciam; tamen ut pietatem colam:
Nam me parenti potius, quam amori obsequi

facies definiri nequit. Igitur repone *lentiginem*. Sic apud Val. Max. I. 7. Ext. 6. *os lentiginosum* occurrit. Cf. Donat. ad Eun. IV. 4. 22. B.

Cadaverosa facie] Cadaverosam faciem sic describit Seneca Epist. 122. *ita istorum corpora qui se tenebris dicaverunt fœda visuntur. Quippe suspectior illis quam morbo pallentibus color est: languidi et evanidi albent et in viris caro mortifera est.* v. Gesner. in thes. linguæ lat. hac voce. R. D.

28 *Quid si non veniet*] Omnia dicit, ne eat. *Maneto: curre*] Etiam Pamphilus tanquam de industria perseverat. *Non queo: ita defessus sum*] Hoc in gestu, et spectaculo plus est; nam incessus et nastor (forte, *incessu et anhelitu*) exprimit lassitudinem. D.

Usque ad vesperum?] Usque ad noctem. R.

30 *Ille abiit*] Quasi dicat, licet jam loqui. *Ille abiit*] Quasi cum difficultate completam rem ostendit hoc dicto. D.

32 *Suæ gnatæ partum*] Ἐπεξήγησις. D.

Suæ gnatæ partum] Hoc per appositionem, quam vocant, dictum. R. D.

33 *Quod potero, faciam*] Id est, collabo quantum potero. an quasi projicions curas, et fessus angore dixit, *quod potero, faciam*: id est, si non potero, cedam amori: et rursus tanquam pietatis admonitus, adjecit exceptionem, *tamen ut pietatem colam*. Servat enim in illo amorem poeta: cujus non pœnitebit, re cognita, et errore sublato. *Quod potero, faciam*] Id est, amori obsequar. Nam misericordia mulieris de amore descendit. *Quod potero, faciam*] Apparet hoc dictum, defectus (forte, *affectus* Z.) esse, non virtutis. *Tamen ut pietatem colam*] Recordatus est laesam matrem esse ab uxore: hoc enim credit. et ideo se ad exceptionem revocavit; ita se amori cedere oportere, ut non obliviscatur omnino pietatis. Et bene in eam causam contulit necessitatem non reducendæ uxoris, quæ inveniretur nulla esse. Sunt tamen qui manente eadem sententia, totam hoc jungant, *quod potero, faciam, tamen ut pietatem colam*: hoc est, in quantum potero, dabo operam adversus amorem, ut omisso eo, pietatem colam. Et subjungitur causa. *Tamen ut pietatem colam*] Deest *ita*: ut sit *tamen* pro demtaxat: ut sit, ita ut pietatem colam. Dixerat enim, *quod potero*: et ideo addidit exceptionem, *tamen ut pietatem colam*: id est, non sum oblitus et matris. *Tamen*] Pro ita tamen. D.

Quod potero, faciam: tamen ut pietatem colam] Deliberatio illa nunc breviter repetitur, an partum celet, an ducat uxorem. Verum tandem consentit, ut celet. Non vult autem reducere, quia adhuc credit, puellam ideirco discessisse, quod jurgium cum matre susceperit. Hoc enim dixit, *quod potero, faciam*: *tamen ut pietatem colam*. R.

34 *Nam me parenti potius, quam amori*] *Amori*, scilicet uxoris, quia dixit, *quod potero, faciam*. Et hoc est quod dixerat, *quod potero, faciam*. (verba *et—faciam* absunt a Ms. H.) D.

Digitized by Google

Oportet. atat eccum Phidippum et patrem
Video: horsum pergunt. quid dicam hisce, incertus sum.

ACT. III. SCENA V.

LACHES. PHIDIPPUS. PAMPHILUS.

DIXTIN' dudum, illam dixisse, se exspectare filium?
PH. Factum. L. Venisse aiunt: redeat. PA. Quam causam dicam patri,
Quamobrem non reducam, nescio. L. Quem ego hic audivi loqui?
PA. Certum offirmare est viam me, quam decrevi persequi.

35 *Atat!*] Interjectio est conterriti et conturbati. D

36 *Horsum pergunt*] Modo *pergunt*, pro eunt. alias perseverant. D.

1 *Dixtin dudum, dixisse illam, se exspectare*] Facete principium est interrogantis ita, ut sciat quid sibi responsurus sit, quem interrogat. Illaturus est enim argumentum per ἐπαγωγήν. *Dixtin dudum*] Quia dixerat, *sancte adjurat, non posse Pamphilo se, absente perdurare. Dixtin dudum*] Captiosa interrogatione cœpit, dicturus, *venisse aiunt, redeat*. D.

Dixtin' dudum, illam dixisse, sese exspectare?] Hæc scena utriusque parentis continet verba, quemadmodum cogant Pamphilum reducere uxorem. Simplex hic oratio est. Supra Phidippus dixerat, *sancte adjurat, non posse, Pamphilo absente, perdurare apud vos*. hinc positum, *dixtin' dudum, illam dixisse, sese exspectare filium?* E.

Dixisse, se exspectare] In Ms. R. *se* deest. L.

2 *Factum*] Id est, dixisse illam, aut me. Et deest *est*: ut sit, *factum est*. D.

Cum et male accentus incidat *causam*, et tria verba continua in *am* exeant: Terentius scripsit, *causæ quid dicam patri*. B.

3 *Quamobrem non reducam, nescio*] Habet causam, sed non vult veram dicere; et præterea non vult cum invidia matris suæ loqui, si in illam conferat, ut uxorem non reducat domum. *Quem ego hic audivi loqui*] Ut solet, primo personas inducit secum loquentes: deinde ipsas convenire invicem: ut alibi, *quis hoc loquitur? Mysis, salve*. D.

4 *Certum offirmare est viam me*] Adversus omnia obstinate agere, id est, contra omnes. *Offirmare est viam me quam decrevi persequi*] Id est, ut matri potius, quam amori, morem gerat (*geram.*) D.

Certum offirmare est viam me, quam decrevi persequi] Ut istam non reducam. E.

Viam persequi] Translatio sumta est a viatoribus, qui ab itinere non deflectunt. *Viam sequi* metaphorice dixit Cic. Catil. IV. 5. R. D.

Digitized by Google

L. Ipsus est, de quo hoc agebam tecum. PA. Salve, mi pater.
L. Gnate mi, salve. PH. Bene factum te advenisse, Pamphile;
Atque adeo, quod maxumum'st, salvum atque validum. PA. Creditur.
L. Advenis modo? PA. Admodum. L. Cedo, quid reliquit Phania
Consobrinus noster? PA. Sane hercle homo voluptati obsequens
Fuit, dum vixit: et qui sic sunt, haud multum heredem juvant.
Sibi vero hanc laudem relinquunt: vixit, dum vixit, bene.

7 *Atque adeo, quod maximum est, salvum atque validum*] Ordo est, primum *advenisse*, deinde *salvum*, postremo *validum*. *Salvum atque validum*] Αἴξησις ad salutem. *Validus* namque, robustus et habitior corpore. *Quod maximum est*] Legitur et *quod maxime est*. *Creditur*] Minus blande respondet, de repudio locuturus. D.

Atque adeo] Ms. R. *et adeo*. L.

Placet *et adeo*; quod et plurimi et vetusti habent. B.

8 *Advenis modo?*] Difficile invenitur præsentis temporis *modo*. Atque ut ostendat esse momentum etiam præsentis temporis, dixit *admodum*: quod est minus *(nimis* Mss. et edd. ante Steph.) *Advenis modo?*] Virg. Æn. X. 228. *vigilasne, deum gens, Ænea? vigila. Admodum*] Excusatio cur adhuc non viderit patrem. *Cedo, quid reliquit Phania consobrinus noster*] Utrum jactanter Laches de hereditate loquitur præsente socero, ut illum cupidiorem faciat ad revocandam *(remittendam)* filiam? Et fit sæpe hoc, ut ex alio principio pervenire quæramus ad ea, quæ volumus dicere. An ideo, ut se jactet, sciat ut rem, et divitias suas: cupidiorem socerum redditurus? D.

Admodum] Est assentiendi particula, qua comici, et qui dialogos scribunt, in responsionibus utuntur in Phorm. II. 2. 1. *ais conspectum veritum hinc abisse? admodum*. Cic. de Legib. III. 11. *scis, solere in hujusmodi sermone, ut transiri alio possit, admodum dici*, quem locum male sollicitavit Davisius. R. D.

9 *Consobrinus noster*] Quasi sororinus. *Sobrini*, sunt ex duabus sororibus. *Consobrini*, ex fratre et sorore. Et propinquitate Terentius frequentata movetur *(ac propinquitatis frequentatæ Terentius monet* codd. vett.) ut heredum. *Consobrinus noster*] Quum de fratre natus est alter, et alter ex sorore, *consobrini*: quum ex fratribus, *patrueles* dicuntur. *Sane hercle homo voluptati obsequens fuit*] *Sane*, satis, valide. Nam qui sanus, et validus est. *Voluptati obsequens fuit*] Contra facit Pamphilus: disjungi enim volens, nihil dicit, vel parum relictum. D.

10 *Haud multum heredem juvant*] Parum consulunt heredi. D.

Haud multum heredem juvant] I. e. non valde augent lucrum heredis; *multum* est *valde*. Nepos in Conone c. 2. *hic multum ducem summum Agesilaum impedivit*. Sallust. in Catil. c. 27. *eum suis consiliis multum obficere*. R. D.

11 *Sibi vero hanc laudem relinquunt: vixit, dum vixit, bene*] Bene et facete, nihil heredi relinquunt, sibi vero relin-

Digitized by Google

L. Tum tu igitur nihil attulisti huc plus una sententia?
PA. Quicquid est id, quod reliquit, profuit. L. Immo obfuit:
Nam illum vivum et salvum vellem. PH. Impune optare istuc licet:
Ille reviviscet jam nunquam: et tamen utrum malis, scio.
L. Heri Philumenam ad se arcessi hic jussit: dic jussisse te.

quunt. *Vixit, dum vixit, bene*] Πλοκή. unum *vixit* aliud significat: et alterum *vixit*, alind. *Vixit, dum vixit, bene*] Sententia est hortantis ad delicate vivendum. *Vixit, dum vixit, bene*] Hoc enim scilicet reliquit. D.

Vixit, dum vixit, bene] Ordo, *bene vixit*. E.

Vixit, dum vixit, bene] Inscriptio vetus Tordæ in Transsilvania: *vixi, dum vixi, bene*. L.

Pro *reliquit* meliores libri habent *relinquent*. B.

Vixit bene] I. e. laute et delicate cuticulam curavit; contra *male vivere* est *misere vivere*. v. not. ad Eun. V. 8. 44. R. D.

12 *Una sententia*] Expressit animum avari senis. D.

Aut leg. *una plus sententia*; aut, *plus una hac sententia*. B.

13 *Quicquid est id quod reliquit, profuit*] *Quicquid*, et ad parvitatem refertur. ut, *at enim id mihi satis est, quod est de me opinionis: quicquid est. Quicquid est id quod reliquit*] Nullum in hoc sene fuit doloris officium, ante quam sciret aliquid relictum. *Profuit*] Id est, pro nobis fuit: ac per hoc nostrum est. potest enim ipse profuisse, potest res ejus. *Imo obfuit*] Morem eorum expressit, quibus relinquitur: qui quum audierint sibi aliquid esse relictum, tunc tristes se fingunt. D.

Ob consuetudinem Terentii malim legi, *immo vero obfuit*. B.

Quicquid est id] Sic veteres rem extenuare solebant. Plaut. in Rudent. prol. v. 58. *quicquid erat noctu in navem comportat*. Petron. c. 99. *ego cum Gitone quicquid erat invidulum compono*. v. Burmann. p. 608. R. D.

14 *Nam illum vivum, et salvum vellem*] Non idem *vivum*, quod *salvum*. *Impune optare istuc licet*] Bene *impune*: quia heredi pœna est, mortuos reviviscere. An, sine detrimento optas? ut quum medicus dicit de jam mortuo, *ego si illum curarem, viveret*. *Impune optare*] Si optata evenirent, nunquam, inquit, optares ut ille reviviscerat. D.

15 *Ille reviviscet jam nunquam*] Mirè poeta his verbis Phidippum quoque subinvidere indicat. Plus est *nunquam*, quam *non*. *Et tamen utrum malis, scio*] Mortuum illum magis, quam ut reviviscat denuo. *Et tamen utrum malis, scio*] Quid malis de duobus, scio: utrum illum mortuum permanere, an reviviscere. D.

16 *Heri Philumenam*] Hoc erat, quo omnis tendebat oratio. *Ad se arcessi hic jussit*] Bene et *arcessi* et *jussit*: ut nihil uxor sua sponte fecerit. *Heri Philumenam ad se arcessi hic jussit*] Et *heri* et *jussit*, bene: ut breve tempus sit, et coacta videatur exisse. Et non *abduci*, sed *arcessi*: nec *a nobis*, sed *ad se*. D.

Heri Philumenam ad se arcessi hic jussit] Quasi nescientis (*nescienti*; aut *ob nescientem* Z.) causas hoc mendacium fingitur, quod pater Philumenam heri arcessierit: id est, ad se vocaverit. Denique continuo Pamphilus, *omnem rem scio, ut sit gesta: adveniens audivi*.

Digitized by Google

PH. Noli fodere. jussi. L. Sed eam jam remittet. PH. Scilicet.

PA. Omnem rem scio, ut sit gesta: adveniens audivi omnia.

L. At istos invidos di perdant, qui hæc libenter nunciant!

PA. Ego me scio cavisse, ne ulla merito contumelia
Fieri a vobis posset: idque si nunc memorare hic velim,
Quam fideli animo, et benigno in illam, et clementi fui,
Vere possum: ni te ex ipsa hæc magis velim resciscere.
Namque eo pacto maxume apud te meo erit ingenio fides,
Cum illa, quæ nunc in me iniqua est, æqua de me dixerit:
Neque mea culpa hoc discidium evenisse, id testor deos,

Hoc sumit exordium, cur non reducat. Commendat personam suam, quod semper *fideli animo fuit in illam*, et, *dixerit* (*dicit*, vel, *addit* Z.) *non sua causa fieri discidium*. E.

17 *Fodere*] Scilicet latus, quod faciunt, qui alterum alicujus rei admonere volunt. Horat. epist. I. 6. 50. *mercemur servum qui dictet nomina, lævum. Qui fodicet latus* ubi v. Lambin. R. D.

18 *Omnem rem scio, ut sit gesta*] Virg. Æn. II. 4. *Trojanas ut opes et lamentabile regnum*, &c. D.

Audivi omnia] Ms. R. *audivi omnia modo*. L.

Nostri in fine addunt *modo*; et in uno regio deest *omnia*, recte. Nam jam dixit *omnem rem*. B.

19 *At istos invidos di perdant*] Bene *invidos*, qui matrimonio invideant: ergo revocanda uxor est. Et adeo non puduit mendacii honeste deprehensum senem, ut invidos faceret, qui vera prodiderant. D.

20 *Ego me scio cavisse*] Principium a tempore, a dictis, factisque, tam suis quam adversariorum: et ab anteacta vita et præsenti. *Ego scio me cavisse, ne ulla merito contumelia*] Mire addidit *merito*. non enim *cavere* inquit, ne fieret ea, potui. Igitur (*non enim cavere potui, inquit, ne fieret. Cavi igitur*) ne merito fieret, quod in me fuit. D.

21 *Idque si nunc*] Ab anteacta vita. D.

22 *Et clementi fui*] Pro *fuerim*. indicativum pro conjunctivo posuit. D.

Et benigno in illam] Plurimi vett. et Ms. R. *quam fideli animo in illam, et clementi fui*. quod verius puto. L.

23 *Ni te ex ipsa hæc magis velim resciscere*] Παράλληψις. D.

Ni te ex ipsa] V. C. *nisi ex ipsa*. L.

24 *Namque eo pacto maxume apud te meo erit ingenio fides*] Bene, non dictis, sed *ingenio*. D.

25 *Quum illa, quæ nunc in me iniqua est, æqua*] *Iniqua æqua*, παρωνομασίαι sunt Terentianæ. Et bonum argumentum. Nam et Virg. Æn. I. 629. *ipse hostis Teucros insigni laude ferebat*, inquit. et Cicero, *te ipso teste iniquo, atque improbo: verum ad hanc rem satis idoneo: te, inquam teste, dicam. In me iniqua est, æqua de me dixerit*] Quia adversarii testimonium, si contra se dicat, tam grave est, quam vel boni viri. D.

Meliores et plures nostri meliore ordine ponunt, *cum illa, quæ in me nunc iniqua*, &c. B.

26 *Neque mea culpa hoc dissidium*

Digitized by Google

Sed quando sese esse indignam deputat matri meæ,
Cui concedat, cujusque mores toleret sua modestia:
Neque alio pacto componi potest inter eas gratia:
Segreganda aut mater a me est, Phidippe, aut Philumena.
Nunc me pietas matris potius commodum suadet sequi.
L. Pamphile, haud invito ad aures sermo mihi accessit tuus,

evenisse] Non ergo quid fiat, verum per quos fiat, quærendum est. Et nimis abrupte dixit *evenisse*, non *evenire*. *Hoc evenisse dissidium*] Ad confirmationem, non *evenire*, sed *evenisse* dixit. D.

27 *Sed quando sese esse indignam*] Hoc sic profert, ut eam ostendat causam esse dissidii: et hoc ipso tentat, utrum dotem relinquere possit (*fas sit.*) Et ideo supra, *neque mea culpa hoc dissidium evenisse, id testor deos*, inquit. *Deputat matri meæ, cui concedat*] Fortasse ergo indigna est, et recte deputat: mihi tamen mater colenda est; hoc sentit. *Deputat matri meæ, cui concedat*] Ἐν ὑπωρίσει *matri meæ*, ut idonea sit causa repudii. D.

Sed quando sese esse indignam deputat matri meæ, cujus mores toleret] Cum neque aliter gratia ulla inter eas componi possit, purgat se, quod pietatis causa nolit reducere uxorem. E.

Hunc et seq. versum sic lege et distingue, *séd quando ésse indígnam sese députat, matri meæ* | *Quæ concedat, quaéque ejus móres*, &c. Pro *cui* in Bembino a manu secunda recte est *quæ*. Et unus e Meadianis priorem versum collocat, uti a nobis factum esse vides. B.

Quando sese indignam deputat matri meæ qui concedat] h. e. quando putat, a se non deberi postulari, ut matri meæ concedat. Nam pro *cui* omnino legendum *quæ*. v. Gronov. Observ. III. 8. Bentl. ad h. l. et not. ad Eunuch. V. 226. R. D.

28 *Cujusque mores toleret*] Hoc melius, quam *obsequatur*, aut *inserviat*. *Mores toleret*] Bene *mores*, ut aniculæ: notat enim pravitatem. unde senes, *moresi* appellantur. Horatius, Carm. I. 9. 17. *donec virenti canities abest Morosa*. *Mores toleret sua modestia*] O temperamentum! *Mores* potius quam *injurias* dixit. D.

29 *Neque alio pacto componi potest*] Nisi ut concedat matri, toleretque mores ejus. D.

Versus causa lege, *néque alio compóni pacto pótis inter eas grátiast*. B.

30 *Segreganda aut mater est a me, Phidippe*] Bene tanquam ex deliberatione colligit, quod facturus est. Et mollius *segreganda*, quam *excludenda*. D.

31 *Nunc me pietas matris potius commodum suadet sequi*] Quam mollibus verbis repudium nunciatum est a Pamphilo! D.

Me suadet] *Suadere* et *persuadere* interdum cum accusat. construuntur, ut exemplis docet Burmann. ad Phædr. I. 15. 6. Sed hic melius est *me* cum infinitivo *sequi* jungere, *nunc pietas mihi suadet, me matris potius commodum sequi*. R. D.

Commodum sequi] I. e. ut v. 45. loquitur, se matris commodis accommodare. Cic. act. I. in Verr. c. 7. *non existimationem populi Romani sequentur*. R. D.

32 *Ad aures haud invito*] Optime dictum, *haud invito*. non enim in totum volenti, quippe de dissidio: sed tamen quia pie locutus est; mediocriter approbavit. *Pamphile, ad aures haud invito*] Gravis oratio est a nomine incepta. Virg. Æn. XII. 19. *O præstans animi juvenis*. Et est figura λιτότης. Sic Virg. Ecl. VII. 17. *posthabui tamen il-*

Digitized by Google

Quum te postputasse omnes res præ parente intelligo.
Verum vide, ne impulsus ira prave insistas, Pamphile. 34
PA. Quibus iris impulsus nunc in illam iniquos siem?
Quæ nunquam quicquam erga me commerita'st, pater,
Quod nollem: et sæpe, quod vellem, meritam scio:
Amoque, et laudo, et vehementer desidero.
Nam fuisse erga me miro ingenio, expertus sum:

lorum mea seria ludo. Haud invito sermo mihi accessit tuus] Senili loquacitate: pro, *recte locutus es*. D.

Sermo accessit] Recte e Mss. emendavit Palmerius *ad aures mihi sermo accidit tuus*. Hæc enim est legitima loquendi forma. Rutil. Lup. I. 58. *id vehementer jucundum auribus accidere consuevit* ubi v. quæ notavimus. R. D.

33 *Omnes res*] Plus dixit, quam si *uxorem* diceret. *Præ parente intelligo*] Bene *parente*: quod nomen commune et cum patre est, et cum omnibus, quos hæc necessitudo conjungit. Melius ergo, quam si diceret *matrem*. D.

Quum te postputasse] In Ma. R. *te*, omissum est. L.

Repone, quod Terentio, tanto artifice dignius est, *cum res postputasse te omnis*. B.

34 *Verum vide ne impulsus ira prave insistas, Pamphile*] Leniter et suadenter: *Ira*] Non ergo judicio. *Insistas Pamphile*] Non enim *incipere*, sed *insistere* hic malum est. D.

Insistas] I. e. propositum prosequaris. R. D.

35 *Quibus iris impulsus*] Non dixit *qua ira*, ne superbe loqueretur, sed *quibus iris*: ut hoc ipsum per *ειρωνειαν* derideret, quod pater dixit, *impulsus ira*. An iris matris, aut meæ uxoris, et mea? an omnium trium? *Quibus iris impulsus*] Recte non vult iram esse, ne peccasse videatur uxor. Sic enim (*sic enim ait*) quasi nec ipsa peccaverit. *Quibus iris*] Ille *iram* singulariter dixit, hic *iras* pluraliter: ne videatur unius iræ causa mittere uxorem. D.

Quibus iris impulsus nunc in illam iniquus siem?] Qua iracundia motus, iniquus sim circa uxorem, quæ quod volui, promerita est, et quod nolui, nunquam fecit? Et sermo concluses, quod necessitate ab ea separetur, quod (*ut* Z.) matris commodis obtemperet. R.

Refinge, *quod ego ira impulsus*: ne versus sit justo longior, et ut in responsione eadem verba, eodemque accentu, repetantur. B.

36 *Quæ nunquam quicquam erga me commerita est, pater*] Adverte, proprietatem expressit *commerendi* et *merendi*. D.

37 *Et sæpe, quod vellem, meritam scio*] *Mereri* bona dicimus, *commereri* mala: id est, delinquere, peccare. Ergo hic *meritam*, pro præstitisse dixit. Virg. Æn. IV. 333. *ego te, quæ plurima fando Enumerare vales, nunquam, regina, negabo Promeritam*. D.

Ne *vellem* hic in ultima male senatur, repone cum pluribus iisque melioribus libris, *sæpe meritam quod vellem scio*. B.

38 *Amoque, et laudo*] Non statim qui amantur, et laudantur: nec qui laudantur, etiam continuo desiderantur. Multa ergo dixit, *amoque, et laudo, et vehementer desidero*. Et vide, amoris impulsus nimius hic est circa uxorem: et quasi oblitus suæ matris et vitiatæ, loquitur. sed tali opus est Pamphilo ad ejusmodi argumentum, donec perveniat ad *κατασκευην*, in qua uxorem reduci necesse est. D.

39 *Nam fuisse erga me*] Quantum valet quod *fuisse* dixit, et non *esse*! quasi re transacta. *Erga me*] Hoc totum repudiaturus inaniter diceret, nisi ad exitum fabulæ poeta respiciens, redun-

Digitized by Google

Illique exopto, ut relliquam vitam exigat
Cum eo viro, me qui sit fortunatior:
Quandoquidem illam a me distrahit necessitas.
Ph. Tibi id in manu est. ne fiat. L. Si sanus sies,
Jube illam redire. Pa. Non est consilium, pater:
Matris servibo commodis. L. Quo abis? mane,
Mane, inquam: quo abis? Ph. Quæ hæc est pertinacia?
L. Dixine, Phidippe, hanc rem ægre laturum esse eum?
Quamobrem te orabam, ut filiam remitteres.
Ph. Non credidi ædepol adeo inhumanum fore:

turi animum in Pamphilo reservaret Et nota repudiantem eam, quam laudat, pietate sola compulsum. D.

Miro ingenio] I. e. mirifico, singulari Virg. Æn. VIII. 57. *adjungi generum miro properabat amore.* R. D.

40 *Ut reliquam vitam exigat*] Satis flebiliter (*fideliter* Ms. B.) dixit, *reliquam exigat.* Virg. Æn. I. 78. *omnes ut tecum, meritis pro talibus, annos Exigat.* D.

41 *Cum eo viro*] Non (*nam*) invidere jam non est mariti. D.

42 *Quandoquidem illam a me distrahit necessitas*] Omnis conclusio verborum Pamphili, repudii confirmationem continet: plus tamen sententia significante, quam verbis. *Quandoquidem illam a me distrahit necessitas*] Excusatio in necessitate, quæ est inexorabilis. Et *necessitas*, partus scilicet, quam necessitatem domi offendit: quod ex alio scilicet peperit. Sed modo vult necessitatem, matris videri iracundiam (*injuriam*) quæ a nuru ita offensa sit. D.

43 *Tibi id in manu est, ne fiat*] Hoc opposuit, quod minime vult Pamphilus videri, et quod prodest socero. *Si sanus sies, jube illam redire*] Pro, *si sanus es*: nam aliter *jubeas* dicere debuit. *Si sanus sies*] Bene pater supra *iram* dixit: nunc *insaniam* significat inesse Pamphilo. *Si sanus sies*] Non ergo culpa est, cui ut redeat jubere potest. D.

Si sanus sies] V. C. *si sanus satis sies.* L.

44 *Non est consilium*] Durius erat, *nolo reducere.* ergo hoc lenius dixit. D.

Non est consilium] H. e. non est animus, non est propositum. Plaut. in Mil. II. 3. 73. *consilium est ita facere* Sallust. in Catil. c. 4. *non fuit consilium socordia atque desidia bonum otium conterere* ubi v. Cortium. R. D.

45 *Matris servibo commodis*] Hoc verbo necessitatem, qua cogatur, ostendit. *Quo abis?*] Factum Pamphili ex patris verbis ostenditur, quod discessit. et bene: nam ulterius præsente patre resistere durum fuit. D.

46 *Mane, inquam, quo abis?*] Bene *quo abis:* quia patrem deseris et uxorem. *Quæ hæc est pertinacia?*] Sicut decuit socerum. *et* subindignatur, quia coram sibi sit contumelia. D.

47 *Dixine, Phidippe*] Artificiose Laches, ut minus miretur, et minus indignetur socer, irasci Pamphilum dicit. quando et prædictum est, et sic oportuit. *Dixine, Phidippe, hanc rem ægre laturum esse eum?*] Renovavit verba sua eidem personæ. Nam ita dixerat, *neque adeo me clam est, quam esse eum graviter laturum credam, hoc si resciverit.* D.

Dixin,' Phidippe, hanc rem ægre laturum esse eum?] Sic enim supra dixerat, *neque adeo clam me est, quam esse eum graviter laturum credam.* E.

48 *Quamobrem te orabam, ut filiam remitteres*] Invidiose adversum Phidippum, tanquam in illo sit, unde se purget, non accuset Pamphilum. D.

Ut evitetur accentus in ultima *τοῦ filiám*, cum Bemb. pone *filiam ut remitteres.* B.

49 *Adeo inhumanum fore*] Bene,

Digitized by Google

Ita nunc si sibi me supplicaturum putat?
Si est, ut velit reducere uxorem, licet:
Sin alio est animo, renumeret dotem huc, eat.
La. Ecce autem tu quoque proterve iracundus es.
Ph. Percontumax redisti huc nobis, Pamphile.
L. Decedet jam ira hæc; etsi merito iratus est.
Ph. Quia paululum vobis accessit pecuniæ,

quasi iratus, inhumanum esse inquit. *Non credidi ædepol adeo*] Potuit enim dicere, *non credidi inhumanum fore*: sed acerbe addidit *adeo*. D.

50 *Ita nunc is sibi me*] *Sibi* et *me*. magno pondere legendum est utrumque pronomen: ut Virg. Ecl. III. 25. *cantando tu illum?* Id est, genero socerum, vel Pamphilo Phidippum, vel si quid tale inveneris. *Supplicaturum*] Parum est *satisfacturum, supplicaturum* addidit. D.

Ut gravius incedat versus, repone *itan is nunc sibi*, &c. Alter cod. enim e nostris habet *itan*, et alter *is nunc*. B.

52 *Sin alio est animo, renumeret dotem huc, eat*] Hoc recte socer, non tam ut hic dotem recipiat, quam ut terreat, hoc dicit. Et *renumeret*, proprie: quia dos, pecunia est. Et ἀπαιτισμὸς irascentis est, et exigentis debitum. *Eat* vero mire dictum: quasi ipse projiciatur, qui jubetur ire. et simul in hoc verbo quasi renunciatio caritatis est. *Renumeret dotem huc, eat*] Terrorem repetendæ dotis ostendit, quum dicit, *renumeret dotem*: simul cum injuria, *huc*: et iracunde, *eat*. D.

Renumeret dotem huc] Hoc esse nihil dosque pecunia dabitur *(hoc est, mihi dos, quæ est pecunia, dabitur.* Z.) E.

Renumeret] H. e. reddat, restituat. Sic. *numerare* dicitur pro *solvere* in Ad. III. 3. 52. *ut numerabatur forte argentum*. Cic. Tusc. quæst. V. 32. *cum postridie rogarent eum, cui numerari juberet*. De lege Attica, qua maritus, qui uxorem dimisisset, dotem reddere cogebatur. v. Petit. ad leges Atticas p. 556. R. D.

53 *Ecce autem! tu quoque proterve iracundus es*] Addendo *quoque*, nonnihil assensus est: quasi dicat. *quomodo Pamphilus! Proterve iracundus es*] *Proterve*, immoderate, et superbe, dictum est ideo, quod proterat alium qui protervus est. Nam *protervus* est, qui, dum alius obvius est, proterit: quod faciunt et tauri in appetitu coitus feminarum, in quas calent. D.

Proterve] I. e. immoderate et superbe. v. Donat. ad h. l. R. D.

54 *Percontumax redisti*] Proprie *contumax* dicitur contemtor potiorum. *Percontumax redisti huc nobis, Pamphile*] Magnæ indignationis est, absentes alloqui: ut alibi, *O Æschine, pol haud paternum istuc dedisti. Nobis Pamphile*] Τῷ ἀπαιτισμῷ. Nam aut abundat, aut significatu adjuvat pronunciationem. D.

Percontumax] I. e. contemptor potiorum, ut bene Donat. ad h. l. R. D.

55 *Decedet jam ira*] Quasi in ira sit culpa: non, *deponetur ira*, inquit, *sed decedet*. D.

Illud *jam*, quod sensus damnat, recte abest in pluribus iisque melioribus nostris codd. B.

Decedet ira] I. e. *abcedet*, ut loquitur infra V. 2. 15. Curtius VIII. 2. *postquam ira mente decesserat*. Sic cura, sollicitudo, tumor, invidia *decedere* dicuntur. v. inprimis ad Liv. IV. 52. *ubi hæc sollicitudines discessere. Cadit* ira est apud Lucan. IV. 284. R. D.

56 *Quia paululum vobis accessit pecuniæ*] Facete: quasi dicat, quia habetis unde dotem reddatis. aut, quia nullam causam habetis repudii, sed ditiorum quæritis conjunctionem *(conditionem.) Quia paululum vobis accessit pecuniæ, sublati animi sunt*] Et non, major est factus Pamphilus. simul majore

Digitized by Google

Sublati animi sunt. L. Etiam mecum litigas?
Ph. Deliberet, renuncietque hodie mihi,
Velitne, an non: ut alii, si huic non sit, siet.
L. Phidippe, ades, audi paucis. abiit. quid mea?
Postremo inter se transigant ipsi, ut lubet:
Quando nec gnatus, neque hic mihi quicquam obtemperant:
Quæ dico, parvi pendunt. porto hoc jurgium
Ad uxorem, cujus hæc fiunt consilio omnia:
Atque in eam hoc omne, quod mihi ægre'st, evomam.

stomacho, quod cum labore celabat, aperte ostendit. D.

Meliores libri pro *Paululum* recte exhibent *Paulum*. B.

57 *Sublati animi*] Pro *elati*, *sublati* dixit. Et hoc proprie ferarum est, ut Æn. XII. 4. *attollit quo animos: Pœnorum qualis in arvis, saucius ille gravi venantum vulnere pectus, tum demum movet arma leo, &c.* Nam bestiæ pro animi qualitate vel erigunt corpora, vel deponunt, ait Cicero. *Etiam mecum litigas?*] Belle: et illum ex invidia iracundiorem, et hoc ad se dicentem, quod propter Pamphilum dicebat, effecit (*belle: posita et contra illum ex injuria iracundiorem, at huic senem succensentem, quod merito Pamphilum iratum dicebat, effecit. Z.*) *Etiam mecum litigas?*] Invidiose, quasi jam cum Pamphilo litigaverit. D.

Sublati animi sunt] I. e. superbiores et insolentiores facti estis. Liv. III. 62. Justin. I. 4. *ne paterna maternaque nobilitas nepoti animos extolleret. animi* plurali numero sæpe dicuntur de superbia, ferocia, audacia. v. Gronov. ad Liv. XXII. 25. et Drakenb. ad II. 27. R. D.

58 *Deliberet, renuncietque hodie*] Ferocius quam socerum deceret: attamen mature, quod *deliberet* dixit. D.

59 *Ut alii, si huic non sit, fiet*] Magna fiducia conditionem filiæ asserit: quoniam jam si Pamphilus nolit, paratum alterum dicit esse. *Si huic non sit*] Subauditur *uxor*. Sed dura dictu reticuit, ut debebat. D.

Non male pro *non sit*, Bemb. habet *non est*. B.

Ut alii sit] I. e. ut alius eam uxorem habeat. R. D.

60 *Phidippe, ades*] Nomine appellat: quod facere solemus, iratos mitigare conantes. D.

61 *Postremo inter se transigant*] Non enim hæc votiva sunt, quibus interesse delectet. D.

62 *Quando nec gnatus, neque hic*] Invidiose *gnatus*, et *non obtemperant*, et *hic* non familiariter dictum, quasi ab irato. D.

63 *Quæ dico, parvipendunt*] Quia obtemperamus etiam tacitæ voluntati. *Porto hoc jurgium ad uxorem: cujus, &c.*] Bene rursus in errorem reditur: ne quæ vera sunt, contra fabulæ propositum cognoscantur. *Porto hoc jurgium*] *Porto*, quasi aliquid magnum. D.

Porto hoc jurgium ad uxorem] Putat enim, ejus causa puellam discessisse. E.

64 *Cujus fiunt hæc consilio omnia*] Non transacta objiciuntur uxori, sed quæ nunc aguntur. *Consilio*] Utrum dispositione: an *clemla* est in male consulentem? D.

65 *Atque in eam hoc omne, quod mihi ægre est*] Non *quod irascor*, sed *quod mihi ægre est*, dixit. *Evomam*] Bene: quia ægritudinem solet vomitus relevare. Sic Cicero in Cat. II. 1. quum dicit, *quæ quidem lætari mihi videtur, quod tantum pestem evomuerit, forasque projecerit*. D.

Digitized by Google

ACT. IV. SCENA I.

MYRRHINA. PHIDIPPUS.

PERII! quid agam? quo me vortam? quid viro meo respondebo
Misera? nam audivisse vocem pueri visu'st vagientis:
Ita corripuit derepente tacitus sese ad filiam.
Quod si rescierit peperisse eam, id qua causa clam me habuisse

1 *Perii! quid*] Mire in hac scena iterum rixa est senis atque anus: et tamen varie et alio modo, ut mores inter se diversos, et tamen notos possimus agnoscere. *Perii! quid agam?*] Hæc proloqui oportet Myrrhinam, ut ex ejus persona reminiscatur spectator gestæ rei: simulque ex hujus personæ verbis, quid agas altera persona, monstretur. Nam perscutari Phidippum universa conclavia, et ire per totam domum cognito partu filiæ suæ, apparet ex præsentibus dictis. *Perii! quid agam?*] Singula ita pronuncia, ut perturbatum (*perturbatam.* vel, *animum perturbatum*) ostendas. *Quid agam? quo me vortam?*] Figura διανόησις, apta turbatis. D.

Perii! quo me vortam?] Ingressus Phidippus puellæ pater invenit filiam parturientem, primum adulterii crimen intendens. Sed hoc breviter frangit, quia ex illo parit, cui nuptum data est. Post inducit crimen injuriarum, quod partum celaverit. Egressa igitur mulier, quærit consilium, quemadmodum respondeat, quod pater cognoverit partum. Et consilium utique ad hoc quærit. E.

2 *Nam audisse vocem pueri visus est vagientis*] Virg. Æn. 426. VI. *continuo auditæ voces, vagitus et ingens, Infantumque animæ flentes in limine primo.* Et est ὀνοματοποιία. Nam vox ipsa sic est, ut quasi vagitus sæpius sonet. *Pueri visus est vagientis*] Proprie dixit *vagientis*; et infantium est. *Visus est*] Quomodo, *audire vocem visa sum modo militis.* D.

3 *Ita corripuit derepente*] Raptim intulit. Et *derepente*, una pars orationis est, ut *defessus.* adverbiis enim præpositiones separatim non adduntur. *Derepente*] Ὑστέρον. Nam si separaveris, non est Latinum, *de repente.* D.

4 *Quod si*] *Quod*, pro nam, aut itaque. sed et nos in hujusmodi significatione sic dicimus. *Quod si rescierit*] *Scimus* manifesta: *rescimus* occulta. *Id qua causa*] *Id*, hoc ipsum, peperisse eam. D.

Qua causa clam me habuisse dicam, non ego pol scio] Accusatio illa: *vir ego tuus sum?* deinde prima positio criminis: *peperit filia, ex quo?* Cujus solutio: *ex quo censes, nisi ex illo, cui data est nuptum?* Qua re soluta, aliud intenditur: *quamobrem tantopere omnes nos celare voluerit partum: præsertim cum et recte, et tempore suo pepererit.* Et invectio in eam: *sed nunc mihi in mentem venit, ex hac re, quod locuta es olim, quum illum generum cepimus.* Suspicatur autem, quod ægre mater puellæ ferat Pamphilum ob hanc meretricem, et hac causa partum celare voluerit. Ideo dicit: *quamvis causam hunc suspicari, quam ipsam veram, mavolo.* Tunc quasi hæc vera causa sit, reddam (*reddit senex.* Z.) rationem, non esse injuriam gravem a Pamphilo, quod amat meretricem: quoniam *hoc vitium innatum omnibus adolescentibus* videtur. Qua re inventa mulier aliquid defensionis apponit: *adeon' me esse pervi-*

Digitized by Google

Dicam, non ædepol scio. 5
Sed ostium concrepuit! credo ipsum ad me exire. nulla sum!
P. Uxor ubi me ad filiam ire sensit, se duxit foras:
Atque eccam video. quid ais, Myrrhina? heus, tibi dico.
M. mihine, mi vir?
P. Vir ego tuus sum? tun' virum me, aut hominem deputas adeo esse?
Nam si utrumvis horum, mulier, unquam tibi visus forem, 10

eacem censes, cui mater siem. Adeo pervicacem, perseverantem in malo circa eam animatus (*eam, cui mater.* Z.) siem, 'ut hoc animo me esse credas, si modo hoc matrimonium ex utilitate nostra esse potuisset. Virum hostem hac causa se commoverit, quam senex scit (*potuisset. Verum ipsum hac causa posse celari putat, quam senex sit.* Z.) suspicatus. At ille rursus purgat, quod amicam habet Pamphilus, et (*et ait.* Z.) ferendum esse: si modeste fecit, ut ad eam pergeret. Immo magis displiceret, si se ab amica separet cito, neque idoneus gener et (*sit.* Z.) apud quem vilis fuerat consuetudo. Memor mulier precum suarum marito mandat, ut ad Pamphilum pergat, et quærat, an velit reducere uxorem. Si velit, reddat; sin nolit (intellige *ait*, vel, *reputet.* Z.) quod recte hoc fecerit. E.

Clam habuisse] I. e. celasse infra IV. 4. 35. *non me clam haberet*, &c. R. D.

5 *Non ædepol scio*] Ideo quia vera causa dici non potest. D.

6 *Sed ostium concrepuit*] Plus est quam *crepuit*: nam *con* modo auctivum est. *Ad me*] Bene *ad me*, quasi litigaturum. D.

Plures libri iique meliores sic collocant, *exire ad me.* B.

7 *Ubi ad me filiam ire sensit*] Hoc ante (*arguit.* Z.) rem: et simul argumentum delicti est, quod exiit a filia marito ingresso mulier. *Uxor ubi me ad filiam*] Mirantis est gestus et dictum. *Se duxit foras*] Ordo, *duxit se.* Et verbis usus est, intra domesticos parietes, artis (*parietes et arces*, edd. ante Steph. *parietes aptis*, Wieling. Malim, *parietes natis.*) τῷ ἰδωτικωμῷ se duxit, pro *abiit.* D.

Pro *duxit* leg. *eduxit*: ut supra III. 3. 4. B.

8 *Atque eccam video*] Apparet mulierem fugere, et viri aversari præsentiam. et ideo hoc separatim pronunciandum. *Heus! tibi dico*] Ostendit Myrrhinam avertentem re: quasi nihil inveniat quod dicat de filia. *Mihine, mi vir?*] Sic et in Andria, *nihil respondes*: quum turbatum se ostendit Davus. *Vir*] Ad maritalem conditionem retulit, non ad sexum. ut Virgilius in Bucolicis VII. 7. *vir gregis ipse caper.* D.

9 *Tun' virum me*] Accusatio ab increpatione incipiens. *Aut hominem deputas adeo esse?*] Αὔξησις perversa. *Adeo* autem abundat. Virg. Ge. I. 24. *tuque adeo, quem mox quæ sint habitura deorum concilia, incertum est.* D.

Pro *sum* Bemb. recte habet shm. B.

Vir] Pro marito ponitur. Sallust. Catil. c. 25. *mulier viro et liberis satis fortunata* ubi v. Cort. Sic *mulier* pro uxore Lactant. I. 17. *virgo fuit promi, postea mulier.* R. D.

10 *Nam si utrumvis horum*] Vir aut homo. *Mulier, unquam tibi visus forem*] Acerbe *mulier*: ut supra, *tu, inquam, mulier, quæ me omnino lapidem, non hominem putas.* D.

Nam si utrumvis horum, &c.] Prisc. libr. 8. L.

Digitized by Google

Non sic lubibrio tuis factis habitus essem. M. Quibus? P. At rogitas?
Peperit filia? hem! taces? ex quo? M. Istuc patrem rogare est æquom?
Perii! ex quo censes, nisi ex illo, cui data est nuptum, obsecro?
P. Credo; neque adeo arbitrari patris est aliter: sed demiror
Quid sit, quamobrem tantopere omnes nos celare volueris
Partum; præsertim quum et recte, et tempore suo peperit.

11 *Quibus*] Callide mulier, et quasi nullius culpæ conscia, *quibus* dixit: et *quibus*, factis scilicet. *At rogitas?*] Bene irascitur interroganti. Nam interrogare quæ sciat (*scias*) impudentiæ est. D.

12 *Peperit filia*] Propositio criminis. *Hem! taces?*] Non *taces* nunc (*nunc siles* Z.); sed *taces*, celas. *Ex quo?*] Bene *ex quo*, quia argumentum impudicitiæ est puerperium taciturnum. *Istuc patrem*] Mira calliditas. Rea mulier hoc solo defenditur, quod accusat. *Istuc patrem rogare est æquum?*] Ex sua interrogatione accusavit accusatorem. D.

Patrem rogare] Ms. R. *rogitare*. L.

Cum *taces* vix corripiat posteriorem, repone *taces*. B.

13 *Perii! ex quo censes*] Mire additum ad affectum, *perii*. *Nisi ex illo, cui data*] A verisimili argumentum. *Nisi ex illo, cui data est nuptum?*] Solutio criminis per fiduciam respondentis. Sallustius, *ita fiducia, quam argumentis, purgatior es*. D.

14 *Credo, neque adeo arbitrari*] Ab accusatione maritus ad defensionem sui conversus, omisit quod cœperat. *Sed demiror quid sit*] Mollior factus, jam non irascitur, sed miratur. Adeo vides Phidippum nulla re alia, quam mulieris correptione lenitum. *Demiror*] Valde miror: quod minus est quam irascor. D.

15 *Quamobrem tantopere*] Alia intentio criminis. *Omnes nos celare volueris*] Recte: quia putat et Pamphilum esse celatum. *Omnes nos celare volueris*] Antiqua locutio, *illam rem cele te*. D.

Tantopere omnes] Vett. et Ms. R. *tantopere hos omnes*. L.

Trochæus ea sede minus est gratus. Ergo repone *nos celari volueris*. ut infra IV. 4. 23. B.

16 *Præsertim quum et recte, et tempore suo peperit*] Vide, duæ causæ sunt celandi partus: si non *tempore suo* venerit, quod indicium stupri est: et si non *recte* evenerit: hoc est, monstri aliquid natum fuerit. Hic autem et tempore suo, et recte natum prædicat. *Præsertim quum et recte*] Attulit mulieri compendium credulitas senis semel correpti, ne aliter suspicetur. *Præsertim quum et recte, et tempore suo*] *Recte*, ad illud pertinet, quod non monstrum peperit; *tempore suo*, ad spatium, quo prægnantes esse consueverunt, id est, ad mensium dinumerationem: quia et septimo mense nasci solent. D.

Peperit] Ms. R. *peperit*. L.

Cum recte peperit] H. e. cum partum ediderit rectum, perfectum, non monstrosum. R. D.

Digitized by Google

Adeon' pervicaci esse animo, ut puerum præoptares perire,
Ex quo firmiorem inter nos fore amicitiam posthac scires:
Potius quam advorsum animi tui lubidinem esset cum illo nupta?
Ego etiam illorum esse hanc culpam credidi, quæ te est penes.
M. Misera sum! P. Utinam sciam ita esse istuc! sed nunc mihi in mentem venit,
Ex hac re, quod locuta es olim, quum illum generum cepimus:

17 *Adeon pervicaci esse animo*] Invectio. *Adeon pervicaci esse*] *Pervicax* est perseverans cum quadam vi. *Ut puerum præoptares perire*] Ab ætate infantia, invidia. D.

Præoptares potius] Poterat omitti *potius*, sed sæpe eleganter abundat. Cic. in Pison. c. 7. ad Div. XV. 5. *casum potius quam te laudare mavis.* R. D.

18 *Ex quo firmiorem inter nos fore amicitiam posthac scires*] Ab accidentibus, invidia. Et bene additur *scires*: quia imprudentia in delicto veniam frequenter extorsit. D.

19 *Potius, quam advorsum animi tui lubidinem*] A voluntate peccantis, invidia, *animi tui lubidinem* dixit, ut minima causa magnis sceleribus subjecta esset. *Esset cum illo nupta*] Antiqui non *illi nupta*: sed, *cum illo nupta*. Ergo simbo sibi invicem nubunt. D.

20 *Ego etiam illorum esse hanc culpam*] Bene, *etiam illorum*. non enim hoc se (*se solum* Z.) errasse ait, quod illorum putaverit culpam, quæ minor est: sed, *etiam illorum*: ut commune peccatum fuerit. sed nunc quidem totum credit esse Myrrhinæ. An *etiam*, pro *adhuc*, ut major sit dolor, qui nec opinanti acciderit? D.

Tres e nostris concinuius, *esse culpam hanc.* B.

21 *Utinam sciam ita esse istuc!*] Te miseram esse. Alibi, *miserum? quum minus credere est.* Et erit sensus, utinam vere ita misera? *Utinam sciam ita esse istuc!*] Hoc quidam sic accipiunt, quasi Phidippus dicat, penes te culpa est, quam illorum esse credebam: et utinam quod credo, penes te esse (*esset* Z.) culpam; ita non esse vere sciam. quia dixit, se miseram: et miseros non nisi innocentes dicimus. Ille enim hoc respondet: utinam in hoc negotio miseram te, non scelestam reperiam. Sic Sallustius, *atque eos cogentes, non coactos: scelestos magis, quam miseros distringi.* Et ideo sequitur, *Sed nunc mihi in mentem venit*] Argumentum ex antecedentibus dictis et factis. *Nunc mihi in mentem venit*] Recte *nunc*: quasi alias mihi suspicanti. D.

Sciam ita esse] In Ms. R. ita deest. L.

23 *Quod locuta es olim*] Pro ante. *Quum illum generum cepimus*] Ut *arbitrum capere* dicimus, id est, eligere. Et cum laude locutus est Pamphili. *Cepimus*] Eleginus. Virg. Ge. II. 230. *ante locum capies oculis.* D.

Ob versum, et Donati testimonium, infra IV. 4. 69. lege, *de hac re quod*, &c. B.

Generum cepimus] H. e. elegimus. Virgil. Georg. II. 230. *ante locum capies oculis.* v. Drakenb. ad Liv. VI. 28. R. D.

Digitized by Google

Nam negabas nuptam posse filiam tuam te pati
Cum eo, qui meretricem amaret, qui pernoctaret foris.
M. Quamvis causam hunc suspicari, quam ipsam veram, mavolo.
P. Multo prius scivi, quam tu, illum amicam habere, Myrrhina:
Verum id vitium nunquam decrevi esse ego adolescentiæ:
Nam id omnibus innatum'st: at pol jam aderit, se quoque etiam quum oderit.

23 Colloca commodissime ad versum sic, *nám negabas filiam tuam pósse te nuptám pati;* præsertim cum ordo verborum in libris aliis sit alius. B.

24 *Cum eo*] Viro. *Qui meretricem amaret: qui pernoctaret foris*] Non in hoc est accusatio, quod hæc locuta sit: sed argumentum est, quod celare voluerit partum, quæ hoc olim dixerit. *Qui pernoctaret*] Propter illud quod dixerat, *quid interea? ibatne ad Bacchidem? Quotidie.* Et nota familiariter hoc verbum poni a Terentio. Sic in Adelphis, *sed si hic pernocto, causæ quid dicam, Syre?* D.

25 *Quamvis causam*] Hoc propter spectatorem dicitur, ut gestorum meminerit. *Quam ipsam veram*] Quia sola ex omnibus defendi non potest. D.

Pro vulgari *malo* duo Faerni et totidem e nostris recte *mavolo*. B.

26 *Multo prius scivi, quam tu*] Bene pergit: quia taciturnitas pro confessione accepta est. D.

Ob versum repone *múlto prius, quam tú, illum scivi habere amicam, Myrrhina.* Certe *habere amicam* extat in nostris plerisque. B.

27 *Verum id vitium*] Hoc intelligi non potest, nisi *vitium* bis numero subaudieris. *Adolescentiæ*] Melius dixit *adolescentiæ*, quam *Pamphili:* ut quod in ætate fuerat, non timeret in ingenio. D.

28 *Nam id omnibus innatum est*] Amare in adolescentia. *At pol jam aderit, se quoque quum oderit*] Mire senectutem accusat senex, quum et velocem ostendit his verbis *jam aderit:* et addit, *se quoque oderit:* quasi dicat, non solum non amabit, sed et odio habebit: et non alienas mulieres modo, nec uxorem quoque, sed etiam seipsum. Plus ergo illatum, quam ratio deposcebat: sed mire ad affectum senis exprimendum. *Se quoque etiam quum oderit*] Id est, ut pœniteat eum sui facti. Sed plus dixit, quam si diceret, *facta sua.* D.

Jam aderit] Codd. vett. et Ms. R. *jam aderit tempus.* L.

Vel lege, *nám id innatumst*, ut trochaicus sit cum præcedentibus; vel *nam id ómnibus innatum. at*, &c. ut iambicus sit cum sequentibus. At cum nostri habeant, *aderit tempus, cum*; forte sic leg. et distinguendum, *verum id vitium nunquam decrevi esse ego: adolescentiæ | Innatum est: at pol jam aderit tempus, se quoque etiam cum oderit.* B.

Jam aderit se quoque etiam cum oderit] Intelligendum *tempus* ut in Andr. I. 1. 125. *prope adest cum alieno more vivendum est mihi.* v. Bentlei. ad h. l. notandum vero *etiam* et *quoque* jungi. Cic. de Nat. Deor. I. 22. *non enim posita solum suavis verum etiam cætera quoque doctus.* Plin. X. 97. *non nemo etiam ante viginti quoque* ubi. v. Cort. infra V. 1. 7. *ego quoque etiam timida sum.* Cæterum Terentium imitatus est

Digitized by Google

Nullus sum! PAR. Qui dum? PAM. Perii! PAR. Quamobrem? PAM. Nescio quod magnum malum
Profecto, Parmeno, me celas. PAR. Uxorem Philumenam
Pavitare, nescio quid, dixerunt: id si forte est, nescio.
PAM. Interii! cur mihi id non dixti? PAR. Quia non poteram una omnia.
PAM. Quid morbi est? PAR. Nescio. PAM. Quid? nemone medicum adduxit? PAR. Nescio.
PAM. Cesso hinc ire intro, ut hoc quamprimum, quicquid est, certo sciam?
Quonam modo, Philumena mea, nunc te offendam affectam?
Nam si periculum ullum in te inest, periisse me una haud dubium est.

39 *Nullus sum*] Rursus se infelicem et miserum appellavit hic. *Nullus sum*] Αὐξητικῶς. *Quia perii*] Satis amatorie. D.

40 *Me celas*] Vett. omnes et Ms. R. *me celant*. *Uxorem Philumenam pavitare*] Vid. Servius in Æneid. I. vers. 92. *solvantur frigore membra*. L.

Nostri omnes *celant*, præter unum, ubi est *celat*. B.

41 *Uxorem Philumenam pavitare*] *Pavitare τῷ ἐξωθισμῷ*. *Pavitare nescio quid*] *Pavere* et *timere*, et ad corporis, et ad animi perturbationem veteres referebant. Plautus in Bacch. I. 1. 73. *nam et ex mari timida ecce ego pavitare, ægrotare, quia sic horruisse, ac pulpitare venis* (Paulo melius West. edidit, *nam ut in mari vecta es, credo, timida es*. Ergo, *pavitare*, ægrotare: quia sic horruisse visa ac palpitare venis. Leg. *quia sic horrere est visu ac palpitare, antequam venires*. Z.) D.

Pavitare] I. e. frigore et febri jactari. v. Servium ad Æn. I. 92. R. D.

42 *Quia non poteram una omnia*] Deest, *dicere*. *Quia non poteram una omnia*] Cum stomacho pronunciavit: et deest, *dicere*. D.

Lege ex nostris fere omnibus, *interii, cur id mihi non dixti?* B.

43 *Nemone medicum adduxit?*] Scilicet ex quo scire posses. *Nescio*] Perturbatus Parmeno idem repetit verbum, et verbum aptum est personæ servili. D.

Nostri cum Faerni optimis libris legunt *nemon*. B.

44 *Cesso hinc ire intro*] In vultu (*cultum* Ms. H.) proloquium. Sic autem dicit poeta, ut gravem morbum in uxore suspectans maritus, prothius ingrediatur, et partum improvisus offendat. D.

Pro vulgari *certum* recte Bemb. et Victorianus habent *certo*. B.

45 *Quonam modo, Philumena?*] Amatoria ἀναστροφή. Sic in Phormione, *quod si eo meæ fortunæ redeunt, Phanium, abs te ut distrahar, nulla est mihi vita expetenda*. *Offendam affectam*] Lassam, possessámque morbo ab eo quod est *affici*: unde *affectus* dicuntur, propter quos afficimur. D.

46 *Nam si periculum ullum in te inest*] Multum dixit, si in te periculum inest, me periisse non dubito. tantus autem affectus non est mariti tantum,

Digitized by Google

PAR. Non usus facto est mihi nunc hunc intro sequi:
Nam invisos omnis nos esse illis sentio.
Heri nemo voluit Sostratam intro admittere.
Si forte morbus amplior factus siet,
Quod sane nolim, maxume heri causa mei:
Servom ilico introisse dicent Sostratæ;
Aliquid tulisse comminiscentur mali,
Capiti atque ætati illorum, morbus qui auctus siet.
Hera in crimen veniet; ego vero in magnum malum.

ACT. III. SCENA II.

SOSTRATA. PARMENO. PAMPHILUS.

NESCIO quid jamdudum audio hic tumultuari misera.

sed amatoris quoque. *Nam si periculum ullum*] Non permisit amor dicere perituram: sed *si periculum*. D.

Ex Vatic. et Basilic. lege *periclum*: atque lectio Bembini *in te ullum inest* multo concinnior videtur. B.

Periise me una] Similis locus Propertii Eleg. II. 21. 42. *vivam, si vivet, si cadet illa, cadam*. v. Columnam ad Ennii fragm. 288. R. D.

47 *Non usus facto est mihi*] Vide artificem Terentium, quæmadmodum alias per Pamphilum, alias per ipsum Parmenonem invenit, quemadmodum nesciatur a cæteris, virginem ante nuptias ab ipso Pamphilo vitiatam esse. *Non usus facto*] Non utile. *Facto* abundat. D.

48 *Nam invisos omnes nos esse illis sentio*] Acute ejusmodi causam reperit, quæ vel hominem curiosum contineret: quæque non Parmenonem modo, sed mox etiam Sostratam arceat ab ingressu. D.

49 *Heri nemo voluit Sostratam*] Quasi alius dixerit, *unde intelligis? Heri nemo voluit Sostratam*] Argumentum odii. D.

51 *Maxume heri causa mei*] Bene *maxume*: qui et propter ipsam, vel propter invidiam socrus non velit fieri graviorem morbum. D.

52 *Servum ilico introisse*] Mire ut criminosius, suspiciosusque sit: non Lachetis aut Pamphili servum, sed Sostratæ: nec Parmenonem saltem. D.

Pro *introisse* scribe *introisse*. B.

53 *Comminiscentur*] Dicent, cum confinxerint. D.

54 *Capiti atque ætati illorum*] Bene τῷ αἰφμισμῷ maluit *illorum*, quam *puellæ* dicere: quod utique intelligitur. *Qui*] *Qui*, unde. D.

Sit rescribendum versus est. B.

Capiti illorum] I. e. vitæ et sic caput semper dicitur in hac imprecationis formula. Plaut. in Rudente V. 2. 59. *Venus eradicet caput atque ætatem tuam* Virg. Æn. VIII. 484. *dii capiti ipsius generique reservent*. v. Heins. ad Ovid. Epist. XX. 127. Græv. ad Cœlii epist. in Cic. ad Div. VIII. 1. et Bentl. ad Phorm. III. 2. 6. R. D.

55 *Hera in crimen*] Sostrata in litem. *Ego vero in magnum malum*] In quæstionis tormenta. D.

1 *Nescio quid jamdudum hic audio tumultuari*] In hac scena quasi quæ-

Digitized by Google

Male metuo, ne Philumenæ magis morbus adgravescat: Quod te Æsculapi, et te Salus, ne quid sit hujus, oro. Nunc ad eam visam. PAR. Heus, Sostrata. S. Hem! PAR. Iterum istinc excludere. S. Ehem Parmeno, tune hic eras? perii! quid faciam misera? 5

dam deliberatio est, continens suasionis dissuasionisque partes, quas in subditis considerabimus. *Hic*] Quia nimis vicini sunt. D.

Nescio quid jamdudum audio hic tumultuari misera] Hæc scena quandam quasi deliberationem tenet ad *(ob* Z.) ægrotam nurum, cum rumor sit, quod gravis morbus ingravescat. Deliberat socrus, quæ jam semel exclusa est. Denique ipsa propositio: *nunc ad eam visam.* Destructio ex diversa parte: *iterum istinc excludere.* Pars *(perseverat* Z.) illa, ut pergat: *quid faciam misera? Non visam uxorem Pamphili, eum in proximo hic sit ægra?* Dissuasio: *non visas? ne mittas quidem visendi causa quemquam.* Nec aliquem mittas, qui videat. *Nam qui amat, cui odio ipsus est, bis facere stulte duco: laborem inanem ipsus capit, et illi affert molestiam.* Adjecit majus argumentum, quare ingredi non debeat, quia filius statim quod *(quum* Z.) venit, ingressus est. Ex ea igitur causa introire non debes. Etenim, *si remittent quippiam Philumenæ dolores, omnem rem narrabit, scio, continuo sola soli*] Narrabit cunota, quæ vis iracundiæ fuerit inter eas, unde exordium lites inceperint. Hæc sunt, quæ ad dissuasionem pertinebant. Egreditur Pamphilus, qui his *(qui tristis est* Z.) quod non in morbo puellam, sicut rumor fuerat, viderit, sed quod parturire eam viderit. Et inde vehementer commovetur; putat enim, non ex suo compressu gravidam parturire. Idem interrogatus a matre, *quid morbi est?* consensum commodat ad quod ille *(illa* Z.) voluerit, ne prodat veritatem. Deinde et Parmenonem efficit discedere, ne vicinus vocem parturientis audiat. Postremo remanet solus, et secum deliberat, quod rogatus utrum taceat, neque indicet ei *(ejus* Z.) partum, an æquo animo ferat tantam injuriam et reducat uxorem. E.

Tumultuari] Passive dicitur. Nam apud veteres activum etiam *tumultuare* in usu fuit. v. Voss. de Analog. III. 7. et interpret. ad Cæs. de B. G. VII. 61. R. D.

2 *Magis morbus adgravescat*] Gravior fiat. Proprie, quia morbi graves sunt dicti. Virg. Ge. III. 95. *ubi aut morbo gravis, aut jam segnior annis Deficit.* Sallust. *morbi graves ob inediam insolita vescentibus. Male metuo, ne Philumenæ magis*] Instat Terentius bonam socrum facere, ut bonam meretricem faciat *(facit* Z.) D.

Ne morbus aggravescat] I. e. augeatur, amplior fiat ut paulo ante dixit. Cic. Catil. I. 13. *hic morbus qui est in republica vehementius gravescet.* R. D.

3 *Quod te, Æsculapi, ut te, Salus*] Deest *propter:* ut sit, *propter quod.* D.

4 *Nunc ad eam visam*] Sic Virg. Æn. VII. 454. *respice ad hæc. Heus, Sostrata*] Vide quemadmodum per se ipsum Parmeno, per Parmenonem arceatur Sostrata: quæ neque deesse propter officium, neque ingredi propter socrum *(servum* Bœcler.) inducitur. *Hem!*] Interjectio est novas res audientis. *Iterum istinc excludere*] Bene *iterum:* ut illi pudorem incuteret repetitione injuriæ. Et memoriter. jam enim dixit, *nostra illico it visere ad eam. admisit nemo.* Et simul vide, quam vehementius ad injuriam sonet *exclusi*, quam *non admitti.* D.

Verba *iterum i. e.* lege per interrogationem. B.

5 *Ehem, Parmeno*] *Ehem*, interjectio est ejus, quæ commota sit nova re. D.

Digitized by Google

Non visam uxorem Pamphili, cum in proximo hic sit aegra?

PAR. Non visas, nec mittas quidem visendi causa quemquam.

Nam qui amat cui odio ipsus est, bis facere stulte duco:
Laborem inanem ipsus capit, et illi molestiam affert.
Tum autem filius tuus introiit videre, ut venit, quid agat.

S. Quid ais! an venit Pamphilus? PAR. Venit. S. Dis gratiam habeo.

Hem, istoc verbo animus mihi rediit, et cura ex corde excessit.

PAR. Jam ea de causa maxume nunc huc introire nolo:
Nam si remittent quippiam Philumenæ dolores,

6 *Non visam uxorem Pamphili?*] Ut dixit supra, *servum Sostratæ*, non Parmenonem: sic hic, *uxorem Pamphili* dixit magis, quam Philumenam: ut animum et officium ejusdem socrus, et matris breviter demonstraret. D.

In proximo] I. e. in vicinia. Plautus in Cistell. I. 1. 102. *habitat in proximo*. R. D.

7 *Non visas, &c.*] Unam rem Sostrata consuluit, hic de duabus respondet: namque et illam non vult ingredi, et cavet ne ipse mittatur. et bene, *quemquam*: ne aperte pro se loqui videatur. D.

Lege *non visas?* interrogative. Deinde pro *nec* repone *ne*, ob codices omnes meos et Faerni. B.

8 *Nam qui amat, cui odio ipsus est*] Aliam causam subjunxit: quia durum fuerat ipsi Sostratæ dici, quod supra dictum est. *Nam qui amat*] Una causa a sententia morali. *Cui odio ipsus est*] Deest *eam*, vel *eum*. D.

9 *Laborem inanem ipsus capit, et illi molestiam affert*] Hoc validissimum ad dissuadendum fuit. *Et illi molestiam affert*] Bene hoc adjecit: ne qui amat, hoc dicat, laborem, dum promerear, quem amo (*laborem non perdo, dum promereor de eo, quem amo.* Z.) D.

10 *Tum autem filius*] Alia causa ab eventu. *Videre, ut venit, quid agat*] Quod supra, *visere*. An *visere*, officii est apud aegros: *videre*, cognitionis? et ideo additum, *quid agat*. D.

Ob consensum Faerni nostrorumque librorum lege *tum filius tuus int*. B.

11 *An venit Pamphilus?*] Bene imitatur affectum. D.

Pro *gratias*, quod est in libris quibusdam, amplectere lectionem codd. multorum *gratiam*. B.

12 *Hem!*] Interjectio feminina ac matronalis. *Ex corde excessit*] Geminavit præpositionem. D.

13 *Hac nunc introire nolo*] Cur, si venit Pamphilus, non sit introeundum, causa narratur. D.

14 *Nam si remittent quippiam*] Verbum activum quasi neutrum posuit. *Philumenæ dolores*] Δραματικῶς errat, non enim vere dolor morbi est, cum sit partus. D.

Philumenæ dolores] V. C. *Philumenam*. L.

Etsi *Philumenæ* apud Rufinum quoque in de metris comicis laudatur, ab usu loquendi non abhorret, et quorundam codd. auctoritate comprobatur: tamen ob sequentia *sola soli* lectionem *Philumenam* præfero. Si enim *Philume-*

Digitized by Google

Omnem rem narrabit, scio, continuo sola soli: 15
Quæ inter vos intervenerit, unde ortum est initium iræ.
Atque eccum video ipsum egredi. quam tristis est! S.
O mi gnate!
PAR. Mea mater, salve. S. Gaudeo venisse salvom.
salvan'
Philumena est? PAM. Meliuscula est. S. Utinam istuc
ita di faxint.
Quid tu igitur lacrumas? aut quid es tam tristis? PAM.
Recte, mater. 20
S. Quid fuit tumulti? dic mihi: an dolor repente invasit?

nam scribis, ea est ista *sola*; sin Philumenæ, quæ ista *sola* sit, nescias. B.

Si remittent, &c.] Duplex hujus loci lectio est. *Si remittent quippiam Philumenæ dolores* et *si remittent quippiam Philumenam dolores*. Si priorem lectionem sequamur, *dolores remittent* significat leniores fient, sedabuntur, pronomine *se* subintellecto, quod sæpe additur. Cic. in Orat. c. 34. Sin posteriorem lectionem, quæ pluribus auctoritatibus nititur, præferamus, *dolores remittent Philumenam* significat dolores relinquent Philumenam. R. D.

15 *Scio, continuo sola soli*] Ut, Æn. I. 391. *haud, credo, invisus cœlestibus, auras Vitales carpis.* Et sic, *sola soli* dicitur, quomodo *præsens præsenti*. Sic Virg. Æn. IV. 83. *illum absens absentem auditque videtque.* D.

16 *Quæ inter vos intervenit*] Melius sic, quam si diceret. *Quæ illi feceris. Unde ortum est*] Pro *sit*, ἀναλόγως tertium. D.

Vulgo *intervenit*; Bemb. *intervenerit*. At leg. *intervenerint*; quod et versus probat, et Donati auctoritas, qui ita legisse videtur. B.

17 *Quam tristis est!*] Χαρακτηρισμὸς (Προσωποποιία. Pet. Victor. V. L. XXXIII. 24.) locuturi Pamphili. *O mi gnate*] Ordo est, O mi gnate, gaudeo te salvum venisse; sed intercedit Pamphilus tristis. D.

Illud *est* versum cum onerat, dele: aut lege *quam tristis't*; vel *tristis est! mi gnate*, sine *o*, B.

18 *Salvan Philumena est?*] Cito probat Pamphilo se amare nurum, cum post salutationem nihil prius, quam de salute uxoris ejus inquirat. *Salvan Philumena est?*] Mire obviam sibi exeuntem filium nihil aliud, nisi de Philumena interrogavit: ut ostenderet ejus morbum curæ sibi esse. D.

19 *Meliuscula est*] Verum est, quantum ad morbum pertinet. *Meliuscula est*] Hoc et ad morbum, ed ad eventum partitudinis verum est, ita nos mentitur Pamphilus matri. *Utinam istuc ita di faxint*] Diligentiore officio loquitur, ut rea filium soorus. D.

Meliuscula est] I. e. paulo melius habet. Cic. ad Div. XVI. 5. *tum meliuscule tibi esset.* R. D.

20 *Quid tu igitur lacrumas?*] Locus ab eo quod agitur: quo significat, si ita est, quare ergo tu tristis es? *Recte. mater*] Sic dicimus, cum sine injuria interrogantis aliquid reticemus. Et bene additum *mater*; ut duritia reticentiæ blando nomine molliretur. Alii *recte* sic accipiunt, ut intelligant, *nihil est mali.* D.

21 *Quid fuit tumulti?*] Antiqui sic declinaverunt, *tumulti, senati.* ut Sallustius Catil. 53. *decretum senati fit. Dic mi-*

Digitized by Google

PAM. Ita factum'st. S. Quid morbi est? PAM. Febris. S. Cotidiana? PAM. Ita aiunt.
I sodes intro, consequar jam te, mea mater. S. Fiat.
PAM. Tu pueris curre, Parmeno, obviam, atque eis onera adjuta.
PAR. Quid? non sciunt ipsi viam, domum qua redeant?
PAM. Cessas?

ACT. III. SCENA III.

PAMPHILUS.

NEQUEO mearum rerum initium ullum invenire idoneum,

hi] *Dic*, verbum est instantis audire, et curiosius interrogantis. Virgilius Ecl. III. 1. *dic mihi, Damœta, cujum pecus? Dolor repente invasit?*] Proprie *invasit*, quia repente. D.

22 *Ita factum est*] Moris est assentiri ad dicta interrogantium, qui quæ vera sunt celant. *Ita aiunt*] Bene aliis adscripsit: si falsum sit, ut ipsis adscribatur mendacium. *Ita aiunt*] In hac tota interrogatione et responsione colorem induxit secretum, ægre objurgantis. Ita *aiunt*] Religiose mendacium ad rumorem retulit. *Aiunt*, inquit, ne ipse falsum dicere videretur. D.

23 *I sodes intro*] Metuit, ne ingrediatur mater ad soceros: et ideo dicit, *I sodes intro*. Et apparet *intro* dicentem, manu annuere, ut domum redeat: et simul, quo magis faciat, addit causam: *Consequar jam te, mea mater*] Adjecit et tempus *jam*. *mea* necessario additum: *mea mater*: et *sodes*, quia *I intro* durum est. *Fiat*] Abiens dixit hoc mater, *fiat*: ne omnino jussis alienis parere videatur. quasi imperemus et nos, quæ nos ipsi facturi sumus. D.

24 *Tu pueris curre, Parmeno, obviam*] Probabilis causa, qua ablegat etiam Parmenonem, dum jubet eum pueris occurrere. Et simul notandum, quod in hac fabula ridiculè vexatur usque ad ultimum servus et ablegatur, cum sit et piger et curiosus. *Atque eis onera adjuta*] Locutio antiqua figurata. Et est μετωνυμία (alii, ὑπαλλαγή,) pro ipsos onera portantes, eis onera adjuta. D.

Iis onera adjuta] I. e. iis adjuta oneribus ferendis. Notandus est dativus personæ, iis qui per archaismum verbo *adjutare* jungitur. Vide interpretes ad Petron. c. 62. edit. Burmann. p. 412. *Adjutare* cum accusativo rei est in Phorm. I. 2. 49. R. D.

25 *Quid? non sciunt ipsi viam, domum qua redeant*] Jam vide quemadmodum servetur Parmenoni persona loquacis, curiosi, pigri. *Domum*, adverbiale est. *Domum qua redeant*] *Qua* si locum significet, videbitur reliquum præceptum servus non audivisse. Sin audivit, *qua*, quomodo intelligemus, id est, quemadmodum onus portent de navi. ut, *quid fieret, et qua fieret*. *Cessas*] De industria omnes ablegavit suos, ut non audirent quæ intus post scenam sunt acta: quæ tamen populo est narraturus. D.

Pro *redeant* Bemb. habet *veniant*. R.

1 *Nequeo mearum rerum initium ul-*

Digitized by Google

Unde exordiar narrare, quæ nec opinanti accidunt;
Partim quæ perspexi his oculis, partim quæ accepi auribus:
Qua me propter exanimatum citius eduxi foras.
Nam modo me intro ut corripui timidus, alio suspicans
Morbo me visurum affectam, ac sensi esse, uxorem: hei mihi!
Postquam me aspexere ancillæ advenisse, ilico omnes simul

lum invenire idoneum] In hac scena conquestio est ad deliberationem descendens, an habeat Pamphilus, an excludat uxorem: in qua tota oratio Pamphili ad argumentum spectans, amatoria magis, quam maritalis est. Nam aliter non perveniretur ad ultimam cognitionem omnium rerum, nisi adolescens furtivum conceptum uxoris, et patrum, aliquanto lenius, quam conjugalis dolor expetit, toleravisset. *Nequeo mearum*] Hæc est Homerica illa διαπόρησις, Od. IX. 14. τί πρῶτον, τί δ' ἔπειτα, τί δ' ὑστάτιον καταλέξω; *Nequeo mearum rerum initium*] Hoc principium magna διαπορήσει oneratur: ut ostendantur ærumnæ et multæ et graves, *Idoneum*] Aptum, conveniens. D.

Nequeo mearum rerum initium ullum invenire idoneum] Conquestio est, quod de amore multa sit passus, quod multa viderit, multa audierit. Cum dixit: *partim, quæ perspexi his oculis, partim quæ accepi auribus.* Hoc totum in principio est. Subjungitur narratio: *nam modo me intro ut corripui.* Quod accepit auribus, illud est, quod ubi eum ante perspexerint ancillæ, omnes simul exclamavere, *venit!* Quod perspexit, illud est, quod *vultum earum continuo immutari* videt. Hæc enim argumenta proficiunt ad id, quod partus celabatur; quod intro veniens parturientem videt; deinde quod vox parturientis prodit vitium, cum dixit: *neque voce alia, ac res monebat, ipsa poterat conqueri,* R.

2 *Unde*] A quo. D.

3 *Partim quæ perspexi his oculis*] *His,* quasi miseris, vult intelligi, quibus perspexi, vel audivi mala. An sic dictum est, ut apud Virg. Æn. IV. 359. *vocemque his auribus hausi?* D.

4 *Qua me propter exanimatum*] Inter *exanimatum* et *exanimum* hoc interest: *exanimatus,* est conterritus, conturbatus. Ut, *sed quidnam Pamphilum exanimatum video?* Et Virg. Æn. V. 305. *exanimata sequens impingeret agmina muris. Exanimus* vero, est occisus. Virg. Æn. XI. 30. *corpus ubi exanimi positum Pallantis Acetes Servabat senior.* D.

Me eduxi foras] I. e. foras prodii. Plaut. in Bacchide IV. 2. 11. *ducte ab ædibus.* Cic. ad Div. X. 32. *Balbus— duxit se a Gadibus* ubi v. Manut. it. Bentlei. ad IV. 1. 7. R. D.

5 *Me intro ut corripui*] Raptim ingressus sum. *Timidus*] Pro timens, nomen loco participii. D.

Lege ex nostris omnibus, *nam modo intro ut me corripui.* B.

Me intro corripui] I. e. raptim introii. Mox. v. 16. *corripui illico me inde lacrumans.* infra IV. 1. 3. *corripuit derepente tacitus sese.* v. Heins. ad Virgil. Æn. VI. 472. *corripuit sese.* R. D.

6 *Morbo me visurum affectam*] Quia et hic morbus est (hoc scholion haud dubie pertinet ad vers. 13. ad vocem *alio.*) *Hei mihi!*] Interjectio dolentis est. Virg. Æn. III. 32. *Eloquar, an sileam?* Et dicitur hæc figura ἐπιμονή. *Hei mihi!*] Mire interposuit σχετλιασμόν. D.

Præter unum omnes nostri habent, *ac sensi uxorem esse.* B.

Digitized by Google

Lætæ exclamant, *venit*: id quod me repente aspexerant.
Sed continuo voltum earum sensi immutari omnium,
Quia tam incommode illis fors obtulerat adventum meum.
Una illarum interea propere præcucurrit, nuncians
Me venisse: ego ejus videndi cupidus, recta consequor.
Postquam introii, extemplo ejus morbum cognovi miser.
Nam neque, ut celari posset, tempus spatium ullum dabat:
Neque voce alia, ac res monebat, ipsa poterat conqueri.
Postquam aspexi, O facinus indignum! inquam: et corripui ilico
Me inde lacrumans, incredibili re atque atroci percitus.

8 *Id quod me repente*] Deest *propter*. ut sit, propter id: sc per hoc, ideo. *Id quod me repente aspexerant*] Causa cur lætæ exclamaverint. *Id* ergo, *ob id*. D.

Nostri, *me derepente*. Sed melius est *me* ejicere cum egregio Fabricii codice. B.

9 *Sed continuo voltum earum sensi immutari omnium*] Mire Pamphilus etiam ancillarum metu impellitur, ut alienum nasci puerum suspicetur: nec ullo modo in memoriam redeat, hanc se puellam, vel hujusmodi (forte, *quæ nunc est uxor*. Z.) vitiasse. *Voltum earum*] Quæ viderint. D.

10 *Fors obtulerat*] *Offerri* dicuntur tam bona quam mala, si inspecta objiciantur aspectibus. *Obtulerat*] *Oblatum* dicitur in utramque partem, quicquid exspectationem prævenit. D.

Pro *illis* duo nostri veterrimi *illæc*. B.

Obtulerat] Offerri dicuntur, quæcunque præter exspectationem objiciuntur, sive bona, sive mala. v. Donat. ad h. l. R. D.

11 *Præcucurrit nuncians*] Priscian. libr. X. L.

12 *Ego ejus videndi cupidus*] Non erit plena vis repentini doloris, si aliquid præsentiens suspicatur; et inde addidit, *ego ejus videndæ cupidus. Recta consequor*] Absolute, et sine adjectione: non enim addidit *via*. D.

Ejus videndi] Non opus est legere *videndæ*. Rationem constructionis explicant. Sanctius in Minerva III. 8. p. 458. et ibi Perizon. R. D.

13 *Extemplo ejus morbum*] *Morbum* mitiore animo, quam *vitium* dixit, aut *probrum*. Et recte: quia dixit, *alio me suspicans morbo vixurum affectum, de sensi esse, uxorem*. D.

Faernus, ut trochaicus staret, ex Bemb. et Victor. edidit *postquam intro ádveni, éxtemplo*. Forte leg. *introivi extempulo*. B.

14 *Spatium*] Moram. D.

Pro *celari* lege *celare*; uxor scilicet, quam statim adiit osculaturus. Deinde in seq. versu illud *ipse* refer ad *vet*. B.

15 *Ac res monebat*] Partus. D.

16 *O facinus indignum!*] *Facinus indignum*, non ad illam, hoc est, Philumenam, sed ad auctorem vitii refertur. *Et corripui ilico*] Ardens scilicet dolore. Et est causa cur cito exierit. D.

Digitized by Google

Mater consequitur: jam ut limen exirem, ad genua accidit,
Lacrumans misera: miseritum est. profecto hoc sic est, ut puto:
Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus.
Hanc habere orationem mecum principio institit:

17 *Lacrumans*] Non furens, sed *lacrumans*: non iratus, sed *misertus* (*percitus.*) *Atque atroci*] Id est, vehementi. D.

Percitus] I. e. vehementer commotus. Lucret. V. 400. *ira tum percitus acri.* Cic. pro Milone c. 23. *animus iratus et percitus.* Liv. VI. 38. *tum percitus ira Camillus* ubi v. Drakenb. R. D.

18 *Mater consequitur: jam at limen exirem*] Ostendit affectum misericordiae suae, *matrem* potius dicendo, quam *Myrrhinam*, et addendo *miseram*. *Ad genua accidit*] *Accidere*, est gestu corporis extendere humilitatem cadentis: propter (*compositum ex*) *ad*, quod est juxta, et *cadere*. Sallustius autem sine praepositione dixit, *qua accidam, aut quo?* D.

Ad genua accidit lacrumans] Diodor. Sicul. Eclog. 34. τοῖς μὲν πρὸς τὰ γόνατα πίπτων, τοῖς δὲ ταῖς χερσὶν ἐπιφυόμενος ἐδεῖτο, καὶ μετὰ δακρύων καθικέτευε, βοηθῆσαι τοῖς ἀκληρήμασι. L.

Limen exirem] Notandum est *exire limen* pro exire limine vel de limine. Eodem modo dicitur *egredi portam, urbem.* R. D.

Ad genua accidit] *Ad genua accidere* vel *genibus accidere* est in genua procumbere, supplicandi causa. Seneca Treed. v. 690. *ad genua accido supplex.* Sueton. in Caes. c. 20. *ut ad genua ultro sibi accideret.* v. quae notavimus ad Rutil. Lup. II. 96. R. D.

19 *Lacrumans misera*] Miserabiliter se habens. *Miseritum est*] Ut recte supra dictum sit de illo, *pium et pudicum ingenium narras Pamphili. Miseritum est*] Hoc ipse sibi. D.

Profecto hoc sic est, ut puto] Omnem narrationem calamitatum suarum sententia conclusit, *uti res sic semper sit, ut, quemadmodum fortuna tradiderit,* inquit, *nos aut magni, aut humiles sumus.* (*simus.* Z.) B.

Ut puto] Fere idem est quod *ni fallor.* Catull. carm. 35. *hoc unum excipio ut puto pudenter.* v. Duker. ad Sueton. Vespasian. c. 23. R. D.

20 *Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus*] Hire dixit, *dant sese.* Homerus, Od. Σ. 135. τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων, οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγησι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. Sed hic *sese* ille et validius dixit, et est haec καθολικὴ sententia. Apollodorus: οὕτως ἕκαστος διὰ τὰ πράγματα σήμνος ἦν καὶ ταπεινός. D.

Omnibus nobis] Liban. Soph. Declam. XVI. pag. 456. ὁπόσα γὰρ ἦν τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα, τοιοῦτον ἀνάγκη καὶ τὸ φρόνημα ἔχειν. L.

Ut res dant sese] I. e. ut res eveniunt vel succedunt v. notat. ad Heaut. V. I. 43. R. D.

Magni sumus] I. e. superbi, elati. Plaut. in Mil. IV. 2. 58. *magnum me faciam nunc quoniam illac me collaudat.* Hinc *magnum dicere* apud Virgil. Aen. X. 547. significat arrogantibus verbis uti. v. Cl. Koenium in praefat. ad Gregor. de dialectis p. 10. Contrarium est *minoribus verbis uti* apud Ovid. Metam. VI. 151. R. D.

Humiles] I. e. animis submissis, abjectis. Cic. ad Attic. II. 21. *ut ille tum humilis tum demissus erat.* v. Burmann. ad Lucan. VII. 157. R. D.

21 Recte Bemb. *principio*, pro vulgari *a principio.* B.

Institit] Quidam Mss. habent *instituit* ut aliis locis centum variatur. Burmann.

Digitized by Google

Pamphile, abs te quamobrem hæc abierit, causam vides:

vitium est oblatum virgini olim ab nescio quo improbo.

hæc confugit, te atque alios partum ut celaret suum.

ad Suetos. Vitell. c. 2. rectum putant, qui quid instituit de eo, qui quid Sed promiscuus horum videtur; certe, apud ad Div. X. 16. *flagitare senatus* verbum non perverit, sed significat. v. interpret. ad Liv. 46. R. D.

O mi Pamphile! abs te quamobrem] A nomine et blandimento, quia secreta confitetur. ut Virg. IV. 20. *Anna, fatebor enim, miseri Sichæi.* A principio idem verecundia et voce et confessione duraret. *O mi Pamphile! abs te quamobrem hæc abierit*] Venialis status, in quo confessio est et precatio. *Abs te quamobrem*] Morale blandimentum ante confessionem. D.

O mi Pamphile! abs te quamobrem hæc abierit, causam vides] Persuasio est. Unde illa deliberat, Pamphilus an *(ut* Z.) taceat tantum et celet partum, aut, si voluerit, ut eam uxorem ducat, domata injuria. Confessio ipsa criminis venialis status constat, cum dixit: *vitium est oblatum virgini olim, abs nescio quo improbo.* Deinde preces omnes adhibentur. Illa duo, quæ supra posui, [illegible] (*conficit ita* Z.) *quæque fors fortuna est*, inquit, *nobis quæ te hodie [illegible], per eam te obsecramus ambæ, si [illegible] fas est, uti adversa ejus per te [illegible] tacitaque apud omnes sient.* Ut, si [illegible] roget, sic petitur; *cæterum de [illegible] id facias, quod in rem sit [illegible]* dimittitur (forte, [illegible] Illud ora.us [illegible]an fieri possit, [illegible]am, *neque gra-* [illegible]*cius.* Sed an [illegible]de adjungitur: *nunc si potis est, Pamphile, maxime volo, doque operam, uti clam eveniat partus patrem: atque adeo omnes. sed si hoc fieri non potest, quin sentiant, dicam abortum esse.* Neque hoc suspectum esse alicui poterit, cum septimo mense abortum provenire. Sed ne natum puero inhonestum fuit *(ne natus puer inhonestus esset* Z.) quod Pamphili filius diceretur, adjecit ab utili, et ab honesto: *continuo exponetur. hic tibi nihil erit quicquam incommodi.* Deinde conclusum est ad misericordiam captandam, *et illi miseræ.* Quod concesserit scilicet *(quod concessisse se dicit* Z.), ut taceat tantum, *nam de reducenda, id vero neutiquam honestum esse arbitror.* Verum amore multum æstuans ingemiscit, quod necessitate separetur; quamquam dat sibi consolationem, non didicit ab amata discedere, ut ante exclusam meretricem discesset *(consolationem, quod non nunc discat ab amata discedere, quum ante exclusus a meretrice discesserit.* Z.) E.

23 *Nam vitium*] Est confessio. *Nam vitium est oblatum*] Cœpit a causa. *Oblatum*] Ad repentina pertinere superius annotavimus. Et *oblatum*, quasi non exspectanti et nolenti. *Virgini*] Quasi quæ falli posset. *Olim*] Recte *olim:* quia facilis venia circa vetera jam deliota. unde tentat temporis longinquitate extenuare peccatum. *Olim* ergo, ante menses novem. *Ab nescio quo improbo*] Mire contemsit personam, dicendo *nescio quo?* id est, nescio quem dixit: ut ostendat ignobilem, ita *(et)* abjectum. Nam si nomen illi est, habet et dignitatem: ut, Æn. II. 89. *et nos aliquod nomenque decusque Gessimus.* Et ne placere videatur is qui fecit, *improbum* dixit. D.

Nam vitium] Servius Æn. XI. 687. L.

Digitized by Google

Sed cum orata ejus reminiscor, nequeo quin lacrumem miser.
Quæque fors fortuna est, inquit, nobis quæ te hodie obtulit,
Per eam te obtestamur ambæ, si jus, si fas est, uti
Advorsa ejus per te tecta, tacitaque apud omnes sient.
Si unquam erga te animo esse amico sensisti eam, mi Pamphile,
Sine labore hanc gratiam te, uti sibi des pro illa, nunc rogat.
Cæterum de reducenda id facias, quod in rem sit tuam.
Parturire eam, neque gravidam esse ex te, solus conscius.
Nam aiunt tecum post duobus concubuisse mensibus:

25 *Sed quum orata ejus*] Bona παράθεσις. *Nequeo quin lacrumem miser*] Videtur quasi distillantes fletus detergere. *Nequeo*] Deest *continere*. D.

26 *Quæque fors fortuna.*] Precatio. *Fors fortuna*] Τύφη. id est, subita fortuna. Et *fortuna*, in incerto: *fors fortuna*, in bono ponitur. Virg. Æn. IX. 41. *si qua in te fortuna fuisset*. Et ipse, *O fors fortuna!* D.

27 *Per eam te obtestamur*] Oratorie inducuntur et pro tacentibus (*absentibus*) preces. *Per eam te obtestamur ambæ*] *Obtestatio* est precatio cum mentione earum rerum, per quas petimus: ut, Æn. X. 45. *per eversæ, genitor, fuentia Troiæ excidia obtestor. Si fas, si jus est*] Utrum hoc invidiose: an quasi femina, quæ leges nesciat? D.

Obtestamur ambæ] Al. *obsecramus*. L.

Pro *obtestamur*, quæ est lectio Donati et aliorum codd. Bentleius, duce Faerno et auctoritate codd. *obsecramus*. Z.

Si jus ei fas est] Jus est jus humanum, fas est jus divinum. Virgil. Georg. I. 269. *festis quædam exercere diebus fas et jura sinunt* ubi v. Servium. Plura de hoc discrimine Duker. ad Flor. II. 20. p. 475. R. D.

28 *Uti adversa ejus*] Mire non crimen: sed *adversa*. *Per te tecta, tacitaque*] *Tecta*, si reducis: *tacita*, si repudias sub alia excusatione. An idem significant? an potius, neque verbo indices? An *tecta*, ne videantur: *tacita*, ne dicantur? *Tecta, tacitaque*] *Tecta* sint, ne hæc alii sciant: *tacita*, ne ipse indicet. D.

29 *Si unquam erga te*] Virg. Æn. V. 798. *si concessa peto, si dant ea mœnia Parcæ*. Terentius in Andr. *si te in germani fratris dilexi loco, sive hæc te solum semper fecit maximi. Si unquam erga te*] Ab anteacta vita. D.

Lege *si unquam te erga a. e. a. sensti*, &c. B.

30 *Uti sibi des pro illa*] Subaudītur, *gratia*. D.

Recte Faernus ob versum et Donatum pro *uti* legit *ut*. B.

Gratiam des] I. e. beneficium. Plaut. in Captiv. III. 5. 63. *ab eo petito gratiam istam*, Sallust. in Jug. c. 110. *ut rex privato homini gratiam deberem*. R. D.

31 *Cæterum de reducenda*] Tentat etiam hoc persuadere, sed oratorie et verecunde. Et mire, *de reducenda* dixit, non *de respuenda*. *Quod in rem sit tuam*] Nam nisi reducatur, reddenda dos erit. D.

Cum iambum trochaicus non admittat, Faernus edidit *redducenda*. B.

32 *Solus conscius*] A possibili. Nam hoc nomine ostendit tacere eum posse, quod conscius sit ipse solus. D.

33 *Nam aiunt*] Honestius *aiunt*, pro

Digitized by Google

O mi Pamphile, abs te quamobrem hæc abierit, causam vides:
Nam vitium est oblatum virgini olim ab nescio quo improbo.
Nunc huc confugit, te atque alios partum ut celaret suum.

et Oudendorp. ad Sueton. Vitell. c. 2. *institit* de eo rectum putant, qui quid pergit facere, *instituit* de eo, qui quid incipit facere. Sed promiscuus horum verborum usus videtur; certe, apud Cicer. ad Div. X. 16. *flagitare senatus institit*, hoc verbum non *perrexit*, sed *cœpit* significat. v. interpret. ad Liv. XXVII. 46. R. D.

22 *O mi Pamphile! abs te quamobrem hæc abierit*] A nomine et blandimento, mire: quia secreta confitetur. ut Virg. Æn. IV. 20. *Anna, fatebor enim, miseri post fata Sichæi.* A principio idem elaboravit, ut adversus pudorem conscientia et voce et confessione duraret. *O mi Pamphile! abs te quamobrem hæc abierit*] Venialis status, in quo confessio est et precatio. *Abs te quamobrem*] Morale blandimentum ante confessionem. D.

O mi Pamphile! abs te quamobrem hæc abierit, causam vides] Persuasio est. Unde illa deliberat, Pamphilus an (*ut* Z.) taceat tantum et celet partum, aut, si voluerit, ut eam uxorem ducat, donata injuria. Confessio ipsa criminis veniali statu constat, cum dixit: *vitium est oblatum virgini olim, abs nescio quo improbo.* Deinde preces omnes adhibentur. Illa duo, quæ supra posui, conficienda (*conficit ita* Z.) *quæque fors fortuna est*, inquit, *nobis quæ te hodie obtulit, per eam te obsecramus ambæ, si fas, si fas est, uti adversa ejus per te tecta, tacitaque apud omnes sient.* Ut, si velit, reducat, sic petitur; *cæterum de reducenda id facias, quod in rem sit tuam.* Hoc voluptati dimittitur (forte, *voluntati remittitur* Z.) Illud orans (*illud, quod oratus est* Z.) an fieri possit, sic docetur: *parturire eam, neque gravidam esse ex te, solus conscius.* Sed an pater ignorare possit, sic adjungitur: *nunc si potis est, Pamphile, maxime volo, doque operam, uti clam eveniat partus patrem: atque adeo omnes. sed si hoc fieri non potest, quin sentiant, dicam abortum esse.* Neque hoc suspectum esse alicui poterit, cum septimo mense abortum provenire. Sed ne natum puero inhonestum fuit (*ne natus puer inhonestus esset* Z.) quod Pamphili filius diceretur, adjecit ab utili, et ab honesto: *continuo exponetur. hic tibi nihil erit quicquam incommodi.* Deinde conclusum est ad misericordiam captandam, *et illi miseræ.* Quod concesserit scilicet (*quod concessisse se dicit* Z.), ut taceat tantum, *nam de reducenda, id vero neutiquam honestum esse arbitror.* Verum amore multum æstuans ingemiscit, quod necessitate separetur; quamquam dat sibi consolationem, non didicit ab amata discedere, ut ante exclusam meretricem discessit (*consolationem, quod non nunc discat ab amata discedere, quum ante exclusus a meretrice discesserit.* Z.) E.

23 *Nam vitium*] Est confessio. *Nam vitium est oblatum*] Cœpit a causa. *Oblatum*] Ad repentina pertinere superius annotavimus. Et *oblatum*, quasi non exspectanti et nolenti. *Virgini*] Quasi quæ falli posset. *Olim*] Recte *olim*: quia facilis venia circa vetera jam delicta. unde tentat temporis longinquitate extenuare peccatum. *Olim* ergo, ante menses novem. *Ab nescio quo improbo*] Mire contemsit personam, dicendo *nescio quo?* id est, nescio quem dixit: ut ostendat ignobilem, ita (*et*) abjectum. Nam si nomen illi est, habet et dignitatem: ut, Æn. II. 89. *et nos aliquod nomenque decusque Gessimus.* Et ne placere videatur is qui fecit, *improbum* dixit. D.

Nam vitium] Servius Æn. XI. 687. L.

Digitized by Google

Sed cum orata ejus reminiscor, nequeo quin lacrumem miser.
Quæque fors fortuna est, inquit, nobis quæ te hodie obtulit,
Per eam te obtestamur ambæ, si jus, si fas est, uti
Advorsa ejus per te tecta, tacitaque apud omnes sient.
Si unquam erga te animo esse amico sensisti eam, mi Pamphile,
Sine labore hanc gratiam te, uti sibi des pro illa, nunc rogat.
Cæterum de reducenda id facias, quod in rem sit tuam.
Parturire eam, neque gravidam esse ex te, solus conscius.
Nam aiunt tecum post duobus concubuisse mensibus:

25 *Sed quum orata ejus*] Bona παρθησις. *Nequeo quin lacrumem miser*] Videtur quasi distillantes fletus detergere. *Nequeo*] Deest *continere*. D.

26 *Quæque fors fortuna.*] Precatio. *Fors fortuna*] Τυφη. id est, subita fortuna. Et *fortuna*, in incerto: *fors fortuna*, in bono ponitur. Virg. Æn. IX. 41. *si qua in te fortuna fuisset*. Et ipse, *O fors fortuna!* D.

27 *Per eam te obtestamur*] Oratorie inducuntur et pro tacentibus (*absentibus*) preces. *Per eam te obtestamur ambæ*] *Obtestatio* est precatio cum mentione earum rerum, per quas petimus: ut, Æn. X. 45. *per eversæ, genitor, fumantia Troiæ excidia obtestor. Si fas, si jus est*] Utrum hoc invidiose: an quasi femina, quæ leges nesciat? D.

Obtestamur ambæ] Al. *obsecramus*. L.

Pro *obtestamur*, quæ est lectio Donati et aliorum codd. Bentleius, duce Faerno et auctoritate codd. *obsecramus*. Z.

Si jus ei fas est] Jus est jus humanum, fas est jus divinum. Virgil. Georg. I. 269. *festis quædam exercere diebus fas et jura sinunt* ubi v. Servium. Plura de hoc discrimine Duker. ad Flor. II. 20. p. 475. R. D.

28 *Uti adversa ejus*] Mire non crimen: sed *adversa*. *Per te tecta, tacitaque*] *Tecta*, si reducis: *tacita*, si repudias sub alia excusatione. An idem significant? an potius, neque verbo indices? An *tecta*, ne videantur: *tacita*, ne dicantur? *Tecta, tacitaque*] *Tecta* sint, ne hæc alii sciant: *tacita*, ne ipse indicet. D.

29 *Si unquam erga te*] Virg. Æn. V. 798. *si concessa peto, si dant ea mœnia Parcæ*. Terentius in Andr. *si te in germani fratris dilexi loco, sive hæc te solum semper fecit maximi. Si unquam erga te*] Ab antecta vita. D.

Lege *si unquam te erga a. e. a. sensti*, &c. B.

30 *Uti sibi des pro illa*] Subaudi tur, *gratia*. D.

Recte Faernus ob versum et Donatum pro *uti* legit *ut*. B.

Gratiam des] I. e. beneficium. Plaut. in Captiv. III. 5. 63. *ab eo petito gratiam istam*, Sallust. in Jug. c. 110. *ut rex privato homini gratiam deberem*. R. D.

31 *Cæterum de reducenda*] Tentat etiam hoc persuadere, sed oratorie et verecunde. Et mire, *de reducenda* dixit, non *de respuenda*. *Quod in rem sit tuam*] Nam nisi reducatur, reddenda dos erit. D.

Cum iambum trochaicus non admittat, Faernus edidit *redducenda*. B.

32 *Solus conscius*] A possibili. Nam hoc nomine ostendit tacere eum posse, quod conscius sit ipse solus. D.

33 *Nam aiunt*] Honestius *aiunt*, pro

Digitized by Google

Tum, postquam ad te venit, mensis agitur hic jam septimus:
Quod te scire, ipsa indicat res. Nunc si potis est, Pamphile,
Maxume volo, deque operam, ut ciam eveniat partus patrem,
Atque adeo omnis. sed si fieri id non potest, quin sentiant,
Dicam abortum esse: scio nemini aliter suspectum fore,
Quin, quod verisimile est, ex te recte eum natum putent.
Continuo exponetur. hic tibi nihil est quicquam incommodi:
Et illi miseræ indigne factam injuriam contexeris.

ait, dixit. Nam quis aut scire, aut dicere potuit, nisi Philumena? ergo recte. *Aiunt* enim potius honestum est, quam *ait*. *Post duobus concubuisse eam mensibus*] *Post duobus*, simpliciter accipiendum, non post duos. est enim ὑστεροφή, pro *duobus post*; id est, non statim ut nupta sit, sed, postquam nupta est, post duos menses nuptiarum: ut sint reliqui quinque menses. Et hinc apparet, ante duos menses, priusquam cum Pamphilo concumberet, vitiatam, quatuor (Westerhovius vult legi *quinque*. Sed satis inepte. Omnia enim sana sunt Z.) mensibus cum Pamphile fuisse: ex quibus, duobus posterioribus amatam esse, reliquis tribus peregrinatum fuisse Pamphilum. An *post duobus*, pro post duos? ut Plautus, Pers. IV. 1. 4. *post principio denique*. Et, *post paulo*. D.

Vocem *eam* post *concubuisse*, quam Faernus ob Bemb. sustulit, nos ob codices et versum, qui in hac sede non amat trochæum, restituendum putamus. B.

35 *Quod te scire, ipsa indicat res*] Quia contristatus corripuisti te foras. D.

36 *Partus eveniat*] Philumenæ scilicet. D.

37 *Fieri id non*] Ms. R. *id* deest. L. Nostri vel non habent *id*, vel collocant ante *fieri*. B.

38 *Abortum esse*] Non est Latinum *aborsa est*: sed, *abortum fecit*. *Abortum esse*] Deest *natum*, vel *factum*, vel absolute. quomodo dicimus, *e re nata*: vel quemadmodum dicimus, *ex te mihi orta est injuria*. *Dicam abortum esse*] Rationabiliter dixit. fit enim abortus mense septimo sine pernicie feminæ. *Suspectum fore*] Suspicabilem, suspiciosum. D.

39 *Ex te recte eum natum putent*] Nove dixit *natum abortum*: quasi abortus nascatur. *Natum* ergo pro facto, conceptoque dixit. D.

Recte natus] *Recte natus* dicitur, qui ex legitimo matrimonio natus est. R. D.

40 *Exponetur*] Ad mortem scilicet. *Hic tibi nihil est quicquam incommodi*] Quum alienus exponitur, et non tollitur pro suo. Et mire necandi pueri non fit mentio; quia Pamphili filius invenietur, quum ei etiam per patrem puellæ poeta succurrit. *Hic tibi nihil est quicquam incommodi*] Ab utili. et est παρέλκον quartum: ut, *nihil vidi quicquam lætius*. D.

41 *Et illi miseræ indigne*] Ut non sit ἀναπόλουθον, superiori versui τὸ *et*

Digitized by Google

Pollicitus sum; et servare in eo certum'st, quod dixi, fidem.
Nam de reducenda, id vero neutiquam honestum esse arbitror:
Nec faciam; etsi me amor graviter, consuetudoque ejus tenet.
Lacrumo, quæ posthac futura'st vita, cum in mentem venit,
Solitudoque. O fortuna, ut nunquam perpetuo es bona!
Sed jam prior amor me ad hanc rem exercitatum reddidit;
Quem ego tum consilio missum feci, idem nunc huic operam dabo.

addendum est: ut sit, *et tibi nihil est quicquam incommodi. Et illi miseræ*] Conclusio per enumerationem (forte, *commiserationem* Z.): et non lederis, inquit, et proderis miseræ. *Factum injuriam*] Mire *injuriam* dixit: ut non contemnenda sit, sed tollenda *(ut non condemnanda sit, sed delenda.* Ms. H.) D.

42 *Pollicitus sum*] Plus quam promisi. *Quod dixi*] Quod promisi. D.

43 *Id vero neutiquam honestum esse arbitror*] *Neutiquam*, non est omnino negativum, sed aliquid assensionis habet. Est enim *neutiquam*, non nimis, non valde. D.

Bentl. edidit *reducendæ*; et *ne utiquam* pro *neutiquam*. Z.

44 *Nec faciam*] Bene addidit, *nec faciam*: multa enim etiam inhonesta amore suscipimus. *Etsi amor me graviter consuetudoque tenet*] Hoc cum gemitu. *Etsi* non est complexivum, neque propositivum, sed subjunctivum, id (dele *id*) est, pro tametsi. *Amor me graviter consuetudoque*] Quæ duæ res contra honestum et utile validissimæ. Et bene *tenet*, non tenuit. D.

Illud *me* ex codd. nostris colloco post *amor*. B.

45 *Lacrumo, quæ posthac futura est vita*] Bene propensior in affectum est, ut verisimile fiat potuisse retinere. Et *lacrumo* non pendet a superiori: sed interpositis diu fletibus dixit *lacrumo. Quæ posthac*] Quæ modo vim promeminis non tenet, sed querelæ. Et *lacrumo*, sic dixit ut Virg. Æn. IV. 30. *sic affata, sinum lacrumis implevit obortis.* Et est ordo, *lacrumo, cum in mentem venit.* D.

46 *O fortuna!*] Hic *fortunam* pro bona posuit (igitur *bona* in textu non fuit. B.) *Ut nunquam perpetuo es bona!*] Legitur et *data*. Nam et sic pro bona intelligitur necessario. D.

Leg. *ut nunquam perpetua es data*. Nam *data* legit olim Donatus. B.

O fortuna ut nunquam es perpetuo bona] Bentlei. Donato duce sic legit: *O fortuna ut nunquam perpetua es data*. Plaut. in Cistell. I. 3. 46. *ut sunt humana, nihil est perpetuum datum.* Mutarunt lectionem qui non conoquerent *fortunam* absolute pro bona fortuna. Sed sic est in Phorm. V. 6. 44. Terentii loco similis ille Rutil. Lupi II. 75. *O fortuna quam vehementer te rerum varietas oblectat.* R. D.

48 *Idem nunc operam huic dabo*] Si *idem*, ego. si *eidem*, hoc est, amori. *Operam dabo*] Difficultatem rei ostendit, dicendo *operam dabo*. D.

Idem nunc] Ms. R. *item nunc*. L.

Digitized by Google

Tum, postquam ad te venit, mensis agitur hic jam septimus:
Quod te scire, ipsa indicat res. Nunc si potis est, Pamphile,
Maxume velo, doque operam, ut clam eveniat partus patrem,
Atque adeo omnis. sed si fieri id non potest, quin sentiant,
Dicam abortum esse: scio nemini aliter suspectum fore,
Quin, quod verisimile est, ex te recte eum natum putent.
Continuo exponetur. hic tibi nihil est quicquam incommodi:
Et illi miseræ indigne factam injuriam contexeris.

ait, dixit. Nam quis aut scire, aut dicere potuit, nisi Philumena? ergo recte. *Aiunt* enim potius honestum est, quam *ait*. *Post duobus concubuisse eam mensibus*] *Post duobus*, simpliciter accipiendum, non post duos. est enim ὑστεροφή, pro *duobus post*; id est, non statim ut nupta sit, sed, postquam nupta est, post duos menses nuptiarum: ut sint reliqui quinque menses. Et hinc apparet, ante duos menses, priusquam cum Pamphilo concumberet, vitiatam, quatuor (Westerhovius vult legi *quinque*. Sed satis inepte. Omnia enim sana sunt Z.) mensibus cum Pamphile fuisse: ex quibus, duobus posterioribus amatam esse, reliquis tribus peregrinatum fuisse Pamphilum. An *post duobus*, pro post duos? ut Plautus, Pers. IV. 1. 4. *post principio denique*. Et, *post paulo*. D.

Vocem *eam* post *concubuisse*, quam Faernus ob Bemb. sustulit, nos ob codices et versum, qui in hac sede non amat trochæum, restituendum putamus. B.

35 *Quod te scire, ipsa indicat res*] Quia contristatus corripuisti te foras. D.

36 *Partus eveniat*] Philumenæ scilicet. D.

37 *Fieri id non*] Ms. R. *id* deest. L. Nostri vel non habent *id*, vel collocant ante *fieri*. B.

38 *Abortum esse*] Non est Latinum *aborsa est*: sed, *abortum fecit*. *Abortum esse*] Deest *natum*, vel *factum*, vel absolute. quomodo dicimus, *e re nata*: vel quemadmodum dicimus, *ex te mihi orta est injuria*. *Dicam abortum esse*] Rationabiliter dixit. fit enim abortus mense septimo sine pernicie feminæ. *Suspectum fore*] Suspicabilem, suspiciosum. D.

39 *Ex te recte eum natum putent*] Nove dixit *natum abortum*: quasi abortus nascatur. *Natum* ergo pro facto, conceptoque dixit. D.

Recte natus] *Recte natus* dicitur, qui ex legitimo matrimonio natus est. R. D.

40 *Exponetur*] Ad mortem scilicet. *Hic tibi nihil est quicquam incommodi*] Quum alienus exponitur, et non tollitur pro suo. Et mire necandi pueri non fit mentio; quia Pamphili filius invenietur, quum ei etiam per patrem puellæ poeta succurrit. *Hic tibi nihil est quicquam incommodi*] Ab utili. et est παρίλκον quartum: ut, *nihil vidi quicquam lætius*. D.

41 *Et illi miseræ indigne*] Ut non sit ἀναπόλουθον, superiori versui τὸ *et*

Digitized by Google

Pollicitus sum; et servare in eo certum'st, quod dixi, fidem.
Nam de reducenda, id vero neutiquam honestum esse arbitror:
Nec faciam; etsi me amor graviter, consuetudoque ejus tenet.
Lacrumo, quæ posthac futura'st vita, cum in mentem venit,
Solitudoque. O fortuna, ut nunquam perpetuo es bona!
Sed jam prior amor me ad hanc rem exercitatum reddidit;
Quem ego tum consilio missum feci, idem nunc huic operam dabo.

addendum est: ut sit, *et tibi nihil est quicquam incommodi. Et illi miseræ*] Conclusio per enumerationem (forte, *commiserationem* Z.): et non laederis, inquit, et proderis miseræ. *Factum injuriam*] Mire *injuriam* dixit: ut non contemnenda sit, sed tollenda (*ut non condemnanda sit, sed delenda*. Ms. H.) D.

42 *Pollicitus sum*] Plus quam promisi. *Quod dixi*] Quod promisi. D.

43 *Id vero neutiquam honestum esse arbitror*] *Neutiquam*, non est omnino negativum, sed aliquid assensionis habet. Est enim *neutiquam*, non nimis, non valde. D.

Bentl. edidit *reducenda*; et *ne utiquam* pro *neutiquam*. Z.

44 *Nec faciam*] Bene addidit, *nec faciam*: multa enim etiam inhonesta amore suscipimus. *Etsi amor me graviter consuetudoque tenet*] Hoc cum gemitu. *Etsi* non est complexivum, neque præpositivum, sed subjunctivum, id (dele *id*) est, pro tametsi. *Amor me graviter consuetudoque*] Quæ duæ res contra honestum et utile validissimæ. Et bene *tenet*, non tenuit. D.

Illud *me* ex codd. nostris colloco post *amor*. B.

45 *Lacrumo, quæ posthac futura est vita*] Bene propensior in affectum est, ut verisimile fiat potuisse retineri. Et *lacrumo* non pendet a superiori: sed interpositis diu fletibus dixit *lacrumo. Quæ posthac*] *Quæ* modo vim pronominis non tenet, sed querelæ. *Et lacrumo*, sic dixit ut Virg. Æn. IV. 30. *sic affata, sinum lacrumis implevit obortis*. Et est ordo, *lacrumo, cum in mentem venit*. D.

46 *O fortuna!*] Hic *fortunam* pro bona posuit (igitur *bona* in textu non fuit. B.) *Ut nunquam perpetuo es bona!*] Legitur et *data*. Nam et sic pro bona intelligitur necessario. D.

Leg. *ut nunquam perpetua es data*. Nam *data* legit olim Donatus. B.

O fortuna ut nunquam es perpetuo bona] Bentlei. Donato duce sic legit: *O fortuna ut nunquam perpetua es data*. Plaut. in Cistell. I. 3. 46. *ut sunt humana, nihil est perpetuum datum*. Mutarunt lectionem qui non concoquerent *fortunam* absolute pro bona fortuna. Sed sic est in Phorm. V. 6. 44. Terentii loco similis ille Rutil. Lupi II. 75. *O fortuna quam vehementer te rerum varietas oblectat*. R. D.

48 *Idem nunc operam huic dabo*] Si *idem*, ego. si *eidem*, hoc est, amori. *Operam dabo*] Difficultatem rei ostendit, dicendo *operam dabo*. D.

Idem nunc] Ms. R. *item nunc*. L.

Digitized by Google

Non visam uxorem Pamphili, cum in proxumo hic sit aegra?

PAR. Non visas, nec mittas quidem visendi causa quemquam.

Nam qui amat cui odio ipsus est, bis facere stulte duco:
Laborem inanem ipsus capit, et illi molestiam affert.
Tum autem filius tuus introiit videre, ut venit, quid agat.

S. Quid ais! an venit Pamphilus? PAR. Venit. S. Dis gratiam habeo. 11

Hem, istoc verbo animus mihi redüit, et cura ex corde excessit.

PAR. Jam ea de causa maxume nunc huc introire nolo:
Nam si remittent quippiam Philumenæ dolores,

6 *Non visam uxorem Pamphili?*] Ut dixit supra, *servum Sostratæ*, non Parmenonem: sic hic, *uxorem Pamphili* dixit magis, quam Philumenam: ut animum et officium ejusdem socrus, et matris breviter demonstraret. D.

In proximo] I. e. in vicinia. Plautus in Cistell. I. 1. 102. *habitat in proximo.* R. D.

7 *Non visas, &c.*] Unam rem Sostrata consuluit, hic de duabus respondet: namque et illam non vult ingredi, et cavet ne ipse mittatur. et bene, *quemquam*: ne aperte pro se loqui videatur. D.

Lege *non visas?* interrogative. Deinde pro *nec* repone *ne*, ob codices omnes meos et Faerni. B.

8 *Nam qui amat, cui odio ipsus est*] Aliam causam subjunxit: quia durum fuerat ipsi Sostratæ dici, quod supra dictum est. *Nam qui amat*] Una causa a sententia morali. *Cui odio ipsus est*] Deest *eum*, vel *eum*. D.

9 *Laborem inanem ipsus capit, et illi molestiam affert*] Hoc validissimum ad dissuadendum fuit. *Et illi molestiam affert*] Bene hoc adjecit: ne qui amat, hoc dicat, laborem, dum promereor, quem amo *(laborem non perdo, dum promereor de eo, quem amo.* Z.) D.

10 *Tum autem filius*] Alia causa ab eventu. *Videre, ut venit, quid agat*] Quod supra, *visere*. An *visere*, officii est apud aegros: *videre*, cognitionis? et ideo additum, *quid agat*. D.

Ob consensum Faerni nostrorumque librorum lege *tum filius tuus int.* B.

11 *An venit Pamphilus?*] Bene imitatur affectum. D.

Pro *gratias*, quod est in libris quibusdam, amplectere lectionem codd. multorum *gratiam*. B.

12 *Hem!*] Interjectio feminina ac matronalis. *Ex corde excessit*] Geminavit præpositionem. D.

13 *Hac nunc introire nolo*] Cur, si venit Pamphilus, non sit introeundum, causa narratur. D.

14 *Nam si remittent quippiam*] Verbum activum quasi neutrum posuit. *Philumenæ dolores*] Ἀφυματικῶς errat. non enim vere dolor morbi est, cum sit partus. D.

Philumenæ dolores] V. C. *Philumenam*. L.

Etsi *Philumenæ* apud Rufinum quoque in de metris comicis laudatur, ab usu loquendi non abhorret, et quorundam codd. auctoritate comprobatur: tamen ob sequentia *sola soli* lectionem *Philumenam* præfero. Si enim *Philume-*

Digitized by Google

Omnem rem narrabit, scio, continuo sola soli: 15
Quæ inter vos intervenerit, unde ortum est initium iræ.
Atque eccum video ipsum egredi. quam tristis est! S.
O mi gnate!
PAR. Mea mater, salve. S. Gaudeo venisse salvom.
salvan'
Philumena est? PAM. Meliuscula est. S. Utinam istuc
ita di faxint.
Quid tu igitur lacrumas? aut quid es tam tristis? PAM.
Recte, mater. 20
S. Quid fuit tumulti? dic mihi: an dolor repente invasit?

nam scribis, ea est ista *sola*; sin *Philumenæ*, quæ ista *sola* sit, nescias. B.

Si remittent, &c.] Duplex hujus loci lectio est. *Si remittent quippiam Philumenæ dolores* et *si remittent quippiam Philumenam dolores*. Si priorem lectionem sequamur, *dolores remittent* significat leniores fieri, sedabuntur, pronomine *se* subintellecto, quod sæpe additur. Cic. in Orat. c. 34. Sin posteriorem lectionem, quæ pluribus auctoritatibus nititur, præferamus, *dolores remittent Philumenam* significat dolores relinquent Philumenam. R. D.

15 *Scio, continuo sola soli*] Ut, Æn. I. 391. *haud, credo, invisus cœlestibus, auras Vitales carpis.* Et sic, *sola soli* dicitur, quomodo *præsens præsenti*. Sic Virg. Æn. IV. 83. *illum absens absentem auditque videtque.* D.

16 *Quæ inter vos intervenit*] Melius sic, quam si diceret. *Quæ illi feceris. Unde ortum est*] Pro *sit*, ἀναπόλουθον tertium. D.

Vulgo *intervenit*; Bemb. *intervenerit*. At leg. *intervenerint*; quod et versus probat, et Donati auctoritas, qui ita legisse videtur. B.

17 *Quam tristis est!*] Χαρακτηρισμὸς (Προσωποποιία. Pet. Victor. V. L. XXXIII. 24.) locuturi Pamphili. *O mi gnate*] Ordo est, O mi gnate, gaudeo te salvum venisse; sed intercedit Pamphilus tristis. D.

Illud *est* versum cum onerat, dele: aut lege *quam tristis't*; vel *tristis est! mi gnate*, sine *o*, B.

18 *Salvan Philumena est?*] Cito probat Pamphilo se amare uxorem, cum post salutationem nihil prius, quam de salute uxoris ejus inquirat. *Salvan Philumena est?*] Mire obviam sibi exeuntem filium nihil aliud, nisi de Philumena interrogavit: ut ostenderet ejus morbum curæ sibi esse. D.

19 *Meliuscula est*] Verum est, quantum ad morbum pertinet. *Meliuscula est*] Hoc et ad morbum, ed ad eventum partitudinis verum est, ita nos mentitur Pamphilus matri. *Utinam istuc ita di faxint*] Diligentiore officio loquitur, ut rea filium socrus. D.

Meliuscula est] I. e. paulo melius habet. Cic. ad Div. XVI. 5. *tum meliuscula tibi esset.* R. D.

20 *Quid tu igitur lacrumas?*] Locus ab eo quod agitur: quo significat, si ita est, quare ergo tu tristis es? *Recte, mater*] Sic dicimus, cum sine injuria interrogantis aliquid reticemus. Et bene additum *mater*; ut duritia reticentiæ blando nomine molliretur. Alii *recte* sic accipiunt, ut intelligant, *nihil est mali.* D.

21 *Quid fuit tumulti?*] Antiqui sic declinaverunt, *tumulti, senati.* ut Sallustius Catil. 53, *decretum senati fit. Dic mi-*

Digitized by Google

PAM. Ita factum'st. S. Quid morbi est? PAM. Febris. S. Cotidiana? PAM. Ita aiunt.
I sodes intro, consequar jam te, mea mater. S. Fiat.
PAM. Tu pueris curre, Parmeno, obviam, atque eis onera adjuta.
PAR. Quid? non sciunt ipsi viam, domum qua redeant? PAM. Cessas?

ACT. III. SCENA III.

PAMPHILUS.

NEQUEO mearum rerum initium ullum invenire idoneum,

hi] *Dic*, verbum est instantis audire, et curiosius interrogantis. Virgilius Ecl. III. 1. *dic mihi, Damœta, cujum pecus? Dolor repente invasit?*] Proprie *invasit*, quia repente. D.

22 *Ita factum est*] Moris est assentiri ad dicta interrogantium, qui quæ vera sunt celant. *Ita aiunt*] Bene aliis adscripsit: si falsum sit, ut ipsis adscribatur mendacium. *Ita aiunt*] In hac tota interrogatione et responsione colorem induxit secretum, ægre objurgantis. Ita *aiunt*] Religiose mendacium ad rumorem retulit. *Aiunt*, inquit, ne ipse falsum dicere videretur. D.

23 *I sodes intro*] Metuit, ne ingrediatur mater ad soceros: et ideo dicit, *I sodes intro*. Et apparet *intro* dicentem, manu annuere, ut domum redeat: et simul, quo magis faciat, addit causam: *Consequar jam te, mea mater*] Adjecit et tempus *jam*. *mea* necessario additum: *mea mater*: et *sodes*, quia *I intro* durum est. *Fiat*] Abiens dixit hoc mater, *fiat*: ne omnino jussis alienis parere videatur. quasi imperemus et nos, quæ nos ipsi facturi sumus. D.

24 *Tu pueris curre, Parmeno, obviam*] Probabilis causa, qua ablegat etiam Parmenonem, dum jubet eum pueris occurrere. Et simul notandum, quod in hac fabula ridicule vexatur usque ad ultimum servus et ablegatur, cum sit et piger et curiosus. *Atque eis onera adjuta*] Locutio antiqua figurata. Et est μεταφορικὴ (alii, ἐναλλαγή,) pro ipsos onera portantes, eis onera adjuta. D.

Iis onera adjuta] I. e. iis adjuta onoribus ferendis. Notandus est dativus personæ, iis qui per archaismum verbo *adjutare* jungitur. Vide interpretes ad Petron. c. 62. edit. Burmann. p. 412. *Adjutare* cum accusativo rei est in Phorm. I. 2. 49. R. D.

25 *Quid? non sciunt ipsi viam, domum qua redeant*] Jam vide quemadmodum servetur Parmenoni persona loquacis, curiosi, pigri. *Domum*, adverbiale est. *Domum qua redeant*] *Qua* si locum significet, videbitur reliquum præceptum servus non audivisse. Sin audivit, *qua*, quomodo intelligemus, id est, quemadmodum onus portent de navi. ut, *quid fieret, et qua fieret. Cessas*] De industria omnes ablegavit suos, ut non audirent quæ intus post scenam sunt acta: quæ tamen populo est narraturus. D.

Pro *redeant* Bemb. habet *veniant*. R.

1 *Nequeo mearum rerum initium ul-*

Digitized by Google

Unde exordiar narrare, quae nec opinanti accidunt;
Partim quæ perspexi his oculis, partim quæ accepi auribus:
Qua me propter exanimatum citius eduxi foras.
Nam modo me intro ut corripui timidus, alio suspicans
Morbo me visurum affectam, ac sensi esse, uxorem: hei mihi!
Postquam me aspexere ancillæ advenisse, ilico omnes simul

lum invenire idoneum] In hac scena conquestio est ad deliberationem descendens, an habeat Pamphilus, an excludat uxorem: in qua tota oratio Pamphili ad argumentum spectans, amatoria magis, quam maritalis est. Nam aliter non perveniretur ad ultimam cognitionem omnium rerum, nisi adolescens furtivum conceptum uxoris, et patrum, aliquanto lenius, quam conjugalis dolor expetit, toleravisset. *Nequeo mearum*] Haec est Homerica illa διαπρησις, Od. IX. 14. τί πρῶτον, τί δ' ὔστατα, τί δ' ἰσοφάριον καταλέξω; *Nequeo mearum rerum initium*] Hoc principium magna διαπρήσεως oneratur: ut ostendantur aerumnae et multae et graves, *Idoneum*] Aptum, conveniens. D.

Nequeo mearum rerum initium ullum invenire idoneum] Conquestio est, quod de amore multa sit passus, quod multa viderit, multa audierit. Cum dixit: *partim, quae perspexi his oculis, partim quae accepi auribus.* Hoc totum in principio est. Subjungitur narratio: *nam modo me intro ut corripui.* Quod accepit auribus, illud est, quod ubi eum ante perspexerint ancillae, omnes simul exclamavere, *venit!* Quod perspexit, illud est, quod *vultum earum continuo immutari* videt. Haec enim argumenta proficiunt ad id, quod partus celabatur; quod intro veniens parturientem videt; deinde quod vox parturientis prodit vitium, cum dixit: *neque voce alia, ac res monebat, ipsa poterat conqueri,* E.

2 *Unde*] A quo. D.

3 *Partim quae perspexi his oculis*] *His,* quasi miseris, vult intelligi, quibus perspexi, vel audivi mala. An sic dictum est, ut apud Virg. Æn. IV. 359. *vocemque his auribus hausi?* D.

4 *Qua me propter exanimatum*] Inter *exanimatum* et *exanimum* hoc interest: *exanimatus,* est conterritus, conturbatus. Ut, *sed quidnam Pamphilum exanimatum video?* Et Virg. Æn. V. 395. *exanimata sequens impingeret agmina muris. Exanimus* vero, est occisus. Virg. Æn. XI. 30. *corpus ubi exanimi positum Pallantis Acestes Servabat senior.* D.

Me eduxi foras] I. e. foras prodii. Plaut. in Bacchide IV. 2. 11. *ducte ab aedibus.* Cic. ad Div. X. 32. *Balbus— duxit se a Gadibus* ubi v. Manut. et Bentlei. ad IV. 1. 7. R. D.

5 *Me intro ut corripui*] Raptim ingressus sum. *Timidus*] Pro timens, nomen loco participii. D.

Lege ex nostris omnibus, *nam modo intro ut me corripui.* B.

Me intro corripui] I. e. raptim introii. Mox. v. 16. *corripui illico me inde lacrumans.* infra IV. 1. 3. *corripuit derepente tacitus sese.* v. Heins. ad Virgil. Æn. VI. 472. *corripuit sese.* R. D.

6 *Morbo me visurum affectam*] Quia et hic morbus est (hoc scholion haud dubie pertinet ad vers. 18. ad vocem *alio.*) *Hei mihi!*] Interjectio dolentis est. Virg. Æn. III. 32. *Eloquar, an sileam?* Et dicitur haec figura ἀπιστία. *Hei mihi!*] Mire interposuit σχετλιασμόν. D.

Praeter unum omnes nostri habent, *ac sensi uxorem esse.* B.

Digitized by Google

Lætæ exclamant, *venit*: id quod me repente aspexerant.
Sed continuo voltum earum sensi immutari omnium,
Quia tam incommode illis fors obtulerat adventum meum.
Una illarum interea propere præcucurrit, nuncians
Me venisse: ego ejus videndi cupidus, recta consequor.
Postquam introii, extemplo ejus morbum cognovi miser.
Nam neque, ut celari posset, tempus spatium ullum dabat:
Neque voce alia, ac res monebat, ipsa poterat conqueri.
Postquam aspexi, O facinus indignum! inquam: et corripui ilico
Me inde lacrumans, incredibili re atque atroci percitus:

8 *Id quod me repente*] Deest *propter*. ut sit, propter id: ac per hoc, ideo. *Id quod me repente aspexerant*] Causa cur lætæ exclamaverint. *Id* ergo, *ob id*. D.

Nostri, *me derepente*. Sed melius est me ejicere cum egregio Fabricii codice. B.

9 *Sed continuo voltum earum sensi immutari omnium*] Mire Pamphilus etiam ancillarum metu impellitur, ut alienum nasci puerum suspicetur: nec ullo modo in memoriam redeat, hanc se puellam, vel hujusmodi (forte, *quæ nunc esset uxor*. Z.) vitiasse. *Voltum earum*] Quæ viderint. D.

10 *Fors obtulerat*] *Offerri* dicuntur tam bona quam mala, si insperata objiciantur aspectibus. *Obtulerat*] *Oblatum* dicitur in utramque partem, quicquid exspectationem prævenit. D.

Pro *illis* duo nostri veterrimi *illuc*. B.

Obtulerat] Offerri dicuntur, quæcunque præter exspectationem objiciuntur, sive bona, sive mala. v. Donat. ad h. l. R. D.

11 *Præcucurrit nuncians*] Priscian. libr. X. L.

12 *Ego ejus videndi cupidus*] Non erit plena vis repentini doloris, si aliquid præsentiens suspicatur; et ideo addidit, *ego ejus videndæ cupidus*. *Recta consequor*] Absolute, et sine adjectione: non enim addidit *via*. D.

Ejus videndi] Non opus est legere *videndæ*. Rationem constructionis explicant. Sanctius in Minerva III. 8. p. 458. et ibi Perizon. R. D.

13 *Extemplo ejus morbum*] *Morbum* mitiore animo, quam *vitium* dixit, aut *probrum*. Et recte: quia dixit, *alio me suspicans morbo visurum affectum, ac sensi esse, uxorem*. D.

Faernus, ut trochaicus staret, ex Bemb. et Victor. edidit *póstquam intro ádveni, éxtemplo*. Forte leg. *introivi extempulo*. B.

14 *Spatium*] Moram. D.

Pro *celari* lege *celare*; uxor scilicet, quam statim adiit osculaturus. Deinde in seq. versu illud *ipsa* refer ad *res*. B.

15 *Ac res monebat*] Partus. D.

16 *O facinus indignum!*] *Facinus indignum*, non ad illam, hoc est, Philumenam, sed ad auctorem vitii refertur. *Et corripui ilico*] Ardens scilicet dolore. Et est causa cur cito exierit. D.

Digitized by Google

Mater consequitur: jam ut limen exirem, ad genua accidit,
Lacrumans misera: miseritum est. profecto hoc sic est, ut puto:
Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus.
Hanc habere orationem mecum principio institit:

17 *Lacrumans*] Non furens, sed *lacrumans*: non iratus, sed *misertus* (*percitus.*) *Atque atroci*] Id est, vehementi. D.

Percitus] I. e. vehementer commotus. Lucret. V. 400. *ira tum percitus acri*. Cic. pro Milone c. 23. *animus iratus et percitus*. Liv. VI. 38. *tum percitus ira Camillus* ubi v. Drakenb. R. D.

18 *Mater consequitur: jam ut limen exirem*] Ostendit affectum misericordiæ suæ, *matrem* potius dicendo, quam *Myrrhinam*, et addendo *miseram*. *Ad genua accidit*] *Accidere*, est gestu corporis ostendere humilitatem cadentis: propter (*compositum ex*) *ad*, quod est juxta, et *cadere*. Sallustius autem sine præpositione dixit, *qua accidam, aut quo?* D.

Ad genua accidit lacrumans] Diodor. Sicul. Eclog. 34. τοῖς μὲν πρὸς τὰ γόνατα πίπτων, ταῖς δὲ ταῖς χερσὶν ἐμφυόμενος ἐδεῖτο, καὶ μετὰ δακρύων καθικέτευε, βοηθῆσαι τοῖς ἀκληρήμασι. L.

Limen exirem] Notandum est *exire limen* pro exire limine vel de limine. Eodem modo dicitur *egredi portam, urbem*. R. D.

Ad genua accidit] *Ad genua accidere* vel *genibus accidere* est in genua procumbere, supplicandi causa. Senec. Troad. v. 690. *ad genua accido supplex*. Sueton. in Cæs. c. 20. *ut ad genua ultro sibi accideret*. v. quæ notavimus ad Rutil. Lup. II. 96. R. D.

19 *Lacrumans misera*] Miserabiliter se habens. *Miseritum est*] Ut recte supra dictum sit de illo, *pium et pudicum ingenium narras Pamphili*. *Miseritum est*] Hoc ipse sibi. D.

Profecto hoc sic est, ut puto] Omnem narrationem calamitatum suarum sententia conclusit, *uti res sic semper sit, ut, quemadmodum fortuna tradiderit*, inquit, *nos aut magni, aut humiles sumus.* (*simus.* Z.) B.

Ut puto] Fere idem est quod *ni fallor*. Catull. carm. 35. *hoc unum excipio ut puto prudenter*. v. Duker. ad Sueton. Vespasian. c. 23. R. D.

20 *Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus*] Mire dixit, *dant sese*. Homerus, Od. Σ. 136. τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων, οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃσι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. Sed hic sese illo et validius dixit, et est hæc καθολικὴ sententia. Apollodorus: οὕτως ἕκαστος διὰ τὰ πράγματα σεμνὸς ἦν καὶ ταπεινός. D.

Omnibus nobis] Liban. Soph. Declam. XVI. pag. 456. ὁποῖα γὰρ ἦν τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα, τοιοῦτον ἀνάγκη καὶ τὸ φρόνημα ἔχειν. L.

Ut res dant sese] I. e. ut res eveniunt vel succedunt v. notat. ad Heaut. V. I. 43. R. D.

Magni sumus] I. e. superbi, elati. Plaut. in Mil. IV. 2. 52. *magnum me faciam nunc quoniam illæc me collaudat*. Hinc *magnum dicere* apud Virgil. Æn. X. 547. significat arrogantibus verbis uti. v. Cl. Koenium in præfat. ad Gregor. de dialectis p. 10. Contrarium est *minoribus verbis uti* apud Ovid. Metam. VI. 151. R. D.

Humiles] I. e. animis submissis, abjectis. Cic. ad Attic. II. 21. *ut ille tum humilis tum demissus erat*. v. Burmann. ad Lucan. VII. 157. R. D.

21 Recte Bemb. *principio*, pro vulgari *a principio*. B.

Institit] Quidam Mss. habent *instituit* ut aliis locis centum variatur. Burmann.

Digitized by Google

O mi Pamphile, abs te quamobrem hæc abierit, causam vides:
Nam vitium est oblatum virgini olim ab nescio quo improbo.
Nunc huc confugit, te atque alios partum ut celaret suum.

et Oudendörp. ad Sueton. Vitell. c. 2. *institit* de eo rectum putant, qui quid pergit facere, *instituit* de eo, qui quid incipit facere. Sed promiscuus horum verborum usus videtur; certe, apud Cicer. ad Div. X. 16. *flagitare senatus institit*, hoc verbum non *perrexit*, sed *cœpit* significat. v. interpret. ad Liv. XXVII. 46. R. D.

22 *O mi Pamphile! abs te quamobrem hæc abierit*] A nomine et blandimento, mite: quia secreta confitetur. ut Virg. Æn. IV. 20. *Anna, fatebor enim, miseri post fata Sichæi.* A principio idem elaboravit, ut adversus pudorem conscientia et voce et confessione duraret. *O mi Pamphile! abs te quamobrem hæc abierit*] Venialis status, in quo confessio est et precatio. *Abs te quamobrem*] Morale blandimentum ante confessionem. D.

O mi Pamphile! abs te quamobrem hæc abierit, causam vides] Persuasio est. Unde illa deliberat, Pamphilus an (ut Z.) taceat tantum et celet partum, aut, si voluerit, ut eam uxorem ducat, donata injuria. Confessio ipsa criminis veniali statu constat, cum dixit: *vitium est oblatum virgini olim, abs nescio quo improbo.* Deinde preces omnes adhibentur. Illa duo, quæ supra posui, conficienda (*conficit ita* Z.) *quæque fors fortuna est*, inquit, *nobis quæ te hodie obtulit, per eam te obsecramus ambæ, si jus, si fas est, uti adversa ejus per te tecta, tacitaque apud omnes sient.* Ut, si velit, reducat, sic petitur; *cæterum de reducenda id facias, quod in rem sit tuam.* Hoc voluptati dimittitur (forte, *voluntati remittitur* Z.) Illud orasus (*illud, quod oratus est* Z.) an fieri possit, sic docetur: *parturire eam, neque gravidem esse ex se, solus conscius.* Sed an pater ignorare possit, sic adjungitur: *nunc si potis est, Pamphile, maxime volo, doque operam, uti clam eveniat partus patrem: atque adeo omnes. sed si hoc fieri non potest, quin sentiant, dicam abortum esse.* Neque hoc suspectum esse alicui poterit, cum septimo mense abortum provenire. Sed ne natum puero inhonestum fuit (*ne natus puer inhonestus esset* Z.) quod Pamphili filius diceretur, adjecit ab utili, et ab honesto: *continuo exponetur. hic tibi nihil erit quicquam incommodi.* Deinde conclusum est ad misericordiam captandam, *et illi miseræ.* Quod concesserit scilicet (*quod concessisse se dicit* Z.), ut taceat tantum, *nam de reducenda, id vero neutiquam honestum esse arbitror.* Verum amore multum æstuans ingemiscit, quod necessitate separetur; quamquam dat sibi consolationem, non didicit ab amata discedere, ut ante exclusam meretricem discessit (*consolationem, quod non nunc discat ab amata discedere, quum ante exclusus a meretrice discesserit.* Z.) E.

23 *Nam vitium*] Est confessio. *Nam vitium est oblatum*] Cœpit a causa. *Oblatum*] Ad repentina pertinere superius annotavimus. Et *oblatum*, quasi non exspectanti et nolenti. *Virgini*] Quasi quæ falli posset. *Olim*] Recte *olim*: quia facilis venia circa vetera jam delicta. unde tentat temporis longinquitate extenuare peccatum. *Olim* ergo, ante menses novem. *Ab nescio quo improbo*] Mire contemsit personam, dicendo *nescio quo?* id est, nescio quem dixit: ut ostendat ignobilem, ita (*et*) abjectum. Nam si nomen illi est, habet et dignitatem: ut, Æn. II. 89. *et nos aliquod nomenque decusque Gessimus.* Et ne placere videatur is qui fecit, *improbum* dixit. D.

Nam vitium] Servius Æn. XI. 687. L.

Digitized by Google

Sed cum orata ejus reminiscor, nequeo quin lacrumem miser.
Quæque fors fortuna est, inquit, nobis quæ te hodie obtulit,
Per eam te obtestamur ambæ, si jus, si fas est, uti
Advorsa ejus per te tecta, tacitaque apud omnes sient.
Si unquam erga te animo esse amico sensisti eam, mi Pamphile,
Sine labore hanc gratiam te, uti sibi des pro illa, nunc rogat.
Cæterum de reducenda id facias, quod in rem sit tuam.
Parturire eam, neque gravidam esse ex te, solus conscius.
Nam aiunt tecum post duobus concubuisse mensibus:

25 *Sed quum orata ejus*] Bona παράθεσις. *Nequeo quin lacrumem miser*] Videtur quasi distillantes fletus detergere. *Nequeo*] Deest *continere*. D.

26 *Quæque fors fortuna.*] Precatio. *Fors fortuna*] Τύφη. id est, subita fortuna. Et *fortuna*, in incerto: *fors fortuna*, in bono ponitur. Virg. Æn. IX. 41. *si qua in te fortuna fuisset*. Et ipse, *O fors fortuna!* D.

27 *Per eam te obtestamur*] Oratorie inducuntur et pro tacentibus (*absentibus*) preces. *Per eam te obtestamur ambæ*] *Obtestatio* est precatio cum mentione earum rerum, per quas petimus: ut, Æn. X. 45. *per eversæ, genitor, fuentia Troiæ excidia obtestor. Si fas, si jus est*] Utrum hoc invidiose: an quasi femina, quæ leges nesciat? D.

Obtestamur ambæ] Al. *obsecramus*. L.

Pro *obtestamur*, quæ est lectio Donati et aliorum codd. Bentleius, duce Faerno et auctoritate codd. *obsecramus*. Z.

Si jus ei fas est] Jus est jus humanum, fas est jus divinum. Virgil. Georg. I. 269. *festis quædam exercere diebus fas et jura sinunt* ubi v. Servium. Plura de hoc discrimine Duker. ad Flor. II. 20. p. 475. R. D.

28 *Uti adversa ejus*] Mire non crimen: sed *adversa*. *Per te tecta, tacitaque*] *Tecta*, si reducis: *tacita*, si repudias sub alia excusatione. An idem significant? an potius, neque verbo indices? An *tecta*, ne videantur: *tacita*, ne dicantur? *Tecta, tacitaque*] *Tecta* sint, ne hæc alii sciant: *tacita*, ne ipse indicet. D.

29 *Si unquam erga te*] Virg. Æn. V. 798. *si concessa peto, si dant ea mœnia Parcæ*. Terentius in Andr. *si te in germani fratris dilexi loco, sive hæc te solum semper fecit maximi. Si unquam erga te*] Ab anteacta vita. D.

Lege *si unquam te erga a. e. a. sensi*, &c. B.

30 *Uti sibi des pro illa*] Subaudītur, *gratia*. D.

Recte Faernus ob versum et Donatum pro *uti* legit *ut*. B.

Gratiam des] I. e. beneficium. Plaut. in Captiv. III. 5. 63. *ab eo petito gratiam istam*, Sallust. in Jug. c. 110. *ut rex privato homini gratiam deberem*. R. D.

31 *Cæterum de reducenda*] Tentat etiam hoc persuadere, sed oratorie et verecunde. Et mire, *de reducenda* dixit, non *de respuenda*. *Quod in rem sit tuam*] Nam nisi reducatur, reddenda dos erit. D.

Cum iambum trochaicus non admittat, Faernus edidit *reducenda*. B.

32 *Solus conscius*] A possibili. Nam hoc nomine ostendit tacere eum posse, quod conscius sit ipse solus. D.

33 *Nam aiunt*] Honestius *aiunt*, pro

Digitized by Google

Tum, postquam ad te venit, mensis agitur hic jam septimus:
Quod te scire, ipsa indicat res. Nunc si potis est, Pamphile,
Maxume volo, deque operam, ut clam eveniat partus patrem,
Atque adeo omnis. sed si fieri id non potest, quin sentiant,
Dicam abortum esse: scio nemini aliter suspectum fore,
Quin, quod verisimile est, ex te recte eum natum putent.
Continuo exponetur. hic tibi nihil est quicquam incommodi:
Et illi miseræ indigne factam injuriam contexeris.

ait, dixit. Nam quis aut scire, aut dicere potuit, nisi Philumena? ergo recte. *Aiunt* enim potius honestum est, quam *ait*. *Post duobus concubuisse eam mensibus*] *Post duobus*, simpliciter accipiendum, non post duos. est enim ὑστεροπρότερα, pro *duobus post*; id est, non statim ut nupta sit, sed, postquam nupta est, post duos menses nuptiarum: ut sint reliqui quinque menses. Et hinc apparet, ante duos menses, priusquam cum Pamphilo concumberet, vitiatam, quatuor (Westerhovius vult legi *quinque*. Sed satis inepte. Omnia enim sana sunt Z.) mensibus cum Pamphile fuisse: ex quibus, duobus posterioribus amatam esse, reliquis tribus peregrinatum fuisse Pamphilum. An *post duobus*, pro post duos? ut Plautus, Pers. IV. 1. 4. *post principio denique*. Et, *post paulo*. D.

Vocem *eam* post *concubuisse*, quam Faernus ob Bemb. sustulit, nos ob codices et versum, qui in hac sede non amat trochæum, restituendum putamus. B.

35 *Quod te scire, ipsa indicat res*] Quia contristatus corripuisti te foras. D.

36 *Partus eveniat*] Philumenæ scilicet. D.

37 *Fieri id non*] Ms. R. *id* deest. L. Nostri vel non habent *id*, vel collocant ante *fieri*. B.

38 *Abortum esse*] Non est Latinum *aborsa est*: sed, *abortum fecit*. *Abortum esse*] Deest *natum*, vel *factum*, vel absolute. quomodo dicimus, *e re nata*: vel quemadmodum dicimus, *ex te mihi orta est injuria*. *Dicam abortum esse*] Rationabiliter dixit. fit enim abortus mense septimo sine pernicie feminæ. *Suspectum fore*] Suspicabilem, suspiciosum. D.

39 *Ex te recte eum natum putent*] Nove dixit *natum abortum*: quasi abortus nascatur. *Natum* ergo pro facto, conceptoque dixit. D.

Recte natus] *Recte natus* dicitur, qui ex legitimo matrimonio natus est. R. D.

40 *Exponetur*] Ad mortem scilicet. *Hic tibi nihil est quicquam incommodi*] Quum alienus exponitur, et non tollitur pro tuo. Et mire necandi pueri non fit mentio; quia Pamphili filius invenietur, quum ei etiam per patrem puellæ poeta succurrit. *Hic tibi nihil est quicquam incommodi*] Ab utili. et est παρέλκον quartum: ut, *nihil vidi quicquam lætius*. D.

41 *Et illi miseræ indigne*] Ut non sit ἀνακόλουθον, superiori versui τὸ *et*

Digitized by Google

Pollicitus sum; et servare in eo certum'st, quod dixi, fidem.
Nam de reducenda, id vero neutiquam honestum esse arbitror:
Nec faciam; etsi me amor graviter, consuetudoque ejus tenet.
Lacrumo, quæ posthac futura'st vita, cum in mentem venit,
Solitudoque. O fortuna, ut nunquam perpetuo es bona!
Sed jam prior amor me ad hanc rem exercitatum reddidit;
Quem ego tum consilio missum feci, idem nunc huic operam dabo.

addendum est: ut sit, *et tibi nihil est quicquam incommodi. Et illi miseræ*] Conclusio per enumerationem (forte, *commiserationem* Z.): et non lederis, inquit, et proderis miseræ. *Factum injuriam*] Mire *injuriam* dixit: ut non contemnenda sit, sed tollenda (*ut non condemnanda sit, sed delenda.* Ms. H.) D.

42 *Pollicitus sum*] Plus quam promisi. *Quod dixi*] Quod promisi. D.

43 *Id vero neutiquam honestum esse arbitror*] *Neutiquam*, non est omnino negativum, sed aliquid assensionis habet. Est enim *neutiquam*, non nimis, non valde. D.

Bentl. edidit *reducenda*; et *ne utiquam* pro *neutiquam*. Z.

44 *Nec faciam*] Bene addidit, *nec faciam*: multa enim etiam inhonesta amore suscipimus. *Etsi amor me graviter consuetudoque tenet*] Hoc cum gemitu. *Etsi* non est complexivum, neque propositivum, sed subjunctivum, id (dele *id*) est, pro tametsi. *Amor me graviter consuetudoque*] Quæ duæ res contra honestum et utile validissimæ. Et bene *tenet*, non tenuit. D.

Illud *me* ex codd. nostris colloco post *amor*. B.

45 *Lacrumo, quæ posthac futura est vita*] Bene propensior in affectum est, ut verisimile fiat potuisse retineri. Et *lacrumo* non pendet a superiori: sed interpositis diu fletibus dixit *lacrumo. Quæ posthac*] *Quæ* modo vim pronominis non tenet, sed querelæ. Et *lacrumo*, sic dixit ut Virg. Æn. IV. 30. *sic affata, sinum lacrumis implevit obortis.* Et est ordo, *lacrumo, cum in mentem venit.* D.

46 *O fortuna!*] Hic *fortunam* pro bona posuit (igitur *bona* in textu non fuit. B.) *Ut nunquam perpetuo es bona!*] Legitur et *data*. Nam et sic pro bona intelligitur necessario. D.

Leg. *ut nunquam perpetua es data*. Nam *data* legit olim Donatus. B.

O fortuna ut nunquam es perpetuo bona] Bentlei. Donato duce sic legit: *O fortuna ut nunquam perpetua es data*. Plaut. in Cistell. I. 3. 46. *ut sunt humana, nihil est perpetuum datum.* Mutarunt lectionem qui non concoquerent *fortunam* absolute pro bona fortuna. Sed sic est in Phorm. V. 6. 44. Terentii loco similis ille Rutil. Lupi II. 75. *O fortuna quam vehementer te rerum varietas oblectat.* R. D.

48 *Idem nunc operam huic dabo*] Si *idem*, ego. si *eidem*, hoc est, amori. *Operam dabo*] Difficultatem rei ostendit, dicendo *operam dabo*. D.

Idem nunc] Ms. R. *item nunc*. L.

Digitized by Google

Adest Parmeno cum pueris: hunc minime'st opus
In hac re adesse: nam olim soli credidi,
Ea me abstinuisse in principio, cum data est:
Vereor, si clamorem ejus hic crebro audiat,
Ne parturire intelligat. aliquo mihi est
Hinc ablegandus, dum parit Philumena.

ACT. III. SCENA IV.

PARMENO. SOSIA. PAMPHILUS.

AIN' TU, tibi hoc incommodum evenisse iter?
S. Non hercle verbis, Parmeno, dici potest
Tantum, quam re ipsa navigare incommodum'st.

Versum Guyetus ut spurium et ineptum damnavit. equidem, ut sententiæ succurratur, sic emendandum censeo, *quó ego eum consilio missum féci, eodem huic operám dabo.* B.

Consilio] I. e. ratione, prudentia. Cic. pro Murena. c. 12. *mulieres omnes propter infirmitatem consilii majores in tutorum potestate esse voluerunt.* Liv. XXIX. 35. *cum omnia ira non consilio gererentur.* v. Gronov. ad. Liv. XLIV. 2. R. D.

Huic] Nempe uxoris amori, ut eum missum faciam. R. D.

49 *Adest Parmeno cum pueris*] Quia idem Parmeno est secretorum conscius, addidit, *cum pueris. Minime est opus*] Id est, omnino non est opus. D.

50 *Olim soli credidi*] V. C. *olim sibi credidi.* L.

52 Nostri omnes recte habent *exaudiat.* B.

53 *Aliquo mihi est hinc ablegandus, dum parit Philumena*] In tota comœdia non cessabit, cum sit piger; nec resciscet aliquid, cum sit curiosus Parmeno. D.

54 *Dum parit Philumena*] *Dum* alias *dummodo*, alias *donec*: nunc, *quamdiu.* D.

Ablegandus] I. e. amandandus. Hoc verbo veteres utuntur de iis quorum præsentia molesta est. Liv. I. 35. *sub tempus pueros venatum ablegavit.* Justin. I. 5. *ut ablegatus in Persas ab avo fuerit* ubi v. Gronov. R. D.

1 *Ain' tu, tibi hoc incommodum evenisse iter?*] Alia ratio est currentis ad argumenta: alia actuum comicorum. Sed perfecti poetæ est ita servire argumento, ut tamen spectator novis delectationibus tenealur. Nam in hac scena, donec perveniat ad Pamphilum Parmeno, hoc σύγημα inducitur, cum hoc ostenditur, quid mali sit navigatio. *Ain' tu?*] Pro *aisne tu?* Et sic jam aliquid dixisse magni in præcedenti oratione ex respondentis sermone demonstratur. *Ain' tu?*] In scena nascitur oratio, aut in scenam defertur. D.

Ain' tu, tibi hoc incommodum evenisse iter?] Hæc scena interrogationem, et expositiones breves continet, quemadmodum navigaverunt. E.

Iter] *Iter* dicitur de navigatione Ovid. Epist. XXI. 78. *et facere ignara puppe videbar Iter.* Sic *ire* pro *navigare.* Virg. Æn. IV. 310. *et mediis properes aquilonibus ire per altum.* R. D.

3 *Tantum, quam re ipsa navigare in-*

Digitized by Google

PAR. Itane est? S. O fortunate, nescis quid mali
Præterieris, qui nunquam es ingressus mare.
Nam alias ut mittam miserias, unam hanc vide:
Dies triginta, aut plus eo, in navi fui,
Cum interea semper mortem exspectabam miser:
Ita usque advorsa tempestate usi sumus.
PAR. Odiosum. S. Haud clam me est: denique hercle aufugerim
Potius, quam redeam, si eo mihi redeundum siet.
PAR. Olim quidem te causæ impellebant leves,

commodum est] Ἀνακόλουθον quartum. non enim intulit *quantum*, ut Virg. Ge. IV. 411. *sed quanto ille magis formas se vertet in omnes: tanto, nate, magis contende tenacia vincla.* D.

Tantum quam] Dicitur pro *tantum quantum* Liv. XXXVII. 51. *non tantum gaudium ab recenti metu adtulerunt quam averterunt famam.* Lucanus IX. 766. *sed qua non ulla cruentæ tantum mortis habet.* v. Gronov. in diatribe Statiana 57. et ad Liv. XXVI. 1. R. D.

4 *O fortunate! nescis quid mali præterieris*] Bene majori affectu dicens, *O fortunate*, quam si responderet. *ita.* D.

Nescis quid mali] Posidippus: Ὁ μὴ πεπλευκὼς οὐδὲν ἑώρακε κακόν. L.

Menander: Πῦρ, καὶ θάλασσα, καὶ γυνὴ, κακὰ τρία. W.

5 *Qui nunquam et ingressus mare*] Proprie dixit *ingressus*. Nam qui jam navigavit, *egressus* dicitur. Sic Virg. Æn. I. 176. *egressi optata potiuntur træs arena.* D.

6 *Nam alias ut mittam miserias*] Παράληψις oratoria. Et *miserias*, navigationes scilicet. D.

7 *Dies triginta*] Accusativus casus plenum numerum et continuationem rei significat. *Dies triginta, aut plus eo, in navi fui*] Hoc exitiosum vel sine periculo videri potest. Sed vide quid addat, *aut plus eo, in navi.* Absolute *eo*, ut alibi, *annos sexaginta natus es, aut plus eo, ut conjicio.* D.

Plus eo, in navi] Priscian. lib. 7. L.

8 *Semper mortem exspectabam miser*] Dura est exspectatio mali. Virg. Æn. VI. 614. *inclusi pœnam exspectant. Semper mortem exspectabam*] Id est, horis omnibus, cum continuatione triginta dierum. D.

Cum interea semper mortem exspectabam miser] Gravior semper poena est exspectare, quam pati. Ut, Æn. VI. 614. *inclusi pœnam exspectant.* E.

9 *Ita usquo*] *Usque*, vel diu, vel valde. D.

10 *Odiosum*] Esse scilicet in mari triginta dies. Et nomen pro adverbio posuit: *odiosum* pro odiose. *Haud clam me est*] Λιτότης: pro ego maxime intelligo, quam odiosum sit. Nam qui jungunt et sic legunt (*qui sejungunt, et sic legunt*, ODIO SUM. Hæc verba videntur ponenda esse statim post *odiose*): errant, et non intelligunt. *Aufugerim*] Conjunctivum modum posuit pro indicativo futuro: vel, ut alii dicunt, promissivo. *Aufugerim*] Sic veteres, quod nos *fugerim.* D.

11 *Si eo mihi redeundum siet*] Pertinet huc Amphidis dictum apud Stobæum, Serm. 250. Ἐν οἷς ἂν ἀτυχήσῃ τὶς ἄνθρωπος τόποις, Ἥκιστα τούτοις πλησιάζειν ἥδεται. Phædrus I. 18. *nemo libenter recolit, qui læsit, locum.* L.

Bentleius pro *siet* cum edd. vett. edidit *sciam*; quod utique elegantiorem efficit sensum. Z.

12 *Olim quidem te causæ impellebant*

Digitized by Google

Quod nunc minitare facere, ut faceres, Sosia.
Sed Pamphilum ipsum video stare ante ostium:
Ite intro: ego hunc adibo, ii quid me velit. 15
Here, etiam tu nunc hic stas? PAM. Et quidem te exspecto. PAR. Quid est?
PAM. In arcem transcurso opus est. PAR. Cui homini? PAM. Tibi.
PAR. In arcem! quid eo? PAM. Callidemidem hospitem
Myconium, qui mecum una advectu'st, conveni. 19
PAR. Perii! vovisse hunc dicam, si salvos domum

leves] Mire in servum fugitivum, qui ob vitium hujusmodi, non ob causam fugiat. Et bene *leves* dixit: hæc enim non est *levis*. D.

13 *Quod nunc minitare facere*] Ut sit ordo, olim quidem te causæ impellebant leves, Sosia, ut faceres quod nunc minitaris facere hac occasione. Artificiose. et in Andria sic ait recusanti perjurium servo Mysis, *nova nunc relligio in te incessit? Facere*] Ut faceres. Comicum est et Terentianum. D.

14 *Sed Pamphilum ipsum video*] *Ipsum* a quo missus sum: vel dominum, ut Græci dicunt *αὐτόν*. D.

15 *Ego hunc adibo*] Vel nova curiositate ait Parmeno. D.

16 *Equidem te exspecto*] Bene excepit (*exspectat* Ms. H.) Pamphilus Parmenonem, ut videatur vera dicturus. *Equidem te exspecto*] Apparet Pamphilum Parmenonis absentiam desiderare: eo quod nunc prior Parmenonem alloquitur. D.

Ne syllaba versui supersit, dele *nunc*, quod in libris incertam habet sedem. Tum corrige vel *equidem*, vel, quod melius, *exspectans*. B.

17 *In arcem transcurso opus est*] Ostendit quam longe sit, cum *in arcem* (forte, *transcurso* Z.) dicat. Et bene *in arcem*, quam Minerva condidit. *In arcem*] Pronuncia, ut ostendat quam longe sit in arcem transcurrere. *Transcurso*] Pro transcurrere. *Cui homini?*] Hæc verba cum sua pronunciatione vim recusationis in se continent. *Cui homini?*] Cum recusatione pronunciandum. et est pigri responsio, laborem ad alium transferentis. D.

In arcem] Nempe Athenarum, ubi hospes ille videtur Minervæ sacra fecisse et vota post navigationem solvisse. R. D.

18 *Callidemidem hospitem*] Priscian. lib. 6. L.

19 *Qui mecum una advectus est*] Apparet eum cum eo aliquid negotii habere, cum dicit, *qui mecum una est advectus*. D.

Lectio Bembini *vectus* pro *advectus* versui convenit. B.

20 *Vovisse hunc dicam, si salvos domum redisset unquam*] Facete dixit. More enim hoc fit eorum, qui, longis itineribus maris periclitati, vovent aliquid, si pervenerint. Et convenit hoc Pamphilo, quem supra male navigasse audierat. D.

Perii! vovisse hunc dicam, si salvos domum redisset unquam, ut me ambulando rumperet] Quæ consuetudo est in mari; nam cum periclitantur, ut plurimum aliquod votum proferunt, si salvi terram viderint. E.

Vovisse hunc dicam] Alludit ad morem veterum, qui mare ingredientes aliquid diis vovebant quod post felicem reditum solverent. v. Donat. ad h. l. R. D.

Digitized by Google

Sed ut olim te ostendisti, eadem esse, nihil cessavisti usque adhuc,
Ut filiam ab eo abduceres; neu, quod ego egissem, esset ratum:
Id nunc res indicium hæc facit, quo pacto factum volueris.
M. Adeon' me esse pervicacem censes, cui mater siem,
Ut eo essem animo, si ex usu esset nostro hoc matrimonium?
P. Tun' prospicere, aut judicare nostram in rem quod sit, potes?
Audisti ex aliquo fortasse, qui vidisse eum diceret
Exeuntem, aut introeuntem ad amicam: quid tum postea?

Quinctil. declam. 16. p. 343. *hominis unus exitus est ut se oderit.* Simile illud in Heaut. V. 4. 20. *totus mihi displiceo.* R. D.

29 *Sed ut olim te ostendisti*] Quum superiora dicta sunt. D.

Ne *eadem*, quod accentu erigi debet, in thesi deprimatur, leg. ex edd. vett. *et uno e nostris, sed, ut olim te ostendisti, nil cessavisti éadem esse usque adhuc.* B.

30 *Ut filiam ab eo abduceres*] Vehementius dixit, quam si diceret, ut filiam ei non redderes. *Ne quod ego egissem, esset ratum*] Quod ab eo abducis, non bona *socrus*: quod filiam, non bona *mater*: quod irrita facis quæ gessi, non bona *uxor* es, inquit. D.

31 *Nunc res indicium facit*] Hoc est, quod celavisti partum. *Id nunc res*] Quasi dixerit, *unde scio. Quo pacto factum volueris*] Non solum quod fecit, sed etiam quod voluit, objicit. *Quo pacto factum volueris*] Deest, *fieri.* D.

32 *Pervicacem*] Per vim agentem, pernicio̅sam me esse censes? *Cui*] Deest *ei*, vel *circa eam. Cui mater siem*] Rursus a verisimili: an mater contra filiam faciat. D.

33 *Si ex usu esset nostro hoc matrimonium?*] Callide mulier ex his quæ dixit senex defensionem arripit. Nam ille sic ait, negabas posse filiam tuam te pati cum eo, qui meretricem amaret, qui pernoctaret foris. *Ex usu nostro*] Modo, utile: si pro nostra esset utilitate. D.

Ne *usu* in thesi occultetur, repone, *si esset nostro ex usu hoc m.* B.

Si ex usu esset nostro] Pro si nobis utile esset. v. Heaut. I. 2. 36. R. D.

34 *Tun prospicere*] A persona. *Aut judicare*] *Prospicere* futura: *judicare* præsentia. D.

35 *Audisti ex aliquo fortasse*] Ἠθικῶς satis, et oratorie. *Aliquo*] Non a certa persona. Bene *aliquo*: ademit indicibus auctoritatem. *Qui vidisse eum diceret*] Non *qui vidisset.* D.

36 *Exeuntem, aut introeuntem*] Sic Cicero, pro Cœl. II. *tibi autem, Balbe, respondebo: primum precario, si licet, si fas est defendi a me eum, qui in hortis fuerit, qui unguenta sumserit, qui Baias viderit.* Non enim dixit, *amplectentem amicam. Aut introeuntem*] Σύλληψις prima (*prima. Ut* Ms. B. et edd. ante Steph.) *In ludum ducere et reducere. Exeuntem aut introeuntem*] Σύλληψις διανοίας et mollis est: quia luditur de sequentibus ad amicam; ἐξουθισμὸς criminis de consuetudine. *Quid tum postea*] Ἰδιωτισμὸς, quo contemnimus crimina leviora. D.

Digitized by Google

Si modeste ac raro hoc fecit? nonne ea dissimulare nos
Magis humanum est, quam dare operam id scire, qui nos oderit?
Nam si is posset ab ea sese derepente avellere,
Quacum tot consuesset annos: non eum hominem ducerem,
Nec virum satis firmum gnatæ. M. Mitte adolescentem obsecro,
Et quæ me peccasse ais: abi, solum solus conveni:

37 *Si modeste*] Adhibito modo: vel certe cum pudore ac modestia, ut celatum voluerit. *Nonne ea dissimulare nos*] Duobus modis feruntur peccata: vel ignoscendo, vel cohibendo. Modo *dissimulare* est ignorantiam fingere. D.

Recte plerique nostri illud *ea* omittunt. Nam præcedit *hoc*, et subsequitur *id*. B.

38 *Magis humanum est*] Bene, quia et illud humanum *dissimulare*. an magis humanum dissimulare: quia et irasci, et arguere humanum est? *Magis humanum*] Nota pro *humanius*, Terentiano more. *Qui nos oderit*] *Qui*, unde vel quamobrem. Et recte. nemo enim, dolens quod non ametur, id facit quo magis odio sit. D.

39 *Nam si is posset ab ea sese derepente avellere*] Oratorie, non contentus defendisse Pamphilum, hoc ipso illum, quo accusatus est, laudat. *Derepente*] Una pars orationis est. D.

40 *Quacum tot consuesset annos*] Laudat ubique eos Terentius, qui consuetudine vincuntur (*molliuntur* edd. vett. *commoventur* W. Malim, *vinciuntur* Z.) ut alibi, *hic parvæ consuetudinis causa, hujus mortem tam fert familiariter*. Et mox, *ut neque me consuetudo, neque amor, neque pudor commoveat, neque commoneat, ut servem fidem?* Ergo ferus, quem longa consuetudo non commovet. *Quicum tot consuesset annos*] Non *quacum*, sed *quicum*: ut *a quibus*, et non *a quis*. Et *consuesset* proprie dicitur in stupro. *Non eum hominem ducerem*] Non solum, inquit, homo non esset, id quod forsitan nihil nostra intererat: sed quod nobis maximum est, vir stabilis filiæ esse non posset. *Non eum hominem ducerem, nec virum satis firmum gnatæ*] Potest et sic intelligi, non eum hominem ducerem, qui consuetudinem longi temporis temere abrumperet. D.

Hominem ducerem] V. C. *dicerem*. L.

41 *Nec virum*] *Vir* modo maritus. *Nec virum satis firmum gnatæ*] Quem res Veneres non moverent. nam *firmum* etiam hoc possumus intelligere, validum in officio coitus. Sic Horat. Serm. II. 3. 216. *fortique marito destinet uxorem*. *Mitte adolescentem, obsecro*] His verbis solemus commentitia argumenta contemnere. ut, *misericordia, animus maternus: sino*. Et alibi, *mitto omnia. Adde istuc, imprudens timuit adolescens: sino. tu servus. Mitte adolescentem*] Etenim ille dixerat, *verum id vitium nunquam decrevi esse ego adolescentiæ. Adeon pervicaci esse animo, ut puerum præoptares perire potius, quam adversus animi tui libidinem esset cum illo nupta?* D.

Satis firmum] I. e. satis constanter. Sic *firmæ nuptiæ*. supra I. 2. 26. Ridicule Donatus *firmum* exponit, quem res Veneres non moveant. R. D.

42 *Et quæ me peccasse ais. abi: solus solum conveni*] Rectæ hæc dicit mulier, utpote memor quod cum Pamphilo sit locuta. Et *solus solum* ideo, quia metuit ne orata sua non servet Pamphilus: et ideo multi sciant. D.

Non belle in duos pedes distribuitur *ais*. Repone, ut sit monosyllabon, *ais*: *abi, cum solum solus conveni*. B.

Digitized by Google

Roga, velitne uxorem, annon. si est, ut dicat velle se,
Redde: sin est autem ut nolit, recte ego consului meæ.
P. Si quidem ille ipse non vult, et tu sensisti esse in eo, Myrrhina,
Peccatum: aderam, cujus consilio ea par fuerat prospici.
Quamobrem incendor ira, esse ausam facere hæc te injussu meo;
Interdico, ne extulisse extra ædis puerum usquam velis.
Sed ego stultior, meis dictis parere hanc qui postulem.
Ibo intro, atque edicam servis, ne quoquam ecferri sinant.
M. Nullam pol credo mulierem me miseriorem vivere:

43 *Roga velitne, an non, uxorem*] Verba, quibus cum Pamphilo loquatur socer: ne si aliter agat, respondeatur a genero (*socer: ut si res negetur, repudium detur genero.* Z.) D.

Versus gratia ex nostris fere omnibus, *roga velitne annon uxorem.* B.

44 *Recte consului meæ*] Illam, inquit, nolle, signum erit me providisse filiæ. D.

In nostris deest *ego*, versu gratulante. B.

45 *Siquidem ille ipse non vult, et tu sensisti*] Animadvertendum, quemadmodum omnia, quibus se defenderit Myrrhina, in malam partem accipit Phidippus: et hinc magis accusat, unde illa se purgat. D.

Lege *sensti* ob versum. B.

46 *Cujus consilio ea par fuerat prospici*] Non dixit, cujus consilio repudium daretur Pamphilo, ita ad bonum omnia exitum spectant. D.

Versus gratia cum nostris codd. repone, *cujus consilio fuerat ea par prospici.* B.

47 *Esse ausam facere hæc te injussu meo*] Abducere filiam, celare partum, exponere puerum. D.

Lectio omnium codd. qui *te* ponunt ante *esse*, probanda est, sed deleto τῷ *esse.* B.

48 *Interdico*] Inter *edico* et *interdico* hoc interest: *edicimus*, quod jubemus fieri: *interdicimus*, quod vetamus fieri. *Edicimus* etiam uni generi hominum: *interdicimus*, diversis. Itaque *prætoris edicta* et *interdicta* dicuntur. *Interdico*, separatim dicendum legendumque: quia *interdico ne velis*, non est integrum. *Interdico, ne extulisse extra ædes*] Id agitur, ne sub incerto interciplatur (*ne sine hoc interdicto interficiatur*) puer: et tragœdia fiat ex comœdia. D.

Ne extulisse velis] H. e. ne efferas. Veteris elegantiæ est hæc periphrasis cum verbo *velle.* Lucret. II. 640. *ut armis ac virtute velint patriam defendere terram* i. e. ut defendant. Ovid. Metam. II. 745. *tu tantum fida sorori esse velis.* v. Gudium aliosque interpretes ad Phædr. I. 2. 96. R. D.

49 *Meis dictis parere hanc qui postulem*] Demonstrative et accusatorie dixit *hanc*, quasi tam contumacem. *Hanc qui postulem*] Quid est *hanc*, utrum mulierem? an uxorem? an contumacem fœminam? D.

50 *Ibo intro*] Sibi ipse hoc dicit τῷ ἀφηγουμ. *Edicam servis, ne quoquam ecferri sinant*] Et hoc recte poeta: quia ita opus est, ne compleat Myrrhina, quod promisit de exponendo puero. Aft enim, *dein continuo exponetur.* D.

Digitized by Google

Nam ut hic laturus hoc sit, si ipsam rem, ut siet, resciverit,
Non ædepol clam me est; quum hoc, quod leviu'st, tam animo iracundo tulit.
Nec, qua sententia ejus possit mutari, scio.
Hoc mihi unum ex plurimis miseriis relliquum fuerat malum,
Si puerum ut tollam cogit; cujus nos qui sit nescimus pater.
Nam quum compressa est gnata, forma in tenebris nosci non quita est:
Neque detractum ei est quicquam, qui post possit noscier, qui siet.
Ipse eripuit vi, in digito quem habuit, virgini abiens anulum.

52 *Nam ut hic laturus hoc sit*] Sic ostenditur causa, cur perpetuo celandum sit seni vitium virginis. *Nam ut hic*] Quantum iracundiæ habiturus sit, quantum furoris: hoc enim significat *ut*. Et simul poeta, quod alibi obscure facit, hic aperte demonstrat, quod periculum sit in fabula, nisi καταστροφὴ succurrat.

Nam ut laturus hoc sit, ipsam rem si resciverit, non me præterit] Et si verum sit (*scit* Z.) id, quod ea adulterio conceperit. Nam cum hoc, quod leve est, (adde *quod* Z.) celabamus partum, tam iracundo animo tulerit. E.

53 *Non ædepol clam me est*] Id est, scio. D.

54 *Nec, qua via sententia ejus possit mutari, scio*] Nescio quomodo ex iracundo placidus fiat. *Sententia ejus*] De puero non exponendo. D.

55 *Hoc mihi unum*] Hoc adhuc, inquit, malum non mihi evenerat, evenerint multa. *Hoc mihi unum ex plurimis miseriis reliquum fuerat malum*] Ex omnibus malis reliquum quum dicat, maximum malum significat. Nam non mediocre est, quod omnium miseriarum est ultimum, et inter mala multa reliquum, quod sic accipimus. Possumus et nos interrogative pronunciare. D.

56 *Puerum ut tollam cogit*] Recte *tollam*. quæstio, unde sit. Et vide, an *si puerum ut tollam cogit*, quasi cum gemitu et percontative pronunciandum sit. etenim *si*, obscuram locutionem facit: nisi forte *cum* vel *quod* significat. D.

Si puerum, ut tollam cogit] Quod hoc graviter ferens Pamphilus hominem (*orationem nostram* Z.) celare non posit. Concludit enim, *simul vereor*. E.

Satis bene *cujus*; sed melius *cui nos*. B.

57 *Forma in tenebris nosci non quita est*] Ab activo *queo*, passivum fecit *quor*, retinendo participium, *quita est*, sed antique dixit. D.

Nosci non quita] Priscian. lib. X. L.

57 *Quita est*] Antique pro *quivit*. Sallust. in Jug. c. 31. *quicquid sine sanguine civium ulcisci nequitur*. R. D.

58 *Neque detractum*] Solet enim fieri. D.

Multo melius nostri fere omnes, si *noscier* in *nosci* mutes, *neque détractum ei tum quicquam est, qui post pósset nosci qui siet*. B.

59 *Ipse eripuit*] Hic ad exitum spec-

Digitized by Google

Simul vereor Pamphilum, ne orata nostra nequeat diutius
Celare, quum sciet alienum puerum tolli pro suo.

ACT. IV. SCENA II.

SOSTRATA. PAMPHILUS.

NON clam me est, gnate mi, tibi me esse suspectam, uxorem tuam

tat παρασκευὴ: quia per annulum siet cognitio. *Ipse eripuit*] E contrario, inquit, factum est, ipsa ut non eriperet, sed ipsi eriperetur. D.

Virgini abiens anulum] Pacuvius apud Festum: *repugnanti ego porro hunc vi detraxi ungulum.* L.

60 *Simul vereor Pamphilum, ne orata nostra*] Scilicet si sustulerimus, cogente sene, eum puerum, quem expositum iri Pamphilo paulo ante promisi. D.

61 *Quum sciet alienum puerum tolli pro suo*] Non solum, inquit, tolli ægre feret *alienum*, verum etiam *pro suo*. D.

1 *Non clam me est, gnate mi*] In hac scena, velut qualitas negotialis in disputationem venit: justumne sit repudiari conjugem causa matris, et omnino quid fieri debeat. *Non clam*] Vero ordine a purgatione sui incipit mater abitura: ne quod discedit, iracundiæ (*ne, quum discedit, iracunda* Z.) videatur. *Tibi me esse suspectam*] Id est, in suspicionem venisse. *Uxorem tuam propter meos mores hinc abisse*] Blandius *uxorem* significat, quam si diceret *Philumenam*. Et *mores*, proprie senum dicuntur: unde *senectus morosa*, et *morosi homines*, qui sui cujusdam moris sunt. D.

Non clam me est, gnate mi, tibi me esse suspectam] Mater Sostrata comperit, Pamphilum idcirco nolle reducere uxorem, quod vellet matris injurias vindicare. Credit enim jurgio matris puellam discessisse. Et hoc igitur proprie agit mater, uti rus ipsa discedat, si propter præsentiam (adde *suam* Z.) uxor redire non vult. Sed cum (*erat* Z.) alia causa Pamphilo, quæ repugnat. Ille enim propterea non reducit, quia parere puellam vidit, et suspicatur ex alio; sed hoc celat. Hic ergo in hac scena justitiæ tractatus est, ac per qualitatem negotialem ab eo quod quod fieri deceat amplius purgat se, nulla sua culpa factum, uti uxor domo discederet, ut (*et* Z.) odium sui caperet. Hoc per conjecturam tangitur, et quam . . (*ad quam firmandam* Z.) valet jusjurandum, quod ponit: *ita me di ament, itaque obtingant ex te, quæ exopto mihi, ut nunquam sciens commerui, merito ut caperet odium illam mei.* Qualitas autem negotialis tractus (*qualitatis autem neg. tractatus* Z.) ille est: *nunc tibi me certum est contra gratiam referre, ut apud me præmium esse positum pietatis scias.* Et quam (*quum* Z.) veluti vicem deliberantis tenet, quicquid de possibili suspicatur, ponit ab utili, *hoc et meæ famæ commodum esse arbitror, et vobis.* Quod quidem et in honesto collocat, siquidem *famæ* dixit *commodum*. Repugnat filius contra ab utili, et dicit: quod tu rus habitatum migras, parum (*quid tu r. h. migres? Parum autem cum* Z.) est migrare rus ex urbe, adjecit, ut illic habitatura sis perpetuo? Rursus ab honesto est hoc, quod famæ (*infamiæ* Z.) opinio sit fu-

Digitized by Google

Propter meos mores hinc abisse: etsi ea dissimulas sedulo.
Verum ita me di ament, itaque obtingant ex te quæ ex-
opto mihi,
Ut nunquam sciens commerui, merito ut caperet odium
illam mei:
Teque ante, quam me amare rebar, ei rei firmasti fidem.
Nam mihi intus tuus pater narravit modo, quo pacto me
habueris 6

tura, qui nubit, inquit (*futura apud eum, qui ignorat, verum quod sit. Denique* Z.) concludit ab utili: *tuas amicas et cognatas te deserere nolo.* Sed hoc frangit illa, dicens: jam senectutem suam ista contemnere, quod satis voluptate harum rerum perfuncta sit. E.

Non temere Daceria hanc scenam primam actus quarti esse contendit. Nam hinc initium recte fieri potest propterea, quod scena vacua est relicta. Z.

2 *Etsi ea dissimulas sedulo*] *Ea*, id est, quæ scio: et *ea*, pro *eam rem*. sed absolute occurrit supra latas sententiæ, et genere neutro. Et est ordo, etsi ea dissimulas sedulo, non clam me est, &c. D.

3 *Verum ita me di ament*] Conjectura, quæ solvitur (*firmatur* Z.) jurejurando. *Itaque obtingant ex te*] Pro se jurat, et ita rem Pamphilo probat, ut blanda sit. *Itaque*] Duæ partes orationis. D.

Bemb. *exoptem:* alii, *opto:* perique *exopto;* quod placet. B.

4 *Nunquam sciens commerui*] Bona exceptio: quia possumus aliquem inscienter lædere, quæ res ad veniam pertinet. *Ut nunquam sciens*] Hic ordo est jurisjurandi, ut quum præposuerit *ita*, sequatur *ut*. Cicero, Divinat. 18. *ita velim mihi deos propitios, ut, quum illius temporis mihi venit in mentem, &c. Merito ut caperet odium illa mei*] Bene dixit *merito:* nam ut nos immerito quis non oderit, non est in nostra manu. hæc est exceptio. Plautus in Trinummo I. 2. 68. *quin dicant, non est: merito ut ne dicant, id est. Merito ut caperet odium illa mei*] Id enim est culpæ sine merito. D.

Pro vulgari *illa* placet lectio *illam*. B.

5 *Teque ante quam me*] Deest *tam*. ut sit ordo: et quam te amare me rebar, tantum (*deest jam tum: ut sit ordo, antequam te amare me rebar, jam tum* Z.) firmasti fidem ei rei. *Teque ante quam me amare rebar, ei rei firmasti fidem*] Ordo et sensus hic est, et quod ante rebar, ei rei firmasti fidem meam: neque me fefellit, quod ante rebar, te me amare. Nam ei rei hodie firmasti fidem, id est, probationem attulisti. D.

Cod. acad. *ante quam*. Sed cum et ita restet ἀναπόδοτον, lege ex cod. veterrimo nostro, *teque ante quod*, &c. ut ordo sit, *quodque ante rebar, te me amare, ei rei fidem f.* B.

Teque antequam me amare rebar, &c.] Hunc locum, e quo nullus sensus elici poterat, antiquorum librorum ope sic restituit Bentlei. *teque ante quod me amare rebar ei rei firmasti fidem.* Ordo est: quod qui ante rebar te me amare, ei rei fidem firmasti. R. D.

6 *Nam mihi intus tuus pater*] Dixit enim supra, *atque in eam hoc omne quod mihi ægre est, evomam*. potuit enim evomendo narrasse, quod matrem filius præposuisset uxori. *Tuus pater*] Familiarius, quam si diceret *Laches*. D.

Habueris prepositam] I. e. præposueris. Sallust. in Catil. c. 23. *tale periculum reipublicæ haud occultum habuit*, ubi v. interpr. Cic. ad Quint. fratr. III.

Digitized by Google

Præpositam amori tuo: nunc tibi me certum est contra gratiam.
Referre, ut apud me præmium esse positum pietatis scias.
Mi Pamphile, hoc et vobis, et meæ commodum famæ arbitror:
Ego rus abituram hinc cum tuo me esse certo decrevi patre;
Ne mea præsentia obstet, neu causa ulla restet reliqua,
Quin tua Philumena ad te redeat. P. Quæso, quid istuc consilii est?
Illius stultitia victa, ex urbe tu rus habitatum migres?
Non facies: neque sinam, ut qui nobis, mater, maledictum velit,

9. *quid me hortaris ut absolvam, habeo absolutum suave, mihi quidem uti videtur ἔπος ad Cæsarem;* in Eun. II. 3. 92. R. D.

7 *Præpositam amori tuo*] Plus dixit, *amori tuo*, quam si *uxori tuæ*, dixerat. D.

8 *Ut apud me præmium esse positum pietatis scius*] Laborat mulier, ne quod dictura est, odio aut dolore, aut certe ira facere videatur. *Præmium esse positum pietatis*] Sic Virg. Æn. I. 257. et 465. *hic pietatis honos, sunt hic sua præmia laudi.* D.

Præter Victor. plerique nostri habent recte *pietati.* ut Plaut. Poen. V. 4. 17. *Præmium ut esse sciam pietati.* B.

Præmium] Præmium propria ratione *poni* et *præponi* dicitur. Sallust. in Catil. c. 20. *fortuna omnia victoribus præmia ponit.* Virg. Æn. V. 292. *invitat pretiis animos et præmia ponit.* v. Drakenb. ad Liv. XXXIX. 16. R. D.

9 *Mi Pamphile, hoc et vobis, et meæ commodum*] Rem duram dictura, vide quantis præblanditur verbis, remque præmolliat (*præmollit* Ms. B. et edd. vett.) *nunc tibi me certum est contra gratiam. Contra* nunc, vicissim. *Et meæ commodum famæ*] Ab honesto. *Mi Pamphile, hoc et vobis et meæ*] Principium hoc aliquid est præcantis feminæ. A blandimenta ergo incipit, ut libenter audiat (*audiatur* Z.) D.

10 *Ego rus abituram hinc cum tuo me esse certo decrevi patre*] *Certo* dixit, ne sit dissuadendi locus. *Cum tuo me esse certo decrevi*] Ad hoc addidit, *certo decrevi:* ut non audeat dissuadere filius. D.

11 *Ne mea præsentia*] Non dixit jam *culpa*, sed *præsentia.* D.

12 *Quid istuc consilii est*] Bene: quia illa *decrevi* dixerat. D.

13 *Illius*] A persona. *Stultitia*] A causa. *Victa*] Non enim volens. *Urbe*] A loco. *Tu*] A persona. *Habitatum*] A facto. *Illius stultitia victa, ex urbe tu rus habitatum migres?*] Vide quam oratorie omnia congesserit, a personis, a causis, a locis, a factis. *Illius stultitia*] Ab utili (*a futili* Z.) Mire autem, et *rus*, et *ex urbe*, et *habitatum*, dixit. D.

14 *Non facies: neque sinam*] Primo, *non facies:* deinde, si facere perseveraveris, *non sinam.* Et, *non facies*, non est interdicentis, sed quasi dicat, scio te non facturam rem tam pravam. Sunt

Digitized by Google

Mea pertinacia esse dicat factum, haud tua modestia.
Tum tuas amicas te, et cognatas deserere, et festos dies
Mea causa, nolo. S. Nihil jam mihi istæc res voluptatis ferunt:
Dum ætatis tempus tulit, perfuncta satis sum: satias jam tenet
Studiorum istorum. hæc mihi nunc cura est maxuma, ut ne cui meæ 19
Longinquitas ætatis obstet, mortemve exspectet meam.

autem qui *neque sinam* jungant interioribus: sunt qui totum contexte legant *non facies*, usque *modestia*. *Ut qui nobis, mater, maledictum velit*] Ab honesto. D.

15 *Mea pertinacia esse dicat factum*] Bene retinet, quum vult sua interesse ne fiat. D.

16 *Tum tuas amicas te*] In dissuadendo commiscuit et honestatem et utilitatem. D.

Cognatas deserere et festos dies] Explicari hic locus debet ex Val. Max. libr. 2. cap. 2. §. 8. *convivium etiam sollemne majores instituerunt, idque Charistia appellaverunt, cui prætor cognatos et affines nemo interponebatur*, &c. Hoc in Gloss. est *cara cognatio*, τιμιοσυγγένια. Tertullian. de Idolatr. *Cave cognationis honoraria exigenda omnia*. vid. Kal. Rusticum. L.

17 *Mea causa, nolo*] Non est superbum *nolo*: sed consuetudine dicitur. *Nihil jam mihi istæc res*] Contra omnia. Et ab ultimis incipit. *Istæc res*] Amicæ, cognatæ, dies festi. D.

Lege ex nostris omnibus, *nil pol jam istheec mihi res voluptatis ferunt*. B.

18 *Dum ætatis tempus tulit*] *Tulit*, pro passum est, permisit. Et in bonis enim, et in malis dicitur. *Dum ætatis tempus tulit, perfuncta satis sum*] Si, inquit, meæ voluptatis causa exercenda sunt, jam non delectant: si officii ac religionis, jam non possum, quæ sim unus. Necessaria divisio: quia ille et religionem incusserat festorum dierum. *Dum ætatis tempus tulit*] Non, inquit, reprehendar, quæ quum potuerim, perfuncta satis sum. Sic Virg. Æn. II. 291. *sat patriæ, Priamoque datum. Satias me tenet*] Nimis materne atque aniliter. D.

Illud *me* post *satias* dele ex auctoritate Bembini, et nostri veterrimi. B.

Perfuncta satis sum] I. e. satis usa sum. Servius Sulpic. ad Cicer. IV. 5. *omnibus bonis prope perfunctam esse*. R. D.

19 *Hæc mihi nunc cura est maxuma*] Hoc nimis serio pronunciandum, et, *ne cui*, odiose, ne *tibi* dicerat. *Ut ne cui meæ longinquitas ætatis obstet*] Hoc ad aurum, exspectationem ad filium refert. hinc enim odio digni parentes, *exspectati appellantur*. D.

Pro *meæ* antiqui Faerni, et plerique ex nostris habent *meæ*. B.

Studiorum] Studia dicuntur omnia in quibus versamur et quibus delectamur. v. notata ad And. I. 1. 29. R. D.

20 *Longinquitas ætatis obstet, mortemve exspectet meam*] Quum sedulo agat (*quam sedulo agit*. W. Malim, *quamquam sedulo agat*. Z.) socrus, ne quid per iracundiam statuisse videatur; vide tamen ut intermisceatur indignatio, et multa dolore depromta sint: quod poeta non invitus facit, ad mores exprimendos, personasque reddendas. D.

Longinquitas ætatis] V. C. *longuitas*. L.

Pro vulgari *exoptet*, Bemb. et Victor. recte *exspectet*. B.

Longinquitas ætatis] I. e. diuturnitas. *Longinquus* et *longinquitas* non tantum

Digitized by Google

Hic video me esse invisam immerito: tempus est concedere.
Sic optume, ut ego opinor, omnis causas præcidam omnibus:
Et me hac suspicione exsolvam, et illis morem gessero.
Seni me obsecro hoc effugere, volgus quod male audit mulierum.
P. Quam fortunatus cæteris sum rebus, absque una hæc foret, 25

de loci, sed etiam de temporis spatio dicitur. Propert. I. 6. 27. *multi longinquo periere in amore libenter*, ubi v. Broukhus. Liv. V. 15. *jam per longinquitatem belli commercio sermonum facto.* v. Gronov. Observ. IV. 11. p. 168. uti *longinquus* pro *longus*, ita *longus* interdum ponitur pro *longinquus*. Silius Italic. VI. 628. *remeans longis olim Tyrinthius*, ubi v. Drakenb. R. D.

21 *Hic video me esse invisam immerito*] Quia rus decrevi pergere: non quasi nurum vitatura, sed locum. Et mire *invisam*, et non addidit cui: sed dixit, *tempus est concedere*. Quia anus sum? an quia nurus in domo? D.

Video me esse invisam immerito] Et hic tetigit, quod supra dictum est per conjecturam. E.

Invisam] Menander: Πικρόν ἐστι θρέμμα γύεον ἐν οἰκίᾳ μόνον. W.

22 *Omnes causas præcidam omnibus*] Bene *omnibus*: ne specialiter læsisset nurum. Et generaliter dixit: *Et illis morem gessero*] Mire *illis*, non *nurui*. Et *morem gessero*, acriter dictum: ut ostendat hoc illos olim voluisse, ut expelleretur domo. ut si dicas, inimicum tibi morem gessisse, quod suspenderit. D.

Causas præcidam] I. e. tollam, adimam. Cic. act. I. in Verrem c. 7. *ut una hora qua cœpi dicere reo audaci— spem judicii corrumpendi præciderem.* Verr. II. 62. *Da mihi hoc: jam tibi maximam partem defensionis præciderit.* R. D.

24 *Sine me, obsecro, hoc effugere*] Quia dixerat maritus ejus, *omnes socrus oderunt nurus. Sine me, obsecro, hoc effugere*] Potentissimum est ad extorquendum aliquod argumentum, quum illis quibus cari esse debemus, nostra causa potius, quam illorum, dicimus velle nos, aut nolle quod facimus. Nam et Pamphilus supra sic dixit, *non facies, neque sinam. Quod male audit*] Supra dixit, ab honesto. D.

Quid male audit mulierum] Græca locutione positum, *audit mulierum*. E.

Quod] *Quod* ponitur pro *ob quod*, *propter quod* ut alibi sæpe apud Terent. respicit autem, quod supra II. 1. 4. dictum erat *omnes socrus oderunt nurus*. R. D.

25 *Absque una hæc foret*] *Absque*, extra: ut sit adverbium magis, quam præpositio. Et *una*, *res* subaudienda. Et totum ἐν ὑπερβολῇ, statimque jungendum, *hanc matrem habens talem, illam autem uxorem*. Vel certe, *absque foret*, pro abesset. Alii *hac* de uxore dici putant, ut *absque* sit præpositio. D.

Pro *sum* leg. *sim*: atque pro *hæc* recipe Donati *hac*. scilicet *re*, non, *uxore*, qui est error Donati. B.

Absque una hæc foret] I. e. si hæc una res abesset. in Phorm. I. 4. 11. *nam absque eo esset*. Hæc loquendi forma non nisi apud comicos reperitur. Ipsa etiam præpositione *absque* comici soli utuntur, quæ non directe apud eos *sine* significat sed tantum exceptionem quandam. v. Vorstium de latinit. merito suspecta c. 9. R. D.

Digitized by Google

Hanc matrem habens talem, illam autem uxorem. S. Obsecro, mi Pamphile,
Non tute incommodam rem, ut quæque est, in animum inducas pati.
Si cætera sunt ita, ut vis, itaque ut esse ego illam existumo,
Mi gnate, da veniam hanc mihi: reduce illam. P. Væ misero mihi!
S. Et mihi quidem! nam hæc res non minus me male habet, quam te, gnate mi.

ACT. IV. SCENA III.

LACHES. SOSTRATA. PAMPHILUS.

QUEM cum istoc sermonem habueris, procul hinc stans accepi, uxor:

26 *Obsecro, mi Pamphile, non tute incommodam rem*] Quum vidit acta suo filium esse persuasum, utrum *(esse passurum, ut rus* Z.) discedat, et animadvertit, segre ferre discessum suum, veluti consolationem adhibet, ut æquo animo ferat quamcunque fortunam. E.

27 *Non tute incommodam rem, ut quæque est, in animum inducas pati?*] Horat. Carm. I. 24. 19. *durum, sed levius fit patientia, quicquid corrigere est nefas.* D.

In Bemb. pro *induces* reperitur *induces*; quod melius affectum hortantis ad patientiam exprimit. B.

28 *Si cætera sunt*] Bene *cætera*, absque uno dicenti *(differenti.* edd. vett.) *Itaque ut esse ego illam existimo*] Quia potuit dici ei, O socrus, ergo dubitas de integritate nurus? addidit, *itaque ut esse ego illam existimo.* D.

Si cætera sunt ita, ut vis] Hoc est, si puella integris moribus vixit, et sicuti ego arbitror. E.

Vulgo *ut tu vis*; sed recte Bemb. *ut vis.* codd. omnes collocant, *si cætera ita sunt, ut*, &c. Denique recte viderunt, qui pro *illam* legi malucrant *illa*, et referri ad *cætera*. B.

29 *Da veniam hanc mihi*] *Mihi*, propter quam putas non reducendam. *Væ misero mihi!*] Nec negat, nec promittit: sed intumescit *(ingemiscit)*, utpote qui penitus dolore commotus, æstum animi dissimulare jam non potest. *Væ misero mihi!*] Nihil potuit pro rerum qualitate respondere, nisi ut ingemisceret. D.

Nostri *reduce*: sed Faernus edidit *reduc*. Tum me *veniam* in Thesi totum latet, lege, *mi gnáte, da mi hanc véniam, redduc*, &c. B.

30 *Et mihi quidem*] Ἄχθος. quid enim, *et mihi? an ei? (an ei mihi?* Nam *ei* est *hei* Z.) multa sic in usu nostro sunt. D.

1 *Quem cum istoc sermonem habueris*] In hoc colloquio reconciliatio sonum est post jurgium, mista disputatione Pamphili de non reducenda uxore.

Digitized by Google

Istuc est sapere, qui, ubicunque opus sit, animum possit flectere;
Quod faciundum sit post fortasse, idem hoc nunc si feceris.
S. Fors fuat pol! L. Abi rus ergo hinc: ibi ego te, et tu me feres.

Procul] *Procul*, nunc (*non* Z.) prope. *Hinc stans accepi, uxor*] *Accepi*. audivi. Et modo *uxor*, ante *mulier*: et de uxore, *di malè prohibeant*. D.

Quem cum istoc sermonem] Pater Pamphili non longe positus audivit, quod uxor loquebatur. Impellit amplius, ut istuc consilium perseveret, ut deliberatio tota pellatur. E.

Pro *hinc* tres codd. recte *hic*: et lege *astans*, ut Heaut. V. 2. 7. B.

Procul hinc stans] Bentlei. recte edidit *procul hic adstans*. Nam *procul* non semper longum spatium significat, sed remotionem ex alio loco in alium. Itaque recte procul esse dicitur, qui tam prope adest, ut alterius sermonem audire posset. v. Perizon. ad S. Min. I. 16. p. 155. R. D.

2 *Istuc est sapere*] Τὸ *istuc*, exceptive dictum: quasi cætera stulte fecerit. et simul stomachum retinet, quo reprehendat cætera. *Qui, ubicunque opus sit*] Qui pro *quæ*, interdum abundat (forte, *qui pro quomodo*. *Et modo interdum abundat*. Certe in Ms. B. et vett. edd. post *pro* est lacuna, Westerh. auctore. Z.) *Animum possis flectere*] Modo non alienum animum, sed suum flectere. Et unde flectere? a jurgio ad modestiam, ex concessione (*modestiam, et concessionem*) ex domo. *Animum flectere*] Ad hoc *flectere animum* dixit, ut ostenderet ne nunc quidem purgatam apud se Sostratam de præterita culpa. D.

Istuc est sapere] Alexis: εἰ μὴ γὰρ ἐν ἀνθρώπου ἀνθρώπου τύχαις ὑπηρετήσω, οὐ φανήσομαι φρονῶν. L.

3 *Quod faciundum sit post fortasse*] Hæc etiam sententia videri potest generalis: et deest *ad id*: ut sit, flectere ad id quod faciundum. Potest et absolute accipi *quod*, pro, quæ res facienda sit. *Quod faciundum sit post fortasse*] Id est, concedendum. et vim necessitatis hoc verbum exprimit. D.

Ut *pòst* et *núnc* in ictu sit, reponimus cum optimis codd. *quòd sit faciundùm fortasse pòst, idem*, &c. B.

4 *Fors fuat pol!*] Fortuna faveat! quasi τῷ ἐυφημισμῷ adversus triste dictum usa est. Nam *fors* fortuna bona est. Et *fuat*, *sit* significat. dixerat enim ille, *quod faciundum sit post fortasse*. *Fors fuat pol!*] Id est, bona eveniat! quasi τῷ ἐυφημισμῷ dicat, bona dicito potius. An, bona fortuna sit per Pollucem? *Abi rus*] Hortantis est ad celeritatem. Virg. Æn. II. 707. *ergo age, care pater, cervici imponere nostræ. Ibi ego te, et tu me feres*] Non dixit, ibi nos invicem delectabimus: sed quia senex atque anus est, *ego te, et tu me feres*, dixit. Et simul, quia nuper incusaverat mores senum (forte, *socruum* Z.) revocare vult causam abscessionis suæ ad filii culpam aut nurus. *Ibi ego te, et tu me feres*] Aut quia noti inter nos sunt mores nostri: aut quia utrique una ætas est. Et sic pronuncia, quasi hoc ipsum necessitate decernat senex, cum dicit, *abi rus. Ergo hinc, ibi ego te, et tu me feres*] Ipsa pronunciatio querelam continet de filiis et senectute. D.

Fors fuat pol!] Si tantum fortuna æqua faveat! E.

Fors fuat] I. e. fortuna adsit, faveat. Antiquissimi scriptores sæpe usi sunt verbo *fuo* pro *sum*, ex Græco φῶ vel φῦμι, unde supersunt *fui* et *futurus*. Virgil. Æn. X. 108. *Tros Rutulusve fuat*. R. D.

Digitized by Google

S. Spero ecastor. L. I ergo intro, et compone, quæ simul tecum
Ferantur: dixi. S. Ita ut jubes, faciam. P. Pater.
L. Quid vis, Pamphile? P. Hinc abire matrem? minime. L. Quid ita istuc vis?
P. Quía de uxore incertus sum etiam quid sim facturus
L. Quid est?
Quid vis facere, nisi reducere? P. Equidem cupio, et vix contineor.
Sed non minuam meum consilium: ex usu quod est, id persequar.

5 *Spero ecastor*] Mire non confirmavit mulier, sed sperare se dixit, memor jurgii pristini, et senilis amaritudinis: maxime quod et ille non dixit, ibi nobis jucunde erit: sed, *ibi ego te, et tu me feres. I ergo intro, et compone quæ simul tecum ferantur*] Κωμικῷ χαρακτῆρι, et usu quotidiano, satisque moraliter: quia *mulieres dum moliuntur, et dum conantur, annus est.* D.

Spero ecastor] Bene memor senis mulier, non firmavit, sed *spero* inquit. E.

Cum optimis codd. ut et trochaicum adjuves, lege *quæ tecúm simul.* B.

Compone] *Componere* proprium hac in re verbum significat stipare, colligere in unum. Plaut. in Milit. IV. 7. 21. *omnia composita sunt; quæ donavi auferat* Petron. c. 99. *quicquid erat, compono,* &c. v. Broukhus. ad Propert. I. 9. 13. R. D.

6 *Dixi*] Denunciatio est confirmandæ sententiæ, nec mutandæ: et translata est de foro et causidicis. Cic. Verr. II. 30. *præco dixisse pronunciat. Dixi*] Hoc verbum in fine additum superiora confirmat; et est proprium his, qui peroraverunt causam. *Pater*] Ipsum nomen dehortationem significat, adjecta pronunciatione. *Pater*] Sic pronuncia, ut hoc vultuose dictum sit, *hinc abire matrem?* D.

Dixi] Hic habet vim asseverandi, omnino ita futurum, ut dixerat et vim interminandi. v. in Phorm. II. 3. 90. R. D.

7 *Quid vis, Pamphile?*] Facete præsto *quid vis,* respondit. *Quid ita istuc vis?*] Rem supra audivit et personam: nunc causam quærit. quasi dicat, *esto ut nolis: quid tantopere non vis?* D.

Versus est trochaicus tetrameter acatalecticus, ut et nonus. Faern.

8 *Incertus sum etiam, quid sim facturus*] Non, *quid faciam,* dixit: sed, *quid sim facturus:* ut incerta molimina etiam verbis posset ostendere. *Quid est?*] Et *quid ita istuc vis,* et *quod est,* eo vultu pronunciantur, ut consilium ejus et verba videatur contemnere pater. D.

9 *Quid vis facere, nisi reducere?*] Sic loquitur Laches, ut aliud Pamphilus respondere non audeat. et ideo dicit, *Equidem cupio, et vix contineor*] Ut reducam scilicet. Adeo magna causa est non reducendi, ut cum velim, non possim. D.

Pro *contineo* meliores libri habent *contineor.* B.

Contineo] Scilicet me. Sed Bentlei. e. melioribus libris edidit *contineor,* quod præferendum. R. D.

10 *Sed non minuam meum consilium*] Caute satis, reducendi, inquit, cupiditas est: non reducendi consilium. *Id persequar*] Non *sequar,* sed *persequar* ait, ut constantiam demonstraret. D.

Digitized by Google

Credo ea gratia concordes magis, si non reducam, fore.
L. Nescias: verum id tua refert nihil, utrum illæ fecerint,
Quando hæc abierit: odiosa hæc est ætas adolescentulis:
E medio æquom excedere est: postremo jam nos fabulæ

Ex usu quod est, id persequar] Coactus Pamphilus causam dicere, cur nollet uxorem reducere, revocat verba, ne (*ut*, vel, *an*, vel *utrum* Z.) possit, quod rogatus est, conticescere. *Ex usu*, id est, ex utilitate. Deinde fingit causam, ideo se nolle reducere, ut ita concordes ambas faciat. E.

Non minuam consilium] H. e. consilium quod cepi non mutabo. v. not. ad Andr. II. 3. 18. R. D.

Persequar] I. e. sequar, compositum pro simplici. Cic. ad Div. IX. 3. *neglecta barbarorum inscitia, te persequar*; de Offic. II. 24. *hæc genera officiorum qui persequuntur*, ubi v. Græv. R. D.

11 *Credo ea gratia concordes magis*] Sententiose dixit, tunc posse inter se congruere et concordare mulieres, quum et illa esse desierit socrus, et illa nurus. hæc enim inter illas est dissidiosa conjunctio. Et satis ingeniose dictum; tolle enim inter mulieres proximitatem, et nulla causa discordiæ est. *Concordes magis*] Non magis concordes, verum (*nunc magis concordes utrum* Z.) pro minus discordibus dixit, an ut serviret sententiæ? D.

Ut sensui et versui, qui e ratione vulgari justo longior est, consulas, dele *non*; adeo ut illud *credo*, per ironiam, significet *non credo*. Tum ex Bemb. scribe *redducam*. B.

12 *Nescias*] Utrum concordes futuræ sint, an discordes. *Verum id tua refert nihil*] Hoc verbum ex aliqua parte confirmantis est et consentientis. *Utrum illæ fecerint*] Utrum consentientes sint, an dissentientes. *Utrum*] Unum de duobus significat. D.

Nescias: verum id tua refert nihil, utrum illæ fecerint] Quid illæ egerint inter se, curare non debes. Perseverat in sententia, persuasurus, quod adolescentibus odiosa est semper senectus parentum. E.

Illud *id* antiquissimi Faerni non habent. *Illæ fecerint*] Philarg. ad Georg. III. 105. *hæ quoque non cura nobis leviore tenendæ. Legitur et hæc: nam veteribus mos fuit, ut neutra femininis jungerentur. Unde Terentius: tua nil refert, utrum illæc fecerint: et in Eun.* Hæc. *adornant, ut lavent.* B.

13 *Odiosa hæc est ætas adolescentulis*] Supra in personam socrus culpam iratus contulerat discordiæ: nunc et uxori placatus, et nurui parcens, odiorum causam a personis transtulit ad ætates: sed ita tamen, ut magis juniores accusaret, ei (*et*) de adolescentibus questus, quum miseratur (*questus, commiseraretur* Z.) senes. *Odiosa hæc est ætas*] *Hæc*, cum gemitu pronunciandum est. D.

Pro vulgari *abierit*, versui accommodatius Bemb. legit *aberit*. B.

14 *E medio æquum est excedere*] Utrum ex urbe rus: an ex vita in mortem? Et satis moraliter. Nam in *medio stare* dicitur supervacuus vel molestus. Et cum stomacho dixit senili. D.

Cum optimis libris colloca, *postremo nos jam f.* Atque pro *fabulæ* leg. *fabula*, uti Donatus videtur legisse, et viri docti dudum monuerunt. B.

Nos fabulæ sumus] I. e. nos nullo numero sumus. Veteres tum homines tum res contemtus causa fabulas et nugas dicunt. Cic. ad Attic. VI. 3. *amicos habet meras nugas* ad Quint. fratr. I. 2. *ego nugas maximas omni mea comitate sum complexus.* Horat. Carm. I. 4. 16. *jam te premet nox fabulæque manes.* R. D.

Digitized by Google

Sumus, Pamphile, Senex atque anus.
Sed video Phidippum egredi per tempus: accedamus.

ACT. IV. SCENA IV.

PHIDIPPUS. LACHES. PAMPHILUS.

TIBI quoque ædepol sum iratus, Philumena,
Graviter quidem: nam hercle abs te factum'st turpiter;
Etsi tibi causa est de hac re; mater quæ te impulit:
Huic vero nulla est. L. Opportune te mihi,
Phidippe, in ipso tempore ostendis. PH. Quid est?

15 *Senex atque anus*] Hæc duo nomina, ut posita sunt, caput indicant et inceptionem hujusmodi fabularum. *Jam nos fabulæ sumus, Senex atque anus*] Pronuncia *Senex atque anus*, quasi initium fabulæ. τῷ ἰδιωτισμῷ additum, *Pamphile*. D.

1 *Tibi quoque ædepol*] In hac scena ultimus error est, vicinus καταστροφῇ. *Tibi quoque ædepol sum iratus*] Quasi dicat, non solum matri tuæ, aut (*at* L.) etiam socrui tuæ. *Tibi quoque ædepol*] Recte: nam et amicos incusamus leniter incipientes, et graviora inferentes. Hanc ergo partus causa leniter incusat: deinde confirmat inferendo, *graviter quidem*. et statim causam subjungit, cur quidem ei irascatur. D.

Tibi quoque] Hæc scena continet excusationem, cur nollet uxorem ducere, et removet causam in matrem, ut remotiva sit qualitas. Justum est enim non reducere, quum *matris commodis servit*. Verum et illud proditur, quod puella peperit. Senex enim puellæ pater indicat puerum natum, neque adjungit ullam de his rebus culpam. Ait igitur senex causam, ut reducatur invento puero. E.

Concinnius vetus noster 900 annorum, cum altero regio, *tibi quoque iratus édepol sum*, *Phil*. B.

2 *Factum est turpiter*] Quod abscesserit (*abscesseris*) domo mariti. D.

Nostri fere omnes, *abs te est factum*. B.

3 *Etsi tibi causa est de hac re*] *Causam* more suo pro defensione posuit. Sic in Phormione, *quid mihi dicent, aut quam causam reperient? demiror*. Et quæ causa fuerit, ipse dicit: *Mater te impulit*] *Mater te impulit*, absolute: deest enim *nam*. ut sit, nam mater te impulit. *Mater te impulit*] Qualitas remotiva. D.

Mater te impulit] Ms. R. et vett. codd. *mater quæ te impulit*. L.

Pro vulgari *mater quæ te impulit*, recte Donatus *mater te impulit*. B.

De hac re] I. e. quod ad hanc rem attinet; eam vim præpositionis *de* supra explicuimus. R. D.

4 *Huic vero*] Ipsi matri scilicet. *Opportune te mihi, Phidippe, in ipso tempore*] Utrum ταυτολογία est? an *opportune*, quia volebam: et *in tempore*, quomodo volebam? an, *opportune*, mihi: *in ipso tempore* tibi: id est, et mihi et tibi commode evenisti? (*advenisti* Z.) Et ἀπὸ τοῦ *portu* dictum *opportune*. D.

5 *In ipso tempore ostendis*] Ostenditur nobis id quod quærebamus. *Opportune*, et *in ipso tempore*, non est idem. Etenim *opportune* dicimus, quum, verbi gratia, invitati ad ipsum tempus incipientis (*incipiendi* edd. ante Steph.)

Digitized by Google

Pa. Quid respondebo his? aut quo pacto hoc aperiam?
L. Dic filiæ, rus concessuram hinc Sostratam:
Ne revereatur, minus jam quo redeat domum. Ph. Ah!
Nullam de his rebus culpam commeruit tua:
A Myrrhina hæc sunt mea uxore exorta omnia.
Mutatio fit: ea nos perturbat, Laches.
Pa. Dum ne reducam, turbent porro, quam velint.
Ph. Ego, Pamphile, esse inter nos, si fieri potest,

prandii venimus: *in ipso tempore, cum* jam prandio apposito. D.

6 *Aut quo pacto hoc aperiam?*] Hoc modo ostendit, nec esse quod simulet: nec id quod verum est, dicendum sibi esse. D.

Pro *aperiam*, nonnullorum codd. fides. sensus ratio, et ipsius Donati auctoritas, qui ita videtur legisse, suadent *operiam*. Certe Pamphilus supra promisit, se rem esse *celaturum*. B.

Operiam] I. e. celem, in aliis editionibus nullo sensu legitur *aperiam*. v. Bentl. ad h. l. R. D.

7 *Dic filiæ rus concessuram hinc Sostratam*] Blande non addidit *tuæ*: quasi dicat communi filiæ. Et bene, non *socrum*, sed *Sostratam*. D.

8 *Ne revereatur*] Bene *revereatur*: ne odisse Sostratam, sed metuere videatur: et quasi ipsa soorus non odium meruerit, sed reverentiam. *Minus jam quo redeat domum*] Τμῆσις cum ἀναστροφῇ, ut sit ordo, quo minus redeat. D.

9 *Nullam de his rebus culpam*] Relatio criminis potest videri. *Tua*] Deest *uxor*: quod nomen inferius posuit. *Tua*] Cum percussione audiendum (*cum percussione animi dicendum*) est, ut subaudiatur uxor, ab eo quod dicturus est, *uxore*. D.

11 *Mutatio fit*] *Mutationem*, suspicionem dicit, erroremque jurgantium. *Mutatio*] Deest quarum rerum mutatio. ergo mutatio criminum, aut culparum. *Mutatio fit*] Criminis scilicet et peccati. id est, vel mea uxor crimen tuæ sustinet: vel tua (*tuæ*) ad meam translata est culpa. *Ea nos perturbat, Laches*] *Ea*: non ea mutatio, sed uxor, hoc est, Myrrhina. D.

Versum, ne cum Guyeto ut spurium damnes, sic restitue, Pa. *Mutatio fit.* Ph. *Ea nos perturbat, Lache.* Verba *mutatio fit* Pamphilus aversus a senibus loquitur. Deinde *Lache* habet Bemb. et Priscianus. B.

Mutatio fit] Sunt verba Pamphili, quæ aversus a senibus loquitur v. Bentl. ad h. l. R. D.

12 *Turbent porro quam velint*] Quantum velint: aut eam, quam velint, mulierem. sed melius est quod supra diximus. *Dum ne reducam, turbent porro*] Quomodo est pius erga matrem Pamphilus, si parvi facit, utrum socrus sua perturbetur, an mater a senibus? Solvitur sic: quia *quam*, non est generis feminini, sed est *quantum*. *Turbent*, errent (*perturbent*, edd. vett.) et tumultuentur, significat: vel turbentur. D.

Lege *turbet porro, quam velit.* Nam ante dixerat Phidippus, *Myrrhina nos perturbat.* Igitur hic Pamphilus aversus convenienter respondeat necesse est. B.

Turbent] H. e. litigent, tumultuentur. Virgil. Ecl. I. 12. *usque adeo turbatur agris.* Bentleius corrigit *turbet* scilicet Myrrhina, quæ lectio melius respondet verbis *ea nos perturbat.* R. D.

Quam velint] I. e. quantum velint. Cic. de Nat. Deor. II. 17. *hic quam volet Epicurus jocetur* pro Cœl. c. 26. *quam velit sit potens.* R. D.

13 *Ego, Pamphile*] Hoc pronomen initium continet orationis graviter inceptæ: ut *ego potquam emi te a parvulo. Si fieri potest*] Interposuit, ut supercilium soceri demonstraret. *Si fieri po-*

Digitized by Google

Affinitatem hanc sane perpetuam volo:
Sin est, ut aliter tua siet sententia,
Accipias puerum. PA. Sensit peperisse: occidi!
L. Puerum! quem puerum? PH. Natus est nobis nepos.
Nam abducta a vobis prægnans fuerat filia,
Neque fuisse prægnantem unquam ante hunc scivi diem.
L. Bene, ita me di ament, nuncias; et gaudeo
Natum illum, et tibi illam salvam: sed quid mulieris
Uxorem habes? aut quibus moratam moribus?

test] Recte additum. *si fieri potest*: quia non convenit rogari a socero generum, ut supra dixit (*dixi*. edd. vett.) D.

14 *Hanc sane perpetuam volo*] Jam enim est confirmata: sed perpetuam cupit. D.

Sane perpetuam volo] Nuptiarum quippe hoc votum est, ætatem eæ ut durent atque perpetuæ sint. l. 1. π. de rit. nupt. Virg. Æneid. 1. 73. *connubio jungam stabili propriamque dicabo, Omneis ut tecum meritis pro talibus annos Exigat*— Quinctilian. Declam. 376. *uxor mihi socia thori, vitæ consors, in omnem ætatem jungenda*. Ideo divortium matrimonii quædam velut calamitas, qua interveniente societas hæc dissolvitur. Vid. Gratian. Caus. 27. Quæst. 2. pr. et capp. seqq. parte II. decreti. L.

15 *Sin est, ut aliter tua siet sententia*] Τῷ ὑφημισμῷ vitavit illud quod est ominosum, ne dissidium diceret. ut Virgilius, Æn. VIII. 582. *gravior ne nuncius aures Verberet*. D.

16 *Accipias puerum*] Jure: quia liberi patrem sequuntur. Et mire hoc maxime adjecit, quod maxime recusat Pamphilus: et propter quod uxor quoque non reducitur. Et *accipias*, pro accipe: ut *quiescas*, pro quiesce. *Sensit peperisse, occidi!*] Hoc maxime inopinatum est Pamphilo: quia socrus promiserat omnes ignoraturos. *Sensit*] Proprie sic. D.

17 *Puerum! quem puerum?*] Moraliter primo dubitat quid audierit: deinde quasi certus quid audierit, admiratur, dicendo *quem puerum? Puerum! quem puerum?*] Bene cum consternatione animi: quod nunquam fando acceperat. *Natus est nobis nepos*] Bene, quia ambo avi. D.

18 *Nam abducta a vobis*] Bene, non *abierat*, sed *abducta fuerat*: ut magis sit culpa matris. *A vobis*] Pro, a Pamphilo. *Nam abducta a vobis prægnans fuerat*] Hoc totum cum indignatione in uxorem pronunciandum est. D.

Bembinus et Vaticanus, quibuscum videtur convenire Donati derivatio, legunt *prægnas*, et mox *prægnatem*, sine *n* littera. B.

19 *Neque fuisse prægnantem*] Prægnans est *ante gnatum*, vel *ante genitricem*: est enim *præ*, ante. D.

20 *Bene, ita me di ament*] Agit gratias nuncianti: gratulatur ob susceptum nepotem: gaudet liberatam nurum.

21 *Natum illum, et tibi illam salvam*] Proprium affectum refert, sibi nepotem, illi filiam esse servatam. *Et tibi illam salvam*] Recte *tibi*, qua pater puerperæ est cui dicit. *Sed quid mulieris uxorem habes?*] *Quid mulieris*, dixit: ne diceret, qualem mulierem, aut aliquid gravius. Et totum percunctative potius, quam pronunciaret et diceret, pessimam mulierem, et male moratam uxorem habes. Et reprehensio est cum contemtu: sic et, *quid hominis?* ut Virg. Æn. I. 82. *tu mihi quodcunque hoc regni*. At contra cum honore sic dicimus, *quem hominem habes?* D.

Illud *tibi*, quod nostri libri cum edd. vett. ante *et* habent, plane delendum censeo. E.

22 *Moratam*] Id est, institutam. Et est participium sine verbo. D.

Digitized by Google

Nosne hoc celatos tam diu? nequeo satis,
Quam hoc mihi videtur factum prave, proloqui.
PH. Non tibi illud factum minus placet, quam mihi,
Laches.
PA. Etiamsi dudum fuerat ambiguum hoc mihi:
Nunc non est; quum eam consequitur alienus puer.
L. Nulla tibi, Pamphile, hic jam consultatio'st.
PA. Perii! L. Hunc videre sæpe optabamus diem,
Quum ex te esset aliquis, qui te appellaret patrem.
Evenit: habeo gratiam dis. PA. Nullus sum!

Moratam moribus] I. e. præditam. *moratus* in utramque partem dicitur de eo, qui vel bonis vel malis moribus præditus est. Liv. XXVI. 22. *multidudinem melius moratam* XLV. 23. *si hoc in tam bene morata civitate accidere potuit.* R. D.

23 *Nosne hoc celatos*] Non partum celatos dicit: sed prægnantem filiam fuisse. *Neque satis,—proloqui*] Magna exaggeratio. D.

24 *Quam hoc mihi videtur factum prave*] Totum modeste, quamvis indignetur: quia apud maritum uxor non est vehementius accusanda. *Quam hoc mihi*] Quod prægnans fuerat filia: non quod natus est puer. D.

25 *Non tibi illud factum minus placet, quam mihi, Laches*] Utrum quia minus et magis, quoniam sequitur* (*utrum hic minus est magis, quoniam sequitur placet.* Z.) an *εἰρωνεία* est? ut sit ordo, non minus mihi placet, quam tibi: et *placet*, pro displicet intelligamus? ut alibi, *nunc me hospitem lites sequi, quam hic mihi sit facile atque utile, aliorum exempla commonent. Non tibi illud factum*] Sub *εἰρωνείᾳ* est dictum. hoc enim ait, tantundem tibi placet hoc factum, quam mihi. Alibi, *nunc me hospitem lites sequi, &c.* D.

Ne ad Donati ineptam interpretationem fugere cogaris, lege, *non mihi illud f. minus dolet, quam tibi, Lache.* ut supra IV. 2. 30. *hæc res non minus me male habet, quam te.* B.

Non tibi illud factum] Nullus in his verbis sensus est. Bentl. ex vi sententiæ emendat *non mihi illud factum minus dolet quam tibi.* Par locus est supra IV. c. 30. *hæc res non minus me male habet quam te.* R. D.

26 Pro *jam dudum* meliores libri, *dudum* sine *jam.* B.

27 *Quum eam consequitur alienus puer*] *Alienus*: quod senes gratulantur, id maxime lædit Pamphilum. *Consequitur alienus puer*] Μεταφορὰ a pecoribus, quæ, ut mox nata fuerint, matres sequuntur. Virg. Ge. III. 316. *atque ipsæ memores redeunt in tecta, suosque deducunt.* D.

Pro *consequitur* duo codd. *sequitur*; quod versus gratia recipiendum puto. B.

Consequitur alienus puer] Translatio, ut Donatus ait, sumta est a pecudibus, quæ simul atque natæ sunt, matres sequuntur. Horat. Carm. I. 23. 11. *tandem desine matrem tempestiva sequi viro.* R. D.

28 *Nulla tibi, Pamphile, hic jam consultatio est*] De reducenda scilicet uxore. D.

Consultatio'st] V. C. *consolatio est.* L.

29 *Perii!*] Hoc sibi ipse Pamphilus dicit. D.

30 *Cum ex te esset aliquis qui te appellaret patrem*] Bene hoc putavit, quod Pamphilo non videtur: hoc est, ex illo esse quod natum est. D.

31 *Evenit*] Proprie *evenit.* ideo et *bonorum eventus* dicitur. *Nullus sum!*]

Digitized by Google

L. Reduc uxorem, ac noli adversari mihi.
Pa. Pater, si illa ex me liberos vellet sibi,
Aut se esse mecum nuptam: satis certo scio,
Non me clam haberet, quod celasse intelligo.
Nunc, quum ejus alienum esse a me animum sentiam,
Nec conventurum inter nos posthac esse arbitror;
Quamobrem reducam? L. Mater quod suasit sua,
Adolescens mulier fecit. mirandumne id est?
Censen' te posse reperire ullam mulierem,

Ipse sibi iterum. hoc ulterius est, quam *perii*: quia quum aliquis perit, reliquum vel cadaver est. D.

32 *Ac noli adversari mihi*] Causam interposuit senex, quo magis facere filius non recuset. D.

33 *Si ex me illa liberos vellet sibi*] Ut apparet, tantum commentus est causam. *Si ex me illa liberos vellet sibi*] Nactus est Pamphilus ex verbis senis causam aliam discidii. D.

Quod remedio fuerat Pamphilo in calamitatem sumit (*quod remedio debebat Pamphilo esse, id ipsum ei suppeditat.* Z.) consilium; quare ponit excusationem illam, quam supra dixit, *Pater, si illa ex me*] Finguntur hæ causæ, quod alienum ejus animum videat; ob hoc negat se debere revocare. E.

Placet Bembini ordo, *si ex me illa.* B.

34 *Aut se esse mecum nuptam*] Vetuste *mecum nuptam*, dixit. Et recte: quia partus confirmat nuptias. Et melius, *nuptam mecum*: quasi tectam et opertam uno cubiculo mecum. *Nubere* enim est operiri tegique: unde et *nubes*, quod tegere solent cœlum, dicuntur. Virg. Æn. XI. 77. *arsurasque comas obnubit amictu.* D.

35 *Non me clam habere*] Id est, non tacuisset. partumque celasset. *Quod celasse intelligo*] Non dixit natum filium: ne interposito affectu molliretur iratus. D.

Bembinus recte *quod*: Vat. et cod. Donati *quæ*: alii multi *quem*. Tum ut sit *clám* in arsi, lege cum nostris fere omnibus *non clám me haberet.* B.

36 *Nunc quum ejus alienum esse a me animum sentiam*] A præsenti tempore. D.

Versus causa cum nostris ordina, *aliénum á me esse animum.* B.

37 *Nec conventurum*] A futuro. D.

Nec conventurum] Ms. R. *neque cesse.* L.

Leg. *neque cónventurum intér nos posthac árbitror.* Nam *neque* confirmatur omnibus libris; unus omittit *esse*; et sensus, uti Muretus vidit, postulat *arbitror.* B.

38 *Quamobrem reducam?*] Firmior conclusio facta est per interrogationem, quam si esset pronunciativa. *Mater quod suasit sua*] A derivatione causæ defensio: et præterea status est venialis, ab imprudentia descendens (*ab imprudentia adolescentis mulieris.*) *Sua*] Pro *ejus*: ut Æn. IV. 633. *namque suam patria antiqua cinis ater habebat.* D.

Mater quod suasit] Purgat pater Pamphili puellam veniali statu, quod imprudentia ætatis hoc admiserit. E.

39 *Adolescens mulier fecit*] Multa dixit: et *mater sua*, et *adolescens mulier*. et quasi docet hoc exemplo, parendum patri esse. *Mirandumne id est?*] Bene *mirandum*, non *irascendum*, dixit. Miramur enim magis si amici peccaverint, quam irascimur. D.

40 *Reperire ullam mulierem*] Quasi dicat, si hanc repudiaveris. D.

Censen' te posse] V. C. *censene te posse.* L.

Digitized by Google

Quæ careat culpa? an quia non deliquunt viri?
Ph. Vosmet videte jam, Lache, et tu Pamphile,
Remissan' opus sit vobis, an reducta domum.
Uxor quid faciat, in manu non est mea.
Neutra in re vobis difficultas a me erit. 45
Sed quid faciemus puero? L. Ridicule rogas:
Quicquid futurum'st, huic suum reddas scilicet;
Ut alamus nostrum. Pa. Quem ipse neglexit pater,

41 *An quia non delinquunt viri?*] Elegans dictum: non enim non delinquunt. D.

An quia non delinquunt viri?] Unde credis, mulierem nullam esse in peccato? An suspicio tibi integra est mulieris (*tibi est, integras esse mulieres.* Z.) quod viri non peccant? E.

42 *Vosmet videte jam, Laches, et tu Pamphile*] Nec rogare socerum, nec interesse (*intercedere.* Z.) convenit, ubi certior sit ad repudiandum gener. *Vosmet videte jam, Laches*] Virg. Æn. IX. 525. *vos, O Calliope, precor, aspirate canenti.* D.

43 *Remissam opus sit vobis, an reductam domum*] In veris codicibus sic est, *remissan', an reducta.* ut sit, *remissane, an reducta.* D.

Illud *an* sensui et versui incommodum est, et a pluribus libris abest. Deinde *reductan* aliquot optimi libri habent. B.

Remissamne, &c.] Hunc versum Faernus et Bentleius ex veteribus libris ita restituerunt, *remissane opus sit vobis reductane domum* i. e. utrum vobis utile esse putetis illam remitti ad me an reduci domum. *ne ne* ponitur pro *ne an* Tibull. IV. 5. 20. *quid refert clamne roget. opus esse* dicitur, e quo utilitas ad nos redit. Cic. de Orat. II. 10. *etiamsi opus est, tamen minus est necessarium.* v. Perizon. ad S. Min. IV. 15. p. 796. R. D.

44 *Uxor quid faciat, in manu non est mea*] Ordo, uxor mea quid faciat, in manu non est: deest *ejus.* ut sit, in manu ejus non est: sed in mea potestate positam est. *In manu non est*] Uxoris scilicet. Et est ordo, uxor mea quid faciat, in manu ejus non est. D.

45 *Neutra in re vobis difficultas*] Promittit facilitatem suam: ut tamen uxor roganda sit. An aliter, ei ut supra annotavimus? D.

46 *Sed quid faciemus puero?*] Quid *me* fiet, et quid fiet *mihi* dicitur. *Sed quid faciemus puero?*] Qui utique, quicquid erit, patri reddendus est. *Ridicule rogas*] *Ridicule*, vel adverbium esse potest, vel nomen: si nomen est, subdistingue *ridicule:* et sic interroga, cum vi pronunciationis. D.

47 *Huic reddas*] Pamphilo scilicet. *Huic suum reddas scilicet*] Sic dixit, *huic suum* et *reddas*, quasi reposcat Pamphilus. Et non subjunxit, *ut alat*, sed, *ut alamus*: ut sua quoque interesse monstraret. D.

48 *Ut alamus nostrum*] Scilicet Pamphili filium, nepotem meum, utrumque nostrum. *Quem ipse neglexit*] Si *ipse* (*ipsa*, Z.) legeris, clare dictum est: si *ipsa* (*ipse.* Z.) lenius est. et videbitur senex ob murmurationem ejus intellexisse, quod nolit puerum tolli: et ideo appositum, *quid dixti? eho, annon alemus, Pamphile? Quem ipse neglexit*] Legitur et *ipsa*, et hoc est melius: ut sit *pater* vocativus casus. *Quem ipse neglexit pater, ego alam?*] Hic sibi obmurmurans, vultu et verbis ostendit nolle suscipere filium. D.

Pro *ipsa*, quod in paucis extat codd. retine optimorum codd. *ipse.* Nam ex responsione Lachetis patet, Pamphilum hæc aversum dixisse. B.

Digitized by Google

Ego alam? L. Quid dixti? eho! annon alemus, Pamphile?
Prodemus quæso potius? quæ hæc amentia est?
Enimvèrò prorsus jam tacere non queo:
Nam cogis ea, quæ nolo, ut præsente hoc loquar,
Ignarum censes tuarum lacrumarum esse me?
Aut quid sit id, quod sollicitere ad hunc modum?
Primum, hanc ubi dixti causam, te propter tuam
Matrem non posse habere hanc uxorem domi:
Pollitica est ea se concessuram ex ædibus.
Nunc, postquam ademtam hanc quoque tibi causam vides;
Puer quia clam te est natus, nactus alteram es.
Erras, tui animi si me esse ignarum putas.
Aliquando tandem huc animum ut adjungas tuum,

49 *Annon alemus, Pamphile?*] Quod, faciendum sit, a contrario vult senex pronunciatione demonstrare, quod scelus sit non fecisse. D.

50 *Prodemus, quæso, potius?*] Deseremus, projiciemus, porro dabimus: Virg. Æn. I. 255. *unius ob iram prodimur.* Nam a quo defendendi sumus, si nos deserit pater? D.

Prodemus, quæso] Hic nova suspicione Pamphili pater ducitur; ut adolescentem credat amare meretricem, et hac causa nolle reducere uxorem. Ideo adjecit: *Nam cogis ea, quæ nolo, ut præsente hoc loquar*] Et est invectio, qua conjecturalia argumenta colligit, quod hac causa uxorem nollet ducere, quod diligat meretricem. Scilicet a summo ad imum argumenta colligit. Nam primum dixit, propter matrem uxorem nolle reducere; ea causa sublata, reperit aliam, quod partum celavit. Ergo colligit vanas suspiciones. Et causæ quidem mutantur, et esse illam potiorem, quod meretricem diligit. Sed jungitur cum castigatione correctio. R.

51 *Enimvero prorsus jam tacere*] Multa reticentia de filiorum vitiis, et defensione quoque apud soceros uti parentes, sæpe Terentius demonstravit, et præcipue in Andria, quum dicit, *ego illud sedulo negare factum, ille instat factum. Jam tacere non queo*] Quamvis tacendum sit. D.

53 *Ignarum censes tuarum lacrumarum esse me?*] Conjectura quod amet meretricem Pamphilus. *Tuarum lacrumarum esse me?*] Apparet illum a Sostrata hoc audivisse. Nam ipse filium reprehenderet (*nam ipsa filium deprehenderat.* Z.) flentem. D.

54 *Sollicitere*] Perturberis, commoveare. *Ad hunc modum*] Id est, immoderate. D.

Id quod sollicitere] Ms. R. *quid sit hoc, id quod sollicitere.* L.

Pro *id* nostri meliores habent *hoc.* B.

Sollicitere] I. e. commoveare, perturberis v. Donat. ad h. l. R. D.

55 *Primum, hanc ubi dixti causam*] A summo ad imum. D.

59 *Nactus alteram es*] *Nancisci* proprie dicitur, qui paratus ad tenendum, ante quam possit reperire quod teneat, statim, quod occurrerit, prehendit. D.

61 *Aliquando tandem huc animum ut adjungas tuum*] Mire est temporis invectio (*inversio*). Et *aliquando tan-*

Digitized by Google

Quam longum spatium amandi amicam tibi dedi?
Sumtus, quos fecisti in eam, quam animo æquo tuli?
Egi atque oravi tecum, uxorem ut duceres:
Tempus dixi esse: impulsu duxisti meo.
Quæ tum, obsecutus mihi, fecisti ut decuerat.
Nunc animum rursum ad meretricem induxti tuum;
Cui tu obsecutus, facis huic adeo injuriam:
Nam in eandem vitam te revolutum denuo
Video esse. PA. Mene? L. Te ipsum. et facis injuriam;
Quum fingis falsas causas ad discordiam,
Ut cum illa vivas, testem hanc quum abs te amoveris.

dem ut adjungas, deest *fac*: sed plenum pronunciatione est. D.

Huc animum ut adjungas] Vett. et reg. exempl. *ut adducas*. L.

Pro *adjungas* omnes nostri habent *adducas*: ut infra V. 3. 38. B.

Animum ut adjungas] Meliores libri habent *animum ut adducas*. infra V. 3. 38. *nunquam animum quæstus gratia ad malas adducam partes* v. Bentl. ad h. l. R. D.

62 *Quam longum spatium*] Ab ante actis. D.

63 *Sumtus, quos fecisti in eam*] Recte hoc dixit: quia impetrabilior esse debet indulgentissimus pater. ut alibi, *tum patris pudor, qui me tam leni passus est animo usque adhuc, quæ meo cumque animo libitum est facere: eine ego ut advorser?* D.

64 *Egi atque oravi*] *Agit*, qui justam rem dicit: *orat*, qui animo demisso precatur, ut quasi beneficium præstetur sibi. D.

Oravi tecum] *Orare tecum* antique dixit pro *orare te* ut Plaut. in Rudente III. 4. 68. *scin quid tecum oro senex?* R. D.

65 *Tempus dixi esse*] *Tempus*: quia diu multumque sustinuit. *Impulsu duxisti meo*] Multum valet ad suadendum laudatio ejus, apud quem agimus: et ex ea parte laudatio, qua illum volumus inflecti. D.

66 *Quæ tum, obsecutus mihi, fecisti ut decuerat*] Ordo, quæ fecisti tum obsecutus mihi, ut decuerat. *Quæ tum obsecutus mihi, fecisti*] Juveniliter satis; quia non dixit, multum amans. D.

67 *Nunc animum rursum ad meretricem*] Hoc vultuose, et demisso labro: ut appareat invitum adduci ad reprehendendum, qui laudaverit modo. D.

68 *Cui tu obsecutus*] O (*ob* Mss. et edd. vett.) meretricis superbiam non ferendam. *Facit huic*] Scilicet uxori. D.

69 *Nam in eandem vitam*] Parcius *vitam* dixit, quam flagitium atque libidinem. *Te revolutum denuo*] Non *redisse*, sed *revolutum esse*: tanquam invitum aut nescium. reliquit enim quandam veniam, ut velit esse correctior. D.

In eandem vitam revolutum esse] I. e. rediisse. Cic. ad Attic. XIII. 26. *revolvor identidem in Tusculanum*. R. D.

70 *Mene?*] Hoc genus interrogationis negativam habet significationem. *Et facis injuriam*] Pro, *facis injuste*. D.

71 Pro *cum fingis*, meliores libri habent *confingis*. B.

72 *Ut cum illa vivas*] Gravius est cum meretrice vivere, quam meretricem amare. *Testem hanc quum abs te amoveris*] Laudata est hic uxor modesta, quum illam testem, non impeditricem appellet socer. D.

Digitized by Google

Sensitque adeo uxor: nam ei causa alia quæ fuit,
Quamobrem abs te abiret? PH. Plane hic divinat: nam id est.
PA. Dabo jusjurandum, nihil esse istorum, tibi. L. Ah,
Reduc uxorem: aut, quamobrem non opus sit, cedo.
PA. Non est nunc tempus. L. Puerum accipias: nam is quidem
In culpa non est: post de matre videro.
PA. Omnibus modis miser sum: nec, quid agam, scio:
Tot me nunc rebus miserum concludit pater.
Abibo hinc, præsens quando promoveo parum:
Nam puerum injussu, credo, non tollent meo;

73 *Sensitque adeo uxor*] Aliud argumentum, quo vult in Pamphilum referre non solum illius *(ipsius* Z.) sed etiam uxoris culpam. Et hic vide non accusari socrum. D.

74 *Plane hic divinat*] *Divinat* dixit, pro verum dixit. et nota *divinat*, de præterito dictum. Unde proverbium, *aiunt divinare sapientem.* quia qui dicit verum, divinus est. D.

Plane] I. e. omnino Plaut. in Epid. IV. I. 14. *plane hic ille est qui mihi in Epidauro primus pudicitiam perpulit.* Petron. c. 41. *Plane hoc servus tuus indicare potest* ubi v. Burmann. R. D.

Divinat] *Divinare* plerumque est futura prædicere, ut vates, qui inde *divini* dicuntur. v. Græv. ad Cic. ad Attic. X. 4. *me de republica nunquam nisi divine cogitasse;* aliquando etiam dicitur de re præterita, valetque verum dicere, rem acu tangere. R. D.

75 *Dabo jusjurandum*] Ubi argumenta et testimonia deficiunt, ibi jurejurando opus est: et id est ἄτεχνος πίστις. *Nihil esse istorum*] Satis concinne dixit *istorum*, ne in singulis commoraretur. D.

Dabo jusjurandum] Circumventus adolescens argumentis solo juramento se vult purgare. E.

76 *Reduc uxorem: aut quamobrem non opus sit, cedo*] Quia Pamphilus hoc solum defendit, non id esse, quod pater putat: nec causam, quæ vera sit, protulit: ideo senex relicta tota quæstione, rediit ad id quod agitur, et ait, *reduc uxorem:* aut dic, quæ res vetat. *Non opus sit*] Reducta scilicet. D.

77 *Non est nunc tempus*] Quia socer adest. Et oratorie confugit ad deditionem, defensione titubante. *Accipias*] Pro *accipe*, causa cur accipiat: *Nam is quidem in culpa non est*] In hoc dicto est quædam faceta irrisio ejus, qui nimis iracundus sit. D.

78 *Post de matre videro*] Bene de matre concedit, ut de puero exterqueat: quia scit parentem concordiam firmam esse per filios. D.

De mare videro] Hoc loquendi modo significamus, nondum nobis constitutum ac certum esse, quod aliqua de re sentiamus. R. D.

79 *Omnibus modis miser sum*] Quid est, *omnibus modis?* utrum et circa parentem, et circa uxorem? an et in reducenda, et in non reducenda? *Miser sum*] An miser sum, cui maxime obtruditur, quod maxime fugio, id est, puer? D.

80 *Concludit pater*] Translatio de fera indagata. Sic Cicero, Ver. III. 59. *circumdatos Verri cancellos* ait. D.

Concludit] I. e. premit, urget. Quinctil. Declam. 14. p. 298. ubi v. Schulting. R. D.

82 *Nam puerum, credo*] Omnia facit

Digitized by Google

Præsertim in ea re quum sit mihi adjutrix socrus.
L. Fugis? hem! nec quicquam certi respondes mihi?
Num tibi videtur esse apud sese? sine:
Puerum, Phidippe, mihi cedo, ego alam. PH. Maxume.
Non mirum fecit uxor mea, si hoc ægre tulit:
Amaræ mulieres sunt, non facile hæc ferunt.
Propterea hæc ira'st: nam ipsa narravit mihi;
Id ego hoc præsente tibi nolebam dicere:
Neque illi credebam primo: nunc vero palam est.
Nam omnino abhorrere animum huic video a nuptiis.
L. Quid ergo agam, Phidippe? quid das consilii?
PH. Quid agas? meretricem hanc primum adeundam censeo:

poeta, ne aut rem palam faciat, aut intercedat divortium. D.

83 *Adjutrix socrus*] Quæ dixit, *continuo exponetur*. D.

Cum mihi sit in ea re adjutrix] Quia mulieres numquam volunt a maritis, nisi se amari. E.

84 *Fugis? hem!*] Ex verbis patris ostendere voluit, quid agat Pamphilus. et ille *abibo* dixit, hic, *fugis?* D.

85 *Num tibi videtur esse apud sese*] Quasi ob amorem meretricis insanus. *Sine*] *Sine*, separatim accipe: quia vim habet comminantis. D.

87 Ob versum et sensum dele *mea*. Nam non Myrrhina potest intelligi, sed uxor Pamphili Philumena, ut supra 73. B.

88 *Amaræ mulieres*] Quasi vir dixit *amaras mulieres*. non enim laudat, sed censam dicit, unde uxor offenderit Pamphilum (*uxorem offenderit Pamphilus*). *Non facile hæc ferunt*] Non facile ferunt pellicatum, neque amorem aliarum in viris. D.

Amaræ] Menander, φύσει γυνὴ δυσήνιόν ἐστι καὶ πικρόν. Cf. Ovid. A. A. II. 373. W.

Amaræ sunt] I. e. irascuntur, infensæ sunt. Seneca de Ira I. 4. *quædam iræ in verborum maledictorumque amaritudinem effusæ*. R. D.

89 *Nam ipsa narravit mihi*] Utrum finxit hæc dixisse filiam sibi? an vero κατὰ τὸ συμπέρασμα factum est? Ego neutrum puto: et sic intelligo, quod de uxore sua dicat, *ipsa narravit mihi*: secundum illud quod supra dixit, nunc mihi in mentem venit, de hac re quod locuta es olim, quum illam generum cepimus. Nam negabas nuptam filiam tuam posse te pati cum eo, qui meretricem amaret: qui pernoctaret foris. D.

90 Pro *nolebam* plures iique meliores libri exhibent *nolueram*. B.

91 *Neque illi credebam primo*] Quare non credebas? namque amaræ ad hanc rem mulieres sunt, et sæpe de nihilo suspiciosæ. Et bene hoc addidit, ne timuisse generum videretur. D.

Pro *vero* Bembinus habet *verum*; quod magis placet. B.

92 *A nuptiis*] Non dixit *a filia mea*: sed quod pater Pamphili magis doleat, *a nuptiis* inquit. Nam Philumenam nolle, irati est: odisse nuptias, amatoris. D.

93 *Quid ergo agam, Phidippe*] Mire conturbatur pater, quasi res sua tantum agatur. Et vide quemadmodum poeta latenter festinet ad rerum cognitionem. D.

94 *Meretricem hanc*] Bene *hanc*,

Digitized by Google

Oremus: accusemus gravius: denique
Minitemur, si cum illo habuerit rem postea.
L. Faciam ut mones. eho puer, curre ad Bacchidem hanc
Vicinam nostram; huc evoca verbis meis.
Et te oro porro in hac re adjutor sis mihi. PH. Ah,
Jam dudum dixi, idemque nunc dico, Lache;
Manere affinitatem hanc inter nos volo,
Si ullo modo est ut possit; quod spero fore.
Sed vin' adesse me una, dum istam convenis?
L. Immo vero abi: aliquam puero nutricem para.

quasi eam quæ interturbat. sic enim sumitur hoc pronomen: ut, *hancine ego vitam parsi perdere?* Et, *tuaque animam hanc effundere dextra?* id est, malam. *Hanc*] Quasi dicat, quæ nos perturbat. *Primum*] Bene *primum*: ut intelligamus deinde Pamphilum. D.

95 *Oremus*] Utrum rogemus? an quod est verius, omni genere eloquii commoneamus? unde *oratores orare* et *perorare* dicuntur: et *orator* nomen accepit. Virg. Æn. VI. 124. *talibus orabat dictis.* Nam qui orat, accusaturus aut commoniturus orat. *Oremus*] Id est, eloquamur. Potest intelligi et *rogemus*: sed non convenit personæ potiori, et causæ, et ipsi verborum ordini. D.

96 *Si cum illo habuerit rem postea*] Ut in Eunucho, *quocum uno tum rem habebam hospite.* D.

97 *Bacchidem hanc vicinam nostram*] Sic maluit, quam meretricem dicere: ne grave sit cum ea seni loqui, nisi quia vicina est. D.

Lege ex tribus nostris, *eho curre, puer, ad Bacch. h.* B.

98 *Huc evoca verbis meis*] Bene servata sunt personis congruentia. Nam socerum monere hanc rem tantum decuit, non etiam facere: ut cum pellice filiæ suæ mitius sermocinaretur. Et *huc evoca verbis meis*: deest *eam.* D.

Verbis meis] I. e. nomine meo. Cic. ad Div. IX. 6. *Caninius me tuis verbis admonuit.* v. Cort. ad Sallust. in Jug. c. 21. R. D.

99 Pro *et* placet Bembini *at*; ne hoc ad puerum loqui videatur. B.

100 Pro *idemque* cod. C. C. habet recte *itidemque*; alius *itidem quod.* B.

101 *Manere*] I. e. firman perpetuam esse, nam *manere* significat perseverantiam. Virg. Æn. I. 26. R. D.

102 *Si ullo modo est ut possit*] Manere scilicet, vel fieri ut maneat. D.

103 *Sed vine adesse me una, dum istam convenis?*] Melius pronunciaveris, si renitente et improbante hoc vultu dicere acceperis Phidippum: quasi non oporteat interesse socerum. Ideo mutat sententiam Laches, et relegat eum in procurationem alterius rei. D.

104 *Nutricem para*] Pro, quære. D.

Immo vero abi] In Ms. R. et vett. *vero* deest. L.

Digitized by Google

ACT. V. SCENA I.

BACCHIS. LACHES.

NON hoc de nihilo'st, quod Læches nunc me conventam esse expetit:
Nec pol me multum fallit, quin, quod suspicor, sit quod velit.
L. Videndum est, ne minus propter iram hanc impetrem, quam possiem:
Aut ne quid faciam plus, quod me post minus fecisse satius sit.

1 *Non hoc de nihilo est*] Rarus vitæ color in hac locutione miscetur a poeta. Nam meretrix loquitur et senex: et quod est mirabilius, bona meretrix, mitis senex. ut intelligas laborasse Terentium, ut et a lege comicorum recederet, et in actu tantum consuetudinem retineret. *Non hoc de nihilo est*] Debet mirari meretrix, quum ad senem ducitur: debet timere, quum ad patrem: debet suspicari aliquid, cujus amator jam maritus est. *Non hoc de nihilo*] Conjecturalis causa est: recipis Pamphilum? non recipio. D.

Non hoc de nihilo est] Hæc scena mixta est. Nam et controversiæ speciem tenet deliberativæ. Controversia in hoc est, quod reus (*quad rea* Z.) sit injuriarum ex hoc, quod Pamphilum recipiat, meretrix, postesquam duxit uxorem. Conjecturalis est causa. Negat esse factum hoc. Quum argumenta deficiunt, fides efficitur per genera testimonii, ac primum per jusjurandum, deinde per fidem tormentorum. Nam servus promittitur (*nam servas promittit suas* Z.) in tormenta. Quibus rebus cum purgata meretrix fuerit, persuadetur ei, ut ad matrem pergat, jurandi gratia. E.

Meliores libri collocant *me nunc* c. B. Cum Læches hic non de scena abeat; Daceria demum post scenam tertiam actus quinti, finiri censet actum quartum. Z.

De nihilo] I. e. sine causa. Prop. II. 13. 52. *nec sic de nihilo fulminis ira cadit.* Liv. XXX. 29. *Hannibal maxime hostis fiducia quæ non de nihilo concepta est perculsus.* R. D.

2 *Nec pol me multum fallit, quin quod suspicor*] Ordo et sensus hic est, nec pol me multum fallit, quin quod velit, hoc sit quod suspicor: vel, quin quod suspicor, sit hoc quod velit. Ordo, quin quod velit, sit quod suspicor. *Nec pol me multum fallit*] Non me fallit, quo minus id sit, quod me vocat, quod suspicor. D.

3 *Videndum est*] Providendum, cavendum. *Ne minus propter iram*] Quia non erat verisimile, bonum esse patrem meretrici interturbanti: reddit rationem senex, cur agat mitius, ne videatur personæ modus non esse servatus. *Impetrem*] Perficiam. dictum a patrando: cujus rei difficultas ob tarditatem complendarum nuptiarum, etiam ad alia negotia quæ sunt ardua, verbum hoc commodavit ac dedit. D.

Pro *hanc* sensus poscit *hinc*, i. e. ab *hac Bacchide:* ut Adel. III. 3. 7. ubi *hinc* est ab hoc Syro. B.

4 *Quod post me minus fecisse satius*

Digitized by Google

Aggrediar. Bacchis, salve. B. Salve, Lache. L. Credo ædepol te

Nonnihil mirari, Bacchis, quid sit, quapropter te huc foras puerum evocare jussi.

B. Ego pol quoque etiam timida sum, quum venit mihi in mentem quæ sim:

Ne nomen mihi quæstus obstet apud te: nam mores facile tutor.

sit] Satisfaciendo minuisse. *Quod post me minus feciss satius*] Si *sit* pro *videatur* acceperis, erit sensus, ne quid faciam plus, quod post, dum pœniteat me, videatur satius minus fecisse. Si *sit* pro *erit* acceperis, erit sensus, videndum est ne quid plus faciam: quod quum fecero, postea satius sit me non fecisse et satisfacere. Aut certe duas res significat, quibus inter utrumque temperandum esse demonstrat: ut per illud supra, lenitatem tenendam: per hoc infra, auctoritatem defendendam esse commoneat. An *minus feciss*, pro pœnitere? Sic enim veteres dicebant, *muto factum*, et *nolo factum*: quum alicujus rei eos pœnitebat. *Sit*] Modo *sit* pro *videatur* posuit. D.

Ex Bemb. Victor. et Donato Faernus collocat *quod post me*, ut sit iambus in ultima. B.

Ne quid plus faciam] I. e. ne durius cum ea agam, quod post me fecisse pœniteat. R. D.

5 *Aggrediar. Bacchis, salve*] Bene *aggrediar*, quasi rem arduam, et incongruam seni. vel *aggrediar*, ut meretricem circumveniam. Virg. Æn. IV. 92. *talibus aggreditur Venerem Saturnia dictis. Bacchis, salve*] Non ita meretrici obsequitur senex: quamquam vult adimere timorem personæ suæ. *Credo ædepol te nonnihil mirari*] Ipsum proœmium mollius et lenius est, ut ostendat se non jurgaturum senex. D.

Ex Bemb. hunc et duo seqq. versus ordinat Faernus ita: *aggrediar. Bacchis, salve.* | B. *Salve, Laches.* L. *Credo edepol, te nonnil mirari, Bacchis,* | *Quid sit, quapropter t. h. f. p. e. j.* Ut prior sit dimeter iambicus catalecticus, et posteriores iambici octonarii catalectici. Cæterum versus postulat, ut legas, *ædepol credo te.* B.

6 *Quid sit*] Deest *rei*: ut sit, *quid sit rei.* D.

7 *Ego pol quoque etiam timida sum*] Παρέλκον tertium. Ut, Æn. I. 9. *multa quoque et bello passus.* Et obsequenter posuit non solum se mirari, sed etiam pavere. *Ego pol quoque etiam timida sum*] Bene *etiam*: ut hoc dicat, non solum miror, sed etiam timeo. Et nove, *timida sum*, pro timeo. D.

Ob versum recte Faernus vidit *mihi* esse ejiciendum. B.

8 *Ne nomen mihi quæstus*] Id est, nomen quod inest meo quæstui. *Nemen quæstus obstet*] Quem exeroeo scilicet: id est, *quod est quæstui mihi* (*meo* Z.) *Ne nomen mihi quæstus*] Id est, quod meretrix sum. Legitur et, *nomen meo quæstui obstet.* D.

Ne nomen mihi quæstus obstet] Etiam ipsa vehementer timeo, ne, quod meretrix dicor, impedimento sit commodis meis. *Mores facile* autem *tutor.* E.

Obstet apud te] Postremæ duæ voces in Ms. R. desunt. L.

Lege, uti dudum Faernus vidit, *ne nómen quaésti mi óbsiet: nam m. f.* t. Nam Bemb. habet *quæsti*; idem liber, Vatic. et Victor. cum tribus nostris non habent verba *apud te*, quæ repugnant versui, et parum sensui prosunt. Denique ne versui syllaba desit, lege *obsiet.* B.

Mores facile tutor] I. e. mores mei

Digitized by Google

L. Si vera dicis, nihil tibi pericli est a me, mulier:
Nam jam ætate ea sum, ut non siet peccato mihi ignosci æquom:
Quo magis omnis res cautius, ne temere faciam, accuro.
Nam si id facis, facturave es, bonas quod par est facere: inscitum
Offerre injuriam tibi me, immerenti iniquom est.
B. Est magna ecastor gratia de istac re, quam tibi habeam.

sunt ejusmodi, ut facile eos defendere possim, in moribus meis nihil reprehendi potest. R. D.

9 *Si vera dicis*] Interrogabo scilicet. D.

Ordo verborum, qui est in libris Faerni et nostris, versui et convenientior, *nil tibi est a mé pericli, múlier*. B.

10 *Non sit*] Non videatur. *Jam ea ætate sum, ut non sit peccato mihi ignosci æquom*] Quia jam ipse (*num quia jam ipse* Z.) non do veniam; an quia non mihi peccanti non danda est? Et est ordo, ut non sit mihi æquum peccato ignosci. Necessaria igitur ambiguitas. aut enim *sit* pro videatur: aut *peccato*, pro peccatorum: aut *peccato mihi*, pro peccanti mihi, aut peccato meo. aut deest *in*, ut sit, in peccato. D.

Quum ego ea ætate sum, ut peccato non dem, id (*peccato non dem veniam; ideo* Z.) diligenter curo, ne aliquid temere faciam. E.

Ut non sit peccato ignosci æquum] In hoc loco explicando Donatus et alii multum tricantur. *Peccato* per ablativum, quem grammatici absolutum vocant, dicitur: cum peccatum fuerat. Simillima est ratio Ciceroniana Agrar. II. 2. *cui errato nulla venia, recte facto, exigua laus proponitur*. v. Perizon. ad S. Minerv. IV. 4. Nota 86. p. 619. R. D.

11 *Cautius, ne temere faciam*] Seniliter additum post *cautius, ne temere faciam*. D.

Lege ex nostris fere omnibus, *quo magis res omnes cautius*. B.

Magis cautius] *Magis* sæpe per pleonasmum jungitur comparativo. Virgil. in Culice v. 78. ubi v. Scalig. Liv. IX. 7. *tristior ignominiosæ pacis magis quam periculi nuncius fuit ubi* v. Drakenb. R. D.

12 *Facturave es*] Etiamsi non facies. *Inscitum*] Me scilicet, si injuriam faciam. *Inscitum*] Inelegans, non bonum. Et non bene dixit *durum*, aut quid tale, sed *inscitum*: quo verbo maxime mulieres et meretrices utuntur. *Scitum* enim dicunt quod placet: *inscitum* quod displicet, ut, *per ecastor scitus puer natus est e Pamphilo*. Hoc tale est quod dixit *inscitum* ex abundanti: quale est apud Virgil. Æn. XII. 185. *nec post arma ulla rebelles Æneadæ referent*. D.

Illud *nunc* Faernus auctoritate Bemb. delet. At nostri omnes, *nam si id nunc facis*. Cæterum illud *inscitum* cum Faerno præpone sequenti. B.

Inscitum] I. e. stolidum. R. D.

13 *Offerre injuriam*] *Offerimus* injuriam non merenti: *reddimus* ei qui meretur. D.

Inscitum, offerre injuriam] Injustum valde non merenti tibi inferre injuriam. E.

Illud *me*, cum absit in Bemb. et in uno ex nostris, nec Donatus videatur legisse, cum Faerno spurium putamus. B.

14 *Est magna ecastor gratia, de ista re, quam tibi habeam*] Imitatur hic et senile, et femineum tardiloquium. Suffecerat enim, *ago gratias*. D.

Digitized by Google

Nam qui post factam injuriam se expurget, parum mihi prosit. 15

Sed quid istuc est? L. Meum receptas filium ad te Pamphilum. B. Ah!

L. Sine dicam: uxorem hanc prius quam duxit, vostrum amorem pertuli.

Mane, nondum etiam dixi id quod volui. hic nunc uxorem habet;

Ne versus claudicet, et dictio solœcisset, repone, *est mágnam ecastor grátiam de istác re quod tibi hábeam.* ut Plaut. Rud. IV. 6. 32. B.

Est magnam gratiam] Ordo hic est: est quod habeam tibi magnam gratiam de hac re. v. Bentl. ad h. l. R. D.

15 *Nam qui post factam injuriam se expurget*] Sic Adelphis ait: *indignum te esse injuria hac, indignis quum egomet sim acceptus modis. Parum mihi prosit*] Si sic accipiatur, ut scriptum est, λιτότης est aut ταπείνωσις. Et ita intelligendum, quasi dixerit, multum mihi nocuerit, imo me everterit. D.

16 *Sed quid istuc est?*] Nunc demum ad rem redit. *Meum receptas filium*] Intensio criminis. Et non *recipis*, sed *receptas*. Et ne diceret, quid tua? *Meum filium. Meum receptas filium*] Propositio accusatoria est. et breviter proposuit crimen, quod postea dilatatur. Et frequentativo usus est verbo, quod non raro, sed frequenter receptet. *Meum receptas filium ad te*] Status conjecturalis, quæ conjectura diluitur per ἔντεχνον πίστιν, id est, jusjurandum, ac tormenta servorum. *Ah!*] Quod falsum est, reclamavit meretrix statim: et voluit contradicere, si permitteret senex. D.

Accusatio sic ponitur: *meum receptas filium.* Et cum illa continuo negare vellet, hic quasi non accusantis tantum personam tenet, sed persuadere *(dissuadere* Z.) cupientis illud, quod diu promissum *(permissum* Z.) sit Pamphilo, ut ad meretricem pergeret. E.

17 *Sine dicam*] Virg. Æn. XII. 25. *sine me hæc haud mollia fatu, Sublatis aperire dolis. Uxorem hanc prius quam duxit*] Hanc quasi molestam *(modestam* Z.) et quæ hæc nolit pati. *Uxorem hanc prius quam*] A persona sua, prius quam hanc duxit, vestrum amorem pertuli. Et quia multum diuque amaverit, *pertuli* dixit, quæ est longi temporis significatio. *Hanc prius quam duxit*] Ante rem: a præteritis et ante actis. *Vestrum amorem pertuli*] Ἀποσιώπησις, ut in Heautont. *at næ illud haud inultum, si vivo, ferent. Non jam, non tute cohibes? Vestrum*] Non, ipsius Pamphili. Ergo blande et honorifice. non enim illius amorem, et tuum quæstum: sed amorem vestrum, nihil potuit dici familiarius, *pertuli* autem, quantam vim patientiæ habet, quantumque ponderis, ne lædi mereatur alterius. D.

Ut sit hic trochaicus cum priori et posterioribus, lege, *sine dum: uxorem*, &c. B.

18 *Mane; nondum etiam*] Ἀποσιώπησις tertia. *Nondum etiam dixi id quod volui*] Apparet senem tarde, et longe loquentem interpellari vultu responsuræ meretricis: quum ille sibi silentium præberi velit. Sic Virgilius Latinum inducit dicentem Æn. XII. 25. *sine me hæc haud mollia fatu, Sublatis aperire dolis: simul hæc animo hauri.* Et ad postremum de Turno Æn. XII. 47. *ut primum fari potuit, sic incipit ore. Hic nunc uxorem habet*] Cum denuntiatione pronunciandum est: quasi dicat *alia res est.* D.

Versus causa ante *volui* intersere *te.* B.

Digitized by Google

Quære alium tibi amicum firmiorem, dum tempus consulendi est:
Nam neque ille hoc animo erit ætatem, neque pol tu eadem istac ætate. 20
B. Quis id ait? L. Socrus. B. Mene? L. Te ipsam: et filiam abduxit suam:
Puerumque ob eam rem clam voluit, natus qui est, extinguere.

19 *Quære alium tibi amicum firmiorem*] Magna moralitas in denunciatione, magna proprietas. sic enim dicimus, *quære tibi.* Virg. Æn. XI. 129. *quærat sibi fœdera Turnus. Quære alium tibi amicum firmiorem*] *Firmiorem* pro firmo. non enim firmum concedit esse Pamphilum: quem vult intelligi deceptorem esse Bacchidis, non jam amatorem stabilem. *Quære alium tibi amicum firmiorem*] Oratorie senex quasi consulit meretrici, quam vocaverat incusandam. *Quære alium*] A præsentibus et a futuris. *Amicum firmiorem*] Callide senex, quasi jam non Pamphilo consulat, sed Bacchidi, *quære alium*, dixit. *Dum tempus consulendi est*] Sensus, dum ætas in flore posita est, facies vendibilis etiam nunc est. Et ordo, dum tempus est consulendi tibi. et bis subaudiendum est *tibi.* D.

Cum Faerni libri *amicum* non habeant, et in aliis incertam teneat sedem, recte spurium putatur. Tum Bemb. et Vict. recte, *dum tibi tempus c. e.* B.

Quære alium tibi firmiorem] Hoc formulæ speciem habes in Phorm. II. 1. 67. Petron. c. 79. *alium eorum quem polluas quære.* ubi v. Burmann. p. 510. R. D.

20 *Nam neque ille hoc animo erit ætatem*] *Ætatem*, pro, tam diu quam longa est ætas. *Neque pol tu eadem istac ætate*] Σχῆμα λόγου πλοκή. prius *ætatem* adverbium, et posterius nomen. D.

Erit ætatem] Τὸ *ætatem* in vett. libb. et Ms. R. omissum est. L.

Ætatem male abest in nostris. B.

21 *Quis id ait?*] Non interrogatio, sed firma negatio est. *Quis id ait?*] Quum dicat senex, *meum receptas filium:* mirum est illam dicere, *quis id ait?* sed ab accusatore testimonium quærit. Et bene *ait*, quasi vanum. sic enim dicimus, *ait, aio*, de rebus negatoriis. *Quis id ait?*] Moraliter meretrix missa fecit omnia, quæ in medium senex contulit: et soli intentioni, meum receptas filium ad te Pamphilum: quis *id ait?* respondit. *Socrus*] Terribiliter, quasi quæ maxime scinat, et quæ maxime doleat. Ergo et oculis et labris pronunciandum est. *Et filiam abduxit suam*] Addidit ad personam testis et facta: quia minus idoneum videbatur, socrum dixisse de pellice. et simul ostendit quantopere hoc animadvertendum sit, ex quo tantæ turbæ sint concitatæ. *Abduxit suam*] *Abduxit*, proprie. *Arcessi* enim dicitur ad maritum: *abduci* a marito ad divortium. Sic Virgil. Æn. X. 79. *et gremiis abducere pactas?* D.

Quis ait hoc?] Jam negantis est, quod intentato (*intento* Z.) crimini quæritur testis. Sed cum dictus auctor est, adjecit argumentum ad probationem, quod filiam abduxit suam, quod puerum ob eam rem clam natum voluit extinguere. Purgationem sumit ex jurejurando, *aliud si scirem.* Hic (*hinc* Z.) jam deliberativa illa imago est. Promittit quidem illa, et commemorat magnam faciens benevolentiam (*sed commemorat, non aliam facere illud meretricem* Z.) post nuptias, quia turpis est apud nuptam meretricis ista purgatio. E.

22 *Puerumque ob eam rem*] Hoc sic pronunciat senex, quasi qui dicat, *ecce*

Digitized by Google

Ego alam? L. Quid dixti? eho! annon alemus, Pamphile?
Prodemus quæso potius? quæ hæc amentia est?
Enimvero prorsus jam tacere non queo:
Nam cogis ea, quæ nolo, ut præsente hoc loquar,
Ignarum censes tuarum lacrumarum esse me?
Aut quid sit id, quod sollicitere ad hunc modum?
Primum, hanc ubi dixti causam, te propter tuam
Matrem non posse habere hanc uxorem domi:
Pollitica est ea se concessuram ex ædibus.
Nunc, postquam ademtam hanc quoque tibi causam vides;
Puer quia clam te est natus, nactus alteram es.
Erras, tui animi si me esse ignarum putas.
Aliquando tandem huc animum ut adjungas tuum,

49 *Annon alemus, Pamphile?*] Quod, faciendum sit, a contrario vult senex pronunciatione demonstrare, quod scelus sit non fecisse. D.

50 *Prodemus, quæso, potius?*] Deseremus, projiciemus, porro dabimus: Virg. Æn. I. 255. *unius ob iram prodimur.* Nam a quo defendendi sumus, si nos deserit pater? D.

Prodemus, quæso] Hic nova suspicione Pamphili pater ducitur; ut adolescentem credat amare meretricem, et hac causa nolle reducere uxorem. Ideo adjecit: *Nam cogis ea, quæ nolo, ut præsente hoc loquar*] Et est invectio, qua conjecturalia argumenta colligit, quod hac causa uxorem nollet ducere, quod diligat meretricem. Scilicet a summo ad imum argumenta colligit. Nam primum dixit, propter matrem uxorem nolle reducere; ea causa sublata, reperit aliam, quod partim celavit. Ergo colligit vanas suspiciones. Et causæ quidem mutantur, et esse illam potiorem, quod meretricem diligit. Sed jungitur cum castigatione correctio. E.

51 *Enimvero prorsus jam tacere*] Multa reticentia de filiorum vitiis, et defensione quoque apud soceros uti parentes, sæpe Terentius demonstravit, et præcipue in Andria, quum dicit, *ego illud sedulo negare factum, ille instat factum. Jam tacere non queo*] Quamvis tacendum sit. D.

53 *Ignarum censes tuarum lacrumarum esse me?*] Conjectura quod amet meretricem Pamphilus. *Tuarum lacrumarum esse me?*] Apparet illum a Sostrata hoc audivisse. Nam ipse filium reprehenderet (*nam ipsa filium deprehenderat.* Z.) flentem. D.

54 *Sollicitere*] Perturberis, commoveare. *Ad hunc modum*] Id est, immoderate. D.

Id quod sollicitere] Ms. R. *quid sit hoc, id quod sollicitere.* L.

Pro *id* nostri meliores habent *hoc.* B.

Sollicitere] I. e. commoveare, perturberis v. Donat. ad h. l. R. D.

55 *Primum, hanc ubi dixti causam*] A summo ad imum. D.

59 *Nactus alteram es*] *Nancisci* proprie dicitur, qui paratus ad tenendum, ante quam posit reperire quod teneat, statim, quod occurrerit, prehendit. D.

61 *Aliquando tandem huc animum ut adjungas tuum*] Mire est temporis invectio (*inversio*). Et *aliquando tan-*

Digitized by Google

Quam longum spatium amandi amicam tibi dedi?
Sumtus, quos fecisti in eam, quam animo æquo tuli?
Egi atque oravi tecum, uxorem ut duceres:
Tempus dixi esse: impulsu duxisti meo.
Quæ tum, obsecutus mihi, fecisti ut decuerat.
Nunc animum rursum ad meretricem induxti tuum;
Cui tu obsecutus, facis huic adeo injuriam:
Nam in eandem vitam te revolutum denuo
Video esse. PA. Mene? L. Te ipsum. et facis injuriam;
Quum fingis falsas causas ad discordiam,
Ut cum illa vivas, testem hanc quum abs te amoveris.

dem ut adjungus, deest *fac*: sed plenum pronunciatione est. D.

Huc animum ut adjungas] Vett. et reg. exempl. *ut adducas*. L.

Pro *adjungas* omnes nostri habent *adducas*: ut infra V. 3. 38. B.

Animum ut adjungas] Meliores libri habent *animum ut adducas*. infra V. 3. 38. *nunquam animum quæstus gratia ad malas adducam partes* v. Bentl. ad h. l. R. D.

62 *Quam longum spatium*] Ab ante actis. D.

63 *Sumtus, quos fecisti in eam*] Recte hoc dixit: quia impetrabilior esse debet indulgentissimus pater. ut alibi, *tum patris pudor, qui me tam leni passus est animo usque adhuc, quæ meo cumque animo libitum est facere: eine ego ut adworser?* D.

64 *Egi atque oravi*] *Agit*, qui justam rem dicit: *orat*, qui animo demisso precatur, ut quasi beneficium præstetur sibi. D.

Oravi tecum] *Orare tecum* antique dixit pro *orare te* ut Plaut. in Rudente III. 4. 68. *scin quid tecum oro senex?* R. D.

65 *Tempus dixi esse*] *Tempus*: quia diu multumque sustinuit. *Impulsu duxisti meo*] Multum valet ad suadendum laudatio ejus, apud quem agimus: et ex ea parte laudatio, qua illum volumus inflecti. D.

66 *Quæ tum, obsecutus mihi, fecisti ut decuerat*] Ordo, quæ fecisti tum obsecutus mihi, ut decuerat. *Quæ tum obsecutus mihi, fecisti*] Juveniliter satis; quia non dixit, multum amans. D.

67 *Nunc animum rursum ad meretricem*] Hoc vultuose, et demisso labro: ut appareat invitum adduci ad reprehendendum, qui laudaverit modo. D.

68 *Cui tu obsecutus*] O (*ob* Mss. et edd. vett.) meretricis superbiam non ferendam. *Facit huic*] Scilicet uxori. D.

69 *Nam in eandem vitam*] Parcius *vitam* dixit, quam flagitium atque libidinem. *Te revolutum denuo*] Non *redisse*, sed *revolutum esse*: tanquam invitum aut nescium. reliquit enim quandam veniam, ut velit esse correctior. D.

In eandem vitam revolutum esse] I. e. rediisse. Cic. ad Attic. XIII. 26. *revolvor identidem in Tusculanum*. R. D.

70 *Mene?*] Hoc genus interrogationis negativam habet significationem. *Et facis injuriam*] Pro, *facis injuste*. D.

71 Pro *cum fingis*, meliores libri habent *confingis*. B.

72 *Ut cum illa vivas*] Gravius est cum meretrice vivere, quam meretricem amare. *Testem hanc quum abs te amoveris*] Laudata est hic uxor modesta, quum illam testem, non impeditricem appellet socer. D.

Digitized by Google

Sensitque adeo uxor: nam ei causa alia quæ fuit,
Quamobrem abs te abiret? PH. Plane hic divinat: nam id est.
PA. Dabo jusjurandum, nihil esse istorum, tibi. L. Ah,
Reduc uxorem: aut, quamobrem non opus sit, cedo.
PA. Non est nunc tempus. L. Puerum accipias: nam is quidem
In culpa non est: post de matre videro.
PA. Omnibus modis miser sum: nec, quid agam, scio:
Tot me nunc rebus miserum concludit pater.
Abibo hinc, præsens quando promoveo parum:
Nam puerum injussu, credo, non tollent meo;

73 *Sensitque adeo uxor*] Aliud argumentum, quo vult in Pamphilum referre non solum illius (*ipsius* Z.) sed etiam uxoris culpam. Et hic vide nos accusari socrum. D.

74 *Plane hic divinat*] *Divinat* dixit, pro verum dixit. et nota *divinat*, de præterito dictum. Unde proverbium, *aiunt divinare sapientem*. quia qui dicit verum, divinus est. D.

Plane] I. e. omnino Plaut. in Epid. IV. I. 14. *plane hic ille est qui mihi in Epidauro primus pudicitiam perpulit.* Petron. c. 41. *Plane hoc servus tuus indicare potest* ubi v. Burmann. R. D.

Divinat] *Divinare* plerumque est futura prædicere, ut vates, qui inde *divini* dicuntur. v. Græv. ad Cic. ad Attic. X. 4. *me de republica nunquam nisi divine cogitasse;* aliquando etiam dicitur de re præterita, valetque verum dicere, rem acu tangere. R. D.

75 *Dabo jusjurandum*] Ubi argumenta et testimonia deficiunt, ibi jurejurando opus est: et id est ἔντεχνος πίστις. *Nihil esse istorum*] Satis concinne dixit *istorum*, ne in singulis commoraretur. D.

Dabo jusjurandum] Circumventus adolescens argumentis solo juramento se vult purgare. E.

76 *Reduc uxorem: aut quamobrem non opus sit, cedo*] Quia Pamphilus hoc solum defendit, non id esse, quod pater putat: nec causam, quæ vera sit, protulit: ideo senex relicta tota quæstione, rediit ad id quod agitur, et ait, *reduc uxorem:* aut dic, quæ res vetat. *Non opus sit*] Reducta scilicet. D.

77 *Non est nunc tempus*] Quia socer adest. Et eratorie confugit ad deditionem, defensione titubante. *Accipias*] Pro *accipe*, causa cur accipiat: *Nam is quidem in culpa non est*] In hoc dicto est quædam faceta irrisio ejus, qui nimis iracundus sit. D.

78 *Post de matre videro*] Bene de matre concedit, ut de puero exterqueat: quia scit parentum concordiam firmam esse per filios. D.

De matre videro] Hoc loquendi modo significamus, nondum nobis constitutum ac certum esse, quod aliqua de re sentiamus. R. D.

79 *Omnibus modis miser sum*] Quid est, *omnibus modis?* utrum et circa parentem, et circa uxorem? an et in reducenda, et in non reducenda? *Miser sum*] An miser sum, cui maxime obtruditur, quod maxime fugio, id est, puer? D.

80 *Concludit pater*] Translatio de fera indagata. Sic Cicero, Ver. III. 59. *circumdatos Verri cancellos* ait. D.

Concludit] I. e. premit, urget. Quinctil. Declam. 14. p. 298. ubi v. Schulting. R. D.

82 *Nam puerum, credo*] Omnia facit

Digitized by Google

Præsertim in ea re quum sit mihi adjutrix socrus.
L. Fugis? hem! nec quicquam certi respondes mihi?
Num tibi videtur esse apud sese? sine:
Puerum, Phidippe, mihi cedo, ego alam. PH. Maxume.
Non mirum fecit uxor mea, si hoc ægre tulit:
Amaræ mulieres sunt, non facile hæc ferunt.
Propterea hæc ira'st: nam ipsa narravit mihi;
Id ego hoc præsente tibi nolebam dicere:
Neque illi credebam primo: nunc vero palam est.
Nam omnino abhorrere animum huic video a nuptiis.
L. Quid ergo agam, Phidippe? quid das consilii?
PH. Quid agas? meretricem hanc primum adeundam censeo:

poeta, ne aut rem palam faciat, aut intercedat divortium. D.

83 *Adjutrix socrus*] Quæ dixit, *continuo exponetur*. D.

Cum mihi sit in ea re adjutrix] Quia mulieres numquam volunt a maritis, nisi se amari. E.

84 *Fugis? hem!*] Ex verbis patris ostendere voluit, quid agat Pamphilus. et ille *abibo* dixit, hic, *fugis?* D.

85 *Num tibi videtur esse apud sese*] Quasi ob amorem meretricis insanus. *Sine*] *Sine*, separatim accipe: quia vim habet commiserantis. D.

87 Ob versum et sensum dele *mea*. Nam non Myrrhina potest intelligi, sed uxor Pamphili Philumena, ut supra 73. B.

88 *Amare mulieres*] Quasi vir dixit *amaras mulieres*. non enim laudat, sed asperam dicit, unde uxor offenderit Pamphilum (*uxorem offenderit Pamphilus*). *Non facile hæc ferunt*] Non facile ferunt pellicatum, neque amorem aliarum in viris. D.

Amaræ] Menander, φύσει γυνὴ δυσήνιόν ἐστι καὶ πικρόν. Cf. Ovid. A. A. II. 373. W.

Amaræ sunt] I. e. irascuntur, infensæ sunt. Seneca de Ira I. 4. *quædam iræ in verborum maledictorumque amaritudinem effusæ*. R. D.

89 *Nam ipsa narravit mihi*] Utrum finxit hæc dixisse filiam sibi? an vero κατὰ τὸ συμπάμενον factum est? Ego neutrum puto: et sic intelligo, quod de uxore sua dicat, *ipsa narravit mihi*: secundum illud quod supra dixit, nunc mihi in mentem venit, de hac re quod locuta es olim, quum illum generum cepimus. Nam negabas nuptam filiam tuam posse te pati cum eo, qui meretricem amaret: qui pernoctaret foris. D.

90 Pro *nolebam* plures iique meliores libri exhibent *nolueram*. B.

91 *Neque illi credebam primo*] Quare non credebas? namque amaræ ad hanc rem mulieres sunt, et sæpe de nihilo suspiciosæ. Et bene hoc addidit, ne timuisse generum videretur. D.

Pro *vero* Bembinus habet *verum*; quod magis placet. B.

92 *A nuptiis*] Non dixit *a filia mea*: sed quod pater Pamphili magis doleat, *a nuptiis* inquit. Nam Philumenam nolle, irati est: odisse nuptias, amatoris. D.

93 *Quid ergo agam, Phidippe*] Mire conturbatur pater, quasi res sua tantum agatur. Et vide quemadmodum poeta latenter festinet ad rerum cognitionem. D.

94 *Meretricem hanc*] Bene *hanc*,

Digitized by Google

Oremus: accusemus gravius: denique
Minitemur, si cum illo habuerit rem postea.
L. Faciam ut mones. eho puer, curre ad Bacchidem hanc
Vicinam nostram; huc evoca verbis meis.
Et te oro porro in hac re adjutor sis mihi. PH. Ah,
Jam dudum dixi, idemque nunc dico, Lache;
Manere affinitatem hanc inter nos volo,
Si ullo modo est ut possit; quod spero fore.
Sed vin' adesse me una, dum istam convenis?
L. Immo vero abi: aliquam puero nutricem para.

quasi eam quæ interturbat. sic enim sumitur hoc pronomen: ut, *hancine ego vitam parsi perdere?* Et, *tuaque animam hanc effundere dextra?* id est, malam. *Hanc*] Quasi dicat, quæ nos perturbat. *Primum*] Bene *primum*: ut intelligamus deinde Pamphilum. D.

95 *Oremus*] Utrum rogemus? an quod est verius, omni genere eloquii commoneamus? unde *oratores orare* et *perorare* dicuntur: et *orator* nomen accepit. Virg. Æn. VI. 124. *talibus orabat dictis.* Nam qui orat, accusaturus aut commoniturus orat. *Oremus*] Id est, eloquamur. Potest intelligi et *rogemus*: sed non convenit personæ potiori, et causæ, et ipsi verborum ordini. D.

96 *Si cum illo habuerit rem postea*] Ut in Eunucho, *quocum uno tum rem habebam hospite.* D.

97 *Bacchidem hanc vicinam nostram*] Sic maluit, quam meretricem dicere: ne grave sit cum ea seni loqui, nisi quia vicina est. D.

Lege ex tribus nostris, *eho curre, puer, ad Bacch. h.* B.

98 *Huc evoca verbis meis*] Bene servata sunt personis congruentia. Nam socerum monere hanc rem tantum decuit, non etiam facere: ut cum pellice filiæ suæ mitius sermocinaretur. Et *huc evoca verbis meis*: deest *eam.* D.

Verbis meis] I. e. nomine meo. Cic. ad Div. IX. 6. *Caninius me tuis verbis admonuit.* v. Cort. ad Sallust. in Jug. c. 21. R. D.

99 Pro *et* placet Bembini *at*; ne hoc ad puerum loqui videatur. B.

100 Pro *idemque* cod. C. C. habet recte *itidemque*; alius *itidem quod.* B.

101 *Manere*] I. e. firmam perpetuam esse, nam *manere* significat perseverantiam. Virg. Æn. I. 26. R. D.

102 *Si ullo modo sit ut possit*] Manere scilicet, vel fieri ut maneat. D.

103 *Sed vine adesse me una, dum istam convenis?*] Melius pronunciaveris, si renitente et improbante hoc vultu dicere acceperis Phidippum: quasi non oporteat interesse socerum. Ideo mutat sententiam Laches, et relegat eum in procurationem alterius rei. D.

104 *Nutricem para*] Pro, quære. D.

Immo vero abi] In Ms. R. et vett. *vero* deest. L.

Digitized by Google

ACT. V. SCENA I.

BACCHIS. LACHES.

NON hoc de nihilo'st, quod Laches nunc me conventam esse expetit:
Nec pol me multum fallit, quin, quod suspicor, sit quod velit.
L. Videndum est, ne minus propter iram hanc impetrem, quam possiem:
Aut ne quid faciam plus, quod me post minus fecisse satius sit.

1 *Non hoc de nihilo est*] Rarus vitæ color in hac locutione miscetur a poeta. Nam meretrix loquitur et senex: et quod est mirabilius, bona meretrix, mitis senex, ut intelligas laborasse Terentium, ut et a lege comicorum recederet, et in actu tantum consuetudinem retineret. *Non hoc de nihilo est*] Debet mirari meretrix, quum ad senem ducitur: debet timere, quum ad patrem: debet suspicari aliquid, cujus amator jam maritus est. *Non hoc de nihilo*] Conjecturalis causa est: recipis Pamphilum? non recipio. D.

Non hoc de nihilo est] Hæc scena mixta est. Nam et controversiæ speciem tenet deliberativæ. Controversia in hoc est, quod reus (*quod rea* Z.) sit injuriarum ex hoc, quod Pamphilum recipiat, meretrix, posteaquam duxit uxorem. Conjecturalis est causa. Negat esse factum hoc. Quum argumenta deficiunt, fides efficitur per genera testimonii, ac primum per jusjurandum, deinde per fidem tormentorum. Nam servus promittitur (*nam servas promittit suas* Z.) in tormenta. Quibus rebus cum purgata meretrix fuerit, persuadetur ei, ut ad matrem pergat, jurandi gratia. R.

Meliores libri collocant *me nunc* c. B. Cum Laches hic non de scena abeat; Daceria demum post scenam tertiam actus quinti, finiri censet actum quartum. Z.

De nihilo] I. e. sine causa. Prop. II. 13. 52. *nec sic de nihilo fulminis ira cadit.* Liv. XXX. 29. *Hannibal maxime hostis fiducia quæ non de nihilo concepta est perculsus.* R. D.

2 *Nec pol me multum fallit, quin quod suspicor*] Ordo et sensus hic est, nec pol me multum fallit, quin quod velit, hoc sit quod suspicor: vel, quin quod suspicor, sit hoc quod velit. Ordo, quin quod velit, sit quod suspicor. *Nec pol me multum fallit*] Non me fallit, quo minus id sit, quod me vocat, quod suspicor. D.

3 *Videndum est*] Providendum, cavendum. *Ne minus propter iram*] Quia non erat verisimile, bonum esse patrem meretrici interturbanti: reddit rationem senex, cur agat mitius, ne videatur personæ modus non esse servatus. *Impetrem*] Perficiam. dictum a patrando: cujus rei difficultas ob tarditatem complendarum nuptiarum, etiam ad alia negotia quæ sunt ardua, verbum hoc commodavit ac dedit. D.

Pro *hanc* sensus poscit *hinc*, i. e. ab *hac Bacchide*: ut Adel. III. 3. 7. ubi *hinc* est ab hoc Syro. B.

4 *Quod post me minus fecisse satius*

Digitized by Google

Aggrediar. Bacchis, salve. B. Salve, Lache. L. Credo ædepol te
Nonnihil mirari, Bacchis, quid sit, quapropter te huc foras puerum evocare jussi.
B. Ego pol quoque etiam timida sum, quum venit mihi in mentem quæ sim:
Ne nomen mihi quæstus obstet apud te: nam mores facile tutor.

sit] Satisfaciendo minuisse. *Quod post me minus fecisse satius*] Si *sit* pro *videatur* acceperis, erit sensus, ne quid faciam plus, quod post, dum pœniteat me, videatur satius minus fecisse. Si *sit* pro *erit* acceperis, erit sensus, videndum est ne quid plus faciam: quod quum fecero, postea satius sit me non fecisse et satisfacere. Aut certe duas res significat, quibus inter utrumque temperandum esse demonstrat: ut per illud supra, lenitatem tenendam: per hoc infra, auctoritatem defendendam esse commoneat. An *minus fecisse*, pro pœnitere? Sic enim veteres dicebant, *muto factum*, et *nolo factum*: quum alicujus rei eos pœnitebat. *Sit*] Modo *sit* pro *videatur* posuit. D.

Ex Bemb. Victor. et Donato Faernus collocat *quod post me*, ut sit iambus in ultima. B.

Ne quid plus faciam] I. e. ne durius cum ea agam, quod post me fecisse pœniteat. R. D.

5 *Aggrediar. Bacchis, salve*] Bene *aggrediar*, quasi rem arduam, et incongruam seni. vel *aggrediar*, ut meretricem circumveniam. Virg. Æn. IV. 92. *talibus aggreditur Venerem Saturnia dictis. Bacchis, salve*] Non ita meretrici obsequitur senex: quamquam vult adimere timorem personæ suæ. *Credo ædepol te nonnihil mirari*] Ipsum proœmium mollius et lenius est, ut ostendat se non jurgaturum senex. D.

Ex Bemb. hunc et duo seqq. versus ordinat Faernus ita: *aggrediar. Bacchis, salve.* | B. *Salve, Laches.* L. *Credo edepol, te nonnil mirari, Bacchis,* | *Quid sit, quapropter t. h. f. p. e. j.* Ut prior sit dimeter iambicus catalecticus, et posteriores iambici octonarii catalectici. Cæterum versus postulat, ut legas, *ædepol credo te.* B.

6 *Quid sit*] Deest *rei*: ut sit, *quid sit rei.* D.

7 *Ego pol quoque etiam timida sum*] Παρίλλον tertium. Ut, Æn. I. 9. *multa quoque et bello passus.* Et obsequenter posuit non solum se mirari, sed etiam pavere. *Ego pol quoque etiam timida sum*] Bene *etiam*: ut hoc dicat, non solum miror, sed etiam timeo. Et nove, *timida sum*, pro timeo. D.

Ob versum recte Faernus vidit *mihi* esse ejiciendum. B.

6 *Ne nomen mihi quæstus*] Id est, nomen quod inest meo quæstui. *Nomen quæstus obstet*] Quem exerceo scilicet: id est, *quod est quæstui mihi* (*meo* Z.) *Ne nomen mihi quæstus*] Id est, quod meretrix sum. Legitur et, *nomen meo quæstui obstet.* D.

Ne nomen mihi quæstus obstet] Etiam ipsa vehementer timeo, ne, quod meretrix dicor, impedimento sit commodis meis. *Mores facile* autem *tutor.* E.

Obstet apud te] Postremæ duæ voces in Ms. R. desunt. L.

Lege, uti dudum Faernus vidit, *ne nómen quaésti mi óbsiet: nam m. f.* t. Nam Bemb. habet *quæsti*; idem liber, Vatic. et Victor. cum tribus nostris non habent verba *apud te*, quæ repugnant versui, et parum sensui prosunt. Denique ne versui syllaba desit, lege *obsiet.* B.

Mores facile tutor] I. e. mores mei

Digitized by Google

L. Si vera dicis, nihil tibi pericli est a me, mulier:
Nam jam ætate ea sum, ut non siet peccato mihi ignosci æquom:
Quo magis omnis res cautius, ne temere faciam, accuro.
Nam si id facis, facturave es, bonas quod par est facere: inscitum
Offerre injuriam tibi me, immerenti iniquom est.
B. Est magna ecastor gratia de istac re, quam tibi habeam.

sunt ejusmodi, ut facile eos defendere possim, in moribus meis nihil reprehendi potest. R. D.

9 *Si vera dicis*] Interrogabo scilicet. D.

Ordo verborum, qui est in libris Faerni et nostris, versui et convenientior, *nil tibi est a mé pericli, mulier*. B.

10 *Non sit*] Non videatur. *Jam ea ætate sum, ut non sit peccato mihi ignosci æquom*] Quia jam ipse (*num quia jam ipse* Z.) non do veniam; an quia non mihi peccanti non danda est? Et est ordo, ut non sit mihi æquum peccato ignosci. Necessaria igitur ambiguitas. aut enim *sit* pro videatur: aut *peccato*, pro peccatorum: aut *peccato mihi*, pro peccanti mihi, aut peccato meo. aut deest *in*, ut sit, in peccato. D.

Quum ego ea ætate sum, ut peccato non dem, id (*peccato non dem veniam; ideo* Z.) diligenter curo, ne aliquid temere faciam. E.

Ut non sit peccato ignosci æquum] In hoc loco explicando Donatus et alii multum tricantur. *Peccato* per ablativum, quem grammatici absolutum vocant, dicitur: cum peccatum fuerat. Simillima est ratio Ciceroniana Agrar. II. 2. *cui errato nulla venia, recte facto, exigua laus proponitur*. v. Perizon. ad S. Minerv. IV. 4. Nota 86. p. 619. R. D.

11 *Cautius, ne temere faciam*] Seniliter additam post *cautius, ne temere faciam*. D.

Lege ex nostris fere omnibus, *quo magis res omnes cautius*. B.

Magis cautius] *Magis* sæpe per pleonasmum jungitur comparativo. Virgil. in Culice v. 78. ubi v. Scalig. Liv. IX. 7. *tristior ignominiosæ pacis magis quam periculi nuncius fuit ubi* v. Drakenb. R. D.

12 *Facturave es*] Etiamsi non facies. *Inscitum*] Me scilicet, si injuriam faciam. *Inscitum*] Inelegans, non bonum. Et non bene dixit *durum*, aut quid tale, sed *inscitum*: quo verbo maxime mulieres et meretrices utuntur. *Scitum* enim dicunt quod placet: *inscitum* quod displicet, ut, *per ecastor scitus puer natus est e Pamphilo*. Hoc tale est quod dixit *inscitum* ex abundanti: quale est apud Virgil. Æn. XII. 185. *nec post arma ulla rebelles Æneadæ referent*. D.

Illud *nunc* Faernus auctoritate Bemb. delet. At nostri omnes, *nam si id nunc facis*. Cæterum illud *inscitum* cum Faerno præpone sequenti. B.

Inscitum] I. e. stolidum. R. D.

13 *Offerre injuriam*] *Offerimus* injuriam non merenti: *reddimus* ei qui meretur. D.

Inscitum, offerre injuriam] Injustum valde non merenti tibi inferre injuriam. E.

Illud *me*, cum absit in Bemb. et in uno ex nostris, nec Donatus videatur legisse, cum Faerno spurium putamus. B.

14 *Est magna ecastor gratia, de ista re, quam tibi habeam*] Imitatur hic et senile, et femineum tardiloquium. Suffecerat enim, *ago gratias*. D.

Digitized by Google

Nam qui post factam injuriam se expurget, parum mihi prosit.

Sed quid istuc est? L. Meum receptas filium ad te Pamphilum. B. Ah!

L. Sine dicam: uxorem hanc prius quam duxit, vostrum amorem pertuli.

Mane, nondum etiam dixi id quod volui. hic nunc uxorem habet;

Ne versus claudicet, et dictio solœcisset, repone, *est mágnam ecastor grátiam de istác re quod tibi hábeam.* ut Plaut. Rud. IV. 6. 32. B.

Est magnam gratiam] Ordo hic est: est quod habeam tibi magnam gratiam de hac re. v. Bentl. ad h. l. R. D.

15 *Nam qui post factam injuriam se expurget*] Sic Adelphis ait: *indignum te esse injuria hac, indignis quum ego-met sim acceptus modis. Parum mihi prosit*] Si sic accipiatur, ut scriptum est, λιτότης est aut παρήνεσις. Et ita intelligendum, quasi dixerit, multum mihi nocuerit, imo me everterit. D.

16 *Sed quid istuc est?*] Nunc demum ad rem redit. *Meum receptas filium*] Intensio criminis. Et non *recipis*, sed *receptas*. Et ne diceret, quid tua? *Meum filium. Meum receptas filium*] Propositio accusatoria est. et breviter proposuit crimen, quod postea dilatatur. Et frequentativo usus est verbo, quod non raro, sed frequenter receptet. *Meum receptas filium ad te*] Status conjecturalis, quæ conjectura diluitur per ἄτεχνον πίστιν, id est, jusjurandum, ac tormenta servorum. *Ah!*] Quod falsum est, reclamavit meretrix statim: et voluit contradicere, si permitteret senex. D.

Accusatio sic ponitur: *meum receptas filium*. Et cum illa continuo negare vellet, hic quasi non accusantis tantum personam tenet, sed persuadere (*dissuadere* Z.) cupientis illud, quod diu promissum (*permissum* Z.) sit Pamphilo, ut ad meretricem pergeret. E.

17 *Sine dicam*] Virg. Æn. XII. 25. *sine me hæc haud mollia fatu, Sublatis aperire dolis. Uxorem hanc prius quam duxit*] Hanc quasi molestam (*modestam* Z.) et quæ hæc nolit pati. *Uxorem hanc prius quam*] A persona sua, prius quam hanc duxit, vestrum amorem pertuli. Et quia multum diuque amaverit, *pertuli* dixit, quæ est longi temporis significatio. *Hanc prius quam duxit*] Ante rem: a præteritis et ante actis. *Vestrum amorem pertuli*] Ἀποσιώπησις, ut in Heautont. *at næ illud haud inultum, si vivo, ferent. Non jam, non tute cohibes? Vestrum*] Non, ipsius Pamphili. Ergo blande et honorifice. non enim illius amorem, et tuum quæstum: sed amorem vestrum, nihil potuit dici familiarius, *pertuli* autem, quantam vim patientiæ habet, quantumque ponderis, ne lædi mereatur ulterius. D.

Ut sit hic trochaicus cum priori et posterioribus, lege, *sine dum: uxorem*, &c. B.

18 *Mane; nondum etiam*] Ἀποσιώπησις tertia. *Nondum etiam dixi id quod volui*] Apparet senem tarde, et longe loquentem interpellari vultu responsuræ meretricis: quum ille sibi silentium præberi velit. Sic Virgilius Latinum inducit dicentem Æn. XII. 25. *sine me hæc haud mollia fatu, Sublatis aperire dolis: simul hæc animo hauri.* Et ad postremum de Turno Æn. XII. 47. *ut primum fari potuit, sic incipit ore.* *Hic nunc uxorem habet*] Cum denunciatione pronunciandum est: quasi dicat *alia res est*. D.

Versus causa ante *volui* intersere *te*. B.

Digitized by Google

Quære alium tibi amicum firmiorem, dum tempus consulendi est:
Nam neque ille hoc animo erit ætatem, neque pol tu eadem istac ætate.
B. Quis id ait? L. Socrus. B. Mene? L. Te ipsam: et filiam abduxit suam:
Puerumque ob eam rem clam voluit, natus qui est, extinguere.

19 *Quære alium tibi amicum firmiorem*] Magna moralitas in denunciatione, magna proprietas. sic enim dicimus, *quære tibi.* Virg. Æn. XI. 129. *quærat sibi fœdera Turnus. Quære alium tibi amicum firmiorem*] *Firmiorem* pro firmo. non enim firmum concedit esse Pamphilum: quem vult intelligi deceptorem esse Bacchidis, non jam amatorem stabilem. *Quære alium tibi amicum firmiorem*] Oratorie senex quasi consulit meretrici, quam vocaverat incusandam. *Quære alium*] A præsentibus et a futuris. *Amicum firmiorem*] Callide senex, quasi jam non Pamphilo consulat, sed Bacchidi, *quære alium*, dixit. *Dum tempus consulendi est*] Sensus, dum ætas in flore posita est, facies vendibilis etiam nunc est. Et ordo, dum tempus est consulendi tibi. et bis subaudiendum est *tibi*. D.

Cum Faerni libri *amicum* non habeant, et in aliis incertam teneat sedem, recte spurium putatur. Tum Bemb. et Vict. recte, *dum tibi tempus c. e.* B.

Quære alium tibi firmiorem] Hoc formulæ speciem habes in Phorm. II. 1. 67. Petron. c. 79. *alium eorum quem polluas quære.* ubi v. Burmann. p. 510. R. D.

20 *Nam neque ille hoc animo erit ætatem*] *Ætatem*, pro, tam diu quam longa est ætas. *Neque pol tu eadem istac ætate*] Σχῆμα λόγου πλοκή. prius *ætatem* adverbium, et posterius nomen. D.

Erit ætatem] Τὸ *ætatem* in vett. libb. et Ms. R. omissum est. L.

Ætatem male abest in nostris. B.

21 *Quis id ait?*] Non interrogatio, sed firma negatio est. *Quis id ait?*] Quum dicat senex, *meum receptas filium:* mirum est illam dicere, *quis id ait?* sed ab accusatore testimonium quærit. Et bene *ait*, quasi vanum. sic enim dicimus, *ait, aio*, de rebus negatoriis. *Quis id ait?*] Moraliter meretrix missa fecit omnia, quæ in medium senex contulit: et soli intentioni, meum receptas filium ad te Pamphilum: quis *id ait?* respondit. *Socrus*] Terribiliter, quasi quæ maxime scinat, et quæ maxime doleat. Ergo et oculis et labris pronunciandum est. *Et filiam abduxit suam*] Addidit ad personam testis et facta: quia minus idoneum videbatur, socrum dixisse de pellice. et simul ostendit quantopere hoc animadvertendum sit, ex quo tantæ turbæ sint concitatæ. *Abduxit suam*] *Abduxit*, proprie. *Arcessi* enim dicitur ad maritum: *abduci* a marito ad divortium. Sic Virgil. Æn. X. 79. *et gremiis abducere pactas?* D.

Quis ait hoc?] Jam negantis est, quod intentato (*intento* Z.) crimini quæritur testis. Sed cum dictus auctor est, adjecit argumentum ad probationem, quod filiam abduxit suam, quod puerum ob eam rem clam natum voluit extinguere. Purgationem sumit ex jurejurando, *aliud si scirem.* Hic (*hinc* Z.) jam delibérativa illa imago est. Promittit quidem illa, et commemorat magnam faciens benevolentiam (*sed commemorat, non aliam facere illud meretricem* Z.) post nuptias, quia turpis est apud nuptam meretricis ista purgatio. E.

22 *Puerumque ob eam rem*] Hoc sic pronunciat senex, quasi qui dicat, *ecce*

Digitized by Google

B. Aliud si scirem, qui firmare meam apud vos possem fidem,
Sanctius quam jusjurandum, id pollicerer tibi, Lache,
Me segregatum habuisse, uxorem ut duxit, a me Pamphilum.
L. Lepida es: sed scin' quid volo potius sodes facias? B. Quid vis? cedo.
L. Eas ad mulieres huc intro, atque istuc jusjurandum idem
Polliceare illis: exple animum iis, teque hoc crimine expedi.
B. Faciam: quod pol, si esset alia ex hoc quæstu, haud faceret, scio;

quarum rerum tu causa! Et hæc oratio de iis est, quibus ostendimus nos posse graviter accusare, sed nolle. D.

23 *Aliud si scirem, qui firmare*] Mire, dum quærit quo firmet fidem, fidem sibi acquisivit atque adscripsit. *Apud vos possem fidem*] Bene *vos*: quia et *hic* dicit, et *socrus*. D.

Lege, versu ipso jubente, *alid si scirem*. B.

24 *Sanctius quam jusjurandum*] Bene dum aliud agit, etiam personam commendat. Nam non est levis, quæ jurejurando nihil sanctius sciat. *Sanctius*] Firmius. D.

Sanctius] I. e. religiosius. Liv. X. 23. *ut hæc ara quam illa si quid potest sanctius et a castioribus coli dicatur* ubi v. Drakenb. infra V. 2. 5. *dejera persancte*. R. D.

25 *Me segregatum habuisse*] Bono significatu usa est: quasi ipsa hæc fecerit. Et bene *segregatum*: non enim *disjunctum* aut *repudiatum* proprie diceret (Cf. Donat. infra V. 2. 30.) *Uxorem ut duxit*] *Ut* adverbium est temporis, pro *ex quo*. D.

Ne iambicus sit inter trochaicos, tolle illud prius *me*. B.

Me segregatum habuisse] I. e. me segregasse, quam loquendi formulam paulo ante explicuimus. R. D.

26 *Lepida es*] Senex cum meretrice loquens, eo potius nomine laudavit eam, quo meretrices solent laudari, quam quo matresfamilias. sic et supra, quum *inscitum* se diceret, rationem habuit, quæ esset cum qua loqueretur. *Sed scin' quid volo potius*] Hinc deliberativa incipit. *Sodes*] Si audes, si vis. D.

Illud *vis* cum et versui et sensui supersit, recte Muretus delendum esse existimavit. B.

27 *Eas ad mulieres huc intro*] Non dixit ad *socrum* et ad *uxorem*, terribilia nomina et inimica meretrici: sed quod facile est, *ad mulieres*. Sic alibi, *mulier mulieri magis congruit*. Et ne longe videretur, addidit *huc intro*. *Atque istuc jusjurandum*] Id est, quod tu mihi polliceberis. D.

Forte leg. *atque istic jusjurandum idem*] *Polliceare; illisce exple animum, teque*, &c. B.

28 *Exple animum his, teque hoc crimine expedi*] *Explere*, pro *exinanire*, Terentianum est. *Expedire* dicitur, qui pedem retentum liberat. *Exple animum*] Quod illis prosis. D.

29 *Quod pol, si esset alia ex hoc quæstu*] Vigilanter poeta, ne non verisimile videretur, id ullam fecisse meretricem, ipse lectorem prævenit. et sic

Digitized by Google

Ut de tali causa nuptæ mulieri se ostenderet.
Sed nolo falsa fama esse gnatum suspectum tuum;
Nec leviorem vobis, quibus est minume æquom, viderier
Immerito: nam meritus de me est, quod queam, illi ut commodem.
L. Facilem, benevolumque lingua tua jam tibi me reddidit:
Nam non sunt solæ arbitratæ hæ: ego quoque etiam credidi.
Nunc quum ego te esse præter nostram opinionem comperi;

vere in omnibus Terentius, quæ minus pervulgata sunt, quæque abhorrent a consuetudine, agit. D.

Ne *quæstu* in thesi lateat, repone *ex quæstu hoc*. B.

Alia ex hoc quæstu] I. e. alia ex illarum numero, quæ quæstum corpore faciunt sive alia meretrix. Elegans vis est præpositionis *ex*. Cic. pro Mur. c. 36. *facit eodem ex studio vir eruditus* ubi v. Græv. Petron. c. 83. *ex hac nota literatorum esse, quos odisse divites solent*. R. D.

30 *Ut de tali causa*] Id est, amore mariti ejus et pellicatu. *Nuptæ mulieri se ostenderet*] Plus dixit, quam, *nuptam alloqueretur*. D.

31 *Sed esse falsa fama nolo gnatum*] Bene, quo sit gratiosior, non propter se dicit, quod facit, facere. D.

Placet ordo verborum, qui in nonnullis reperitur libris, *séd nolo ésse fálsa fama*. B.

32 *Nec leviorem vobis*] Quid *leviorem?* an minus carum? ut contra *gravis* intelligitur. Virg. XII. 458. *ferit ense gravem Tymbræus Osirim. Gravis* etiam molestus intelligitur. ut Sallustius, *graviore bello qui prohibituri venerant socii, frigere. Gravis* etiam languidus. Virg. Ge. III. 95. *ubi aut morbo gravis, aut jam segnior annis defecit, abde domo. Nec leviorem*] Ut contra, *gravis*, honore dignus et carus. *Quibus est minume æquom*] Parentibus scilicet. D.

Leviorem] *Levis* et *levitas* dicuntur de omnibus vehementibus et inanibus cupiditatibus, propterea quod in illis nulla gravitas v. Ernest. in Clave Cic. hac voce. R. D.

33 *Immerito*] Bona exceptio. hoc enim et cavere nobis, et præstare aliis possumus. *Immerito: nam meritus est de me*] Παρόμοιον. *Nam meritus de me est, quod queam, illi ut commodem*] Et hoc artificiose Terentius, ne vel meretricem dure a Pamphilo segregaret. *Quod queam, illi ut commodem*] Sic in Andria, *magis id adeo mihi ut incommodet, quam ut obsequatur gnato*. D.

34 *Facilem, benevolumque lingua tua*] *Facilem* ad peccatum, *benevolum* ad iracundiam retulit. *Lingua tua*] Consuetudine magis, quam ratione dicit, *tua lingua*. ergo pro homine ipso. *Lingua tua jam*] Subdistingue *jam:* ut appareat, si *lingua tua jam*, quanto magis *facta*. D.

35 *Nam non sunt solæ arbitratæ hæ*] Nunc fatetur se quoque accusatorem fuisse: nunc vero benevolum factum. *Hæ*] Cum ἀποστροφῇ. *Ego quoque hoc etiam credidi*] *Quoque* et *etiam* supervacue posita sunt: sed hic confirmationem ostendunt. D.

Pro *hæ* duo libri *hæc*, ut sæpe ante. Tum omnes habent, *ego quoque etiam hoc credidi*. B.

36 *Præter nostram opinionem*] Per

Digitized by Google

Fac eadem ut sis porro: nostra utere amicitia, ut voles.
Aliter si facias: sed reprimam me, ne ægre quicquam ex me audias.
Verum te hoc moneo unum: qualis sim amicus, aut quid possiem,
Potius quam inimicus, periclum facias. 40

ACT. V. SCENA II.

PHIDIPPUS. LACHES. BACCHIS.

NIHIL apud me tibi
Defieri patiar; quin, quod opus sit, benigne præbeatur.

contra. *Præter nostram opinionem*] Hoc est, innoxiam. D.

37 *Fac eadem ut sis porro*] Hoc est persevera purgata esse. vult enim et de futuro cautum esse: ut supra, *nam si id facis, facturave es. Nostra utere amicitia*] Non jam *amore*, sed *amicitia*. D.

38 *Aliter si facias*] Ἀποσιώπησις. *Ne ægre quicquam ex me audias*] Utrum *ægre* pro *male*? an *ægre* pro *invita*? D.

Lege, *aliter si*: *sed répprimám me*. Est aposiopesis rei congrua; ut Virgilius, *quos ego*: *sed*, &c. Cf. Heautont. I. 2. 25. B.

Ne ægre quicquam ex me audias] I. e. ne quioquam audias, quod ægre tibi sit. R. D.

39 *Verum hoc te moneo unum*] Hæc figura oratoria παραλήψις dicitur. *Qualis sim amicus, aut quid possiem*]. In secunda oratione Sallust. ad Jugurtham, *nam vim magis, quam benevolentiam ejus, experiri mallem. Qualis sim amicus, aut quid possiem*.] Hoc genus comminationis minus habet amaritudinis, sed plurimum gravitatis. D.

Ut *té* in ictu sit, sequere lectionem nostrorum libb. *verum hoc té moneo unum*. B.

40 Pauci tantum habent in fine responsionem Bacchidis, *faciam sedulo*. Plures et meliores recte non habent, ut adeo hic versus cum initio seq. scenæ unum efficiat trochaicum. FAERN.

1 *Nihil apud me tibi defieri patiar*] Verba nutricis fuisse poeta demonstrat, petentis ordine longo, quæ sibi præbenda sint. unde quasi tædio singulorum, generaliter hæc respondit, *nihil apud me tibi defieri patiar*] *Apud me*, dixit pro apud eum, ubi futura es. *Defieri patiar*] Noluit dicere *deesse*: sed *defieri* dixit, ut id quod minus usitatum est, magis delectet auditum. *Benigne præbeatur*] *Benigne*, large. hoc enim est gratius, non solum *præbere*, sed *benigne præbere*. D.

Nihil apud me tibi] Prima pars scenæ orationem tenet, ut nutrix puerum diligenter nutriat. Postrema (*postremo est* Z.) pars superioris controversiæ acrior. Pater puellæ negat juranti credi oportere meretrici. Qua fide perdita pollicetur illa tormenta de servis. Ita fit verisimile. E.

2 In regio Chartaceo deest *opus*. At in cod. C. C. etiam sine *opus*, sed *quin*

Digitized by Google

Sed quum tu satura atque ebria eris, puer ut satur sit, facito.
L. Noster socer, video, venit: puero nutricem adduxit. Phidippe, Bacchis dejerat persancte. P. Hæcine ea'st?
L. Hæc est. 5
P. Nec pol istæ metuunt deos: neque has respicere deos opinor.
B. Ancillas dedo: quo lubet cruciatu per me exquire. Hæc res hic agitur, Pamphilo me facere, ut redeat uxor,

quod est. Egregie. Nam *quod est*, significat quod domi est, quod res nostra præbet. B.

Benigne præbeatur] I. e. large. v. Horat. Carm. I. 17. 15. *copia manabit ad plenum benigno cornu* et ibi Lambin. contra, *maligne* est *parce*. R. D.

3 *Sed quum tu satura, atque ebria eris*] Hoc est in nutricibus non solum non turpe, sed etiam necessarium. Et, *hic satur*, et *hæc satura* fecit. D.

Sed quum tu satura] Prisc. lib. VI. L.

Ne nimis invenuste dispertiantur accentus, repone, *sed tú cum satura atque ébria es, et púer ut sátur sit, facito*. B.

Cum ebria eris] H. e. cum ad satietatem usque biberis. *Ebrius* non semper de temulentia dicitur, sed etiam de eo, quod multum vel nimium est. Plaut. in Captiv. I. 1. 35. *unde saturitate sæpe ego exii ebrius*. R. D.

4 *Noster socer, video, venit*] *Noster*, blandientis dictum est. Virg. Æn. II. 149. *noster eris*. Et magis hoc consuetudine dictum est, quam integritate. Aut certe ordo est, noster socer venit: et deinde, *video*. Aut deest *ut*: ut sit, *ut video*. D.

Ut omnia per tempus præsens enuncientur, lege cum Bemb. et duobus nostris *adducit*. Tum inversis verbis lege, *nutricem puero adducit*. B.

5 *Dejerat*] Deos jurat. ut Æn. VI. 351. *mariu omnia juro*. Aut valde jurat. *Bacchis dejerat*] Si correpte, *dejerat*, deos jurat: si producte, valde jurat. Et bene senem iratum præoccupavit dicendo, *dejerat sancte*: ne confligeret cum meretrice, et fieret fabula longior. *Hæcine ea est?*] Imitanda irati contemplatio: quasi dicat, hæc est, quam uxori Pamphilus anteponit? D.

Dejerat persancte] I. e. religiosissime. v. Sueton. in Tito c. 10. *persancte Domitia jurabat*. R. D.

6 *Nec pol istæ metuunt deos*] Hoc argumentum est, non illam vera jurare. Sanctum, ait, jusjurandum est, aut meta religioso, aut suppliciis sacrilegorum. At vero nec religiosæ sunt meretrices, inquit, nec dant poenas: quippe quæ a diis contemnantur. Tale est apud Virgilium de violato luco, qui vindicatus non est Ecl. III. 8. *novimus et qui te, transversa tuentibus hirquis: Et quo, sed faciles, nymphæ risere sacello. Neque has respicere deos opinor*] Et inferiores sunt, inquit, quam in quas dii vindicent. *Neque has respicere deos*] Nec merentur ut diis poenas referant, quia nec curæ diis esse dignæ sunt. Et est ἀμφιβολία, quæ sensu manifesta est. D.

7 *Ancillas dedo*] Repudiato jurejurando ad aliud transit firmius documentum. *Quolibet cruciatu per me exquire*] *Per me*, hoc est, me permittente: ut quod per legem tibi non licet, per me liceat. *Per me* ergo, me auctore et permittente. D.

Ancillas dedo] Scilicet quæstioni. R. D.

8 *Hæc res hic agitur*] Aut sic intelligendum est, quasi dicat, hoc agebamus quum tu advenires; aut cum asseverá-

Digitized by Google

Oportet: quod si perficio, non pœnitet me famæ: 9
Solam fecisse id, quod aliæ meretrices facere fugitant.
L. Phidippe, nostras mulieres suspectas fuisse falso
Nobis, in re ipsa invenimus. porro hanc nunc experia-
mur.
Nam si comperierit erimini tua se falso uxor credidisse,

tione pronunciandum est, ut *sit res veritas*: quasi dicat, hic non verba sunt, sed res agitur. *Hæc res hic agitur*] Propositio eorum quæ dictura est, hoc modo, hæc res hic agitur. quæ res? Pamphilo me facere, ut redeat uxor, oportet: quod si perficio, non pœnitet me famæ, solam fecisse id, quod aliæ meretrices facere fugitant. Multa Terentius feliciter ausus est, arte fretus. Nam et socrus bonas, et meretrices honesti cupidas, præterquam pervulgatum est, facit: sed tanta vigilantia causarum et rationum momenta subjungit, ut ei soli merito videantur omnia licere. Nam hoc contra illud est, quod alibi ait, commune esse jam omnibus comicis bonas matronas facere, meretrices vero malas. D.

Illud *licet* ab initio versus, in melioribus libris recte abest, quia a versu reppetitur. B.

9 *Non pœnitet me famæ*] Hæc figura ἀντάρας dicitur. minus enim dicit, quam significat. Nam, *non pœnitet me famæ*, pro eo quod est, magnam famam cupide acquisiverim, significat. *Non pœnitet me famæ*] Ne quæreremus, qui hoc meretrici prodesse posset. D.

Pro *perficio*, quod versum jugulat, qui cretioum vel ei parem pedem in cæsura postulat, repone *effecero*. B.

Non pœnitet me famæ] I. e. contenta ero fama mea, satis magnum nomen mihi paravero. Hoc loquendi genus supra illustravimus. R. D.

10 *Solam fecisse*] Bene *solam*: ne nesciisse officium meretricis poeta videretur. *Solam fecisse id quod aliæ meretrices facere fugitant*] Id est, reconciliasse uxorem marito. D.

11 *Nostras mulieres suspectas fuisse*] Id est, in suspicione positas. Nam esse suspectas, ambiguum est: et nunc ejus partem manifestam videmus. D.

Exsequitur itaque varias causas, propter q; t (*propter quas, cum.* Z.) leves sunt, discidium esse non poterit. E.

12 *Nobis, in re ipsa*] *Nobis*, aut abundat, aut, *cum molestia nostra*, significat. *Porro hanc nunc experiamur*] *Porro nunc*, futurum tempus ostendit. Nam si jam invenisti quid, experiaris et ea, quæ restant in reliquum tempus: quia jam de præteritis purgata est. *Hanc experiamur*] Id est, utamur opera ejus. D.

Hanc experiamur] I. e. utamur opera ejus, ut bene explicat Donatus. Plaut. in Mercat. IV. 4. 29. *vin me experiier*. R, D.

13 *Crimini tua se falso uxor credidisse*] *Crimen* proprie dicitur id, quod factum (*falsum* Bentl.) est, Cicero, *verumtamen fac, tametsi criminosum id est*. Id est, falsa insimulatio est. *Crimini*] *Crimen* nunc, pro falsa suspicione. Virg. XI. 407. *formidine crimen acerbat*. Et XI. 122. *semperque odiis, sed crimine Drances Infensus juveni Turno*. Id est, et quod eum odisse, et quod se illi odio esse suspicaretur. D.

Illud vulgare *falso*, cum sit ineptum, et repugnans versui, Faernus recte fide codd. omisit. Nam *crimen* per se habet notionem falsitatis. B.

Crimini falso] Meliores libri recte omittunt *falso*. Nam crimen per se habet notionem falsi. v. Donat. et Bentl. ad h. l. Ponitur enim *crimen* pro criminatione. Nepos in Epamin. c. 3. *cum criminibus adversariorum omnes in insidiam venissent*. v. Drakenb. ad Liv. VI. 15. R. D.

Digitized by Google

Missam iram faciet: sin autem est ob eam rem iratus gnatus,

Quod peperit uxor clam, id leve'st; cito ab eo hæc ira abscedet.

Profecto in hac re nihil mali est, quod sit discidio dignum.

P. Velim quidem hercle. L. Exquire: adest: quod satis sit, faciet ipsa.

P. Quid istæc mihi narras? an quia non tu ipse dudum audisti,

De hac re animus meus ut sit, Laches? illis modo exple animum.

L. Quæso edepol, Bacchis, quod mihi es pollicita, tute ut serves.

B. Ob eam rem vin ergo introeam? L. I, atque exple animum iis, ut credant.

B. Eo; etsi scio pol iis fore meum conspectum invisum hodie.

14 Pro *autem* repone *item*, versui et sententiæ commodius. B.

15 *Cito ab eo hæc ira abscedet*] Bene; in duabus enim personis causa videtur esse turbarum, socrus et Pamphili. D.

16 *Profecto in hac re nihil mali est, quod sit discidio dignum*] Moraliter, quasi quærendo et discutiendo hoc intulit, *Discidio*] Divortio. D.

17 *Velim quidem hercle*] Ut nihil sit dignum, hoc est, non peccaverit Pamphilus. *Quod satis sit, faciet ipsa*] Id est, quicquid ad plenam ducit purgationem, faciet. D.

Responsio Bacchidis *faciam*, in fine versus, recte abest in libris optimis, ob versum et sensum. B.

Quod satis sit] Scilicet ad purgationem. R. D.

18 *Quid istæc mihi narras?*] Reprehensio est, quasi longorum verborum Lachetis. *An, quia non tu ipse dudum*] Correptio est. Nam audivit, *manere affinitatem hanc inter nos perpetuam volo. An, quia non tu ipse audisti dudum, de hac re animus meus ut sit, Laches?*] Utrum quia dixit, *manere affinitatem hanc inter nos perpetuam volo:* an quia apud uxorem defendit adolescentem in amore meretricis? *Illis modo exple animum*] Quia dicat, quæ amaræ sunt et molestæ. D.

Lege, *quid mi istæc narras? quæso non tute ipse d. a.* Nam *quid mihi istæc* plures et optimi habent libri; et cætera postulantur a versu. B.

19 Pro vulgari *exple*, recte meliores libri exhibent *explete*. Nam sermo est, non ad Lachetem solum, sed et ad Bacchidem. B.

20 *Quod mihi es pollicita, tute ut serves*] Id est, jusjurandum, apud mulieres. D.

21 *Ob eam rem vin ergo introeam*] *Vis* dicit: ut ostendat in hac re cunctationem suam. D.

Mutato ordine lege, *atque exple iis animum. v. c.* B.

22 Ut collocatio sit elegantior, ex cod. Petrensi lege, *eo; etsi scio pol his meum fore.* B.

Digitized by Google

Nam nupta meretrici hostis est, a viro ubi segregata est.
L. At hæ amicæ erunt, ubi, quamobrem adveneris, resciscent.
P. At easdem amicas fore tibi promitto, rem ubi cognoverint:
Nam illas errore, et te simul suspicione exsolves.
B. Perii! pudet Philumenæ: sequimini me huc intro ambæ.
L. Quid est quod mihi malim, quam quod huic intelligo evenire;
Ut gratiam ineat sine suo dispendio, et mihi prosit?

23 *Nam nupta meretrici hostis est*] Caute etiam hoc præstruit poeta, ne non verisimile videatur potuisse meretricem (*nuptam*) concorditer cum pellice agere. *Nam nupta meretrici hostis*] Alia, scilicet inimica (*aliena, seu inimica.*) D.

Nam nupta meretrici hostis est] Hoc est, in mutua mariti et uxoris societate non est mala suspicio; sed in eorum discessione aut hæc meretrix, aut ille adulter judicatur. E.

24 Pro *hæ* lege ex Bemb. et aliis, uti versus poscit, *hæc*; quod apud nostrum sæpe in plural. Feminino occurrit. B.

25 *At eadem amicas fore tibi*] Hic quidem senes: verum aliæ causæ sunt, quæ mulieres faciunt molestas: et hæ (leg. TIBI PROMITTO. *Hoc quum sciverint verum. At aliæ causæ sunt, quæ mulieres faciunt molestas et acerbas: hæ*) autem spectatoribus notæ sunt ex argumento. D.

Etsi hic versus in Bemb. et in C. C. et Petrensi omissus est: tamen cum quibusdam spurius existimari non debet. Etenim a re non abhorret, utrumque senem, inprimis Phidippum, qui ibi paterfamilias est, Bacchidi hanc dare fidem. Cæterum ratio versus requirit *cognorint*. B.

26 *Et te simul suspicione exsolves*] Hoc est quod supra dixit, *crimen*: nos quoque suspicionem interpretati sumus. *Exsolves*] Expedies. D.

Suspicione exsolves] Ms. R. *evelles*. L.

27 *Pudet Philumenæ*] *Pudet* duo significat: sive ille peccarit quem pudet, sive ille cujus pudet. Et familiariter *Philumenæ*, tanquam notæ ex Pamphilo. *Pudet Philumenæ*] Conscientia communis viri et pellicatus. *Sequimini me intro huc ambæ*] Ancillis dicit, quæ sunt κωφὰ πρόσωπα. D.

Versus gratia repone, *vos sequimini intro huc ambæ*. B.

Pudet Philumenæ] I. e. pudet, me conspici a Philumena. R. D.

28 *Quid est quod mihi malim, quam quod huic*] Sensus hic est, quid est quod magis optem mihi evenire, quam quod simul proderit etiam meretrici? *Quid est, quod mihi, &c.*] Sic hoc ergo intulit pro novo. Mirandum est enim evenire potuisse, ut idem et seni et patri prosit, quod meretrici. *Quid est quod mihi malim*] Ut amicitia mihi et sibi prosit. Et ostendit commune sibi bonum esse. *Evenire*] *Evenire*, bis subaudiendum. D.

Repone, *quid est mihi quod malim*. B.

Quod mihi est] Sensus loci hic est: idem mihi evenire velim, quod Bacchidi evenit, ut amicos mihi parem sine damno meo, et simul aliis prosim. Si hæc ita capiantur, nescio, an opus sit Bentleii correctione. R. D.

29 *Ut gratiam ineat sine suo dispendio*] Recte. Difficile est enim gratiam inire sine damno. *Et mihi prosit*] Mire:

Digitized by Google

Nam si est, ut hæc nunc Pamphilum vere ab se segregarit:
Scit sibi nobilitatem ex eo, et rem natam, et gloriam esse:
Referetque gratiam ei, unaque nos sibi opera amicos junget.

ACT. V. SCENA III.

PARMENO. BACCHIS.

ÆDEPOL næ meam herus esse operam deputat parvi pretii,

quia difficile est amicum sine damno acquirere. Et quia *cum lucro* non potuit dicere: et hoc ipsum bonum fecit, quia sine damno. Ergo velut tria sunt: ut *gratiam ineat*, ut *sine damno*, et ut *mihi prosit*. D.

Sensus causa lege, *ut gratiam ineam sine meo dispendio, et mihi prosim*. Nam Senex meretrici, quam vehementer oderat, non potest bene cupere. B.

30 *Pamphilum vere ab se segregarit*] Proprie ab meretrice *segregari* dicitur: ab uxore *disjungi*. D.

31 *Scit sibi nobilitatem ex eo, et rem natam*] Quasi dicatur, *ecce quam amavit Pamphilus!* Sed hoc sentire et dicere patris est, stulta pietate magnificantis filium. Ut, *meum gnatum rumor est amare*. Et proprie *nobilitatem* dixit. Nam et *meretrix* et *gladiator nobiles* dici solent. *Scit sibi*] Quod nimis (*minus* Mss. H. et B. cum edd. vett.) amat, ait *nobilitatem*. *Ex eo*] Utrum ex Pamphilo? an *ex eo*, ex ea re. id est, quod segregaverit vere ab se Pamphilum? et hoc est melius. Nam nobilis meretricis est non timere, ne alterum non inveniat. aut nobilis est, cognitam fieri etiam senibus. *Et rem natam*] Ex patrocinio et amicitia senis. *Rem natam*] Quia multa in eam contulit. *Et gloriam*] Ex facto raro in meretricibus. *Et gloriam esse*] Quia defendit eum apud soceros et uxorem: et quod marito meretrix conjugem reddit. D.

Pro *natam* cod. regius unus habet *nactam*. Repone, *scit se nobilitatem ex ea re nactam et g. e.* Nam primum non de re præterita, sed futura hic agitur. Deinde, *si vere ab se segregarit*, res non crevit, sed damnum obvenit. Denique inter *nobilitatem* et *gloriam*, quæ cognatæ sunt significationis, *res* locum commodum non habet. B.

Nobilitatem] I. e. famam. Cic. pro Arch. c. 11. *in eo ipso in quo prædicationem nobilitatemque despiciunt*. Nepos in Thrasyb. c. 1. *cum eum nemo anteiret virtutibus, multi nobilitate præcurrerunt*. R. D.

Rem] *Res* est utilitas, sicut dicimus: est e re mea, est in rem meam. *nasci* est *existere*. R. D.

32 Lege *refert grátiam sii, undque nos sibi ópera amicos júngit*. Nam cod. acad. habet *refertque*: Bemb. et Victor. illud *que* ut inutile sensui et versui incommodum recte omittunt. Sane *refert, jungit*, ut supra *scit*, elegantiora sunt, quam futura. B.

1 *Ædepol næ meam herus esse operam deputat parvi pretii*] In tota hac fabu-

Digitized by Google

Qui ob rem nullam misit, frustra ubi totum desedi diem,
Myconium hospitem dum exspecto in arce Callidemidem.
Itaque ineptus hodie dum illic sedeo, ut quisque venerat,
Accedebam: adolescens, dicdum quæso, es tu Myconius? 5
Non sum. at Callidemides? non. hospitem ecquem Pamphilum
Hic habes? omnes negabant; neque eum quemquam esse arbitror.
Denique hercle jam pudebat: ahii. sed quid Bacchidem

la servus piger et curiosus inducitur: neque quicquam illi evenit ex sententia sua. *Ædepol næ meam*] Totum a stomachante dicitur: quasi qui nunc maximæ injuriam præsenserit. *Ædepol næ meam*] In hac scena καταστροφὴ populo exponitur. *Deputat parvi pretii*] Quia sic scilicet abutitur. Deputat parvi eam, qui deputat eam in re nullius pretii consumendam. D.

Ædepol næ meam] Nunc Parmeno redit, qui missus in urbem fuerat, ut amicum conveniret, qui nullus erat; sed vocem parturientis se audiret. Videt autem de domo uxoris Pamphili exire meretricem. Quæ cum esset ingressa, ut se purgaret, in digito ejus annulus est cognitus, quem vitiator puellæ rapuerat, et meretrici donо dederat. Nunc igitur egressa Parmenonem ad Pamphilum mittit. Ipsa autem quid actum sit, narrat, ante menses X. Ex quo enim compressa est virgo, X menses sunt; et jure hic partus factus sit X mensium. E.

Bonæ. et nostri meliores recte habent *preti* pro *pretii*. B.

2 *Frustra ubi totum desedi diem*] Deest *illuc*: ut sit, illuc ubi frustra totum desedi diem. *totum desedi diem*] Nota accusativo casu usum esse. D.

Desedi] I. e. otiosus fui, nihil egi. Plaut. in Pseud. IV. 4. 7. *quid tu intus desedisti tam diu?* Cic. in Pison. c. 5. *sedenti, cunctanti, dormienti, in maximo reipublicæ motu consuli.* v. Grav. in lectionib. Hesiodeis c. 11. R. D.

3 *Myconium hospitem dum exspecto*] Memoriter et vigilanter servus Myconium hospitem et Callidemidem dixit: ne videretur negligentia, vel oblivione sua non invenisse, ad quem missus est. *Myconium hospitem*] Bene ostendit se memorem et signorem et nominum, ut videatur vere illusus, quum operam dederit. D.

4 *Itaque ineptus*] Moraliter additum *ineptus*. et *ineptus*, quasi inaptus. D.

Lectio *quisquam*, pro *quisque*, quam duo codd. exhibent, et ad versum et ad sententiam commodior est. B.

5 *Adolescens, dicdum, quæso*] Veruliter et comice se ipsum servus imitatur. et est μίμησις. *Es tu Myconius?*] Num ut tria mandata sunt inquirenda, tria inquisita sunt ordine. D.

Ne versui desit syllaba, lege *tum' es Myconius?* præsertim cum unus cod. habeat *tues*. B.

7 *Omnes negabant*] Bene transit a μιμητικῷ ad διηγηματικὸν, et συντόμως. *Neque enim quemquam esse arbitror*] Id est, non puto eum esse in mundo. D.

8 *Jam pudebat*] Sedere, an interrogare? D.

Digitized by Google

Ab nostro affine exeuntem video? quid huic hic est rei?
B. Parmeno, opportune te offers: propere curre ad Pamphilum.
P. Quid eo? B. Dic me orare, ut veniat. P. Ad te? B. Immo ad Philumenam,
P. Quid rei est? B. Tua quod nihil refert, percontari desinas.
P. Nihil aliud dicam? B. Etiam, cognosse annulum illum Myrrhinam
Gnatæ suæ fuisse, quem ipsus mihi olim dederat. P. Scio.
Tantumne est? B. Tantum: aderit continuo, hoc ubi ex te audierit,

9 *Ab nostro affine exeuntem video*] Satis moraliter inducitur servus dicere *ab nostro affine*: quam domini ejus sit, non ipsius. Sic et prius, *noster socer, video, venit*, pro Pamphili socer. *Exeuntem video*] Docte poeta præmonstrat locuturam personam. *Quid huic hic est rei?*] Rursus curiosus nihil sciturus est, et excursurus piger. D.

10 *Parmeno, opportune te offers*] Attendendum quod ab initio comœdia usque ad finem Parmeno mittitur ut currat: et celatur ut nesciat, quod curiose desiderat. *Propere curre ad Pamphilum*] Facete poeta inde incipientem facit, quod ille minime vult, dicendo *curre*. D.

11 *Quid eo?*] Id est, ad Pamphilum. *Ad te?*] Vide curiosum non recusare laborem, quo causam sciat. *Ad te?*] Non ad te conveniendam: sed domum, *ad te* significat. *Imo ad Philumenam*] Mire tota fabula invenit, quamobrem currat Parmeno. D.

12 *Quid rei est?*] Totum pro persona. *Tua quod nihil refert, percontari desinas*] Οἰκονομικῶς διαλέγεται et eximie dixit, quasi minus sit injurium prohibere interrogare, quam interroganti non respondere. Et memento hanc esse, cui in principio nihil celaverit Parmeno (*hunc esse, qui in principio nihil celaverit Philotin.* Z.) D.

Tua quod nihil refert, percontari] Glossar. πολυπραγμονῶ *sciscito, percontor. Terent.* Sic Plaut. Stich. II. 1. 48. *tua quod nihil refert, ne cures.* Menand. ἃ μὴ προσήκει, μήτ' ἄκουε, μήθ' ὅρα. Aristides περὶ τοῦ παραφθέγματος. p. 50. ἵνα τοίνυν εἰδῇς, ὅτι καὶ ὅλως ἀρχαῖον νόμιμον τοῦτο καὶ ἑλληνικὸν, φρονεῖν ἃ περὶ τοὺς ἑαυτοῦ. L.

13 *Nihil aliud dicam?*] Vult rem per mandata colligere. *Etiam, cognosse annulum illum Myrrhinam*] *Etiam* adverbium est vel consentientis, vel reminiscentis: sed magis reminiscentis modo. Sic Cicero Verr. II. 35. *etiam, quod pene præterii, capella quædam est, mire facta.* D.

Etiam] Hac particula veteres utuntur, cum illis aliquid præter illa, quæ dixerunt, derepente in mentem venit. Cic. ad Quint. fratr. I. 1. ad Attic. I. 13. *novi tibi quidnam scribam? quid? etiam* ubi v. Manut. R. D.

14 *Scio*] Non *audio* inquit, sed *scio*. D.

Consensu Fearni nostrorumque librorum repone, *olim mihi*. B.

Digitized by Google

Sed cessas? P. Minume equidem: nam hodie mihi potestas haud data'st:
Ita cursando atque ambulando totum hunc contrivi diem.
B. Quantam obtuli adventu meo lætitiam Pamphilo hodie!
Quot commodas res attuli! quot autem ademi curas!
Gnatum ei restituo, qui pæne harum ipsiusque opera periit:
Uxorem, quam nunquam est ratus posthac se habiturum, reddo:
Qua re suspectus suo patri, et Phidippo fuit, exsolvi:
Hic adeo his rebus anulus fuit initium inveniundis.
Nam memini, abhinc menses decem fere, ad me nocte prima
Confugere anhelantem domum, sine comite, vini plenum,

15 Pro *audierit* versus poscit *audiverit*. B.

16 *Sed cessas?*] Hoc est, tardas et quiescis? urget autem cum (*eum* Ms. B.) edd. vett. et cursu. *Minime equidem*] *Cesso* subauditur. *Potestas haud data est*] Cessandi scilicet. D.

17 *Ita cursando atque ambulando*] Est enim cursus et navigantis et equitantis. D.

18 *Quantam obtuli adventu meo*] Reliqua pars argumenti per μονῳδίαν narratur. D.

19 *Quot commodas res attuli!*] *Quot*, tam (*quam*) multas. Et more suo *attuli* dixit. *Quot autem ademi curas!*] Sic ante, *ut metum, in quo nunc est, adimam: atque expleam animum gaudio. Quot commodas res attuli! Quot autem ademi curas!*] Hæc omnia admirantis sunt. ut Virg. Æn. IV. 10. *quis novis hic nostris successit sedibus hospes!* D.

20 *Gnatam ei restituo, &c.*] Ἐξαρίθμησις. D.

Ut versui laboranti medearis, repone, *pæne qui harum*. B.

21 *Reddo*] *Redditur* nobis, quod nostri cupidum est: *restituitur* nobis, cujus cupidi sumus. Bene ergo *gnatum restituo, uxorem reddo*. D.

22 *Quare suspectus suo patri et Phidippo fuit*] Ergo non unum beneficium, sed tria sunt. *Exsolvi*] Variavit tempora, *restituo, reddo, exsolvi*. D.

24 *Nam memini abhinc menses decem*] *Menses decem* dixit: et recte, ut de hoc peperisse demonstret. *Nocte prima*] Primis partibus noctis, vel primore (*primis tenebris*): ut Æn. IX. 244. *vidimus obscuri primam sub vallibus urbem*. D.

Nocte prima] I. e. prima parte noctis, ut supra explicuimus. R. D.

25 *Confugere anhelantem*] Ex his argumentis potest colligi, hunc esse qui virginem vitiaverit. *Confugere anhelantem*] Vide signa conjecturalia. quod *confugere* vidit, timebat: quod *anhelantem*, colluctatus fuerat: quod *domum*,

Digitized by Google

Cum hoc annlo: extimui ilico. Mi Pamphile, inquam, amabo,
Quid exanimatus es obsecro? aut unde anulum istum nactus?
Dic mihi. Ille alias res agere se simulare. postquam id video,
Nescio quid suspicarier magis cœpi: instare ut dicat.
Homo se fatetur vi in via nescio quam compressisse;
Dicitque sese illi anulum, dum luctat, detraxisse.
Eum hæc cognovit Myrrhina in digito modo me habentem.
Rogat unde sit: narro omnia hæc: inde'st cognitio facta,
Philumenam compressam esse ab eo, et filium inde hunc natum.

celari volebat: quod *sine comite*, pudendum fuerat facinus; quod *vini plenum*, temerarium: quod *annulum* habebat, partum (*raptum*, alii) indicat. Vides igitur his indiciis ut virginem apparet vitiatam (*indiciis, virginem, ut apparet, vitiatam.*) D.

26 *Mi Pamphile, inquam, amabo*] Hæc blandimenta sunt muliebria. D.

27 *Quid exanimatus es obsecro? aut unde annulum istum nactus?*] Principalia signa vitii illati, perturbatio et anulus. *Quid exanimatus es obsecro? aut unde annulum istum nactus?*] Brevitati consulit Terentius: nam in Græca hæc aguntur, non narrantur. D.

Illud *es* cum a versu repudietur, rescribe *exanimatu's*; item *nactu's*. B.

Es exanimatus] I. e. anhelas, commotus es, ut vix respirare possis. *Anima* sæpe dicitur *anhelitus*. v. not. ad Ad. III. 2. 20. in Andr. I. 4. 7. Cæs. de B. G. II. 23. *cursu ac lassitudine exanimatos* ubi v. Davis. R. D.

28 *Simulare*] Fingere, ac pro vero falsum tradere. *Ille alias res agere se simulare*] Id est, alias res agentem se fingere. pudebat enim amicæ de alterius stupro fateri: et si amicæ, quam tum deperibat. D.

Ille alias res agere se simulare. E.

Illud *id* in eod. nullo est, nisi Victoriano, ubi et ipsum deletum est. B.

29 *Nescio quid suspicarier*] Pro aliquid. D.

Lege et interpunge sic, *nescio quid suspectarier, magis cœpi instare ut dicat.* B.

30 *Homo se fatetur vi in via virginem nescio quam compressisse*] Bene additum *homo*: et oratorie *nescio quam*; ex quo dicto omnis error est natus. Nam appone nomen, et nulla fabula est. *Nescio quam*] Vel quia vere nesciebat: vel quia sic dicendum fuit, ne amare illam videretur. D.

Illud *virginem* ob fidem optimorum codd. dudum delendum putarunt viri docti. B.

31 *Dum luctat*] Ita Ms. R. et vett. libb. al. *luctatur*. L.

Luctat] Antique pro *luctatur*. Sic alibi *reluctо* pro *reluctor*. v. Riv. ad h. l. et Voss. de Analog. III. 7. R. D.

32 Repone *eum cognovit Myrrhina hæc: in digito modo me habente*. Nam non Bacchidem, sed ipsum anulum cognovit Myrrhina. B.

Digitized by Google

Hæc tot propter me gaudia illi contigisse lætor.
Etsi hoc meretrices aliæ nolunt: neque enim est in rem nostram,
Ut quisquam amator nuptiis lætetur. verum ecastor
Nunquam animum quæsti gratia ad malas adducam partis.
Ego, dum illo licitum'st, usa sum benigno, et lepido, et comi:
Incommode mihi nuptiis evenit: factum fateor:
At pol me fecisse arbitror, ne id merito mihi eveniret.
Multa ex quo fuerint commoda, ejus incommoda æquom est ferre.

ACT. V. SCENA IV.

PAMPHILUS. PARMENO. BACCHIS.

VIDE, mi Parmeno, etiam sodes, ut mihi hæc certa et clara attuleris:

35 *Hæc tot propter me gaudia*] Inclusit (*conclusit* Ms. B. et edd. ante Steph. recte, i. e. finivit) narrationem fabulæ more suo: ne hæc in futuro acta expectaremus. D.

36 *Etsi hoc meretrices aliæ nolunt*] Color necessarius a verisimili. Se (*scit se* uterque liber) enim alibi dixisse, *bonas matronas facere meretrices malas*, meminit. *Neque enim est in rem nostrum*] *In rem*, in utilitatem, id est, pro commodo. D.

Claudicanti in cæsura versui sic opitulare, *etsi hoc meretrices non volunt aliæ: neque enim in rem est nostram*. B.

38 *Quæsti gratia ad malas*] Priscian. lib. 6. Fab. Fulgent. de prisco serm. in voce *diobolares*. L.

39 *Ego, dum illo licitum est*] An meruerit (*metuit*) Pamphilus? D.

40 *Incommode mihi nuptiis evenit*] Sic dicit, quemadmodum dicimus, *et male evenit*, aut *bene si contigit*. *Incommode mihi nuptiis evenit*] Ἀνθυποφορά. (Ὑποφορά.) Et est ordo, incommode mihi evenit ex nuptiis. et *incommode*, pro incommodo. *Nuptiis*] Deest *ex*. ut sit, *ex nuptiis*. *Factum, fateor*] Ἀνθυποφορά. D.

Incommode mihi evenit] Maximum incommodum accepi, quod Pamphilus duxit uxorem. *Factum fateor*] Confiteor. Sed non mei meriti est, quod deserta sum. Unde ferenda hæc sunt incommoda. E.

41 *Ne id merito mihi eveniret*] Ergo hæc dolemus, quæ merito contingunt. D.

42 *Multa ex quo fuerint commoda ejus*] Ratio cur nova omnia fiant, et contra officium meretricis. *Multa ex quo fuerint commoda, ejus incommoda æquum est ferre*] Hoc eo tractu vocis, et ea æquanimitate dicendum, quale in Adelphis, *quando eum quæstum occæperis, accipiunda et mussitanda injuria adolescentium est*. D.

1 *Vide, mi Parmeno, etiam sodes, ut*

Digitized by Google

Ne me in breve conjicias tempus gaudio hoc falso frui.
PAR. Visum est. PAM. Certene? PAR. Certe. PAM. Deus sum, si hoc ita est. PAR. Verum reperies.
PAM. Manedum sodes: timeo ne aliud credam, atque aliud nuncies.
PAR. Maneo. PAM. Sic te dixisse opinor, invenisse Myrrhinam,
Bacchidem anulum suum habere. PAR. Factum. PAM. Eum, quem olim ei dedi;
Eaque hoc te mihi nunciare jussit: itane est factum? PAR. Ita, inquam.

mihi hæc certa] Bene *hæc* repetit. verum est enim, ut quod misere cupimus, id etiam tardius credamus effectum. Sic et in Heautont. *ego vereor magis.* D.

Vide, mi Parmeno] Ea quæ vehementer cupimus, parum credibilia videntur, dum metuimus. Ideo sæpius quærit, et nuncii ordinem repetit, cum dicit: *manedum, sodes. Sic te dixisse opinor, invenisse Myrrhinam apud Bacchidem annulum suum.* Quibus rebus confirmatis rursum exsultat gaudio: *quis me est fortunatior?* E.

Versus sunt trochaici tetrametri; sed hic et septimus; acatalectici, cæteri catalectici. FAERN.

Vide etiam] Idem valet quod apud Ciceronem *vide etiam atque etiam* i. e. valde, magnopere. Plaut. in Mostell. II. 2. 43. *circumspice etiam.* R. D.

Certa et clara] Hæc verba ex formula junguntur. Horat. Serm. II. 6. 26. *postmodo, quod mihi obsit clare certumque locutus.* Liv. XXII. 30. *omnia non properanti clara certaque erunt.* v. Gronov. ad Senec. de morte Claudii c. 1. et ad Liv. I. 18. R. D.

2 Pro *conjicias* legendum existimo *pellicias.* B.

Ne me in breve, &c.] Insolens loquendi ratio, *conjicere aliquem in breve tempus.* Bentlei. legit *ne me in breve pellicias gaudio hoc falso frui,* sed ne hæc quidem conjectura difficultatem pellit. Infinitivus *frui* ponitur pro *ad fruendum,* ut supra III. 2. 10. *introiit videre.* v. Perizon. ad S. M. IV. 6. p. 673. R. D.

3 *Deus sum, si hoc ita*] Plaut. *rex sum; regem autem quid loquor? imo deus.* Et in Curcul. I. 3. 11.—*sum deus.* L.

Pro *certene* vulgari recte Bemb. et Victorian. habent *certen;* ut versus sit trochaicus catalecticus. B.

Deus sum] I. e. felix, beatus sum. v. notat. ad Andr. V. 5. 4. R. D.

4 *Mane dum*] *Dum* abundat. D.

5 *Sic te dixisse opinor*] Miro affectu inducitur, vix adduci ad credendum, quod gaudet, Pamphilus. D.

Ne pro trochaico fiat iambicus, vel corrige *dixe,* vel cum cod. Mead. lege inverso ordine, *sic dixisse opinor te.* B.

6 Duo codd. concinnius, *suum anulum.* B.

7 *Ita, inquam*] Quasi jam ante fassus, dico *(quasi jam lassatus dicit.)* D.

Duo ex nostris verius, *eaque hoc mihi te nunciare.* B.

Eaque jussit] Notanda est orationis infinitæ in finitam mutatio optimis quibusque scriptoribus usurpata. Oratio pendet a verbo *dixisse.* R. D.

Digitized by Google

PAM. Quis me est fortunatior, venustatisque adeo plenior?
Egon' te pro hoc nuncio quid donem? quid? quid? nescio.
PAR. At ego scio. PAM. Quid? PAR. Nihil enim:
Nam neque in nuncio, neque in me ipso tibi boni quid sit, scio.
PAM. Egone, qui ab orco mortuum me reducem in lucem feceris,
Sinam sine munere a me abire? ah, nimium me ingratum putas!
Sed Bacchidem eccam video stare ante ostium:
Me exspectat, credo: adibo. B. Salve, Pamphile.
PAM. O Bacchis, O mea Bacchis, servatrix mea.
B. Bene factum, et volupe'st. PAM. Factis, ut credam, facis:

8 *Quis me est fortunatior, venustatisque adeo plenior?*] Ob beneficia Veneris; cui contrarium *invenustus*, cui contra reciderit *(reciderit)* quod amat. D.

Venustatisque] Q. Aur. Symmach. lib. I. Epist. 72. *res cecidit ex voto, utor teste quo volui, jam mihi comici adolescentis voce clamandum est, quis me hodie fortunatior venustatisque adeo plenior?* Aliter, sed male, Terentii locum Non. Marcellus laudat in voce *vetustas*. L.

Venustatis plenior] I. e. felicior. *Venustatem* exquisite de felicitate dici ad Andr. I. 5. 10. ostendimus. R. D.

9 *Quid donem? quid? quid? nescio*] Μιλλησμός. ut, Æn. VI. 532. *pelagine venis erroribus actus? An monitu divum? an quia te fortuna fatigat, ut tristes sine sole domos, loca turbida, adires?* D.

Ne versus pede claudo incedat, lege ex nostris universis, *egone pro hoc te nuncio*. B.

11 *Nam neque in nuncio*] Magis scire vult, quam munus accipere. *Nam neque in nuncio, neque in me ipso boni quid sit, scio*] Facete agit Terentius: quanto magis Parmeno curiosus est, tanto magis nescit illa, quæ cupit. D.

Neque in me ipso] Ms. R. *neque in memetipso tibi*, &c. L.

12 Editio vet. et unus e codd. regiis recentior recte, *egon te, qui ab orco*. Nam ita fit iambicus, ut sequens. B.

Ab orco, &c.] H. e. qui me e summis angustiis eripueris. Idem proverbium est apud Ovid. Trist. V. 9. 19. *semineam stygia revocasti solus ab unda*. Similiter Florus II. 6. 295. *interim respirare Romanus et quasi ab inferis emergere* ubi v. quos laudat Duker. p. 317. R. D.

16 *O Bacchis! O mea Bacchis! servatrix mea*] Bene additum est, *servatrix mea*. Et *(ut* edd. vett.*) mea*, quod supra dixit, amatoris est. D.

17 *Factis ut credam facis*] Difficile enim erat credere, his rebus gaudere meretricem. D.

Digitized by Google

Antiquamque adeo tuam venustatem obtines,
Ut voluptati obitus, sermo, adventus tuus, quocunque adveneris,
Semper siet. B. Ac tu ecastor morem antiquom atque ingenium obtines,
Ut unus hominum homo te vivat numquam quisquam blandior.
Pam. Ha, ha, he, tune mihi istuc? B. Recte amasti, Pamphile, uxorem tuam:
Nam nunquam ante hunc diem meis oculis eam, quod nossem, videram.

Factis] I. e. re ipsa. Plaut. in Bacchid. IV. 4. 53. *quid mihi refert Chrysalo esse nomen, nisi factis probo.* R. D.

18 *Venustatem*] I. e. elegantiam morum. Cic. pro Archia c. 12. *quem amicorum videtis comprobari tum dignitate tum etiam venustate* [variant tamen ad h. v. codicis v. Ernest.] R. D.

19 *Ut voluptati obitus*] *Obitus* occursus: *ob* enim, significat contra. Ergo *obitus*, aditus. Legitur et, voluntate obitus. *Obitus, sermo, adventus tuus*] Inter *obitum*, et *adventum* hoc interest: quod *obitus* est, quem casus affert: *adventus*, quem voluntas et destinatus locus. D.

Ut voluptati obitus, sermo, adventus] Singula sunt. Et est sensus: *ut voluptati sit sermo tuus. Obitus* autem abscessus (*accessus* Z.) est, ab eo quod est *obeo*. E.

Pro *adventus* sensus suadet *affatus*. Nam male synonyma *obitus* et *adventus* separantur. Quodsi igitur nostram rationem sequeris, gradatim procedit sententia. Etenim *sermo* ad omnes, sed *affatus* ad hunc vel illum. B.

Obitus] *Obitus* est quem casus offert, *adventus* quem voluntas. Sic distinguit Donatus. Sic *obire* apud Lucret. I. 223. *donec vis obiit quæ res diverberet ictu*, et 248. *vis obeat pro textura cujusque reperta*. ubi v. Lambin. R. D.

20 *Morem antiquom*] Respexit ad versum Ennii lib. 5. Annal. *moribus antiquis res stat Romana, virisque*, quem citant Cicero lib. 5. de Rep. Augustin. Episc. lib. 2. cap. 21. de Civit. Dei. Volcat. Gallican. in Avidio. Plaut. Capt. I. 2. 20. *ille demum antiquis est adolescens moribus, cujus nunquam veltum tranquillavi gratiis.* L.

Morem antiquum atque ingenium obtines] In his pleonasmum notat Rufinianus de Schemat. junctum Rutilio Lupo 257. R. D.

21 Cum Bemb. aliisque probatis libris lege, *ut unus omnium homo:* ut *unus* et *omnium* opponantur. Dein plures libb. cum edd. vett. recte habent *nusquam*. Nam si *nunquam*, dixisset *vixerit*. B.

22 *Tunc mihi istuc?*] Quia blandimentum magis meretricium est. D.

Ex Bemb. Viet. et nostris leg. *tun mi istuc?* B.

23 *Nunquam ante hunc diem meis oculis eam, quod nossem, videram*] Hoc est, nunquam sic videram, ut eam nossem. *Quod nossem*] Id est, quod meminissem, quod scirem: ac per hoc, nunquam videram. ut alibi, Adel. IV. 5. 7. *non equidem istuc, quod sciam.* D.

Eam, quod nossem, videram] Hoc est, non sic videram, ut eam nossem. E.

Digitized by Google

Perliberalis visa'st. PAM. Dic verum. B. Ita me di ament, Pamphile.
PAM. Dic mihi, harum rerum num quid dixti jam patri?
B. Nihil. PAM. Neque opus est,
Adeo mutito: placet non fieri hoc itidem, ut in comœdiis,
Omnia omnes ubi resciscunt. hic, quos par fuerat resciscere,
Sciunt. quos non autem æquom'st scire, neque resciscent, neque scient.
B. Immo etiam, qui hoc occultari facilius credas, dabo,
Myrrhina ita Phidippo dixit, jurijurando meo
Se fidem habuisse, et propterea te sibi purgatum. PAM. Optume'st:
Speroque hanc rem esse eventuram nobis ex sententia.
PAR. Here, licetne scire ex te, hodie quid sit quod feci boni?

24 *Dic verum*] Bene instanter ex meretrice quærit, quid de forma uxoris sentiat. scit enim hanc judicem esse pulchritudinis posse: vel quod femina, vel quod æmula. D.

Perliberalis visa'st] Vid. Fest. in voce *liberales*. L.

25 *Numquid*] Num aliquid. acuendum ergo *quid*. *Neque opus est, adeo mutito*] Vel tenui dicto. D.

Numquid subolet patri?] Metuit, ne pater audiverit aut suspicetur aliquid de compressu. E.

Neque opus est adeo mutito] I. e. ne tenui quidem dicto opus est, ut bene Donat. *mutire* quid sit ad Andr. III. 2. 25. explicuimus. R. D.

26 *Non fieri hoc itidem, ut in comœdiis*] Mire: quasi hæc comœdia non sit, sed veritas. aut deest *aliis*. *Ut in comœdiis*] Deest *fit*. D.

Ut in comœdiis] Quasi hæc comœdia non sit. Constat enim, in comœdiis in postrema parte personas plurimas poni. E.

Leg. *placet haud fieri*. B.

27 *Omnia omnes ubi resciscunt*] In fine enim comœdiæ nihil cuiquam celari solet. *Hic, quos par fuerat*] *Hic*, in hac comœdia, aut in hac re. D.

Accentus gratia ex Bemb. sequor hunc ordinem, *quos fuerat par*. B.

Quos par fuerat resciscere] I. e. quorum intererat resciscere. R. D.

28 *Neque resciscent, neque scient*] *Resciscunt* ad quos pertinet. Et *resciscunt* qui nesciunt, *sciunt* qui negligunt. Et *resciscimus* ex alio, *scimus* etiam per nostram opinationem. *Rescire*, est recognoscere, et vix invenire quod quis nescierit. D.

29 Pro *occultari* plurimi codd. *occultari posse*; quod sensu probatur, sed versu repudiatur. Igitur ut utriquæ rei consulas, lege *occultum iri*. Nam Pamphilus de futuro erat inprimis sollicitus. B.

30 Etsi omnes libri habent *jurejurando*: leges linguæ tamen *jurijurando* poscunt. B.

33 *Here, licetne scire ex te*] Ridi-

Digitized by Google

Aut quid istuc est, quod vos agitis? PAM. Non licet.
PAR. Tamen suspicor:
Egone hunc ab orco mortuum? quo pacto? PAM. Nescis, Parmeno. 35
Quantum hodie profueris mihi, et ex quanta ærumna extraxeris.
PAR. Immo vero scio; neque hoc imprudens feci. PAM. Ego istuc satis scio.
PAR. An temere quicquam Parmenonem prætereat, quod facto usus sit?
PAM. Sequere me intro, Parmeno. PAR. Sequor: equidem plus hodie boni

culo instat scire, ignoraturus Parmeno. D.

Illud *me* ante *scire* a sensu non postulatur, imo a versu repudiatur, et in melioribus libb. abest. B.

35 *Egone hunc ab orco mortuum?*] Verba sunt cogitantis, ideo et ἀλλοιπτικῶς loquitur. *Nescis, Parmeno*] Addidit stimulos curiositati ejus. D.

Ego hunc ab orco] Hoc est, a Platone, qui est deus inferni, mortuum liberavi. Hic Parmeno eadem repetit verba Pamphili, et secum quasi hæc cogitans loquitur. E.

Bembinus, et Faerni Donatus *ego hunc*: nostri *egon hunc*. Nihil interest. B.

36 Ne versus claudicet, illud *me*, quod in aliis libris abest, in aliis ponitur ante *extraxeris*, repone post *et*. B.

37 *Immo vero scio, neque hoc imprudens feci*] Recte. parvum enim beneficii meritum, si ab imprudente præstitum videatur. D.

38 *Temere quicquam Parmenonem prætereat*] Quod interdum non (dele *non*) temere prætereat, quod habet faciendi necessitatem. *Temere quicquam Parmenonem prætereat*] Sibi ipsi hoc dicit, et se nominat: ut, Æn. II. 549. *degeneremque Neoptolemum narrare memento*. Et, *age nunc: Phormionem, qui volet, lacessito. Temere quicquam*] Utrum hoc dicit, non temere, neque per imprudentiam genitur, quicquid utile est. An hoc dicit, nihil potest transire temere, quod utile factu est, quin gratiam sui habeat? An hoc dicit, an quicquam Pamphilus prætereat temere: ita ut non remuneret bonum factum Parmenonis, quod sibi utile fuerit? Et convenit hoc dictum meretrici abeunti. D.

Hic versus nec Parmenoni, e ratione vulgari, nec Pamphilo, ex Bemb. sed Bacchidi tribuendus est, lætanti et Parmenonem rideti. Itaque cum Bemb. *Parmeno* legi debet in casu recto. B.

An temere quicquam Parmeno prætereat] Duplex hujus loci scriptura est, unde duplex etiam sensus nascitur. Si legatur *an temere quicquam Parmenonem prætereat*, sensus est: an Parmeno aliquid ignoret, an Parmenoni aliquid occultum sit. Cic. ad Div. I. 6. *sed te non prætorit quam sit difficile*. Columella in præf. l. 1. de re Rust. *non me prætorit*. Sin legatur *an temere quicquam Parmeno prætereat*, sensus est, an Parmeno quicquam omittat quod utile factum sit. Sed quocunque modo legatur, hic versus nec Parmenoni nec Pamphilo tribuendus est, sed Bacchidi, quæ et ipsa Parmenonem ridet. v. Bentl. ad h. l. R. D.

Digitized by Google

Feci imprudens, quam sciens ante hunc diem unquam.
Ω. Plaudite.

CALLIOPIUS RECENSUI.

40 *Feci imprudens, quam sciens ante hunc diem unquam*] Quia non convenit servo scienti recte facere, bene addidit *imprudenti* sibi evenisse, ut bene faceret: quod prudens nunquam fecerit. *Imprudens quam sciens*] Ἀνήθικον secundum. Nam imprudentem scienti reddit, non prudentem. D.

Feci imprudens, quam sciens] Plaut. Capt. prol. 44. *ut sæpe jam in multis locis plus insciens quis fecit, quam sciens boni.* L.

Digitized by Google

FRIDERICI LINDENBROGII

OBSERVATIONES

IN ÆLII DONATI. V. C.

COMMENT. IN HECYRAM.

IN PROLOG.

3 *Quæ scita sit nomine*] Ms. *hoc est q. sit cio.*

ALT. PROL.

1 *Jus gentium est*] L. 17. ff. de Legationibus l. 7. ad leg. Jul. de vi publ. leg. 8. de divis. rer. Dio Chrysost. περὶ νόμου. Τὸν γοῦν παρὰ τῶν ἐχθίστων κήρυκα πεμπόμενον οὗτος ἐστὶν ὃ σώζων καὶ διαφυλάττων, παντὸς θώρακος καὶ πάσης ἀσπίδος ἰσχυρότερον αὐτῷ δοὺς ὅπλον τὸ κυρύκειον. Idem in fine orationis περὶ ἔθους. Livius I. 14. *post aliquot annos propinqui regis Tatii legatos Laurentium pulsant: cumque Laurentes jure gentium agerent, apud Tatium gratia suorum et preces plus poterant; igitur illorum pœnam in se vertit. Nam Lavinii, cum ad sollemne sacrificium eo venisset, concursu facto, interficitur.* Vell. Paterculi. initio lib. 2.

9 *Dicitur* ἀντίθεσις] Ms. ἀνάκλασις.

23 *Ab auditorum persona*] Ms. *a judicum persona.*

25 *Etiam gloriosi*] Ms. *sed gloriosi.*

ACT. I. SC. I.

8 *Mutili dicti sunt boves*] Rectissime ad mentem Donati Hyginus fab. 201. *in quamcunque effigiem vellet transmutaretur, ex albo in nigrum, vel ex nigro in album; in cornutum ex mutilo, in mutilum ex cornuto.* Columella præfat. lib. 1. *aliter curetur mutilum aliter raripilum, aliter cornutum, et setosum.*

9 *Eximia pecora*] Vid. Fest. v. *eximium.*

17 *Non eam persuasisse*] Ms. *non se pers.*

Ἐμπαθῶς *ait*] Ms. ΕΝΠΑΓΟΠΑΑΗΝ.

18 *Secundum* φυσιογνωμικοὺς *difficile deformem reperiri bonam*] Vid. Aristotel. Polæmon, et Adamant. Physiognomica.

ACT. I. SC. II.

3 *Ante* πεδοίκην] Ita Ms. Hesych. πεδοίκους, μετοίκους vocat. Hinc ergo de medela cogitandum.

97 *Quæ familiæ debebatur*] Justin. Instit. lib. 3. Tit. de bonor. possess.

ACT. II. SC. I.

9 Ἄτεχνος πίστις] Infra IV. 4. 75. V. 1. 16. Marcell. in Hermog. p. 298.

17 *Nisi ad telum*] Petron. 90. *ut primum extra teli conjectum licuit consistere.* paulo ante dixerat, *Lapides in Eumolpum recitantem miserunt.* Vid. Instit. lib. IV. Tit. ult. de pub. jud.

28 *Hoc est amorem*] Ms. *hoc amare.*

ACT. II. SC. II.

21 *Esse compulsam*] Ms. *esse collapsam.*

25 *Aurem propiorem*] Ms. *aurem propriorem.*

ACT. III. SC. I.

1 *Nimis cothurnati*] Al. *conturbati.*

29 *Plenum erat*] Ms. *planum erat.*

41 *Plautus Bacchidibus: nam et ex*] Locus corruptus. Plauti verba sic habent: act. I. scen. 1. 73. *Nam ut in navi recta es, credo, timida es.* Videtur autem sic legendum: *num ut in mari*

Digitized by Google

vecta es, c. t. es. Ergo pavitare, ægrotare : quia sic horruisse visa ac palpitare venis, &c.

44 *In vultu proloquium*] Ms. *incultum proloq.*

ACT. III. SC. II.

24 *Est μετωνυμία*] Ms. *est ὑπαλλαγή.*

ACT. III. SC. III.

27 *Femina, quæ leges nesciat*] L. II. l. 13. C. de jur. et fact. igner. l. 8. ff. eod. lib. 2. §. 7. ff. de jur. fisci. l. 38. §. 2. et 4. ad L. Jul. adult.

ACT. III. SC. IV.

26 *Sine conjunctivo*] Ms. *conjunctione.* Μυκόνιος φαλακρὸς] Strabo lib. X. Τοὺς φαλακροὺς δέ τινες Μυκονίους καλοῦσιν, ἀπὸ τοῦ τὸ πάθος τοῦτο ἐπιχωριάζειν τῇ νήσῳ. Vid. Plin. lib. XI. cap. 47. Stephan. de Urbib. et Adagiograph.

ACT. III. SC. V.

9 *Et propinquitate Terentius frequentata movetur ut heredum*] Ms. *et æ. p. t. frequentate movent, aut heredum.*

27 *Dotem relinquere*] Ἴσ. *d. retinere.*

52 *Dos pecunia est*] Plaut. Epid. II. 1. 10. *pulchra ædepol dos pecunia est.* Aristænet. lib. 1. epist. I. αὐτίκα χρημάτων εἰς προῖκα τῷ σῷ δεήθητι πατρί. Vid. quæ notata. Adel. III. 2. 47.

ACT. IV. SC. I.

16 *Septimo mense nasci*] Pet. Chrysologus Serm. 56. *homo sæpe mensis decimi despiciens terminum, septimo mense angustas primæ domus, et arctas uteri abjicit et deserit mansiones, ut præliator novus ante se tempus evicisse gaudeat, quam dependat ipse suam temporis servitutem.* l. 12. ff. de stat. homin. Censorin. de Die natal. A. Gell. III. 16. supra III. 3. 38.

20 *Quæ minor est*] Ms. *quæ hujus est.*

21 *Ita non esse certo*] Ms. *ita esse.*

22 *Arbitrum capere*] Plaut. Amphitr. Argum. 7. *Blepharo captus arbiter.*

27 *In ingenio*] Ms. *in genero.*

32 *Me esse censes*] Ms. *perniciosamque censes.*

36 Ἰδιωτισμὸς] Ms. τῷ ἰδιωτισμῷ.

41 *Misericordia, animus*] Ἴσ. *mitte, animus,* &c.

43 *Respondeatur*] Ms. *repandatur.*

48 *Prætoris edicta et interdicta*] Arbit. cap. 13. *ad interdictum venire.*

ACT. IV. SC. II.

3 Ἄχθος. *quid*] Ms. Οετοως *quid n.*

ACT. IV. SC. III.

4 *Revocare vult*] Ms. *ad se vocare vult.*

10 *Caute satis*] Ms. *acute satis.*

12 *Consentientes sint aut dissentientes*] Ms. *concordes sint anne discordes.*

15. *Caput indicant*] Ita ex Ms. hunc locum emendavimus. aliter Muretus Var. lib. 18. cap. 18.

ACT. IV. SC. IV.

1 *Aut etiam socrui*] Ms. *aut non solum.* sed verius puto, *at etiam socrui.*

3 *Ipse dicit*] Ms. *ipse determinat.*

4 *Quomodo volebam?*] Ms. *quando voleb.*

8 *Odisse Sostratam*] Ms. *odisse socrum.*

16 *Liberi patrem sequuntur*] Puta, ex justis nuptiis procreati. Instit. lib. 1. Tit. 9. princ. de patr. potest. l. 19. l. 24. ff. de stat. homin. Sic Canuleius TRP. apud Livium lib. 4. *patrem sequuntur liberi.* Dio Chrysostom. Orat. ad Apomenses, τὸ μὲν ὂν ἀναγκαῖον συνακολουθεῖν τὰ τέκνα τῷ πατρί. Ex injustis vero quæsiti matrem sequuntur. Instit. de nupt. l. 1. §. 2. ff. ad Municip. l. 5. §. 4. ff. de agnosc. et alend. lib.

ACT. V. SC. I.

8 *Id est, quod est*] Ms. *quem exerceo scilic. ad est, quod est quæstui mihi.*

38 Ἀποσιώπησις] Ms. καταπάυσις μετακπαης *

ACT. V. SC. II.

13 *Quod factum est*] Variant. libb. al. *falsum est,* al. *fictum est.*

23 *Alia scilicet*] Ms. *hostis est alias inimica.*

ACT. V. SC. III.

13 *Capella quædam est, mire facta*] Ms. *Myrræ facta.*

25 *Confugere anhelantem*] Quinct. lib. I. c. 6.

35 *Inclusit narrationem*] Ms. *conclusit narrationem.*

Digitized by Google

C. SULPITII APOLLIN.

PERIOCHA IN TERENT.

PHORMIONEM.

CHREMETIS frater aberat peregre Demipho,
Relicto Athenis Antiphone filio.
Chremes clam habebat Lemni uxorem, et filiam ;
Athenis aliam conjugem, et amantem unice
Gnatum fidicinam. mater e Lemno advenit
Athenas: moritur. virgo sola (aberat Chremes)
Funus procurat. ibi eam visam Antipho
Quum amaret, opera parasiti uxorem accipit.
Pater et Chremes reversi fremere : dein minas
Triginta dant parasito, ut illam conjugem
Haberet ipse. argento hoc emitur fidicina.
Uxorem retinet Antipho a patruo agnitam.

Digitized by Google

Digitized by Google

ÆLII DONATI, V. C. ORATORIS URBIS

ROMÆ, PRÆFATIO IN PHORMIONEM TERENTII.

HANC comœdiam, manifestum est, prius ab Apollodoro sub alio nomine, hoc est, Ἐπιδικαζόμενον, Græce scriptam esse, quam Latine a Terentio *Phormionem*. Quamobrem nulla dubitatio est, hanc solam esse cui nomen poeta mutaverit: et errare eos, qui in hac Phormionem parasitum putant a formula litis, quam intenderit, nominatum: quum Græca lingua fiscus sparteus (Gloss. *formio*. Κόφινος· παρῆκται δὲ ἀπὸ τοῦ Ἑλληνικοῦ, ὡς ὁ Ἡσίοδος. Verba Hesiodi laudantur in Etymol. Magno: Οἴσεις δὲ ἐν φορμῷ. in voce φορμίσκοι. Basil. Mag. in Exercitatt. φορμὸς ὁ καλαθίσκος. Ulpian. l. 12. §. 18. ff. de instr. et instr. *formiones, et spongias, et amas, et scopas* L.) et stramen nauticum sic dicatur: a cujus rei vel capacitate, vel utilitate, etiam ab Apollodoro parasitus Phormionis nomine nuncupatur. Hæc igitur proprie tota *motoria* est, et in affectibus constituta pene majoribus, quam comicus stilus posceret: nisi quod arte poetæ omnia moderata sunt. Primas in ea partes, ut ipse poeta professus est, tenet *Phormio*, secundas *Geta*, tertias *Demipho*: subinde cæteri, prout cujusque actus ostendit. Prologus Phormionis nimis concitatus est, adeo ut ipse semet veluti reprehendat ob hanc ipsam pervicaciam, et simul argumentum suæ purgationis inducat. Atque in ea quum et protasis, et epitasis, et catastrophe magni moliminis et negotii sint: ita variis leporibus asperguntur, ut etiam rerum tristium gravitatem poeta lepidus comica serenitate tranquillet. Hæc acta est ludis Megalensibus, Lucio Cornelio Merula Ædili Curuli, et L. Posthumio Albino: agentibus L. Cassio Attilio, et L. Ambivio. modos faciente Flacco Claudii filio tibiis Serranis, totaque diverbiis facetissimis, et gestum desiderantibus scenicum, et suavissimis ornata canticis fuit. Editaque est quarto loco,

Digitized by Google

M. Valerio, et C. Fannio coss. Persona etiam in hujus protasi non una est, sed duæ: quarum altera extra argumentum posita est, cui narratur fabula: altera in argumento, quæ narrat fabulam. Argumentum quoque non simplicis negotii habet: nec unius adolescentis, ut in Hecyra: sed duorum, ut in cæteris fabulis. Scire autem convenit uno die transigi Phormionem: non, ut Heautontimorumenon, duobus. Prologus correpte *ἀπὸ τοῦ προλέγειν* dicitur, non producte *ἀπὸ τοῦ πρωτολογεῖν*. Nam officium prologi ante actionem (Ms. *ante narrat*. L.) quidem rei semper est: verumtamen et post principium fabulæ inducitur, ut apud Plautum in Milite glorioso, et apud cæteros magnæ auctoritatis veteres poetas.

Digitized by Google

ARGUMENTUM.

QUUM Chremes Demiphonis frater, adscito sibi ad fallaciam nomine, quo Stilphonem se dici fecerat, duas eodem tempore habuisset uxores, Athenis divitem, pauperem Lemni: ex divite sustulit filium, qui dictus est Phædria: ex paupere furtim suscepit atque educavit filiam, Phanium nomine, eamque consilio cum fratre habito destinavit filio ejus Antiphoni uxorem dare. Quibus complacitis, uno tempore profecti Athenis senes, Demipho in Ciliciam, Chremes Lemnum ad arcessendam filiam, quæ jam illinc cum matre navigaverat, occasionem dederunt amandi adolescentibus. Nam statim Phædria Citharistriam sub lenone cœpit ardere: Antipho illam filiam patrui Phanium desponsatam sibi, nesciens nescientem, mox ut Athenas venit, nec patrem reperit, falsa duplici ejus nomine, matrem mortuam dum lamentatur, adamavit: consilioque et opera parasiti, secundum leges Atheniensium, quasi sibi cognata esset, tanquam in jure victus et velut coactus, eam accepit uxorem per absentiam patris. Qui quum advenisset, et vellet eam expellere: primo confutatur per impudentiam parasiti. post cum suo fratre sic decipitur, ut, dum eam credit ab Antiphone posse disjungi, eam parasitus ipse ducat uxorem: et det ducturo xxx. minas præsenteis dotis, puellæ nomine; quas Phormio acceptas Phædriæ dedit: ille lenoni ad Citharistriam redimendam. Quibus gestis tandem Chremes agnoscit filiam suam conjunctam esse fratris filio. Quare dum mutato consilio xxx. minas a Phormione per rixam conatur exigere, per eundem proditus uxori suæ Nausistratæ est: et factus libidinis reus, non ante veniam meruit a matrefamilias, quam et xxx. minarum, et amoris Citharistriæ veniam dedisset filio. *Primus* actus est in colloquio Davi et Getæ: per quos discit populus argumentum. *Secundi* actus tenor continet adventum senis turbulentum, et ejusdem jurgium

Digitized by Google

adversus Getam et Phædriam. *Tertio* actui attribuitur litigium senis et Phormionis: tum consultatio cum advocatis: tum Antiphonis in scenam reditus, colloquiumque cum Geta: tum lenonis et Phædriæ colluctatio: tum adhortatio Getæ de inveniendo argento ad redimendam Phædriæ Citharistriam. *Quartum* actum ista concelebrant: adventus Chremetis, ejusdemque cum fratre deliberatio per errorem de ejicienda Phanio: Getæ verba de fallendis senibus: Antiphonis oratio apud semet ipsum de amore tractantis: Getæ rursus cum senibus callida, et mox cum Antiphone de eadem causa simplex disputatio: senum inter se colloquium de expulsione mulieris: et ad extremum verba Chremetis agnoscentis nutricem, ac per eam filiam suam cum Antiphone conjunctam. In *quinto* actu per Demiphonis errorem Phormio accipit argentum dotis nomine: et convenitur Nausistrata, ut exire domo compellat Phanium. Nunciatur Antiphoni et Phormioni per Getam, Phanium a patre agnitam, permissamque ut uxor habeatur. quæ quum ita nupta sit, exposcitur argentum a Phormione per rixam senum: a quibus ille oppressus, rem omnem aperit Nausistratæ. ad quod primum irata, ut in tali re uxor, mox lenitur in fine fabulæ, et tutissimum a patris iracundia præstat Phædriam.

Digitized by Google

FABULÆ INTERLOCUTORES.

ANTIPHO adolescens.
CHREMES senex.
CRATINUS advocatus.
CRITO advocatus.
DAVUS servus.
DEMIPHO senex.
DORIO leno.
GETA servus.
HEGIO advocatus.
NAUSISTRATA matrona.
PHÆDRIA adolescens.
PHORMIO parasitus.
SOPHRONA nutrix.

Digitized by Google

Digitized by Google

P. TERENTII PHORMIO.

Acta ludis Romanis, L. Posthumio Albino, L. Cornelio Merula Ædilib. Curulib. egere L. Ambivius Turpio, L. Atilius Prænestinus. Modos fecit Flaccus Claudi, tibiis inparibus. tota Græca Appollodoru Epidicazomenos facta est. IIII. *C. Fannio, M. Valerio Coss.*

PROLOGUS.

POSTQUAM poeta vetus poetam non potest
Retrahere a studio, et transdere hominem in otium:

1 *Postquam poeta vetus poetam non potest*] Hoc initium a destructione personæ adversarii sumitur, conjunctum cum insinuatione personæ Terentianæ. *Postquam poeta vetus poetam non potest*] Nota *postquam* apud veteres non præterito modo, sed etiam præsenti tempori adjungi. Ut Ecl. I. 31. *postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.* Quamquam sunt qui *postquam* simpliciter, pro *quoniam*, accipi velint. *Postquam poeta vetus*] Qui jam diu est, non qui jam diu fuit. Ergo ut vinum, *vetus:* non vetus, ut Ennius. *Postquam poeta vetus poetam*] Jocunda repetitio: ut Æn. XII. 139. *diva deam*; et Æn. I. 688. *notos pueri puer indue vultus. Postquam poeta vetus poetam non potest*] Ἀντίθετον primum per σύλληψιν primam, ita ut extrinsecus *novum* audiri poetam oporteat. D.

Semel tibi datum præceptum circa prologos perseverat; nunquam Terentium ratione uti in prologis, qua utuntur omnes. quippe cum adversarius Luscius Lanvinus maledictis frequentissime eum persecutus sit, quibus oportet in prologo respondere. Hanc quidem quæstionem etiam ipse fecit: quod enim Terentius, nunquam prologis uteretur, nisi haberet adversarium cui malediceret, certum est. Ita nascitur hic quasi quædam controversia, qua reus efficitur Terentius, quod facit (*faciat* Z.) contra legem, quod injuste agat, omittendo prologorum consuetudinem, et tantum maledicta ponendo. Huic per qualitatem respondet. adversarium suum cogere se, ut istud quod Terentius facit, possit efficere. *Postquam poeta vetus*] Id est, Luscius Lanvinus poetam nostrum Terentium non potuit coercere, quo minus comœdias scriberet, et hominem ad otium revocaret, cœpit eum maledictis terrere, credens non scripturum comœdias Terentium, si ei sæpe malediceret. Objicit præterea primam quæstiunculam, quod leves comœdias Terentius fecerit. Criminatur quod non fecit, quod Luscius Lanvinus in comœdiis fecit. Ita fit objecti criminis ex quadam adversarii accusatione purgatio. E.

2 *Retrahere a studio*] Sic loquitur, quasi rem scenicam magis lædere voluerit Luscius, quam Terentium. *Transdere*] *Transdere* veteres sonantius, quod nos lenius dicimus *tradere:* ut *tralatum*, nos *translatum* e contrario. *Et transdere hominem*] Comice et venuste inseruit *hominem:* ut Æn. V. 259. *levibus huic hamis consertam, auroque trilicem Loricam: quam Demoleo detrax-*

Digitized by Google

Maledictis deterrere, ne scribat, parat.
Qui ita dictitat, quas antehac fecit fabulas,
Tenui esse oratione, et scriptura levi: 5
Quia nusquam insanum scripsit adolescentulum
Cervam videre fugere, et sectari canes:

erat ipse Victor, apud rapidum Simoenta sub ilio alta: Donat habere viro, decus et tutamen in armis. D.

Transdere hominem] Vett. codd. et Ms. R. *tradere*. L.

Victorianus liber et aliquot nostri *ab studio*. B.

Retrahere a studio] H. e. revocare. Cic. pro Sextio c. 15. *cum duo consules a republica provinciarum fœdere retraxisset*. v. Græv. ad auctor. ad Herenn. III. 7. R. D.

Transdere hominem in otium] H. e. efficere ut se tradat otio, studio fabularum scribendarum. *Transdere* ut sonantius veteres dicebant pro *tradere*. Sic *transducere*, pro *traducere*, *transmare* pro *tranare*, *transjicere* pro *trajicere*. v. Riv. ad h. l. et Cort. ad Sallust. Jug. c. 11. R. D.

3 *Maledictis deterrere*] Sensus hic est; ipse se, inquit, adversarius fatetur victum, qui a rebus exclusus, ad verba delapsus est. *Maledictis deterrere*] Deest *Eum*. ut Æn. I. 76. *quarum, quæ forma pulcherrima, Deiopeiam, Connubio jungam stabili*. D.

4 *Quia ita dictitat*] Impudentiam ostendit per frequentativum verbum. *Quas antehac fecit fabulas*] Et hic lentum accusatorem facit, qui præterita ingerat, et de quibus jam sit judicatum in melius. D.

Sensus postulat, *quas ante hic fecit f.* Nam e ratione vulgari *fecit* refertur ad veterem poetam. Sed e nostra *hic* indicat, uti par est, Terentium. Cf. ad And. prol. 13. et Eun. 31. B.

5 *Tenui esse oratione, et scriptura levi*] Imperitum inducit criminatorem, qui hoc objiciat, quod proprium debet esse comici stili. Revera autem hoc deterior Menandro Terentius judicabatur, quod minus sublimi oratione uteretur. quod ipsum nunc purgat, dicens in tragœdia (*tragœdiam* ed. Argent.) altiora transire posse. D.

Tenui esse oratione, et scriptura levi] Hoc est, soliditatem in verbis nullam, *nullam* in rebus. Hoc objectum est: ostendit etiam nullam gravitatem: quoniam istud quod objecerat, ista (*istum ipsum*. Z.) fecisse; ideo objecit quod non fecit, quod fecit idem Luscius Lanvinus. E.

6 *Quia nusquam insanum scripsit adolescentulum*] Ideo videmur leves, tenuesque, inquit, quia non in comœdia prodigia facta sunt, et tragœdias concitavimus. Et callide hic non solum errorem reprehendentis, sed etiam imperite scripsisse ipsum ostendit Luscium Lanvinium. *Scripsit*] Legitur et *fecit*. *Adolescentulum*] Ut comicam personam ostenderet, artificiose imminuit *adolescentulum*, quo magis persona a sublimitate tragica discederet. D.

Pro *scripsit*, Donati fide et consuetudine Terentii repone *fecit*. Vid. Heaut. prol. 31. B.

7 *Cervam videre fugere, et sectari canes*] Hic affectus a comœdiis removendus est. *Cervam videre fugere, et sectari canes*] Ambiguitas per accusativum casum, perseverans usque ad ultimum de industria, ut etiam ipsa perplexitas odiosa sit. D.

Et sectari canes. et eam plorare, orare, ut subveniat sibi] In qua utique perspicis nihil quod comœdiarum sit. Non enim aut amator erat, aut suspicione ducitur, aut affectus est alicujus, aut irascitur pater, quod nolit filius ducere uxorem, aut aliquid horum, quod solet esse in comœdiis ut debet. Primum enim quod ad comœdiam pertinet id est, *adolescens insanus (primum enim q. a. C. pertinet illius, est adoles.* i. Z.) qui

Digitized by Google

Et eam plorare, orare, ut subveniat sibi.
Quod si intelligeret, quum stetit olim nova,
Actoris opera magis stetisse, quam sua:
Minus multo audacter, quam nunc lædit, læderet;
Et magis placerent, quas fecisset fabulas.
Nunc si quis est, qui hoc dicat, aut sic cogitet,

affectus a comœdiis longe videtur alienus. quod deinde *cervam videt fugere, et sequi canes*, istud omnino a comœdia alienum est. Ita nescio quod genus dicendi est alienum. siquidem Luscius Lanvinus in eo sit, Terentius ostendit, vilia se magis ista vitare: ut si quid in adversario esse cognoverit, reprehendat quod intelligeret. E.

Videre] H. e. putare per insaniam se videre. Plaut. in Sticho II. 2. 50. *quas tu vides colubras.* Virg. Æn. IV. 469. *Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus.* Sic Longin de sublimit. c. 15. εἴδον ἐμαυτὸν. R. D.

8 *Et eam plorare, orare, ut subveniat sibi*] Hæc omnis περιστασις tragica est: et ideo in comœdia vitiose inducitur. D.

9 *Quum stetit olim nova*] Bene hoc positum est. potuit enim responderi. Cur igitur stetit, et non exacta est a populo? *Quum stetit olim nova*] Recte *olim*: quasi dicat, quam adhuc Terentius non scriberet, penuria meliorum est probata. Deinde quod ait *nova*, hoc significat, omnia carmina novitate ipsa commendari, etiamsi nullius momenti sint. D.

Cum stetit olim nova, actoris opera magis stetisse quam sua] Comœdia ista, quam reprehendit, dicta a Lanvino est, et placuit. cur (*igitur*. Z.) potest esse præscriptio, quod reprehendi non possit ex eo, quod jam populo placuit. Occurrit huic Terentius dicendo, quod si animadverteret, quoniam cum nova comœdia quam reprehendit, data est, *actoris opera* stetit, non *sua*; ut non magis ingenio placuerit poetæ, quam actoris artificio. E.

Versus causa viri eruditi recte dudum monuerunt, legendum esse, *olim cum stetit nova.* B.

10 *Actoris opera magis stetisse*] Una opera et suffragium scenicorum comparat, et lædit adversarium. D.

11 *Minus multo audacter*] Nove dictum, *minus multo audacter*: ut cum dicamus nos, *minus audacter.* D.

Minus multa audacter] Multæ editiones habent *minus multo audacior*, &c. Sed certior lectio hæc est *minus multo audacter quam nunc lædit, læderet.* Duker. ad Liv. XXII. 25. Sequens versus *et magis placerent quas fecisset fabulas* huc inculcatus est ex Andr. prol. v. 3. quem Bentlei. merito ejecit. R. D.

12 *Et magis placerent*] Hic versus abest a plerisque Mss. L.

Hunc versum, repetitum ex And. prol. 3. tanquam ab hoc loco alienum, cum Faerno aliisque delendum censemus; præsertim cum in tribus antiquissimis libris, Bemb. Vatic. et Victor. absit. B.

13 *Nunc si quis est qui hoc dicat, aut sic cogitet*] Omne quod in mentem venit, aut cogitamus, aut dicimus. ut Virg. Æn. II. 124. *et mihi jam multi crudele canebant Artificis scelus, et taciti ventura videbant.* Hic sensus est, nunc si quis est, qui hoc dicat, aut censeat, improbus est Terentius, qui omnes prologos de maledictis facit: habeat is hoc responsum sibi, adversarium coegisse, qui provocaverit. Nam quid faceret Terentius, quum de palma artis musicæ certandum videat esse sibi? D.

Nunc si quis est] Hæc est illa propositio quæstionis, quod nunquam prologus a Terentio ponatur causa qua solet prologus dici, ut poetam commendet, ut argumentum dicat, sed tantummodo maledicat adversario. Hanc quæstionem

Digitized by Google

Vetus si poeta non lacessisset prior,
Nullum invenire prologum potuisset novus,
Quem diceret, nisi haberet cui malediceret:
Is sibi responsum hoc habeat; in medio omnibus
Palmam esse positam, qui artem tractant musicam,
Ille ad famem hunc ab studio studuit reicere;

ut dixisset (*ad hanc quæstionem solvendam dixit.* Z.) supervacuos esse quodammodo prologos, neque illi comœdiæ (*illis comœdias.* Z.) contineri: omnis enim palma, omnis victoria, omne certamen, in ipsa fabula continetur. Comœdiæ sunt illæ ubi virtus et ingenium possit pervenire ad gloriam. Hic (*hinc.* Z.) igitur dixit, *in medio palmam omnibus positam, qui tractant artem musicam.* Non principia, neque extremitatem oportere considerare, sed illa quæ sunt media, quæ comœdiam tenent, ubi ars musica tota versatur. E.

14 *Lacessisset prior*] Aut *lacessisset* abundat, aut *prior.* D.

15 *Nullum invenire prologum*] *Prologum* modo, non hominem, sed verba significat. *Novus*] Hic quod supra prætermisit, veteri supposuit (*opposuit*) novum. D.

Versus gratia repone *posset* pro *potuisset.* B.

16 *Nisi haberet cui malediceret*] Mire *haberet:* quasi dubium non sit, maledicendum esse Luscio (*Luscio* abest in edd. vett.) D.

17 *Is sibi responsum hoc habeat*] Huic rei per qualitatem (*pro qualitate,* edd. vett.) respondet, adversarium cogere, ut sic agat. *In medio omnibus palmam esse positam*] Sensus hic est, inveniret, inquit: sed maluit, quum de palma certandum sit, adversario respondere lædenti. Verum oratorie manifesta solvere non curavit, hoc est, nullum invenire prologum potuisse Terentium. et (*&c.*) hoc enim objiciendum fuit omnibus et novis, et veteribus poetis. *Palmam* pro causa certaminis posuit. Et ideo non est mirandum, si pugnant quibus causa certaminis præsto est. D.

In medio omnium palmam esse positam] I. e. omnibus licere de victoria contendere. Plin. Panegyr. c. 88. *justisne de causis S. P. Q. R. optimi tibi cognomen adjecit? Paratum id quidem et in medio positum, novum tamen* ubi v. Schwarz. Seneca in Thyeste v. 203. *in medio est scelus positum occupanti.* Solebant autem certaminis præmia ante oculos omnium proponi. Virgil. Æn. V. 109. *munera principio ante oculos circoque locantur In medio.* R. D.

18 *Qui artem tractant musicam*] Virg. Æn. I. 605. *nec quicquid ubique est Gentis Dardaniæ, magnum quæ sparsa per orbem.* Et περιφραστικῶς, ἀντὶ τοῦ, qui comœdias scribunt. D.

19 *Ille ad famem hunc ab studio*] Hic maxime incipit solvere quod sibi superius ipse proposuit. *Ille ad famem hunc ab studio*] Nunc quid est, inquit, poetam vituperare, nisi ad famen rejicere? nam poetæ probi (*pauperes.* Z.) suas vendebant fabulas: et harum pretiis alebantur. *Ille ad famem hunc ab studio*] Cur lacessitus respondes? certamen est, inquit. *Ab studio studuit*] Vetuste (*venuste:*) ut, *luserat ludum,* et, *pugnam pugnavit.* D.

Ille ad famem ab studio voluit hunc reicere] Nota adversarii voluntatem, quod maligne persecutus sit, uti Terentius a fama rejiceretur: vendebant enim comœdias, et inde quæstum habebant. certe optime respondit, etiam adversum quod dixit, *hic respondere voluit, non lacessere.* Fit enim justum cum respondemus potius maledicis, quam maledictis aliquem provocamus. Ita cum paria referimus, crimen est nullum. Quod adjunxit, *quod ab illo allatum, hic sibi relatum putet.* Commendat

Digitized by Google

Hic respondere voluit, non lacessere.
Benedictis si certasset, audisset bene:
Quod ab ipso allatum'st, id sibi esse rellatum putet.
De illo jam finem faciam dicundi mihi,
Peccandi quum ipse de se finem non facit.
Nunc quid velim, animum attendite. apporto novam,
Epidicazomenon quam vocant comœdiam

nunc poetam, cum subjungit, *de illo jam finem faciam dicendi, cum ipse de se non facit.* Hic graviter et illum peccare multa docuit, et se contentum esse respondere. E.

Versus, pro vulgari *rejicere*, lectionem probatorum codd. poscit *reicere*; ut Virg. Ecl. III. *Tityre, pascentis a flumine reice capellas.* B.

21 *Benedictis si certasset*] Quia supra dixit, *in medio omnibus palmam esse positam.* quasi dicat, quicquid in certamen venerit, in eo vincendos æmulos esse. *Si certasset*] *Certasset ἀντὶ τοῦ* provocasset: ab eo quod præcedit, id quod sequitur. Virg. Æn. I. 552. *nec te certasse priorem pœniteat. Audisset bene*] *Bene audire*, est bene dici, laudari. D.

Benedictis si certasset] Plaut. Pseud. IV. 7. 77. *contumeliam si dixis, audies.* Hieronym. advers. Pelagian. *cum dixeris quæ volueris, audies quæ nequaquam velis.* Et adversus Rufin. *nihilque super hæc amplius, nisi illud e trivio, cum dixeris quod vis, audies quod non vis. Aut si tibi videtur vulgare proverbium, et homo sapientissimus magis philosophorum ac poetarum sententiis delecturis, lege illud Homericum* Il. ύ. 250. *ὀνοῖόν κ' εἴπῃσθα ἔπος, τοῖόν κ' ἐπακούσαις.* Vid. Quinctil. lib. 5. de iis qui latius evagantur. L.

22 *Quod ab ipso allatum est*] Id est, maledictum. *Quod ad ipso allatum est, sibi esse id rellatum putet*] Proverbiale est, *quod dedit, recipit.* Et geminavit L: ut Æn. I. 34. *relliquias Danaum.* D.

Versus haud improbat lectionem omnium fere Faerni et nostrorum librorum, *quod ab illo allatumst, sibi esse id réllatum* p. B.

23 *De illo jam finem faciam dicundi mihi*] *Ἀπὸ τῆς ἐπιτιμίας τοῦ λέγοντος. Dicundi mihi, peccandi quum ipse de se finem non facit*] Et *mihi*, et *de se* proprie positum est: et præterea *ἀμφιβολία.* D.

Cum auctor et ab initio et aliis in prologis maledictis respondeat: sane hic locus isti mori repugnare videtur. Igitur hic pro *jam* reponendum puto *tum*: et illud *non* in sequenti delendum, mutato *facit* in *fecerit.* B.

24 *Peccandi*] Malodicendi. *Peccandi quum ipse de se finem*] Prius, inquit, ego de illo finem faciam, quam ipse de se. An, prius dicendi ego faciam, quam ille peccandi finem? *Non facit*, pro non faciat: ut, *mirum ni ego me turpiter hodie dabo.* D.

25 *Nunc quid velim, animum attendite*] Deest, *quæritis.* ut sit, nunc quid velim, quæritis? animum attendite. *Apporto novam*] *Novum* latinam dicit. D.

Nunc quid velim, animadvertite] Supponit perpaucos versus ad officium prologi, ut aliquid instruat de comœdia. E.

26 *Epidicazomenon quam vocant comœdiam*] Hic manifeste errat Terentius. Nam hæc fabula quam transtulit, *Epidicazomene* dicta est, a puella de qua judicium est: quum sit alia *Epidicazomenos* ejusdem Apollodori. Debuit ergo dicere *Epidicazomenen* Græce. D.

Apporto Epidicazomenon quam vocant Græci comœdiam] Nomen comœdiæ dicere, aliquid argumenti tangere, prologi officium est. E.

Non est quod cum Donato erroris arguamus Terentium, cum facile corrigere possimus *Epidicazomenen.* Nam ut Ἐπιδίκος, auctore Harpocratione, est virgo orba, de qua lis, cui debeat in

Digitized by Google

Græci: Latini Phormionem nominant:
Quia primas partis qui aget, is erit Phormio
Parasitus, per quem res agetur maxume:
Voluntas vestra si ad poetam accesserit. 30
Date operam; adeste æquo animo per silentium:
Ne simili utamur fortuna, atque usi sumus,

matrimonium locari: ita Ἐπιδικαζομένη est, de qua judicium factum est: et talis utique hic a Terentio inducitur Phasium. B.

Epidicazomenon] Bentlei. verissime emendat Epidicazomenem. ἐπίδικος a Græcis dicitur virgo orba, de qua lis est, cui debeat in matrimonium locari. v. Harpocrat. in hac voce. ἐπιδικαζομένη virgo, de qua judicium factum est. R. D.

27 *Latini Phormionem nominant*] Φόρμιον tegiculum dicunt Græci, quo insternitur pavimentum: unde Phormio correpta prima syllaba apud Appollodorum est. Non ergo a formula, ut quidam putant, dictum est. Ergo inde parasitus, vilissimæ conditionis homo, nomen accepit. D.

Corrige, *Græce, Latine hic Phormionem nominat.* Nam primum cod. unus e Mead. habet *Latine*, et alius vett. *Græce, Latine*, Dein Latini, priusquam ageretur et cognosceretur fabula, Phormionem appellare non potuerunt. Denique ex prologis Plauti satis colligitur, suæ quemque poetam comœdiæ indidisse nomen. B.

28 *Quia primas partes qui aget*] *Primas* nunc, maximas: ad actorem enim retulit. Cic. Divin. 15. *sæpe illum qui est secundarum aut tertiarum partium. Phormio parasitus*] Si a *formula* esset nomen comœdiæ, primam produceremus syllabam: si a *Phormione*, corripere debemus. D.

Quia primas partes] Hoc est, *summas* dicet, qui fecerit (*fuerit*. aut *quem fecerit*, seu, *quas fecerit*. Z.) parasitus Phormio, non *priores*; siquidem comœdiæ nomen impositum est ab eo auctore, per quem plurima aguntur. E.

Recte meliores libri exhibent *patris*. Nam apud veteres si genitivus pl. is ium exit, accusativus habet *is*, non es. B.

29 *Per quem res agetur maxime*] Quia *primæ partes* etiam aliud significant. non ergo nunc primum actum dicit, sed *summas* partes. Et bene *maxime*: quia et per alios. D.

Res agetur] Ms. R. *geretur*. L. Plerique codd. iique meliores pro *agetur* habent *geretur*. B.

30 *Voluntas vestra si ad poetam accesserit, date operam*] *Si voluntas accesserit*: pro, si faveritis. nove sic Cicero Fam. IV. 13. *voluntatem*. pro favore ponit. D.

Voluntas] I. e. favor. Cic. ad Div. IV. 13. *vulgi voluntas vel potius consensus omnium*. Nep. in Thrasyb. c. 4. *quæ et mei animi æquitatem et vestram voluntatem indicent*. R. D.

31 *Adeste æquo animo*] Favor in comœdia silentium spectatoris est. Recte ergo addidit *per silentium*. *Æquo animo*] Nunc propositio est. D.

Adeste æquo animo] Subjungit illam benevolentiam, quam semper petit prologus. et rogat etiam ut audiatur cum silentio. E.

32 *Ne simili utamur fortuna atque usi sumus*] Ne populum lederet, *fortunam* maluit accusare. D.

Ne simili fortuna] Datur hic intelligi, quod hæc comœdia post illam comœdiam, quæ dicitur Hecyra, est. ut hoc hic tetigerit, ne tali fortuna utamur, qua usi sumus, frequentissime exclusi. Aliquando tamen cum labore maximo comœdiam egimus, virtute potius perseverantis actoris, qui toties sit exclusus. Ne tantum quasi actoris il-

Digitized by Google

Quum per tumultum noster grex motus loco'st:
Quem actoris virtus nobis restituit locum,
Bonitasque vostra adjutans, atque æquanimitas. 35

lam comœdiam fecerit audiri virtute, sed perseverantia; et ne ex hoc injurism populo fecisset, adjecit, *bonitas vestra adjutans, atque æquanimitas.* E.

33 *Quum per tumultum noster*] Apparet Hecyram ante Phormionem actam esse: cui contigit id quod queritur, populum subaccusans. *Noster grex motus loco est*] *Locus*, est distributio temporum, quæ cuique in spectaculum venturo attribuuntur ab ædilibus. Unde *loco motus* dicitur, qui suas horas non obtinuerit inter præcedentes et consecuturos. Ergo proprie. Sic et Cicero Catil. II. 1. *loco ille motus est, quum est ex urbe pulsus.* D.

Motus loco est] I. e. expulsus, ejectus. Sic Cicero dicit *moveri possessionibus, moveri ex agro.* v. Duker. ad Flor. III. 14. p. 618. *eorum quos agris moverat.* R. D.

34 *Quem actoris virtus*] Ubique laudat actorem. est enim poetæ utile. *Quem actoris virtus*] Qui exclusus toties, animum non abjecerit, sed perseveraverit agere. ideo *virtus*. *Restituit locum*] Bene repetivit locum, ut ἀμφιβολίαν vitaret: ne *quem tumultum* dicere videretur. D.

35 *Bonitasque vestra adjutans, atque æquanimitas*] *Bonitas* in omnibus generaliter rebus est: *æquanimitas* in spectando. An *bonitas* in probandis his quæ bona sunt, *æquanimitas* in ignoscendis vitiis atque delictis? An ταυτολογία est? An *bonitas* circa omnes: *æquanimitas* circa Terentium? *Bonitasque vestra*] Ne totum actori tribuens, nihil populo præter culpam reliquisse videretur, honoris causa hoc addidit. *Adjutans*] Sic veteres dicere maluerunt, quam *adjuvans.* D.

Digitized by Google

ACT. I. SCENA I.

DAVUS.

AMICUS summus meus et popularis Geta
Heri ad me venit: erat ei de ratiuncula
Jam pridem apud me reliquum pauxillulum

1 *Amicus summus meus, et popularis*] Quod in omnibus fere comœdiis, in quibus perplexa argumenta sunt, fieri solet, id in hac quoque Terentius servat: ut προτατικὸν πρόσωπον, id est, personam extra argumentum, inducat: cui dum ob hoc ipsum, quod veluti aliena tota fabula est, gesta res narratur, discat populus textum ex continentia *(et continentiam)* rerum, atque instructus ad cætera. *Amicus summus meus, et popularis Geta*] In hac scena, quæ docendi atque instruendi spectatoris causa inducitur, mire extrinsecus lepores facetiæque cernuntur et sales comici. Id enim est artis poeticæ, ut quum narrationi argumenti detur opera: jam tamen res agi, et comœdia spectari videatur. *Amicus summus meus et popularis Geta*] Insinuatio personæ ejus, quæ inducitur ad audiendum argumentum. Et vide servum ostendi Davum: et non ostendi cujus servus sit. *Amicus summus meus*] Causa cur in scenam procedat Davus. *Amicus*] A voluntate. *Popularis*] A fortuna. *Popularis*, ejusdem conditionis gentisque. Sallustius Cat. 22. *popularis sui sceleris*. Et *popularis*, populo amatus, et *popularis* civis, et *popularis* humilis, et *popularis* vilis, e populoque factus: ut si quis dicat sordidum, *popularem civem*. *Amicus summus meus*] Davus extra duas familias inducitur, quæ in hac sunt fabula, alienus, ac per hoc ignarus, cui narret Geta argumentum. D.

Amicus summus] Argumentum fabulæ in prima scena plurima parte tractatur. Hæc continet rationem: nihil aliud tenet, quam expositionem rerum gestarum, unde formam nullius causæ habet. Ergo verba ac sensus qui obscuri fiunt sequamur, *Amicus summus et popularis*] *Popularis* tribus modis accipimus, de populo socius, et ejusdem conditionis de populo, ut in Sallust. Catil. 22. accipimus eos qui in populo sunt ejusdem conditionis, *cum ad jusjurandum popularis sui sceleris adigeret*, hoc est, socios. Ejusdem conditionis. Ut, *obsecro! populares, ferte misero atque innocenti auxilium!* quamquam illic etiam de populo potest. At vero hic, *amicus summus meus ac popularis Geta*, quid aliud quam servum inducit, quod *(indicat, qui.* Z.) est ejusdem conditionis? E.

2 *Heri ad me venit*] Apparet heri fuisse nuptias. *Heri ad me venit*] Propter cognationem *e* et *i* literarum, non dubitaverunt antiqui et *here* et *heri* dicere, et *mane* et *mani*, et *vespere* et *vesperi*. *Erat ei de ratiuncula*] Deest *nam*: sed mire subtractum est. *Erat ei de ratiuncula*] Opportuna diminutio in re servili, *ratiuncula*, et *pauxillulum*. *Erat ei de ratiuncula*] Moraliter intulit, *erat ei*. magis enim facetum et comicum est, quum ἀνυδίτως infertur, quam si diceret, *nam erat ei*. D.

Erat ei de ratiuncula] *De ratiuncula* quam apud me habet, erat ei *reliquum nummorum*, sed aliquantulum. E.

De ratiuncula] Priscian. lib. 3. L.

3 *Jampridem apud me reliquum*] De argumento sumitur causa colloquii. Nam debui, inquit, Getæ: et ille me exigit, ut muneretur *(numerétur* Ms.

Digitized by Google

Nummorum: id ut conficerem. confeci, affero.
Nam herilem filium ejus duxisse audio
Uxorem: ei credo munus hoc corraditur.
Quam inique comparatum'st; hi qui minus habent,
Ut semper aliquid addant divitioribus!
Quod ille unciatim vix de demenso suo,

B. et edd. vett.) domino ob nuptias factas. *Pauxillulum*] Quartus gradus diminutionis, *paulum, paululum, pauxillum, pauxillulum*. D.

4 *Id ut conficerem*] Ἔλλειψις prima. Et *conficerem* proprie: nam *fieri pecunia* dicebatur. Sallustius, *quæ pecunia ad Hispaniense bellum Metello facta erat. Conficerem*] Quia in promtu non erat. *Confeci: affero*] Bene: quasi reddendæ moræ (*quasi reddendi mora* Ms. H.) non habere, causa fuerit. D.

Id ut conficerem] Hoc est, ut id reddendum pararem. E.

5 *Nam herilem filium*] Τρόφιμον Græci dicunt. atque haud scio, an Latini quoque *alumnum* dicere poterant (*potuerint*), nisi hoc mallent. *Nam herilem filium ejus duxisse audio uxorem*] Mire se applicat argumento. D.

6 *Et credo munus hoc corraditur*] Mire. Heri quidem fuerunt nuptiæ, sed adhuc *munus corraditur*: quia in nuptiis etiam septimus dies instaurationem voti habet, ut in funere nonus dies, quo parentalia concluduntur. *Et credo*] Uxori scilicet. *Munus hoc corraditur*] Hoc, pecunias scilicet, munus erit. et est figura ἐπεξήγησις. *Credo*] Pro vere scio. Et *ei*, an uxori, an absolute? ut sit, *ei rei? Corraditur*] Apta in verbo difficultas. ut in Adelphis, *minas decem corradet alicunde*, et, *corrasi omnia*. D.

Et, credo, munus] Paratur sicuti arbitror domini filio, ducenti uxorem. *Corraditur* autem, magno labore et inopia colligitur. E.

7 *Quam inique comparatum est*] Miro Δημοσμῷ morem pro lege conqueritur. *Comparatum*] Constitutum est lege. Et *hi qui minus habent*, et *divitioribus* dixit: ne diceret, servi dominis. vult enim latius patere quod dicit, et generalem esse sententiam. *Quam inique comparatum est, hi qui minus habent*] Garrulos servos et sententiosos amat comœdia: tristes et parce loquentes tragœdia. D.

Quam inique comparatum!] Scilicet inique id effectum atque dispositum, ut semper pauperes ditioribus, hoc est, divitibus aliquid velint adhibere, dum munera eis mittunt, a quibus accipere ea debeant. E.

Comparatum est] I. e. institutum est. Cic. pro Roscio Amer. c. 36. *more majorum comparatum est ut in minimis rebus homines amplissimi testimonium de sua re non dicerent*, pro Quint. c. 16. *prætores ut considerate fieret, comparaverunt*. R. D.

8 *Ut semper aliquid addant*] Mire non *dent*, sed *addant*: et non, *aliquando*, sed *semper*. *Divitioribus*] Pro, minus pauperibus. D.

Nonnulli libri pro *divitioribus* habent *ditioribus*. Utrumque scribas, pronunciatio est eadem. B.

Addant] Pro dent, Virgil. Æn. V. 249. *ipsis præcipuos ductoribus addit honores*. R. D.

9 *Quod ille*] Docte ad singularem numerum transit a plurali. *Quod ille*] Redit ad Getam. *Unciatim*] Sic veteres, *multa unciatim*. Cum expensa pecunia ferretur more veterum: non ut nunc annumeraretur, *assis* libra erat: ejusque partes, *unciæ*. Rursus uncia unius duodecima pars, *libella* dicebatur. Merito ergo non per singulos sestertios, neque per singulos denarios, neque per singulos asses: sed id quod ὑπερβολικῶς minimum fuit, per singulas uncias, *unciatim* dixit. Et Cicero

Digitized by Google

Suum defrudans genium, comparsit miser, 10
Id illa universum abripiet: haud existumans

Verr. II. 10. *ecquis Volcatio, si sua sponte venisset. libellam unam dedisset? Unciatim vix*] Potuit et unciatim, et cito conflari peculium. Ut multa pauxillatim; et cito fiunt maxima. Merito ergo additum est *vix*. Sed quid si et *unciatim*, et *vix*, et tamen de luoro dedit? *De demenso suo*, inquit. Quid si ex abundanti? *Suum defrudans genium*. Deinde, non *acquisivit*, sed, *comparsit*. Et ad postremum, *miser*: ut iniquitas consuetudinis, comploratione finiretur. *De demenso suo*] Servi quaternos modios accipiebant frumenti in mensem: et id *demensum* dicebatur. Et utrum a *mense*, an a *metiendo*, incertum est. D.

Quod ille unciatim] Hoc est paulatim, velut per singulas uncias. *De demenso*] De cibario, hoc est, quod sibi sit demensum: a metiendo. E.

Defraudans genium] Plaut. Aulul. IV. 9. 13.—*tantum auri perdidi? Quod custodivi sedulo. Egomet me defraudavi, Animumque meum, geniumque meum.* Pertinet autem huc locus Junii Philargyrii in Virgil. Eclog. 5. *sollemnia vota. Cœnarum tria genera, unum sollemne, aliud viaticum: ut, ad cœnam vocant, adventum gratulantur. Ut idem Terentius: quod vix de demenso suo, suum defraudans genium.* Vidend. Servius Georg. I. 302. Non. Marcell. in voce *genialis*. L.

Unciatim] I. e. per uncias atque adeo per minimas partes et summulas. R. D.

Demenso] *Demensum*, subintellecta voce *frumentum* est certus modus frumenti, quod domini servis singulis mensibus admetiebantur, v. Riv. in h. l. ἀρμαλιὴν vocat Hesiodus in Ἐργ. v. 767., R. D.

10 *Suum defrudans genium*] Ut contra, *genialia curare* dicitur, qui vivit lautius. D.

Suum defrudans genium] Fraudare suum genium dicitur, si quis parcius bibit, si quis parcius vivit. At vero bene genio facit, si quis vitam largius colit. Virg. Georg. I. 302. *invitat genialis hyems curasque resolvit.* Et alio loco Æn. VI. 603. genio persuadet fieri (adde *lectum nubentis*. Z.) *lucent genialibus altis Aurea fulcra toris. Comparsit miser*] Parcendo servavit. E.

Veterem scripturam *compersit*, quæ exhibita est in Bemb. et apud Nonium, in textum recipiendam putamus. B.

Defraudans] Sic antiquo more e Mss. scribendum non *defraudans*. *Fraudare et defraudare* proprie est per fraudem privare, sed sæpe simpliciter dicitur pro *privare*. Veteres quoties hilarius et lautius se excipiebant, toties putabant se genium placere, curare, genio indulgere. v. Casaub. ad Pers. Satyr. V. 151. contra qui parcius vivebant, nunquam hilaritati indulgebant, se genium defraudare existimabant Plaut. in Aulul. IV. 9. 14. *egomet me defraudaveram.* Terentium imitatur Livius II. 10. *in magna inopia pro domesticis copiis unusquisque ei aliquid, fraudans se ipse victu suo, contulit.* V. 47. *se quisque victu suo fraudans, detractum corpori atque usibus necessariis ad honorem unius viri conferret.*

Comparsit miser] Nempe ut peculium faceret, quod sæpe servi pro libertate dominis numerabant. Seneca ep. 80. *servitutem mancipia quoque omni modo exuere conantur. Peculium suum, quod comparaverunt ventre fraudato, pro capite numerant.* v. Lips. ad Taciti Annal. XIV. 42. interpret. ad Ovid. Amor. I. 8. 63. et ad Petron. c. 75. ed. Burmann. p. 485. R. D.

11 *Id illa*] Nupta scilicet, *Universum abripiet*] Contra illud quod *unciatim* dixerat. *Universum abripiet*] Magna virtus pene in singulis syllabis: contra illud quod ait *ille, illa* retulit. contra *unciatim, vix.* et *demenso suo, universum.* Contra id quod ait, *manus corraditur, abripiet.* Contra, *suum defrudans genium*, et *comparsit miser*,

Digitized by Google

Quanto labore partum. porro autem Geta
Ferietur alio munere, ubi hera pepererit:
Porro autem alio, ubi erit puero natalis dies:

haud existimans quanto labore partum Haud existimans] *Haud existimans*, vel intelligens, vel recogitans, ac reputans. *Haud existimans*] Pro, æstimans. Sallustius, *si, Quirites, parum existimaretis.* D.

12 *Quanto labore partum*] Hoc sic pronunciandum est, quasi nunc ei venerit in mentem sæpius passurum Getam, quod semel tolerare gravissimum judicaverit. *Quanto labore*] Ut Æn. VII. 244. *reliquias Troia ex ardente receptas. Partum*] Proprie dicitur *partum*, de eo quod labore quæsitum est: quia nullus partus sine dolore est ac labore. *Porro autem Geta ferietur*] Ad paupertatem retulit *ferietur*. Nam et damnum, *plaga*: et res, *sanguis* noster dicitur. D.

13 *Ferietur alio munere*] Significanter, non *fungetur* munere, sed *ferietur*, dixit. *Ferietur alio munere*] Ex consuetudine, *ferietur*. Nam et *plagam*, damnum: et sumtum, *sanguinem* nostrum dicimus. *Ubi hera pepererit*] Quæ supra *illa* dicta est. D.

Ferietur alio munere] Expressit impetus damni, cum dixit, vacua remittent. R.

Ferietur alio munere] Seneca de Benefic. VII. 4. *numquid dubium est, quin servus cum peculio domini sit? dat tamen domino munus.* L.

Ferietur] I. e. mulctabitur. Translatio ducta est de ludo gladiatorio. v. Broukhus. ad Propert. IV. 5. 44. R. D.

14 *Porro alio autem*] Et *alio (alio et alio)* quod dicit, pro multis pronunciandum est. *Ubi erit puero natalis dies*] Cum (UBI, *cum*) adjectione temporis cujuslibet. *Natalis dies* melius dicitur: *ut natalis locus.* et *natale astrum.* sed Virgilius Ecl. III. 76. *serviens personæ rusticæ, meus est natalis, Iola*, inquit; nec addidit, *dies.* D.

Puero natalis dies] Semper natalis dies, cum pueri initiantur. Natalis annus, natalis dies, natalis hora (adde, *dicitur conjunctim.* Z.) Alioquin per se vix dici potest. quod quidem Virgil. in Bucolicis Ecl. III. 76. *Phyllida mitte mihi, meus est natalis, Iola*, ut solum per se enunciasset. E.

Ubi erit natalis dies] Summa cura et religione antiqui observabant, ne amici diem natalem sine munere dimitterent. Symmach. lib. VI. Epist. 49. *natalitio munere, quod frequentari a nobis per multos annos communis felicitas faciet, nostrum hilarastis animum.* Pomponius l. 31. §. 8. ff. de donat. int. vir. et uxor. *si vir uxori munus immodicum Kal. Martiis, aut natali die dedisset, donatio est.* Plaut. Pseud. I. 2. Ille vero cujus natalis erat, hoc agebat, ut genialiter eo die et amicos et se acciperet. Persius Satyr. II. *hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo, Qui tibi labentes apponet candidus annos: Funde merum genio.* Plaut. Pseud. I. 2. 32. *mihi hodie natalis dies est, decet eum omnes vos concelebrare: pernam, callum, glandium, sumen, facito in aqua jaceant. satin' audis? Magnifice volo enim summos viros accipere.* Idem in Persa act. 5. Juvenal. Satyr. 5. Symmach. lib. VI. Ep. 82. Adeo quidem, ut non privatum, sed publicum sæpe convivium daretur. Atque hoc est, quod Marcianus notat in l. 33. ff. de ann. leg. *cum quidam decurionibus divisiones dari voluisset die natalis sui, divi Severus et Antoninus rescripserunt, non esse verisimile testatorem de uno anno sensisse, sed de perpetuo legato. Divisiones* vocat viscerationem, crustula, et mulsum, quæ viritim convivis dividebantur, ut ex inscriptione apparet, quæ Spoleti est:

TRIB. MIL. LEG. XV. APOLLINARIS. ET. LEG. V. MACEDONIC. HIC. LEGAVIT. TESTAMENTO. MUNICIPIBUS. HS. LXVI. C. MONET. UT. EX. REDITU. EJUS. SUMMÆ. QUOT. ANNIS. VIII.

Digitized by Google

Ubi initiabunt: omne hoc mater auferet:
Puer causa erit mittundi. sed videon' Getam?

ACT. I. SCENA II.

GETA. DAVUS.

SI quis me quæret rufus. D. Præsto'st, desine. G. Oh!

IDUS. NOVEMB. NATALE. SUO. MUNICIPIB. EPULUM. ET CRUST. ET MULSUM DARETUR.

Qui mos non solum autem apud Italos, sed et alibi gentium usu receptus fuit: sic enim Genes. XL. in natali suo Pharao opipare convivatur. et Matth. cap. XIV. natalis Herodis splendide celebratur. Quamvis me tale quid a populo Judaico committeretur, lege interdictum fuisse Josephus scribit contra Apionem: οὐ μὲν οὐδ' ἐπὶ ταῖς τῶν παίδων γενέσεσιν ἐπέτρεπεν ἐυωχίας συνάγειν, καὶ προφάσεις ποιεῖσθαι μέθης, ἀλλὰ σώφρονα τὴν ἀρχὴν εὐθύς. L.

Versus probat lectionem codd. nostrorum vett. *porro álio autem*; ut *alio* sit in ictu, ut in præcedenti. B.

15 *Ubi initiabunt*] Hoc vultuose pronunciandum. *Ubi initiabunt*] Ut quidam, *cibo et potu*: ut quidam, *sacris*. *Ubi initiabunt*] Legitur apud Varronem initiari pueros eduliæ, et poticæ, et cubæ, divis edendi, et potandi, et cubandi: ubi primum a lacte et a cunis transierunt. quod Virg. Ecl. IV. 63. *nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.* hoc adnotavit Probus. Sed Terentius Apollodorum sequitur: apud quem legitur in insula Samothracum a certo tempore pueros initiari, more Atheniensium; quod, ut in palliata, probandum est magis. *Ubi initiabunt*] Hoc sic inferendum est: non quasi hoc solum sit, sed quasi defatigatus sit enumerando occasiones dandorum munerum. *Omne hoc mater auferet*] Hoc retulit ad offerentis irrisionem, qui putat se puero dare. *Mater auferet*] An nutrix? an vera mater? D.

Ubi initiabitur] *Initiare* est ad cibum infantem instruere, qui et ipse dies natalis est quodammodo. E.

Initiabunt] Scilicet cibo et potu. Insignis Varronis locus, quem Donatus respicit, est apud Non Marcell. p. 108. *cum primo cibo et potione initiarent pueros, sacrificabant; ab edulibus eduliæ, a potione poticæ.* Sed potest etiam post *initiabant* intelligi *sacris*. Nam Athenienses liberos Cereri initiabant, quod ut in fabula palliata, magis probat Donatus. R. D.

16 *Puer causa erit mittundi*] Proprie dixit *mittundi*, de muneribus. *Sed videon Getam?*] Locuturum ostendit Getam. *Sed videon Getam?*] Apparet poetam nihil putasse amplius addendum, ad insinuandam populo personam Davi: et ideo jam induxit exeuntem Getam, ut sit causa commutandæ orationis. D.

1 *Si quis me quæret rufus*] Mire poeta desideratum Getæ ostendit Davum. *Si quis me quæret rufus*] De ipso loquitur, a quo reddi sibi debitum spe-

Digitized by Google

At ego obviam conabar tibi, Dave. D. Accipe, hem, Lectum'st; conveniet numerus, quantum debui. G. Amo te, et non neglexisse habeo gratiam. D. Præsertim ut nunc sunt mores: adeo res redit; Si quis quid reddit, magna habenda'st gratia.

rat. *Si quis me quæret rufus*] Ἀνακόλουθος secunda. Nam apparet plura dicturum fuisse. *Præsto est, desine*] Tertia persona de se loquens usus est: quia ille nominativum (*quia tale nomen* Ms. H. et B. cum edd. vett. *quia talem nominationem* ed. du B.) prætulit. D.

Si quis me quæret] Egreditur servus qui narraturus est illa, quæ supra dixit (*dixi.* Nam spectat versum primum scholiastes. Z.) Mandat domina (*dominæ, ut.* Z.) ad se veniat ille, qui debitor suus fuit, et qui (*quæ*, vel *cujus* Z.) fortasse vix nomen tenere poterat. E.

2 *At ego obviam conabar tibi, Dave*] *Conabar*, absolute. an ἐλλειψις est, ut desit *ire*. Et est adverbium loci *obviam*. *Accipe*] Prævenit petitionem, dicendo *accipe:* et hoc cum gestu offerentis dicitur. Et hoc est quod ait, *confeci, affero.* D.

Accipe] Pulchre, antequam peteret aliquid, obtulit quod debebat. Et in singulis intelligimus, quibus metum esse circa accipientem (*quid in quibusdam metuendum sit circa accipiendum.* Z.) primum ne displiceret, et dictum, *lectum est.* Deinde ne parum conveniens numerus crederetur, adjecit, *conveniet numerus quantum debui.* E.

Conabar] Scilicet ire. *Conari* sæpe absolute ponitur. v. Burmann. ad Val. Flaccum IV. 371. *ignotas jubet ire vias heu multa morantem Conantemque preces inclusaque pectore verba.* R. D.

3 *Lectum est*] Absolute. Nam non dicit quid: utrum debitum, an argentum lectum. Lucilius, *lecti omnes: atticon hoc est. Lectum est, conveniet numerus*] Ordinem servavit. prius enim *qualitas*, deinde *numerus* pecuniæ spectari solet. *Lectum est, conveniet numerus, quantum debui*] Quippe tribus modis debitum pecuniarium solvitur: pensione, *accipe*: spectatione, *lectum est:* numero, *conveniet numerus quantum debui. Lectum est*] *Lectum*, bonum, vel splendidum. Ut, Æn. X. 541. *arma Serestus Lecta refert humeris.* Quamvis quidam putant *lecta*, ab eo quod est lego, dictum. *Quantum debui*] Pro, *debitum tibi a me est.* D.

4 *Amo te, et non neglexisse habeo gratiam*] Amat, quod reddiderit pecuniam: agit gratias, quod diligenter. Et quare? utrum quia oreditum (*conditum* ed. Antw. et Steph.) non fefellerit? an quia lectum attulerit, et numero congruenti? Et recte dixit: nam redhibitio (*redditio* edd. vett.) debiti hoc agit, ut etiam gratias agamus. *Amo te, et non neglexisse habeo gratiam*] Hoc pro gratiarum actione ponitur, et ostenditur vere necessariam fuisse pecuniam. *Non neglexisse*] In Andria, *et id gratum fuisse adversum te, habeo gratiam.* D.

5 *Præsertim ut nunc sunt mores*] Sic et illud dictum est, *namque hoc tempore obsequium amicos, veritas odium parit.* Quia consuetudinis imago est, vituperare præsentia. *Adeo res redit*] Figurate, pro ita loqueris, *adeo res dedit*, dixit. Et proprie *redisse res* dicitur, quum aliquid pejus exspectatione contigit. D.

6 *Si quis quid reddit, magna habenda est gratia*] Id est, etsi (*etsi ob*) rem non magnam, tamen magna habenda est gratia: hoc enim significat *quis reddit. Si quis quid reddit*] Qui hoc interrogative pronunciaverit, parum belle explicat conceptam sententiam. *Habenda est gratia*] Deest, *ei.* D.

Si quis quid reddit] Juvenal. Satyr. 13. *nunc si depositum non inficietur amicus, Si reddat veterem cum tota ærugine follem Prodigiosa fides.* L.

Digitized by Google

Sed quid tu es tristis? G. Egone? nescis, quo in metu, et
Quanto in periculo simus. D. Quid istuc est? G. Scies:
Modo ut tacere possis. D. Abi sis, insciens:
Cujus tu fidem in pecunia perspexeris,
Verere verba ei credere? ubi quid mihi lucri est

7 *Sed quid tu es tristis?*] Hic admonemur, omnem ab initio sermonem Getæ, quasi satagentis et anxii pronunciari, accommodatis præsertim ad vultum verbis. Nam et, *si quis me quærit*: et, *at ego obviam tibi conabar, Dave*: et, *amo te, et non neglexisse habeo gratiam*: in se quoddam contractioris animi occupatique signum habent. *Sed quid tu es tristis?*] *Sed* particula, transitum significat ad mentionem alterius rei. *Sed quid tu es tristis? egone? nescis quo in metu*] Descensus ad argumentum ab eo sermone, qui extrinsecus a poeta informatus est, jam manifeste apparet. *Egone? nescis quo in metu*] Ὑπόθεσις comœdiæ, ne nuda appareat σύνθεσις. *Nescis quo in metu, et quanto in periculo sim*] Pronunciantis et interrogantis esse potest. *Nescis quo in metu*] Duæ perturbationum bigæ sunt: a malo una, ex cupitis altera. Ergo a mali bigis, præsentis temporis periculum esse dicimus, et futuri metum. *Nescis quo in metu*] Pronunciative magis quam percontative efferendum est. sic enim solemus de magnis rebus dicere. *Nescis quo in metu, et quanto in periculo sim*] Vix alterum sustineri potest eorum, quæ utraque posuit nunc, et *metum* et *periculum*. D.

Quo in metu] Omne malum duo habet tempora, præteritum et futurum. Præteritum vero simul jungitur et præsenti. Ita in præsenti vel præterito malum: in futuro metus est. Magnus igitur confessus dolor (*magnum i. e. dolorem*. Z.) est, cum dixit: *nescis quo in metu, et quanto in periculo sim*. Quod utique junctim expressum est in Virg. Æn. I. 106. *talia jactanti stridens Aquilone procella Velum adversa ferit*, hoc utique periculum:—*fluctusque ad sidera tollit*, hic metus est. E.

8 *Quid istuc est?*] Fac hunc scire: et narrandi non erit locus, necessario igitur ignarus inducitur Davus. D.

Ex Basilic. et ratione versus lege *Periclo*. Deinde pro vulgari *sim*, ex melioribus libris leg. *Simus*, sc. ego, et herilis filius. B.

9 *Modo ut tacere possis*] *Ut*, pro ne non. quod si est; subaudiendum est *vide*, aut quid tale. *Modo ut tacere possis*] Vere argumentum est celari id, quod Antipho non coactus, sed volens duxit uxorem. *Modo ut tacere possis*] *Modo*, pro tantummodo: ut, Æn. III. 116. *modo Juppiter adsit*. *Abi sis insciens*] *Insciens* nunc pro insolito posuit. vel *insicentem* modo stultum dicit: alias ignarum. D.

Abi sis, insciens] Discede stultissime, cum tu mihi pecuniam credideris, ubi fidem meam integritatemque vidisti, verba mihi metues commodare; in quibus quid lucri habeo, si te fefellero? E.

10 *Cujus tu fidem in pecunia perspexeris*] Sententiose dixit: quasi in omnibus credendum sit, servaturum fidem esse eum, qui in pecunia servaverit. Et hoc ideo interposuit, ne longus esset, dum suadet ut dicat: quemadmodum in aliis fabulis. *Cujus tu fidem in pecunia perspexeris*] Proprie locutus est de pecunia, et *fidem* dicendo, et *credere*. Nam *fides* est eorum, quibus datur: *creditores* dicuntur ipsi qui dant. *In pecunia*] A majore ad minus. *Perspexeris*] Non *inspexeris*, sed *perspexeris*, quod plus est, dixit. D.

11 *Verere verba ei credere?*] Verba eum pronunciatione dicit, ut ostendat

Digitized by Google

Te fallere? G. Ergo ausculta. D. Hanc operam tibi dico.

G. Senis nostri, Dave, fratrem majorem Chremen Nostin'? D. Quidni? G. Quid? ejus gnatum Phædriam;

D. Tanquam te. G. Evenit senibus ambobus simul, Iter illi in Lemnum ut esset, nostro in Ciliciam

multum distare inter pecuniam et verba. *Ubi quid mihi lucri est te fallere?*] Ab utili conjectura. et bene: quia servus nihil de honesto dicit. *Ubi quid*] Significantius dixit *quid*, quam si diceret, *nihil*. D.

12 *Ergo ausculta*] *Ergo* nunc velut increpatio tarde facientis est. Quia hic igitur obloquendo impedivérat narraturus, *ergo* dixit. Sic Virg. Æn. II. 707. *ergo age, care pater, cervici imponere nostræ. Hanc operam tibi dico*] Auscultandi scilicet et audiendi. *Hanc operam tibi dico*] Plus est *dico*, quam *do*. *Dicatur* perpetuo, *datur* ad tempus. D.

Ergo ausculta] Ergo audi. *Hanc operam tibi dico*] Audiendi tibi operam trado. * dominos rogent. Nunc dicit, stulte eos facere, qui precatores parant et adhibent, quorum oratio hæc esse potest: interim venia tribuatur, postea cum ipse qui precatur discesserit, dominus iracundiæ suam compleat (verba inde a, *dominos rogent*, absunt a Mss. et videntur referenda ad versum 90.) *Senis nostri, Dave, fratrem*] Narratio hic sumit exordium, quod, ut oportet, ab eo incipit, quod sciri potest. Quod Virgil. frequentissime dixit: ut, Æn. II. 81. *fando aliquid si forte tuas pervenit ad aures Belidæ nomen Palamedis.* Et, Æn. X. 20. *cernis ut insultent Rutuli?* Item in Eunucho, *hanc, quam amat, nostin?* E.

Hanc operam tibi dico] Scilicet auscultandi. Plaut. in Bacchid. IV. 9. 72. *aurium operam tibi dico* idem est *operam dare* ap. Plaut. in Mil. IV. 1. 7. *immo omnes res posteriores pono atque operam do tibi. Loquere.* v. Servium ad Æn. I. 73. R. D.

13 *Senis nostri, Dave, fratrem majorem*] Dicendo *senis*, ostendit et adolescentem se dominum habere. dicendo *nostri*, ostendit esse alienum. dicendo *fratrem*, non unum esse monstravit. dicendo *majorem*, etiam minoris fecit indicium. Sic argumenti partem maximam nondum narrans, jam in ipsa interrogatione transegit. Hæc autem omnia propter populum sic aguntur. Ideo ille, *quidni* dixit, ne sit opus pluribus verbis. *Senis nostri, Dave, fratrem*] Mirum compendium narrationis. quasi per interrogationem fecit, ne ex alto repeteret. Sic Virg. Æn. II. 81. *fando aliquid si forte tuas pervenit ad aures, Belidæ nomen Palamedis, et inclyta fama.* Et, *nostin' hanc, quam amat frater?* in Eunucho. D.

14 *Quid? ejus gnatum Phædriam?*] Non dixit, *quid Phædriam:* sed addidit, *ejus gnatum:* ut magis docere, quam interrogare videretur. *Quid? ejus gnatum Phædriam?*] Deest *nosti*. D.

Accentuum ratio suadet, ut legas, *nostine? quidni? quid?* B.

15 *Tanquam te*] O varietas, quidni? tanquam te. *Evenit, senibus ambobus simul iter*] Non evenit iter: sed, evenit ut iter esset. *Simul*] Uno tempore. D.

Divide verbum, et lege *tam, quam te.* ut Eun. IV. 4. 50. *tam scio, quam me vivere.* B.

16 *Illi in Lemnum ut esset*] Recte tacetur, cur Chremes ierit: et dicitur cur Demipho. utrumque pro argumento est. D.

Digitized by Google

Ad hospitem antiquom: is senem per epistolas
Pellexit, modo non montis auri pollicens.
D. Cui tanta erat res, et supererat? G. Desinas:
Sic est ingenium. D. Oh! regem me esse oportuit.
G. Abeuntes ambo hic tum senes me filiis
Relinquunt quasi magistrum. D. O Geta, provinciam

17 *Ad hospitem antiquum*] Sic Virg. Æn. III. 82. *veteremque Anchisem agnovit amicum.* Hoc autem addidit, ut esset idonea causa navigandi seni. *Senem per epistolas pellexit*] *Epistolas* dicendo, ostendit eum non semel scripsisse. *Pellexit*] Induxit. sic Virgil. Æn. II. 99. *pellacis Ulyssei.* D.

Tres ex nostris *epistolam*, et sic Priscianus p. 1190. Sed vulgarem retinendam putamus. B.

18 *Modo non montes auri pollicens*] Proverbialis ὑπερβολὴ facta per exceptionem, aut per superlationem, aut æquam collationem. Ejusmodi est illud Demosthenis, μονονουχὶ φωνὴν ἀφιείς. *Modo non montes auri*] Sallust. Cat. 23. *Maria montesque pollicere cœpit. Modo non montes auri pollicens*] More veterum: quia hospites hospitibus multa donabant. D.

Pellexit] Decepit, fefellit. Virg. Æn. II. 90. *invidia postquam pellacis Ulyxis.* E.

Pellexit] Priscian. lib. X. *Montes auri pollicens*] Menand. βασιλικῶς ὑπισχνούμενος, τὸ δὴ λεγόμενον Τοῦτο, τὰ τῆς γῆς ἄγαθα. Apuleius in Apol. Hieronym. adversus Paulin. *Cum montes aureos pollicitus fueris, ne scorteum quidem nummum de thesauris tuis proferas.* Plaut. in Milite IV. 2. 72.—*præter thesaurum tum argenti montes et massas habet.* Prudent. de Laurent. 55.—*fulgidæ montes monetæ conditos.* L.

Modo non] I. e. propemodum, fere. Alii scriptores dicunt *tantum non.* Plin. in Paneg. c. 23. *gratum quod tantum non ultro clientibus salutatis quasdam familiaritatis notas adderes* vbi v. Schwarz. R. D.

Montes auri] Montes et maria proverbialiter de magnitudine et multitudine dicuntur. Sallust. in Catil. c. 23. *repente glorians maria montesque polliceri cœpit* ubi v. Cortium. R. D.

19 *Cui tanta erat res*] Cui, dativus casus est. Domino ne tuo, inquit, pollicebatur hæc, cui tanta res erat? *Cui tanta erat res*] Deest *eum.* ut sit, eum pellexit, cui tanta res erat? *Et supererat?*] Plus est *superesse*, quam *esse.* D.

20 *Desinas, sic est ingenium*] Necessaria est ad fabulæ ἐπίτασιν avaritia Demiphonis: ut majore periculo illo absente duxerit filius indotatam. Nam mox dicturus est, *illene indotatam virginem, atque ignobilem daret illi? Sic est ingenium*] Præparatio bona, qua et dives, et avarus describitur Demipho, ut indotatas nuptias filii ferre non possit. *Sic est ingenium*] Recte. non enim, inquit, fortuna avarus est, sed natura. *Sic est ingenium*] Omnium? an domini? Sed magis domini. *Oh! regem me esse oportuit*] Ostendit pauperum affectiones, qui se solos uti divitiis scire aiunt, si eas habeant. *Oh! me regem esse oportuit*] Acue *me.* D.

Regem me esse] Antiqui etiam maxime in comœdiis ditissimos quosque *reges* dicebant: uti parasiti eos a quibus pascebantur, *reges* appellabant. E.

21 *Abeuntes ambo hinc tum*] *Hinc* et *hic* legitur. et est ordo, hic relinquunt filiis. *Filiis*] Propter filios. D.

Lectio nostrorum codd. *hinc*, ut referatur ad propius *abeuntes*, magis placet, quam *hic* Bembini, quod referendum est ad remotius *relinquunt.* B.

22 *Relinquunt*] Id est, non secum abducunt. *Quasi magistrum*] Bene *quasi*: qui non complevit hoc ipsum, nec

Digitized by Google

Cepisti duram? G. Mihi usus venit, hoc scio:
Memini relinqui me deo irato meo.
Cœpi adversari primo: quid verbis opust?
Seni fidelis dum sum, scapulas perdidi.
D. Venere in mentem mihi istæc: nam quæ inscitia est,
Advorsum stimulum calces? G. Cœpi iis omnia

vult esse. *Magistrum*] Sic Latini: quem Græci παιδαγωγὸν appellant. *O Geta! provinciam cepisti duram*] Acquisitæ bello longe ab Italia regiones, *provinciæ* dictæ sunt, a porro vel procul *et* vincendo. ad quas quia prætores cum officio mittebantur, officia quoque *provinciæ* nominantur. *O Geta! provinciam*] Splendide *provinciam* dixit. D.

Quasi magistrum] Quasi monitorem atque custodem. *Provinciam*] Officium. E.

Magistrum] Infra II. 1. 4. vocat *monitorem*. R. D.

23 *Mihi usus venit*] Aliquando mihi contigit. E.

Omnes Faerni antiqui libri habent *usus v.* solus Bemb. *usus evenit*: nostri, *usu venit*. Utramque mere dicitur, sensu eodem. B.

24 *Memini relinqui me, Deo irato meo*] Sic Virg. XII. 539. *nec di texere Lupentum, Æneæ veniente, sui*. Hoc asper. sed mihi videtur ad hoc addidisse *meo*, ne esset ἀμφίβολον, cui diceret, *irato Deo*. Nævius in Stalagmo, *deo meo propitio, meus homo est. Memini relinqui me, Deo irato meo*] *Domino* dixit: an vero deo? Et bene *meo*, ne esset ἀμφίβολον, Et bene dixit, *memini relinqui*, ut in Andria, *memini me videre*, et, *meminí me fieri pavum*, Ennius. D.

Deo irato meo] Tenéo in memoria dimitti *irato deo meo*, vel domino, vel genio, vel certe deo. Noster enim deus est, qui favet nobis: qui si iratus fuerit, adversa omnia patimur. Ut Virg. Æn. II. 396. *vadimus immixti Danais, haud numine nostro*. E.

25 *Quid verbis opus est*] Repente infertur, *quid opus est verbis?* et satis moraliter. D.

26 *Seni fidelis dum sum*] Opportune *seni* dixit, ut ostendat quam stultum sit, seni adversus juvenes fidelem esse. *Seni fidelis dum sum*] *Fidus* est amicus: *fidelis* est servus. *Scapulas perdidi*] Plus est *perdidi*, quam si diceret, *dolui*. Et bene retulit *perdidi* πρὸς τὸ *fidelis*. Fidelis enim officium est, servare aliquid. D.

Seni fidelis dum sum] Dum seni fidem præsto, ut monitor perseverarem, vapulando *scapulas perdidi*. E.

Quia ambo senes illum magistrum filiis reliquerunt, repone *senibus* pro *seni*. B.

Scapulas perdidi] I. e. plagis mulctatus sum. Plaut. in Epidic. I. 1. 84. *corium perdidi*. Serviles autem plagæ maxime scapulis imponebantur Plaut. in Cas. V. 3. 11. *nulla salus est scapulis si domum redeo*. R. D.

27 *Venere in mentem istæc mihi*] *Venire in mentem*, non ad recordationem tantum dicitur: sed ad reputationem et intelligentiam. D.

Inscitia est, adversum stimulum] Etenim inscitia est, calces velle jactare, cum stimulus imminet: te enim magis incipias vulnerare. E.

Bentleius negat, commode hæc verba tribui posse Davo, qui, nisi Geta narrasset, senes abesse ignoraverit. Fallitur; nam verba *venere in mentem mihi* ad proxime sequentia pertinent. Sed lectio *namque* pro *nam quæ* ob consensum codd. præfertur a Bentleio recte. Cf. And. I. 1. 40. Z.

28 *Nam quæ inscitia est, adversum stimulum calces*] Hoc dictum et supe-

Digitized by Google

Facere, obsequi quæ vellent. D. Scisti uti foro.
G. Noster mali nihil quicquam primo. hic Phædria
Continuo quandam nactus est puellulam
Citharistriam: hanc amare cœpit perdite.
Ea serviebat lenoni impurissimo:
Neque, quod daretur, quicquam; id curarant patres:

riori personæ esse potest, et alteri. *Adversus stimulum calces*] Παροιμία cum ἐλλείψει: deest enim, *jactare*. *Stimulum* pro domino adolescente posuit. *Calces*] Modo *calces*, non partes plantæ, sed percussiones pedum plagasque significat. Aliter Virgil. V. 324. *calcemque terit jam calce Diores*. D.

Advorsum stimulum] Zenobius in Proverb. πρὸς κέντρα λακτίζειν. Ammian. Marcell. *contra acumina calcitrare*. Charis. lib. IV. L.

Advorsus stimulum calces] Supple verbum *ducere* vel *jactare*. Proverbium dicitur de iis, qui ita repugnant, ut majus inde damnum reportent. Translatum est a bobus, mulis, aliisque animalibus acuto stilo regi solitis, quæ, si calcem rejiciant, semet ipsa gravius lædunt. Plaut. in Trucul. IV. 2. 55. *si stimulos pugnis cædis, manibus plus dolet*. R. D.

29 *Scisti uti foro*] Secundum illos negotiatores, qui ante locum commercii, non præscribunt, quanti vendant quæ advehunt: sed secundum annonam fori quam deprehenderint, consilium de vendendis aut non vendendis mercibus sumunt. *Scisti uti foro*] *Forum* pro tribus intelligitur: loco, tempore, et persona. Scistis, inquit, his uti: et est vulgare proverbium. Sensus hic est, scisti, inquit, quid facere te oporteret, D.

Scisti uti foro] Intellexisti quid te oporteat facere. E.

Uti foro] H. e. utcunque se fortuna obtulerit, ita rationes tuas comparare, vel, ut Cicero loquitur, tempori servire, Donatus bene docet, metaphoram ductam esse a mercatoribus, qui merces vendunt, non quanti volunt, sed pretio, quod in foro constitutum deprehendunt. R. D.

30 *Noster mali nihil quicquam*] Quartum παρέλκον. Ut in Hecyra: *nam nemo illorum quisquam, scito, ad te venit*. *Noster mali nihil quicquam*] *Noster* πρὸς ἀντιδιαστολὴν Phædriæ: qui non noster est. *Primo hic Phædria*] Bene additum *primo*: quia non perpetuo. D.

31 *Continuo quandam*] Bene *continuo*: quasi vix expectaverit profectionem patris. *Puellulam citharistriam*] Istis nominibus hoc agit (*hic agitur* Ms. B. et edd. vett.) ut causa amoris et ex ætate, et ex arte puellæ videretur: nam ideo *puellulam* dixit. D.

Continuo quandam] Bene adjecit *continuo*, ut adolescens absentiam patris quodammodo exspectasse videretur, uti indelitias amoremque labi posset. E.

32 *Amare cœpit perditus*] Legitur et *perdite*. Et *amare perdite*, ut puta puellulam et citharistriam. D.

Amare cœpit perdite] Charis. lib. I. L.

33 *Ea serviebat lenoni*] Et honeste, et cito (*scite* Z.) dixit, *serviebat*. *Lenoni impurissimo*] Et quare non fuisset libera: et cujus fuisset ancilla: et qualis hominis fuerit, demonstravit. *Ea serviebat lenoni impurissimo*] Magna præparatio ad rerum difficultatem imminentium: puellula citharistria, avarus leno, amator perditus, inopia. D.

34 *Id curarant patres*] Expedite dixit *patres*. si enim patrem ejus tantum dixisset: id restabat, ut ei per patrui filium succurreretur. ideo dixit ambos non habuisse. D.

Neque quod daretur] Hoc est, jam (*eam*) inopiam in domo reliquerat, ut quod dari posset lenoni, non haberetur.

Digitized by Google

Restabat aliud nihil, nisi oculos pascere,
Sectari, in ludum ducere, et redducere:
Nos otiosi operam dabamus Phædriæ.
In quo hæc discebat ludo, exadvorsum ei loco
Tonstrina erat quædam: hic solebamus fere
Plerumque eam opperiri, dum inde iret domum.

Curaverant ergo quadam diligentia, ac fecerant ne pecunia filiis relinqueretur in domo. E.

35 *Nisi oculos pascere*] Hoc enim solum erat, quod leno non venderet. D.

Oculos pascere] Sueton. in Vitell. cap. 14. *velle se, dicens, pascere oculos.* Tacitus Histor. III. 39. *audita est sævissima Vitellii vox, quæ (ipsa enim verba referam) se pavisse oculos, spectata inimici morte, jactavit.* Ambros. Episc. Hexæm. III. 8. *pascuntur oculi grato spectaculo.* L.

Oculos pascere] I. e. oculos oblectare aspiciendo. Lucret. II. 419. *oculos qui pascere possunt* ubi v. Lambin. Cic. Philipp. XI. 3. *cum animum satiare non posset, oculos pavit suos* Sueton. in Vitell. c. 14. *ex quibus quendam coram interfici jussit, velle se dicens pascere oculos.* R. D.

36 *Sectari, in ludum ducere, et reducere*] Bene cavillatus est et jocularitер in adolescentem, cui ætas ad sectandos philosophos apta erat. Hinc etiam philosophorum sectæ. Sed *sectari* proprie est, ut taurus buculam, ut aries ovem. Virg. Ecl. II. 65. *trahit sua quemque voluptas. Reducere*] Σύλληψις, *a ludo* enim subauditur, D.

Sectari, in ludum] Cum illa pergeret *in ludum*, hoc est, in locum ubi forte discebat. E.

37 *Nos otiosi operam dabamus Phædriæ*] Cum τύπῳ dixit *nos*: velut magistrum excusans obsequentem ei, cui custos sit datus. et ideo addidit *otiosi*. *Nos otiosi operam dabamus Phædriæ*] Relatio ad illud, quod mox otiosi non erunt. *Nos otiosi operam dabamus Phædriæ*] Aut ad pudorem sumitur hoc pronomen in singulari numero: aut ad dignitatem. sed potest *nos*, et propter Antiphonem dixisse. *Nos otiosi operam dabamus Phædriæ*, Apollodor. ΝΑΛΚΕΙΣ δὲ συνεμαλι μΕΟΑ * (ναρκη δε συνωμιλουμεθα, Tan. Fab. Sed codici Antwerp. à veteri manu adscriptum e Ms. Ἀναλκεις δε συνεμαμμενα εναργης δε συνεπιμελομεθα. Lege, Ἀναλκεῖς δὲ συνεμείναμεν, ἀναρκεῖς δὲ σύνεπιμελόμεθα. Z.) *Operam dabamus Phædriæ*] Ille amicæ, nos illi. D.

38 *In quo hæc discebat ludo*] Figurate *in quo hæc discebat ludo*, est additum, *ex advorsum ei loco*] *Ei loco*, legitur et *ilico*. et adnotatur ex abundanti additum, ut apud veteres multa sunt. *Ex advorsum si loco*] Παρέλκον quartum. D.

Ex advorsum] Contra ipsum locum. E.

In quo hæc discebat] Gellius VII. 7. Priscian. L.

Ex adverso Bemb. et tres e nostris habent. Sed vulgarem lectionem, quæ ipsa apud Prisc. p. 1037. occurrit, retinendam censemus. Cf. Gell. VII. 7. B.

Exadverso] In aliis editionibus est *exadversum*; Burmanno ad Sueton. in Tiber. c. 33. rectius videtur *ex adverso* divisim scriptum in quo intelligatur *loco* vel simile quid. Sed ex *adversum* tuetur Oudendorp. ad Sueton. Cæsar. c. 39. R. D.

39 *Tonstrina erat*] Apta sedes otiosis. *Tonstrina erat quædam.* Παρέλκον tertium *quædam. Hic solebamus fere plerumque*] Παρέλκον tertium, *fere plerumque.* D.

Tonstrina quædam] Officina tonsorum. E.

40 *Dum inde iret domum*] Ad se scilicet. *Iret domum*] Pro rediret, vel certe, iret. παρέλκον figura. D.

Digitized by Google

Interea dum sedemus illi, intervenit
Adolescens quidam lacrumans: nos mirarier.
Rogamus quid sit? Nunquam æque, inquit, ac modo
Paupertas mihi onus visum'st et miserum, et grave.
Modo quandam vidi virginem hic viciniæ 45
Miseram, suam matrem lamentari mortuam:
Ea sita erat exadvorsum: neque illi benevolens,
Neque notus, neque cognatus, extra unam aniculam,
Quisquam aderat, qui adjutaret funus: miseritum'st:

41 *Dum sedemus*] Proprie *sedemus*, ut in tonstrina. *Illi intervenit*] *Illi*, pro *ibi*. ut Æn. II. 548. *illi mea tristia facta*. Et nota *illi*, pro *illic*. *Intervenit adolescens quidam lacrumans*] Appollodorus tonsorem ipsum nuncium facit, qui dicat se nuper puellæ comam ob luctum obstulisse: quod scio mutasse (*quod scite mutuavit*. Z.) Terentium, ne externis moribus spectatorem Romanum offenderet. D.

42 *Nos mirarier*] Recte: mirum enim in adolescentibus lacrumæ: ut contra Georg. III. 67. *tristique senectus. Nos mirarier*] Ut Æn. IV. 421. *solam nam perfidus ille te colere*. D.

43 *Rogamus quid sit?*] Quid lacrumet: non, *quid sit ipse*, ut stulti putant. *Nunquam æque, inquit, ac modo*] Mire ostendit semper sibi hoc visum, quod dicit: sed nunquam æque. D.

44 *Paupertas mihi onus visum est*] Statim fit mentio paupertatis, ut sit causa fallaciæ Phormionis. D.

Apud Priscianum p. 1026. et in cod. C. C. est *visa est*; quæ lectio meliorem efficit constructionem. B.

45 *Modo quandam vidi virginem*] Bene *quandam*: ne ob familiaritatem laudari videretur. *Modo quandam vidi virginem*] Vide sic agi, ut non tam morte mulieris, quam solitudine pulchræ virginis moveatur affectus. Simul et ea describi, quæ matronæ futuræ magis conveniant, quam quæ temere amanda sit. Nam hic obitus feminæ ad comicum exitum spectat: quandoquidem plus ex ejus morte securitatis, quam molestiæ, sentiat argumentum. *Hic viciniæ*] Adverbium in loco est, *hic viciniæ*: cujus ad locum, *huc viciniæ*. Et statim proximitas insinuatur, ut sit spes et causa videndi. D.

46 *Miseram*] Ab affectu: et subdistinguendum est, ut ad virginem referatur. *Lamentari mortuam*] A prohibitis, quæ piis attribuitur. Et *lamentari mortuam*, ambiguitas, sed sensu manifesta. D.

47 *Ea sita erat*] *Sita*, proposita. Sallustius cum adjectione in H. *cum prædizero positum insulæ*. Et hoc ei reolproeum est. *Ea sita erat ex adversum*] Expositio paupertatis, et quam facile virgo videri possit. D.

Neque illi benevolus] Hoc est, nullus erat qui benevolentia aut notitia, aut vicinitate succurreret et adjuvaret. E.

Sita erat] H. e. cadaver ejus positum erat. Situs tanquam domicilium habet in re funebri. R. D.

48 *Neque notus, neque cognatus*] Αὔξησις fit: quia res minuitur, crescit sententia. Sallustius, *non repugnantibus modo: sed ne deditis quidem a b e m. Neque notus, neque cognatus, extra unam aniculam*] Hæc præstruuntur: ut sit spes potiundæ virginis. *Neque notus, neque cognatus*] Hæc descriptio paupertatis adjuvat argumentum, ut et visere audeant adolescentes virginem, et amet Antipho. D.

49 *Qui adjutaret funus*] Ipsum officium *funus* dixit. *Miseritum est*] Hoc est, misertus sum ejus. Et hic videtur ostendisse cur lacrumaverit. D.

Digitized by Google

Virgo ipsa facie egregia. quid verbis opust?
Commorat omnes nos. ibi continuo Antipho,
Voltisne eamus visere? alius, Censeo,
Eamus. duo nos sodes. Imus, venimus,
Videmus: virgo pulchra! et quo magis diceres,
Nihil aderat adjumenti ad pulchritudinem:
Capillus passus, nudus pes, ipsa horrida,
Lacrumæ, vestitus turpis: ut, ni vis boni

50 *Virgo ipsa facie egregia*] A forma indignatio. *Virgo ipsa*] Bene *ipsa*: quia quæ supra dixit, non ad ipsam, sed ad eventum ejus pertinebant. *Quid verbis opus est*] Sic dicit Terentius, ubi ad effectum properat. D.

51 *Commorat omnes nos*] Figura συνεσεώς, pro *commoverat*. Et bene *omnes*: quia res ad Antiphonem tantum spectat. *Ibi continuo Antipho*] Hic redditur nomen adolescentis. et est παρασιωπή. D.

Commorat] Ita narratione sua exprimebat affectum, ut nos omnes commoveret. *Commorat* autem, commoverat. E.

52 *Voltisne eamus visere?*] Ut Æn. 1. 531. *populare penates Venimus. Voltisne eamus visere?*] Ipse hortator inducitur, qui amaturus est. *Alius, Censeo: eamus: duc nos sodes*] Hæc omnia diversi dicunt. Et apparet tot esse homines, quot per μίμησιν ἀσύνδετα demonstrantur. *Alius Censeo*] Phædria, vel quilibet. D.

53 *Imus: venimus: videmus*] Ἀσύνδετον primum per βραχυλογίαν. *Imus, venimus, videmus*] Mετ' ἐναργείας. D.

54 *Virgo pulchra!*] Συντομία mirantis. Duo ingentia, et *virgo* et *pulchra*. *Virgo pulchra!*] Bene non dixit, videmus virginem pulchram: sed ἐκ τῆς παταπλήξεως, *virgo pulchra!* illud enim frigidius: hoc concitatius. et hoc magis demonstratur δράματι, quam relatione. *Et quo magis diceres*] *Diceres*, pro crederes. ut, *audacter dicito*, sæpe Plautus. D.

55 *Nihil aderat adjumenti*] Proprie *aderat*. *Adest* enim id, quod adjuvat. D.

56 *Capillus passus*] Singularem numerum pro plurali posuit. Sic et alibi Heaut. II. 3. 49. *capillus parus, prolixus, circum caput rejectus negligenter. Passus*] Temere dispersus. Ut magna pars, a Græca oratione profluxit hæc dictio. *Capillus passus, nudus pes*] Facetius, quam si pluraliter dixisset. Virg. V. 402. *quibus acer Eryx in prælia suetus Ferre manum. Ipsa horrida*] Quasi extra ipsam sit id quod dixit, *capillus passus, nudus pes*. Tale est apud Virg. Ge. III. 387. *illum autem, quamvis aries sit candidus ipse, Nigra subest udo cui tantum lingua palato, rejice*. Et alibi de arbore Ge. II. 296. *tum fortes late ramos, et brachia tendens Huc illuc, media ipsa ingentem sustinet umbram*. Et Æn. III. 618. *domus sanie, dapibusque cruentis Intus opaca, ingens: ipse arduus, altaque pulsat sidera*. D.

Virgo ipsa horrida] I. e. virgo tota vel omnino horrida. *Ipse* de personis variis sic dicitur, frequentius de tempore. Cic. ad Div. V. 21. *solitudinem jucundiorem non esse, qua tamen ipsa uti non licet*, in Bruto c. 15. R. D.

57 *Lacrumæ, vestitus turpis*] Ἀσύνδετον tertium. *Ipsa horrida* et *lacrumæ* ad luctum pertinent, *nudus pes* et *vestitus turpis* ad pauperiem. *Ut, ni vis boni*] Plus est *vis boni*, quam *bonum*. *Ut si vis boni in ipsa inesset forma*] Veteres ignem et calorem quendam, quasi fervorem, dixerunt *formam* (*fornum*), et ideo *fornaces, forcipes, formam* et *formosos*: ex quibus ignis amoris exoritur. Laudandus est ergo Terentius proprietate servata: qui quum formam præter-

Digitized by Google

In ipsa inesset forma, hæc formam extinguerent.
Ille, qui illam amabat fidicinam, tantummodo,
Satis, inquit, scita'st: noster vero. D. Jam scio;
Amare cœpit. G. Scin quam? quo evadat, vide.
Postridie ad anum recta pergit: obsecrat,
Ut sibi ejus faciat copiam. illa enim se negat:
Neque eum æquom ait facere: illam civem esse Atticam,

lisset, subjecit, *extinguerent*. Ideo et Virgilius sic ait Ecl. III. 66. *at mihi sese offert ultro meus ignis Amyntas*. D.

Ni vis boni] Magna vis bonitatis et pulchritudinis in forma erat: idcirco ista quæ ex luctu et lacrumis fuerant, formam extinguere non valebant. E.

Vis boni] I. e. excellentia, præstantia pulchritudinis ut *vis æris* pro magno ære, *vis saxorum* pro multis saxis. *Bonum* est pulchritudo. Catull. carm. XV. 10. *infesto pueris bonis malisque* Horat. Carm. IV. 1. 3. *qualis eram bona sub regno Cinaræ*. Ovid. Amor. III. 2. 27. *invida vestis eras quæ tam bona crura tegebas*. Ut *bonus, formosus*, sic *malus* est deformis, ut ex Catulli exemplo apparet. R. D.

58 *In ipsa inesset forma, hæc formam extinguerunt*] Figura πλοκή. aliud enim supra, aliud infra *forma* repetita significat. *In ipsa inesset forma*] Geminavit præpositionem ut alibi, *in amore hæc omnia insunt vitia*. *Extinguerunt*] Bene *extinguerent*: quia ab igne et calore forma dicta est. D.

59 *Ille, qui illam amabat*] Bene *illam*: quia jam supra insinuavit personam citharistriæ. *Ille, qui illam amabat*] Ratio cur amaverit virginem. *Fidicinam*] Supra *citharistriam*; ergo indifferenter. D.

Tantummodo satis] Hoc est, tantummodo laudabat, ille autem alius amare cœpit. E.

60 *Tantummodo, satis, inquit, scita est*] Sensus est, laudavit tantummodo, non etiam captus (*raptus*, vel *lapsus*. Z.) est in amorem. *Satis, inquit, scita*] Magna laus formæ: amanti aliam placuisse. *Satis, inquit, scita*] *Scita*, bella. ut in Andria, *Scitus puer est natus a Pamphilo*. *Noster vero*] Ἀποσιώπησις tertia: quæ succurrit, quotiens verba rebus minora sunt. D.

61 *Amare cœpit*] Ille, inquit, laudavit tantum: hic amare cœpit. Et bene *cœpit*, non *amavit*: ut ostendat vim amoris non parum (*parvam*. Z.) esse, et rem, quæ semel suscipi possit (*rem, quæ semel suscepta possit augeri*. Z.) *Scin' quam?*] Ἀποσιώπησις, qua in narrationibus in compendium Terentius uti solet. *Scin' quam?*] Amare cœpit, subauditur. *Quo evadat, vide*] *Evadat*, perveniat. Nam *evadere*, est per obstantia pervenire. D.

Quo evadat, vide] Quo res perveniat, animadverte. E.

62 *Postridie ad anum recta pergit*] Hoc præstruens, *aniculæ* supra mentionem fecerat. Et bene memor et virginis, et honestæ, non ipsam adiri fecit, sed anum: neque ab ipsa peti fructum voluptatis, ex cujus persona major desperatio nascebatur: sed a nutrice potius, per quam suaderi puellæ posse creditur, quicquid libet. *Postridie ad anum recta*] Ἐμφατικῶς, *ad anum statim*: ut qui posthabuerit omnia alia. *Recta*] Quia non per nuncium. D.

63 *Ut sibi ejus faciat copiam*] Vide ut nihil de virgine speret, qui omnia ab anicula petat. *Illa enim se negat*] Copiam facturam, subauditur. D.

Sibi ejus anapæstus est, *illa* primam corripit. B.

64 *Neque eum æquum ait facere*] Non

Digitized by Google

Bonam, bonis prognatam. si uxorem velit,
Lege id licere facere: sin aliter, negat.
Noster, quid ageret, nescire; et illam ducere
Cupiebat, et metuebat absentem patrem.
D. Non, si redisset pater, ei veniam daret?
G. Illene indotatam virginem atque ignobilem

quod amet, sed quod hoc petat. *Neque eum*] Quod peteret scilicet. *Illam civem esse Atticam*] *Illam cum ἐμφάσει* dixit: quasi dicat, quam sic contemnat. D.

Plerique codd. melioribus numeris sic collocant, *æquum facere ait*. Cæterum pro *facere* malim *petere*, ob sensum commodiorem, et auctoritatem Donati, qui ita legisse videtur. B.

Neque eum æquum ait facere] H. e. et ait eum non facere æquum. Sic sæpe dissolvendum *nec* vel *neque*. R. D.

65 *Civem, bonam esse*] *Civem*, quo ad jura pertinet: *bonam* quo ad ipsam. *Bonam*] Non vilem: quia boni non viles sunt. unde superlativus gradus *optimates* facit: quia *bonus, melior, optimus* dicitur. *Bonis prognatam*] Quod ad majores ejus. *Si uxorem velit*] Recte subjunxit, *si uxorem velit*: postquam ea in virgine prætulit, quæ solent ornare nuptias. D.

Bonam bonis prognatam] Et ipsam ingenuam, et bonis parentibus natam. E.

Si uxorem velit] Perenonius Animadvers. I. 9. interpungit post voeem *lege* ut jungatur *uxor lege* quemadmodum apud Græcos *γαμετὴ νόμῳ*, quam distinctionem probat Burmannus ad Calpurnii Flacci declamat. c. 23. Sed ad sensum nihil refert, utro modo interpungatur. R. D.

66 *Lege id licere facere*] Incerta distinctio est: utrum *uxorem velit lege, an lege id licere facere? Sin aliter, negat*] Et pudice anus, et tamen illecebrose; *licere facere* dixit, quod ille impudentius petit, ut sibi ejus faciat copiam. *Sin aliter, negat*] Σύλληψις facta ex eo quod sequitur, *facere*. D.

67 *Noster, quid ageret, nescire*] Proposita deliberatio: cujus tamen altera pars vincet. Nam ducturus est par absentiam patris. *Quid ageret, nescire*] Pro *nesciebat*. sed recte sic ait: quia subjuncturus est, *Illam ducere cupiebat, et metuebat*] Vide ambiguitatem, quam tamen sequentia tollunt. D.

68 *Cupiebat et metuebat*] *Metuebat* proprie dixit. *Metuimus* enim eos qui nos amant: *timemus* etiam inimicos. D.

69 *Non si redisset pater, ei veniam daret?*] Bene interrogat Davus. hoc enim sperari si posset, non opus erat fraudibus Phormionis. *Non si redisset*] *Si* pro postquam. Virg. V. 64. *præterea si nova diem mortalibus almum Aurora extulerit*. D.

Non si redisset] Hoc est, cum redisset, ne omne in sensum positum videamus. E.

Omnes codd. cum Donato venustius collocant *ei pater*. B.

Si rediisset] H. e. cum rediisset. Nam si interdum tempus significat, non conditionem. Plaut. Captiv. II. 2. 1. *jam ego revertor intro, si ex his quæ volo exquisivero* Horat. epist. I. 7. 10. *quod si bruma nives Albanis illinet agris, Ad mare descendet vates tuus* ubi vid. Lambin. *rediisset* ponitur pro *redierit*, quæ temporum mutatio frequens est. v. Bentl. ad Horat. Serm. II. 3. 93. *ut si forte minus locuples uno quadrante perisset, Ipse videretur sibi nequior*. R. D.

70 *Illene indotatam virginem*] Ἐμφατικῶς *ille*, de quo dixerat, *desinas*; *sic est ingenium*: et qui propter spem lucri navigarat senex. Insinuandum igitur fuit: hic enim erit omne periculum fabulæ. Et ordine Terentius prius insinuavit personam senis, ut graviora fierent quæ dirimebant nuptias. *Illene*

Digitized by Google

Daret illi? nunquam faceret. D. Quid fit denique?
G. Quid fiat? est parasitus quidam Phormio,
Homo confidens: qui, illum di omnes perduint!
D. Quid is fecit? G. Hoc consilium, quod dicam, dedit;
Lex est, ut orbæ, qui sint genere proxumi, 75

indotatam virginem, atque ignobilem] Duo dixit, et *indotatam* et *ignobilem*. Hæc enim duo principaliter petuntur (*expetuntur* Ms. H.) cum sint quatuor, quæ in sponsis quæruntur: *forma probitas, dos, nobilitas*. Et manifestum est, eum de forma et probitate nihil dicat: quippe cum supra magnopere ea laudaverit in puella. *Virginem*] Simpliciter accipimus, *virginem*? an subaudimus, *quamvis*: ut sit *quamvis virginem*? D.

Si, duce Bembino, illud *ne* deleveris; melius procedit versus. B.

71 *Daret illi?*] Bono affectu dixit, *daret illi?* Filius enim familiæ non tam ducit uxorem, quam a patre accipit: quippe cum patri committatur puella potius in hujusmodi conditionibus, quam marito. *Daret illi? nunquam faceret*] Ἀποσιώπησις secunda, hic enim non transit ad aliud, sed instat incepto: ut et per interrogationem diceret, *daret illi?* et per responsionem inferret, *nunquam faceret*. Et nota, *nunquam* pro *non*, in majorem negationis significationem poni semper. *Daret illi?*] Mire *daret*: ut ostenderet nihil esse potestatis in filio. *Quid fit denique?*] More suo Terentius *denique* posuit in fine sensus, et est adverbium ordinis. Sic in Heautontimorumeno, *fodere, aut arare aut aliquid facere denique*. ut sit *denique*, vel deinde, vel ad postremum. D.

72 *Quid fiat?*] Deest *rogitas?* et est ἀποσιώπησις quarta. *Est parasitus quidam Phormio*] *Phormio*, non a formula, sed Phormione dicitur sparteo, quem nos *tronem* dicimus trivialiter, et pro consuetudine. D.

Est quidam Phormio] Hic interponitur alia narratio, quæ personam declarat. E.

73 *Homo confidens*] *Homo* comice additum: nam quis ignoret parasitum hominem esse? *Confidens*] Hic *confidens*, pro improbo, audaci ac temerario posuit. ut, *O ingentem confidentiam! Qui, illam*] *Qui*, utinam est. ut Lucilius in secundo, *qui te Momentane malum jam cætera perdat!* aut, *qui hoc consilium, quod dicam, dedit. Qui, illum di omnes perduint*] *Qui* aut expletivum, aut pronomen: quo incipiens Phormionem describere, cohorruit consideratione ejus, et in hanc vocem, quasi confusus erupit. hoc autem certum genus est παρενθέσεως. D.

Qui illum dii omnes perduint] In hac imprecandi formula comicis propria *qui* ponitur pro *utinam*. Plaut. in Mensech. III. 1. 6. *qui illum dii omnes perdunt!* et ibi Gronov. Imitatus est Cic. ad Attic. IV. 7. *de Appollonio quod scribis qui illi dii irati*. R. D.

74 *Quid is fecit?*] Servatur affectus tristis hominis. ut supra ait, *sed quid tu es tristis? Quid is fecit?*] Correxit interrogatione errantem: ut rediret ad nominativum casum *qui*, unde aberraverat, et *illum* dixerat. *Hoc consilium, quod dicam, dedit*] Secundum quosdam ordo est, qui hoc consilium, quod dicam, dedit. D.

75 *Lex est*] *Lex*, ut in palliata, recte ponitur, nam Græcorum fuit; ideo et in Andria sic ait, *inopia et cognatorum negligentia coacta. Lex est*] Alia narratio interponitur. et dicitur παραφήγησις (παραλήγησις. edidit Westerh.) *Lex est*] A causa litis. potuit enim dici, non habes causam. *Ut orbæ, qui sint genere proxumi, eis nubant*] Orba proximo nubat, orbam proximus ducat, Atticum jus est. Et est ordo, lex est, ut orbæ eis nubant, qui sint proximi. D.

Lex est, ut orbæ] Leges illas narrat, quas oratores sæpe in controversiis collocarunt: *orbam proxumus ducat, orba proximo nubat*. E.

Lex est, ut orbæ] Terentius Adelph.

Digitized by Google

Eis nubant: et illos ducere eadem hæc lex jubet.
Ego te cognatum dicam, et tibi scribam dicam:
Paternum amicum me assimulabo virginis:
Ad judices veniemus: qui fuerit pater,
Quæ mater, qui cognata tibi sit, omnia hæc
Confingam: quod erit mihi bonum atque commodum,

act. IV. 5. 16.—*virgo orba est patre, hic meus amicus illi genere est proximus; huic leges cogunt nubere hunc.* Demosthen. πρὸς Λεώχαρην· Ὀνομοθέτης &c. τὰς ἀτυχίας τῶν οἰκείων καὶ τὰς ἐκδόσεις τῶν γυναικῶν τοῖς ἐγγύτατα γένους προσέτατε. Fortunatianus: *orba proximo nubat, vel si eam noluerit in matrimonium ducere, det X. millia.* De decem millib. recte etiam Eugraphius; quam tamen summam dicis gratia adjectam arbitror: ut in fragmentis Ulpian. Tit. II. de statutib. *sub hac conditione liber esse jussus, si decem millia heredi dederit.* Et alibi apud alios. Inde Papinianus Quæst. lib. 2. scribit, Imp. Severum filiæ Flavii Athenagoræ dari jussisse decies centena dotis nomine. l. 6. §. 1. ff. de usuris. Et Martial. lib. 2. Epigr. 65. in Saleianum, *illa, illa dives mortua est Secundilla, Centena decies quæ tibi dedit dotis?* Juvenal. Satyr. X. 335.—*ritu decies centena dabuntur Antiqua.* Non quod omnis dos hisce terminis circumscripta (ratio enim ipsa diversaque exempla diversum indicant. l. 2. l. 11. ff. de dote præl. Novel. 22. cap. 18. Tacit. extremo Annall. 11.) sed quod pro magna pecunia hæc summa saltim posita. Viderint ergo qui hæc aliter interpretantur. L.

76 *Et illos ducere*] Bene additum: nihil enim ad rem, si ducendi necessitas non fuisset. *Eadem hæc lex jubet*] Non duas res jubet hæc una lex: sed puellis permittit nubere: cognatos cogit ducere. *Eadem hæc lex jubet*] Bene *jubet*: minorem enim vim habeat ea lex, quæ aliquid permittit, quam illa quæ aliquid jubet. D.

77 *Ego te cognatum dicam, et tibi scribam dicam*] A persona ejus cum quo agitur. Potuit enim dici, *quid mecum est tibi? Ego te cognatum dicam, et tibi scribam dicam*] Ἀποστροφὴ et ἠθοποιΐα. Hæc narratio est, quam dicit Tullius constitutam: et ipse, *tibi uni paream*, inquit in Verrinis. repente enim transitur ad verba personarum ab earum descriptione: sed hoc ipsum ad commovendos auditores valet plurimum. *Et tibi scribam dicam*] A denunciatione in personam: ne diceret, non mihi denunciasti. *Et tibi scribam dicam*] Cic. Verr. II. 15. *Scribitur Heraclio dica. Dicam*] Supra, verbum: infra, nomen est totidem literis, diverso accentu. D.

Tibi scribam dicam] Tibi calumniam indicam et causam impingam. E.

Tibi scribam dicam] H. e. te in jus vocabo. infra II. 2. 15. IV. 3. 63. *sexcentus scribito jam mihi dicas. Dica* est ex Græco δικῆ *lis, causa.* R. D.

78 *Paternum amicum me adsimulabo virginis*] A persona litigantis: potuit enim opponi, personam non habes. D.

79 *Qui fuerit pater*] *Qui* hic pronomen est: infra, quomodo significat. D.

80 *Quæ mater*] Virginis scilicet. *Qui cognata tibi sit*] *Qui*, quomodo, et qua ratione. *Omnia hæc confingam*] *Omnia hæc*, non ex abundanti posuit: sed oratorie, quasi tam multa. Et est ἀρχαϊσμός. Nam post enumerationem veteres hoc dicebant. Sallustius in Jugurtha 85. *hæc omnia præsidio adsunt.* D.

81 *Quod erit*] Tuto (*totum* Ms. B. et edd. vett.) confingam. *Quod erit mihi bonum atque commodum*] Εὐφημία. Quod mihi, inquit, faustum ac felix erit: hoc est (*hoc scilicet.* Z.) confingere atque mentiri. *Quod erit mihi bonum, atque commodum*] Totum joculariter pa-

Digitized by Google

Quum tu horum nihil refelles, vincam scilicet.
Pater aderit: mihi paratæ lites: quid mea?
Illa quidem nostra erit. D. Jocularem audaciam!
G. Persuasit homini: factum'st: ventum'st: vincimur;
Duxit. D. Quid narras? G. Hoc quod audis. D. O
Geta! 86
Quid te futurum'st? G. Nescio hercle. unum hoc scio:

rasitus: quippe qui *confingam* dicens, non solum non erubuerit de falsiloquio, sed quasi præclari facinoris inceptionem etiam auspicatus sit, omenque susceperit, dicendo, *quod erit mihi bonum atque commodum*. Sic enim veteres, QUOD FAUSTUM FELIXQUE SIT, dicebant, aliquid aggressuri. D.

Quod erit mihi bonum, &c.] Facile ista quæ sunt mendacia, quæ (dele *quæ*. Z.) ego fingam, et comprobabo judicibus: tu nihil relinquis (*quia tu nihil refelles*. Z.) E.

Quod erit mihi bonum atque commodum] H. e. quatenus mihi aptum et appositum erit in rem meam. Sic bene exponit Gesnerus in Thes. l. Lat. v. *commodus*. Donati explicatio a Comici mente est aliena. *Quod* est *quoad*; *quatenus* v. not. ad Eun. II. 1. 8. R. D.

82 *Quum tu horum nihil refelles*] Hoc interrogative (*vultuose*. Z.) pronunciandum est. *Refelles*] Refutabis, redarguës. Nam prorsus *refellere*, est redarguere falsitatem. D.

83 *Pater aderit: mihi paratæ lites: quid mea?*] Mire ὁ συκοφάντης, quod maxime alter metueret, hoc pro ridicula re contemsit, *pater aderit: mihi paratæ lites*. Exquisite autem subjectum est, quum supra dixerit, *mihi paratæ lites: quid mea? Puter aderit: mihi paratæ lites*] Ut Antiphoni formidanda ista sunt, ita ridicula parasito. D.

Pater aderit] Hoc quasi quæstionis loco propositum est a Phormione. Sed cum duxeris uxorem, veniet pater et mihi litem intendet. Cui paratur responsio: quid interest? quid mea? jam enim illa, quam tu cupis, in tua erit potestate. E.

84 *Illa quidem nostra erit*] Ἡδιαῖς *nostra*, quum Antiphonis tantum esse debeat. *Jocularem audaciam!*] Εἰρωνείαν κατ' ἀντίφρασιν: hoc est, minime jocularem. An quæ ex ludo et joco in periculum veniat? *Jocularem audaciam!*] Deest, *audio ex te*, aut *dicis*. D.

Jocularem audaciam!] Quæ est in joco, veniat (Ms. *quæ a joco veniat*) in periculum. Ut, *joculare in malum inscienspæne incidi*. E.

85 *Persuasit homini*] Hic jam de Antiphone quæritur, cui persuasum sit. *Factum est*] Adeo audax Phormio. *Ventum est*] Ἐπεξήγησις. Quo modo factum est? Ventum est: vincimur: duxit. *Factum est: ventum est: vincimur: duxit*] Ἀσύνδετον ut supra, imus, venimus, videmus. *Factum est: ventum est: vincimur: duxit*] Amat hoc Terentius: ut, *it, lavit, redit*. et, *imus, venimus, videmus*. et, *funus interim procedit: sequimur: ad sepulchrum venimus: in ignem posita est: fletur*. His (*in his*) non modo brevis et comis narratio est: sed etiam auditoris animum ad id quod restat, intendit. D.

Ventum est, vincimur] * (Deest Ἀσύνδετον. Z.) Ut supra, *imus, venimus, videmus*. Similiter in Eunucho, *it, lavit, redit*. E.

Persuasum'st, quod habet Bemb. et legisse videtur Donatus, pro vulgari *persuasit*, multo est elegantius, cum cætera sint passiva. B.

86 *Quid narras!*] Admirantis vox est, non interrogantis. D.

87 *O Geta, quid te futurum est!*] Sic pronuncia, quasi periturum contemperis Getam, et jam eum in certo interita deflcas. *O Geta, quid te futurum est!*]

Digitized by Google

Quod fors feret, feremus æquo animo. D. Placet: Hem! istuc viri'st officium. G. In me omnis spes mihi est. 89
D. Laudo. G. Ad precatorem adeam credo, qui mihi Sic oret: Nunc amitte quæso hunc: cæterum Posthac si quicquam, nihil precor. tantummodo Non addat: Ubi ego hinc abiero, vel occidito. D. Quid ille pædagogus, qui citharistriam?

Scilicet qui magister relictus sis Antiphoni. *Nescio hercle: unum hoc scio, quod fors feret feremus æquo animo*] Ἠθικῶς desperatione rerum fortis est servus. Et simul vigilavit poeta, ne si et hic ejularet, res tota migraret in tragœdiam. D.

88 *Quod fors feret, feremus æquo animo*] Hæ graves sententiæ, ex persona servorum quum dicuntur, ridiculæ sunt, et eo consilio interponuntur. *Feremus æquo animo*] Hoc secundum servos, qui futura contemnunt. Et mire meritum culpæ suæ ad fortunam retulit. D.

Fors feret, feremus] Nunc narrationem finit, de eventu respondet: omne se æquo animo passurum quod eventus attulerit in peccatis. E.

Pro *placet* elegantius est, si reponis *placet*. B.

Fors feret] I. e. fortuna Cic. ad Attic. VII. 14. *sed hæc ut fors tulerit*. Curt. V. 11. *quicquid fors tulisset, inter suos perpeti malle quam transfugam fieri*. R. D.

89 *Hem, istuc est viri officium*] Compendium consolationis est, quod hic libenter accepit: et ideo statim approbat. *In me omnis spes est mihi*] Quo modo? an ut strenue se defendat? an ut fugiat? an ut patiens sit plagarum? D.

90 *Ad precatorem adeam, credo*] Bene poeta omnia tractat, quæ in tali re tacenda servo essent, nisi aliud posceret argumentum. *Ad precatorem adeam*] Sic in Heautontimorumeno, *nec tu aram tibi, nec precatorem pararis. Qui mihi sic oret*] Id est, pro me oret. D.

Ad precatorem adeam] Solent servi, quotiens fuerint rei constituti, habere sibi precatores qui pro eis orent. E.

Qui mihi sic oret] Servius Æneid. VIII. 127. L.

Pro vulgari *abeam* placet Bembini *adeam*. Nam *adire* supplicis est. B.

91 *Nunc amitte quæso hunc*] Μίμησις dicitur, ubi non verba modo, verum etiam gestum vocemque fingimus alienam. *Nunc amitte quæso*] Hoc quod nos dicimus *dimitte*, antiqui etiam dicebant *amitte*. Virg. Æn. II. 148. *amissos hinc jam obliviscere Graios*. Et Sallustius, *pactione amisso Publio legato*. D.

Donati *amitte* melius est, quam nostrorum codd. *omitte*. B.

Amitte] Pro *dimitte*. v. not. ad And. V. 3. 27. R. D.

92 *Posthac si quicquam, nihil precor*] Facile impetrat, qui non omnia extorquet. Ergo ars precatoria est, mitigare præsentia, futura permittere. Simul etiam quia omnis causa in hoc est, ne videatur servus ob impunitatem in delictis amplius peccaturus. *Posthac si quicquam*] Ut solet, eleganter per ἐλλειψιν. Et simul, non si tantundem peccaverit: sed, si vel minimum. Tale est et illud, *si sensero hodie quicquam in his te nuptiis fallaciæ conari*. Et, *si quicquam invenies mentitum, occidito. Nihil precor*] *Nihil*, pro non: sed plena negatio, *nihil*. D.

93 *Ubi ego hinc abiero*] Hic ostendit, nullum precatorem ex animo postulare veniam servo. *Vel occidito*] *Vel*, pro etiam. *Occidito*] Tu tantum cædere volebas: ego dico, *etiam occidito*. D.

Plerique codd. vett. Faerni et nostri *non addit*. B.

94 *Quid ille pædagogus, qui citharis-*

Digitized by Google

Quid rei gerit? G. Sic, tenuiter. D. Non multum habet
Quod det fortasse. G. Immo nihil, nisi spem meram.
D. Pater ejus rediit, annon? G. Nondum. D. Quid? senem
Quoad exspectatis vostrum? G. Non certum scio:
Sed epistolam ab eo allatam esse audivi modo,
Et ad portitores esse delatam: hanc petam.

triam?] Moraliter quærit, vo'ens audire de Phædria, postquam de Antiphone cognovit: maxime, quia hæc interrogatio responsionem elicit, qua spectator instruitur ad cognoscenda cætera. *Quid ille pædagogus qui citharistriam?*] Quia dixit, *sectari, in ludum ducere et reducere*: et quia *puellulam* dixit, ab ætate; *pædagogus, est illi*, ait. *Quid ille pædagogus, citharistriam?*] Phædria scilicet, qui neque abscedit a custodia puellæ, neque illam ipse contingit. *Qui citharistriam?*] Ἑλλειψις. Sectatur, amat, vel quid tale subaudiendum est. D.

Quid ille pædagogus] Apto nomine appellavit ipsum adolescentulum qui meretricem amat; ut *pædagogus* diceretur qui eam in ludum ducebat et reducebat. E.

Iidem libri cum Donato meliorem habent numerum, *quid paedagogus ille*. B.

Quod pædagogus ille qui citharistriam] Scilicet sectatur. Lepide Phædriam vocat pædagogum, quod ille citharistriam in ludum ducebat et reducebat, quod erat munus servorum pædagogorum. R. D.

95 *Sic, tenuiter*] Δειχτικῶς *sic* dicendum est cum aliquo gestu. *Non multum habet quod det fortasse*] Cum commiseratione amatoris adolescentis pronunciandum est. D.

Sic tenuiter] Venuste hac particula utuntur de rebus quæ non satis feliciter succedunt in Andr. I. 3. 4. et 9. R. D.

96 *Immo nihil, nisi spem meram*] Bene *spem*: quia amat. nemo enim sine spe amat. *Meram*] Solam. D.

Nisi spem meram] Solam inquit spem, quia nihil habet. E.

97 *Pater ejus rediit, an non?*] Chremes scilicet. *Noudum*] Subaudi *venit*. Jam (*venit*. NONDUM, quia *eveniet*. *Nam* Ms. H.) *non* plena negatio est. *Quid? senem quoad exspectatis vestrum?*] Animadvertite, *quid* secundum morem quotidianum tum dici, quum fit transitus a mentione alterius rei ad alteram. Sic et supra, *quid pædagogus ille?* D.

Quid] Bene Donatus annotat, *quid* tum dici, cum fit transitus a mentione alterius rei ad alteram. v. Duker. ad Flor. II. 6. p. 321. R. D.

98 *Quoad exspectatis vestrum?*] *Quoad*, quamdiu. Et recte locutus est: quia adventus, finis est exspectationis. D.

99 *Sed epistolam ab eo allatam esse audivi*] Mire paratur inopinatus subito adventus senis. Nam ipse veniet, cujus epistolam sperat. D.

100 *Et ad portitores esse delatam*] More veterum, magistri tributorum, id est, publicani, operam in portu dabant, inferendarum rerum et efferendarum vectigal exigentes. *Ad portitores*] Ad eos qui in portu sunt. Et quo more hoc dixerit, vide, Attico an Romano. D.

Ad portitores] Ad eos scilicet, qui in portu sunt. E.

Portitores] Sunt operæ publicanorum, qui in portu sedebant, merces invehendas et evehendas excutiebant et portorium exigebant. v. Non. Marcell. p. 24. et Ernest. in Clave Ciceron. hæc v. Epistolas ad portas delatas esse pa-

Digitized by Google

D. Numquid, Geta, aliud me vis? G. Ut bene sit tibi. Puer heus: nemon' huc prodit? cape, da hoc Dorcio.

ACT. I. SCENA III.

ANTIPHO. PHÆDRIA.

ADEON' rem redisse, ut qui mihi consultum optume velit esse,
Phædria, patrem ut extimescam, ubi in mentem ejus adventi venit?

tet etiam ex Plauti Trin. III. 3. 65. *apud portitorem eas resignatas sibi Inspectasque esse.* R. D.

101 *Namquid, Geta, aliud me vis?*] Absque illo argento, quo tibi a me opus fuit? *Ut bene sit tibi!*] Ἀρχαϊσμὸς (Εὐφημισμὸς, seu, Ἀστεϊσμὸς. Z.) pro *nihil.* D.

Ut bene sit tibi] Abeuntium formula est, Plaut. in Poen. IV. 2. 90. *valeas beneque ut tibi sit.* v. Brissonium de formul. I. 74. Donatus per asteismum dictum putat pro *nihil.* Sic *recte* pro *nihil* dici supra vidimus. R. D.

102 *Puer heus: nemon' huc prodit?*] Moralis expressio. Nam eos vocat, quibus initio egrediens dicebat, *si quis me quæret rufus. Cape, da hoc Dorcio*] Ad *παρὰ πρόσωπον* loquitur. *Dorcio*] *Dorcium* femininum nomen est, ut *Planesium, Glycerium.* D.

Apparet, hanc Dorcium conservam fuisse et Getæ uxorem: ergo dat illi pecuniam servandam. Ita Syri uxor Phrygia conserva, Adel. V. 9. 16. B.

1 *Adeon' rem redisse, ut qui mihi consultum optume velit esse*] In hac scena color vitæ est eorum, qui id, quod immodice concupierint, spernunt, postquam evenerit. Quod apertiore sententia ostendit poeta, dicendo, *nostri nosmet pœnitet. Adeon' rem redisse*] Comparativa qualitas in hac scena est inter Antiphonis vitam, et Phædriæ. Genus causæ demonstrativum. Contendunt autem, uter magis miser sit. *Ut qui mihi consultum optume velit esse, Phædria*] Mira sententia, qua ostendit adolescentulos in peccatis neminem magis metuere, quam eos a quibus maxime diliguntur. Simulque inducitur rerum imminentium præstructio: in qua sic audax inducitur Phædria, ut defensor futurus sit: sic timidus Antipho, ut fugiturus sit. *Ut qui mihi consultum optume velit esse, Phædria, patrem extimescam*] Ferienda pronunciatio in eo quod ait, *qui mihi consultum optume velit esse.* hoc enim magis mirum est, ideo patrem timeri, quia consultum optime velit. D.

Adeon rem] Hæc scena vitæ comparationem tenet Antiphonis et Phædriæ, ejus qui uxorem duxit absente patre eam quam diligebat, et ejus qui amat meretricem, et sumtus non habet. In quo negotio efficitur qualitas comparativa, qui miserior sit. Et est causæ genus demonstrativum. cum vitam utriusque in miseriis, comparatione vitæ suæ, dicit esse felicem. *Adeon rem redisse*] Eousque rem esse deductam, ut cum mihi pater consultum optime cupiat, ego tamen non (*eum* Z.) pertimescam, cum mihi venit in mentem illum jam jamque esse venturum? E.

2 *Ubi in mentem ejus adventi venit*] Nota, *venire in mentem* veteres, non recordationis causa tantum, sed etiam re-

Digitized by Google

Quod ni fuissem incogitans, ita eum exspectarem, ut par fuit.

P. Quid istuc est? A. Rogitas? qui tam audacis facinoris mihi conscius sis?

Quod utinam ne Phormioni id suadere in mentem incidisset; 5

cogitationis considerationisque posuisse. *Ubi in mentem ejus adventi venit*] Sic veteres genitivo casu proferebant. *In mentem ejus adventi venit*] Cicero Verr. I. 17. *fac tibi paternæ legis Aciliæ veniat in mentem. Adventi venit*] Multipliciter declinatur, et *adventi* et *adventus*. sic et in Andria, *nihil ornati, nihil tumulti. Venit*] Legitur et *advenit*. D.

Ejus adventi] Vett. codd. et Ms. R. *adventus*. Vid Priscian. lib. VI. L.

Placet ordo verborum, qui est apud Priscianum bis, *ubi ejus adventi venit in mentem*. Nam ita plenus efficitur octonarius. B.

Patrem extimescam] Guyotus delet particulam *ut* quando jam adest versu præcedente, quod ab eo factum temere et imperite. Nam sæpe *ut* post quædam interposita ex abundanti repetitur. Plaut. in Bacchid. IV. 6. 18. *orabat ut quod istic esset scriptum ut fieret*, ubi v. Gronov. Liv. XLV. 16. *decrevit senatus ut quoniam perduelles superati*,—*ut domus curarent danda*. v. interpret. ad Liv. XXII. 11. Eodem modo aliæ particulæ interpositis quibusdam geminantur *tanquam si* apud Liv. III. 19. *si quis vobis*, &c. *si quis ex his* et *cur* apud Ciceron de Divin. I. 57. v. Duker. ad Flor. II. 6. 291. *quid est cur eum domus sit omnium una—cur ii quid ex quoque eveniat—perspicere non possint*. R. D.

3 *Incogitans*] Temerarius. Probus, *incogitans*, inquit, *in usu est: at non eodem modo cogitans. Ita eum exspectarem, ut par fuit*]. *Exspectarem* nunc opperirer: alias sperarem. D.

Nisi fuissem incogitans] Quod nisi minimum cogitarem, propter id quod uxorem duxi eo absente, sic ejus adventum et eum exspectarem, sicuti decuit. E.

Cum octonarium plenum semper excipiat trochaicus; profer *fuissem* ut disyllabon; ut mox vers. 7. *fuisset*. B.

Quodni] *Quod* cum aliis particulis eleganter jungitur. Cæsar de B. G. I. 44. *quod nisi discedat*, &c. Sallust. in Catil. c. 18. *quodni Catilina maturasset*, &c. ubi v. Cortium. Ita mox apud Terentium *quod utinam*. Cic. ad Div. XIV. *quod utinam minus vitæ cupidi fuissemus*. Sallust. in Jug. c. 14. *quod utinam illum eadem simulantem videam*, ubi plura Cortius. Plerique *quod* in hac forma abundare putant. Manutius ad Ciceron. l. c. pro *sed* accipit. R. D.

4 *Quid istuc est?*] Hæc interrogatio stomachosa est extenuare volentis metum fratris: diversa enim sentit ob diversum amoris eventum. *Qui tam audacis facinoris mihi conscius sis*] Proprie ad terrorem, qui de facinore loquitur, *conscium* dixit. *Rogitas? qui tam audacis facinoris*] Bene timens inducitur Antipho, ut sit causa fugiendi. Ad hoc enim fugiet, ne ad amittendam conjugem cogatur a patre, ante errorem fabulæ patefactum. D.

Rogitas? qui tam] Interrogas me, cur istud dicam? Uxorem duxi; et ejus facinoris mihi et auctor fuisti et conscius. E.

Ne octonarius plenus fiat jambicus, illud *est* delendum censeo. B.

5 *Quod utinam ne Phormioni*] Gratissime non Phormioni succenset, sed Phormionis invento. Et vide, ut et ipse se culpæ subtrahat. *Quod utinam*] Et familiare est initia rerum accusare eos, quos alicujus negotii pœnitet. *Quod utinam ne Phormioni*] Vetus elocutio, *utinam ne*. Ennius in Medea, *utinam ne in nemore Pelio securibus*

Digitized by Google

Neu me cupidum eo impulisset, quod mihi principium'st mali!
Non potitus essem: fuisset tum illos mihi ægre aliquot dies:
At non cotidiana cura hæc angeret animum. P. Audio.
A. Dum exspecto, quam mox veniat, qui adimat hanc mihi consuetudinem.

Cæsa cecidisset abiegna ad terram trabes. Et *ne*, non accipiendum. D.

Utinam ne Phormioni] Hic exponit miserias suas; pœnitet enim consilii. ut ne Phormioni in mentem incidisset tale consilium, ut mihi persuaderet, atque impelleret in id, unde mihi initium est malorum. E.

Quod utinam] Priscian. lib. XV. L.

6 *Neu me cupidum eo compulisset*] Bene hoc addidit ad excusationem. potuit enim dici, non consentires. *Eo compulisset*] *Eo*, ad uxorem ducendam. an *eo* in tantum? *Quod mihi principium est mali*] Bene, quasi caput mali non in amore sit, sed in nuptiis (sic Æn. VI. 93. *causa mali tanti conjux*). D.

7 *Non potitus essem*] More hominum loquitur: credit enim ex sequenti sacietate, quod potuerit abstinere amoribus suis. *Non potitus essem*] Ἀνθυποφορὰ μεταμαθής. Non enim, *sed potiri voluisti*, posuit: ut ille Æn. IV. 603. *verum anceps pugnæ fuerat fortuna! fuisset.* hic enim utraque pars ponitur. *Fuisset tum illos mihi ægre aliquot dies*] Quidam totum interrogative pronunciant: nempe, *fuisset tum illos mihi ægre aliquot dies?* D.

Non potitus essem] Sed si consilium mihi Phormio non dedisset, ad fructum cupiditatis meæ non pervenirem. Hæc quæstio est, quæ solvitur malorum comparatione. Si quidem magna commoda majoribus incommodis cœpta . . . . . (*si quidem minora incommoda majoribus incommodis collata sunt: neque.* Z.) utile consilium fuit, id malum, quod minus habebatur, commutatum est (*esse.* Z.) graviore et deteriore malo; quod hodie cotidiana cura angit animum. E.

Tum illos] V. C. *tum illud.* L.

8 *At non quotidiana cura hæc angeret animum*] Quum amatorie loquatur Antipho, errant qui putant eum pœnitere sui desiderii. Nam si hoc est: nec maritus firmus videbitur fore. sed hoc dicit: facilius fuisse abstinere virgine intacta, quam ea cum qua jam consueverit. et ideo subjungit, *dum exspecto quam mox veniat, qui hanc mihi adimat consuetudinem. Audio*] *Audio* per εἰρωνίαν dicitur modo a contemnente dictum Antiphonis. *Audio*] Omnia deridet Phædria, cupiens fructum amoris vel periculis adipisci. Est ergo *audio* εἰρωνία, pro *non audio*, hoc est, nihil dicis. D.

9 *Dum exspecto, quam mox veniat*] Non *quando*, sed *quam cito*: quia timet. *Qui adimat hanc mihi consuetudinem*] Mire non amorem: tanquam amore carere potuerit, *consuetudine* non possit. Et nota proprietatem. Nam *consuetudo* specialiter de coitu dicitur. D.

Dum exspecto quam mox, &c.] Comparatio efficitur per alterius vitæ comparationem. Ipse enim Phædria amat meretricem, qua potiri propter inopiam non potest. E.

Longe concinnius codd. nostri fere omnes, *qui hanc mihi adimat c.* B.

Quam mox] Eleganter dicitur pro *quam cito.* Cic. pro Rosc. Comœdo c. 15. *quid exspectas quam mox ego Luscium et Manilium dicam, ordine esse senatores.* Liv. XXXIV. 1. *cum qua mox signis collatis dimicandum sibi in dies exspecto*, ubi v. Gronov. R. D.

Digitized by Google

P. Aliis quia defit quod amant, ægre'st: tibi, quia superest, dolet.
Amore abundas, Antipho.
Nam tua quidem hercle certo vita hæc expetenda optandaque est.
Ita me di bene ament, ut mihi liceat tam diu, quod amo, frui:
Jam depecisci morte cupio: tu conjicito cætera.

10 *Aliis quia defit, quod amant*] Magnificentius *aliis* dixit, quam si diceret *mihi*. *Tibi quia superest, dolet*] Laboravit ut ostenderet plus esse *dolet*, quam *ægre est*. Et ideo insanum ait Antiphonem: qui in ea fortuna positus, quæ adversa et contraria est, idem patiatur quod miser. Et est figura ἐναντίωσις. Nam ad utrumque *ægre est* sufficere potuit. Scire autem debemus, et pronunciative, et per interrogationem hoc ipsum pronunciari posse. *Tibi quia superest*] Id est, eo quod desideras, abundas. Ordo est, tibi dolet, quia superest. D.

11 *Amore abundas, Antipho*] Sic hoc pronunciandum, quemadmodum solet cum stomacho dici vituperanti cibum *non esuris*, aut *pleno ventre es*. vult enim ostendere satietatis hoc esse, non ratiocinationis, quod nunc queritur Antipho. *Amore abundas Antipho*] *Abundare* dicitur, qui successu prospero affluit. Lucilius libro tertio, *ille alter abundans cum septem in locum Hispanus r a r p* * (Douza legit sic, *cum septem incolumis pinnis redit, ac recipit se*). *Amore abundas, Antipho*] Hoc cum pronunciatione infert. D.

Amore abundas] Hoc est, tibi quod desideras abundat et præsto est, neque eges. E.

12 *Nam tua quidem hercle certo vita hæc expetenda*] Bene *certo*: quia supra omnia cum εἰρωνείᾳ dixit. *Vita hæc expetenda*] *Vita* dixit, ut ostenderet, etiamsi non felicitas, sed vita dicatur, optandam esse. *Vita* autem et mores significat, et animam, et alimentum, et spatium vivendi, et fortunam accidentem viventibus: ut modo. *Expetenda optandaque*] Proprie dixit *expetenda, optandaque*. omnia enim quæ amamus, aut industria, aut voto proveniunt: hoc est, aut in nobis sunt, aut in fortuna posita. D.

Pro *certe* placet meliorum codd. *certo*. B.

13 *Ita me di bene ament, ut mihi liceat*] Necessario jurat: quia quod dicturus est, solis amatoribus videtur esse credendum. *Ita me di bene ament, ut mihi liceat tam diu quod amo, frui*] Opportunus locus, in quo ostendatur quam magno amore sit possessus Phædria, cui par impenditur argumentum. *Tam diu quod amo frui*] Quamdiu uxore fruitur Antipho. An *tam diu*, διαστηματικῶς? *Tam diu*] Tantisper, hoc est, vel tantillo tempore. *Quod amo, frui*] Deest *eo: ut sit, eo quod amo, frui*. D.

Ita me di] Ut feliciorem multo Phædriam Antipho posset ostendere, non solum . . . . . mala esse vita numerat verum etiam juravit (*ut feliciorem se multo Phædria Antiphonem posset ostendere, non solum inter mala suam vitam numerat, verum etiam jurat*. Z.) per id ipsum quod Antipho habet, quod tam diu fruatur amore suo. E.

Frui] *Frui* proprie in re amorum dicuntur, qui potiuntur eo, quod amant. Florus IV. 11. p. 847. R. D.

14 *Jam depecisci morte cupio*] Pactionem transigere. *Tu conjicito cætera*] Aut *cætera* abundat: aut deest *per*: ut sit, *per cætera*. D.

Jam depecisci morte] Hoc est, mori

Digitized by Google

Quid ego ex hác inopia nunc capiam, et quid tu ex istac copia.
Ut ne addam, quod sine sumtu ingenuam, liberalem nactus es:
Quod habes, ita ut voluisti, uxorem sine mala fama palam:
Beatus; ni unum hoc desit, animus qui modeste istæc ferat.
Et si tibi res sit cum eo lenone, quocum mihi est, tum sentias.
Ita plerique ingenio sumus omnes, nostri nosmet pœnitet.

volo vel pacisci mortem. Deinde ipsa incommoda commodis vitæ Antiphonis enumerat: siquidem ille habet sine sumtu ingenuam: quod habeat quam desideravit uxorem: quod sine mala opinione: quod publice. Contra quod hic cum lenone rem agitet. E.

Pro *cætera* repone *cæterum*; quia non plura erant, quæ conjiceret. Illud *cæterum* hoc sensu sæpenumero occurrit apud Plautum. B.

Depecisci] *Depacisci* vel *depecisci morte* est talem pactionem inire, ut ne mortem quidem recuses, dummodo rem gratam habere liceat. Cic. ad Attic. IX. 7. *cur non honestissimo periculo depecisci velim.* Virg. Æn. XII. 49. *letumque sinas pro laude pacisci.* Poterat etiam Terentius dixisse *depecisci vita*, ut Virg. Æn. V. 230. *vitamque volunt pro laude pacisci.* Nam utrumque eodem redit. v. Bentl. ad Horat. Carm. III. 14. 2. R. D.

15 *Quid ego ex hac inopia nunc capiam*] Infortunium scilicet. *Et quid tu ex istac copia*] Fructum ac felicitatem. D.

Repone, *quid ego hác ex inopia nunc copiam, et quid tu ex istac c.* Ut opposita illa, *hac istac*, ambo acuantur. B.

16 *Ut ne addam*] Παράλειψις figura, in qua velut ex abundanti enumerantur adjecta. *Ut ne addam*] Σχῆμα παράλειψις. *Ut ne*] Quod Græci ἵνα μή. *Ingenuam, liberalem nactus es*] Hoc natalium, illud morum est. *Sine sumtu, ingenuam, liberalem nactus es*] Contra ea quæ patitur, ista posuit omnia. hujus in amore copiam: suam inopiam. hujus desiderium nullo constitisse sumtu: sibi a lenone fuisse emendam puellam. hujus ingenuam: suam servam. hujus liberalem: suam citharistriam. hanc nactum esse: se sectari tantum. hujus uxorem: amicam suam. hujus amorem maritalem esse: suum velut prodigi, velut scortatoris. D.

17 *Quod habes, ita ut voluisti*] *Voluisti* subdistinguendum est, et sic legendum *uxorem*. Erit enim ἐμφατικώτερον. *Ut voluisti, uxorem*] Bona præparatio uxoris futuræ. D.

18 *Ni unum hoc desit, animus qui modeste istæc ferat*] *Modeste*, moderate. Sallustius libro secundo, *modestus ad omnia alia, nisi ad dominationem. Modeste*] Cum modo. D.

Beatus ni unum] Omni parte felix ac beatus, ni tibi tantummodo unum, animus videlicet, desit, qui hæc tolerabiliter sustineat. E.

19 *Et si tibi res sit cum eo lenone*] *Et* modo non connexiva, sed inceptiva conjunctio est. Sallustius libro secundo, *et pœni feruht adversus a n c m * Sentias*] Sic alibi, *sit rogas? sensi.* D.

Pro *et si* Bentl. cum aliis edidit *quodsi*. Sensus est idem. Z.

20 *Ita plerique ingenio sumus omnes,*

Digitized by Google

P. Aliis quia defit quod amant, ægre [illegible]atus, Phædria, est, dolet. [illegible]sulendi, quid velis;

Amore abundas, Antipho. [illegible] eum incidi infelix

Nam tua quidem hercle [illegible]

[illegible]tandaque est. [illegible]ndi, nec retinendi copia.

Ita me di bene amer[illegible] ego Getam currentem huc

frui:

Jam depecisci [illegible] miser, quam hic nunc mihi nun-

10 *Aliis quia d*[illegible] nificentius *alii*[illegible] terti- *mihi. Tibi* [illegible] *plerique omnes* ravit ut ost[illegible] *est* ἀρχαϊσμὸς: *ægre est* [illegible]*hunc, jam calesces* phoner[illegible] *pœnitet*] Pœ- quæ [illegible] *parum* putat. ergo ipsi tiat [illegible] contemnimus. Sic [illegible] *at enim hic dices, me* [illegible] *operis fiat pœnitet.* D.

[illegible] *nosmet pœnitet*] Cicero lib. [illegible] I. ad Famil. *suæ quemque* [illegible] *maxime pœnitet.* Publii Syri [illegible] apud Salvianum huc pertinet: [illegible] *nobis, nostra plus aliis placent. Plura* in eum sensum apud Horatium *lib. I.* Satyr. I. Gell. noct. Attic. lib. XX. cap. 6. L.

Placet ordo, quem cod. C. C. exhibet, *ita plérique omnes súmus ingénio. Cf.* And. I. 1. 28. B.

21 *At tu fortunatus*] Revocat comparationem Antipho, et hæc causa *(ex hac causa.* Z.) ut meliorem feliciorem que dicat Phædriam, quod in potestate habeat omnem consultationem, utrum velit mittere, an vero retinere. E.

22 *Cui de integro est potestas*] Post, deinceps. An *de integro*, id est, integris rebus? *Quid velis: retinere, amare, amittere*] An conjuncte legendum est, *quid velis retinere?* ut duo sint, *amare, amittere*: quia et infra duo reddit, *ut neque mihi sit ejus amittendi, neque retinendi copia. Amittendi* propter amorem: *retinendi*, propter patrem. D.

De integro] I. e. de rebus adhuc integris in Heo. I. 2. 5. *alias ut uti possim causa hac integra*, ubi vid. not. R.D.

23 Pro *amittere* repone *an mittere.* Nam primum post verbum *consulendi, deliberandi*, debet sequi *utrum, an, ne.* Deinde quomodo *amittere* potuit, quam nondum habuit? B.

24 *Amittendi, nec retinendi copia*] Servius Æneid. XI. 699. L.

Placet lectio, quam in codd. tribus reperi, et Guyetus in Puteano, *jus*, pro *ejus.* Nempe non *jus amittendi*, repudiandi, ob leges, quibus coactus eam duxerat: non *copia retinendi*, ob patrem. Nam *jus*, quod fieri licet; *copia*, quod fieri potest. B.

Ejus amittendi] Notandum *amittendi* poni pro *amittendæ.* Nam gerundia in *di* adjunguntur genitivis utriusque generis et numeri. infra V. 6. 40. de muliere *potestatem eius habendi se dare.* Ovid. Epist. XX. 74. *copia placandæ sit modo parva tui.* v. Sanct. Minerv. III. 8. et ibi Perizon. p. 457. Sunt qui h. l. legant *ut neque mihi jussit amittendi*, sed vulgatam scripturam bene defendit Servius ad Æn. XI. 675. R. D.

26 *Hei timeo miser, quam*] Recte jam timet: quia in metu semper est præsaga mali mens. Et *hei* interjectio ingemiscentis est. ut, Æn. XI. 57. *hei mihi, quantum Præsidium, Ausonia, et quantum tu perdis, Iule!* D.

Nostri codd, meliore numero, *quam hic mihi nunc n. r.* B.

Digitized by Google

ACT. I. SCENA IV.

GETA. ANTIPHO. PHÆDRIA.

JS es, Geta; nisi jam aliquod tibi consilium celere reppereris:
nunc imparatum subito tanta te impendent mala:
Quæ neque uti devitem scio, neque quomodo me inde extraham:
Nam non potest celari nostra diutius jam audacia:
(Quæ si non astu providentur, me aut herum pessumdabunt.)
A. Quidnam ille commotus venit?

1 *Nullus es, Geta*] In hac scena servi concurrentis (*currentis* edd. ante Steph.) officium est, tendens ad perturbationem Antiphonis, quem oportet abesse a conspectu patris usque ad cognitionem rerum, et *κατασκοφὴν* fabulæ. *Consilium celere*] *Hoc celere* neutraliter dicitur. D.

Nullus es, Geta] Hæc scena nuncium tenet domini venientis. Unde turbatio efficit (*efficitur*. Z.) Antiphonis, quod patrem suum audiat venire, quod eo absente duxit uxorem. E.

Jam aliquod tibi] In V. C. *tibi* deest. Vid. Priscian. lib. VII. *Consilium celere*] Diomed. lib. 2. Prisc. lib. V. L.

Repone. *núllu's Getá; nisi áliquod jam consílium celere répereris.* Nam plerique nostri habent *répereris* pro Faerni lectione *repperis*; cod. C. C. et Priscianus, *aliquod jam*; *tibi* apud Priscian. deest. B.

2 *Subito tanta te impendent mala*] Accusativo casu *impendent*: aut *ἀναστροφῇ*, pro, *in te pendent mala*. Quum supra *nullus es, Geta*, dixerit: hic transitum fecit ad primam personam. D.

Imparatum subito] Ita tanta mala impendent in te et parantur. E.

Donatus, quantum ex scholio colligi potest, haud dubie pro *te* legit *me*; quod ipsum exhibet cod. acad. Id quod utique est commodius, cum mox sequatur *devitem*, non *devites*. Igitur ob usum loquendi repono, *tanta in me impendent m.* B.

Tanta me impendent mala] Eadem constructione utitur Lucilius apud Festum voce *me*: *ut quæ res me impendet agatur*, qui locus fugit Bentleium scribentem *in me impendent mala*, addita ratione quod *impendere* nusquam alibi reperitur nisi aut dativo junctum aut cum præpositione accusativo. v. Perizon. ad S. Min. III. 5. p. 416. R. D.

3 *Quæ neque uti devitem, scio*] Ruina aut vitanda est, aut extrahenda sunt ex ea corpora quæ oppresserit. *Devitem*] Ante quam irruant. *Inde extraham*] Quum irruerint. D.

Uti devitem] Duo posuit. omnia enim mala devitemus, consilio, ita ut nos non contingant; aut quod secundum est, si forte celeri adventu in nos irrepserint, in hoc prospicere, quo modo inde nos liberare possimus. E.

Extraham] I. e. expediam, liberem. in Hec. V. 4. 36. R. D.

4 *Nam non potest celari nostra diutius jam audacia*] Bene *nostra*: quia ipse partem maximam culpæ sustinet, ut magister. *Celari*] Nigidius, *celari*, quærit, utrum plenum sit, an pressum? D.

5 Versus est insititius ex And. I. 3. 4. qui ab hoc loco est alienus. Recte igitur abest ab cod. veterrimo nostro. B.

6 *Quidnam ille commotus venit?*] Modo *commotus*, perturbatus atque con-

Digitized by Google

G. Tum, temporis mihi punctum ad hanc rem est: herus adest. A. Quid istuc mali'st?
G. Quod quum audierit, quod ejus remedium inveniam iracundiæ?
Loquarne? incendam: taceam? instigem: purgem me? laterem lavem.
Eheu me miserum! quum mihi paveo, tum Antipho me excruciat animi:
Ejus me miseret: ei nunc timeo: is nunc me retinet: nam absque eo esset,

territus. *Quidnam ille commotus.* Hic ostendit poeta, idcirco confusum Getam induci, ut de ejus metu Antipho terreatur. D.

7 *Tum, temporis punctum mihi*] *Punctum*, pro momentum. ut Lucilius in decimo-quarto, *puncto uno, hora* * *et qui quoque invasit. Punctum*] Angustissimum spatium. *Ad hanc rem*] Ad deliberandum quod agu. *Herus adest*] Vultu tristi ac supercilliis arduis (*adductis*) hoc dicendum est. *Quid istud mali est*] Mire πρὸς τὸ, *herus adest, quid istuc mali est*, posuit, ex persona Antiphonis: cui pro calamitate est patris adventus. D.

8 *Quod quum audierit*] Scilicet quod uxorem duxit Antipho. *Quod quum audierit*] Bene non addidit quid: secum enim loquitur. *Quod ejus remedium inveniam iracundiæ?*] Plus est, quam si diceret *nullum. Quod ejus remedium inveniam iracundiæ?*] Proprie *remedium*, quasi iracundia morbus sit. D.

9 *Loquarne: incendam*] Quia iracundia ignis est. *Taceam, instigem*] *Instigari* proprie fera dicitur. *Loquarne? incendam. taceam? instigem*] Σχῆμα διανοήσεως. Duo sunt quæ fieri in placando solent: aut loqui, aut tacere. Sed quid vult sibi *purgem me*, quum idem sit *loquar*? an quia potest purgatio et per defensorem, patronumve induci? sic quidam putant. Sed melius est hoc, ut perturbatæ et servilis imperitæque personæ verba sine arte esse, et vim significati non habere. *Purgem me? laterem lavem*] Παροιμία, πλίνθον πλύνεις. D.

Purgem me? laterem lavem] Omnia adversa sunt, inquit. si loquar, magis incendam: si conticescam, vehementer instigem et compellam ad iracundiam: si me purgavero, nihil est. Hoc est enim laterem lavare. Si me purgavero, culpa crescet. *Laterem lavem*] Qui non purior fit lavando, dum semper auget se sterous fricando. Tam enim non puriorem laterem lavando reddimus, quam ipsum laterem perdimus. E.

Laterem lavem] Græcorum proverbium est πλίνθους πλύνω. Zenob. lib. VI. num. 84. Diogen. Centur. VI. n. 50. Suid. Cent. XI. n. 86. L.

Elegantius *loquar* sine *ne*, ob sequentia. B.

Laterem lavem] I. e. operam perdam, de quo proverbio v. Erasm. R. D.

10 *Quum mihi paveo*] *Quum, præterquam quod* significat modo. *Tum Antipho me excruciat animi*] Τῷ ἰδιοτισμῷ, pro eo quod est, propter Antiphonem me excrucio. *Me excruciat animi*] Sic in Hecyra, *fecit, animi* ut *incertus foret*. Genitivo enim casu veteres figurabant hanc locutionem. D.

11 *Ejus me miseret: ei nunc timeo*] *Miseret* præteritorum, *timeo* de futuris. *Ejus me miseret: ei nunc timeo: is nunc me retinet*] Figura πολύπτωτον, *ejus, ei, is. Is nunc me retinet*] Si *retinet*, quomodo *excruciat? Nam absque eo esset*] Si ad eum res non pertineret: id est, si meum tantummodo peccatum esset hoc ipsum. D.

Digitized by Google

Recte ego mihi vidissem; et senis essem ultus iracundiam:
Aliquid convasassem, atque hinc me conjicerem protinus in pedes.
A. Quam hic fugam, aut furtum parat?
G. Sed ubi Antiphonem repperiam? aut qua quærere insistam via? 15

12 *Recte ego mihi vidissem, et senis essem ultus iracundiam*] Facete servus occasionem melioris conditionis esse existimat fugæ causam, tanquam sibi per eam et libertatis genus præstare posset, et prædam. *Recte ego mihi vidissem*] Ut dicimus, *vide tibi, et videte vobis.* Et recte *vidissem, ἀντὶ τοῦ providissem. Et senis essem ultus iracundiam*] *Senis* maluit, quam *domini*, dicere: ut in ipso nomine et hortamentum impune fugiendi appareat. et simul quia non *iram*, sed *iracundiam* dicturus erat. Nam *ira* causa, *iracundia* de moribus. *Et senis ultus essem iracundiam*] Non dixit *ejusissem*, sed *ultus essem*. faciunt enim servi fugiendo, ut dominos pœniteat iratos fuisse. *Ultus essem*] Sic Virg. Æn. IV. 646. *ulta virum; pœnas inimico a fratre recepi.* D.

Ultus essem iracundiam] Ultus hoc more, dum aliquid sustallissem, quod dixit: *aliquid convasassem, et me protinus conjicerem in pedes*, hoc est, fugissem. Discessio enim quodammodo ultio est, in * gmalionem, * *in ulta de loco fugit, cum dicit vita virum (ultio est. Sic apud Virgilium Dido Pigmalionem ulta, de loco fugit; cum dicit,* ULTA VIRUM. Z.) E.

Senis essem ultus] Glossæ Philoxeni: ἐδίκησε, τιμωρὸς ultor, ultus. *Terent. Phormio*: *et senis essem ultus iracundiam.* L.

Recte mihi vidissem] H. e. bene mihi providissem. In omni recte dicitur de rebus ita comparatis, ut debent, ut optimus. in Heaut. I. 1. 107. II. 1. 16. Plaut. in Mostell. III. 3. 23. *cavi recte* Liv. XXXIV. 35. *si qua ante educta forent, dominis recte restituerentur* ubi v. Drak. R. D.

13 *Aliquid convasassem*] Figuratum est a colligendis vasis. *Hinc me conjicerem*] (Πρὸς τὸ addunt edd. vett. recte) recte ego mihi vidissem. *Protinus in pedes*] *Protinam* fuit: et sic Nigidius legit. D.

Protinus in pedes] Charis. lib. 2. I. Pro *convasassem*, quod non nisi duo e nostris habent, plerique exhibent *convasissem*; tres vero recte *convasissem*, nempe aliquid pecuniolæ a debitoribus, ab amicis. Certe non vasa erant colligenda, sed aliquid, quo expeditior fugeret. cætera lege numeris molioribus *hinc me protinam conjicerem i. p.* Nam *protinam* et Plauti usu probatur, et versus ratione. Ordo *Protinus conjicerem* extat in duobus nostris. B.

Convasassem] *Convasare* est vasa sive cujusvis generis supellectilem colligere, et in sarcinam conjicere. Translatio est a re militari, ubi conclamari vasa dicebantur, cum signum dabatur vasorum colligendorum, ad castra movenda. v. Gronov. in lection. Plaut. p. 265. Musti quidam legunt *convasisset* quod Beutl. in *convasisset* ut in Ad. II. 2. 34. Sed non opus est emendatione. R. D.

Protinus] Bene Bentleius revocat *protinam* quod veteres grammatici in hoc loco legerunt. Illa forma Plauto usitata ut in Bacchid. III. I. 7. *me continuo contuli protinam in pedes.* R. D.

14 *Quam hic fugam*] (Πρὸς τὸ addunt edd. vett.) *conjicerem in pedes. Aut furtum parat*] (Πρὸς τὸ) *aliquid convasassem. Quam hic fugam, aut furtum parat?*] Secunda ἀνάδοσις (*notanda μετάδοσις*?) prius enim *furtum*, quam *fuga* occurrere debuit. D.

Ob versum leg. *quamnam hic*, &c. B.

15 *Sed ubi Antiphonem reppériam?*]

P. Te nominat. A. Nescio quod magnum hoc nuncio exspecto malum.
P. Ah! sanusne es? G. domum ire pergam: ibi plurimum'st. P. revocemus
Hominem. A. Sta ilico. G. Hem,
Satis pro imperio, quisquis es. A. Geta. G. Ipse est, quem volui obviam.
A. Cedo quid portas, obsecro? atque id, si potes, verbo expedi.
G. Faciam. A. Eloquere. G. Modo apud portum. A. Meumne? G. Intellexti. A. Occidi! G. Hem!

Sed, pro ergo: ut sit, ergo ubi Antiphonem reperiam? an *sed*, finis superioris sententiæ est? ut Sallustius, *sed Metellus in ulteriore provincia. Reperiam?*] Si alicubi cesset. *Aut qua quærere insistam via?*] Si alicubi ambulet: omnis enim qui quæritur, aut cessat, aut ambulat. D.

Etsi Bemb. et noster cod. 900 annorum habet *viam*: tamen vulgare *via* placet. B.

16 *Te nominat*] Ad hoc diu auditur Geta, et ipse non videt adolescentes, ut plus illis terroris incutiat, dum secum loquitur. *Nescio quod magnum hoc nuncio exspecto malum*] Diserte locutus est, *nescio quod magnum hoc nuncio exspecto malum*: pro eo quod est, *nescio quod magnum malum hunc mihi nunciaturum arbitror*. D.

Exspecto] *Exspectamus* cum ea quæ speramus, tum quæ metuimus futura. Virg. Æn. VI. 14. *inclusi pœnam exspectant* Plin. in Panegyr. c. 35. *exspectent paria præmio damna*. R. D.

17 *Domum ire pergam*] Hoc nos ἐλλειπτικῶς dicimus, *domum pergam, Ibi plurimum est*] Ostendit ab initio se domum pergere, et sic videtur deliberasse. *Ibi plurimum est*] Scilicet propter amorem uxoris suæ. *Plurimum*] Τὸ πλεῖστον. D.

Ibi plurimum est] Charis. lib. 2. L.

Alii aliter hos versus distribuunt. Illud *ah*, quod ab plerisque abest, si retines, appone versui præcedenti. Reliqua unum faciunt versum trochaicum pentametrum, *sánun es? domum íre pergam: ibi plúrimumst. revocémus nominem. stá ilico. hem.* Hephæstion p. 19. καὶ τῷ πενταμέτρῳ δὲ τροχαϊκῷ, καίπερ ὄντι ὑπερμέτρῳ, πολλοὺς κεχρῆσθαι συμβέβηκεν, οἷόν ἐστι καὶ τὸ Καλλιμάχου: Ἔρχεται πολὺς μὲν αἴγαιον διατμήξας ἀπ' οἰνηρῆς Χίου. B.

18 *Revocemus hominem*] Comice et moraliter addidit *hominem*. *Sta illico*] Ille, *revocemus hominem*, dixit: hic, non progredi jussit. D.

19 *Satis pro imperio quisquis es*] Hic ostendit, culpæ conscientia nullam auctoritatem reliquam in magistro Geta. *Satis pro imperio*] Id est, imperiose. D.

Pro imperio] Scilicet agis vel loqueris. Pro imperio agere dicitur, qui fidenter agit, sine timore, ut solent homines imperio freti Liv. I. 51. *pro imperio palam interfici non poterat*. III. 49. *jam pro imperio Valerius discedere a privato lictores jubebat*. R. D.

20 *Credo, quid portas obsecro? atque id si potes, verbo expedi*] Mire expressit affectum de timore properantis. *Cedo quid portas obsecro!*] Ut Æn. II. 161. *si vera feram, si magna rependam*. Nam *ferre* et *portare*, de negotiis majoribus dicitur. *Verbo expedi*] Deest, *uno*. D.

Verbo expedi] Ms. R. *verbo expedi uno*. L.

21 *Eloquere*] Aliter ostendit quid est, *verbo expedi*, dicendo *eloquere*. *Modo*

Digitized by Google

A. Quid agam? P. Quid ais? G. Hujus patrem vidisse me, patruum tuum.
A. Nam quod ego huic nunc subito exitio remedium inveniam miser!
Quod si eo meæ fortunæ redeunt, Phanium, abs te ut distrahar,
Nulla'st mihi vita expetenda. G. Ergo istæc quum ita sint, Antipho,
Tanto magis te advigilare æquom'st: fortis fortuna adjuvat.
A. Non sum apud me. G. Atqui opus est nunc quum maxime, ut sis, Antipho:

apud portum] *Patrem vidi*, dicturus Geta, præventus est ab eo, quem timor intelligentem fecerat. *Hem!*] Propria, et sua cuique personæ exhibuit: celeritatem ex præsagio metuenti Antiphoni: et tarditatem intellectus quieti pectoris secure Phædriæ. D.

Illud *hem* non Getæ tribuendum, sed Phædriæ. vid. Donat. B.

22 *Quid agam?*] Jam flet Antipho, et adhuc non intelliget Phædriæ. *Hujus patrem vidisse me, patruum tuum*] Mire poeta Antiphoni minus quam oportet, et Phædriæ plus quam oportet, fecit loqui nuncium. Ille enim pene divinat ex metu: hunc tardum securitas facit. *Hujus patrem vidisse me, patruum tuum*] Reddit utrique proprium: ut et ille qui timebat, paucis intelligeret: et ille qui securus erat, pluribus edoceretur. D.

Quid ais? hujus patrem] Expressum bene est, quod ille qui metuebat, facile etiam intelligit, quod sermonibus non fuerat explicatum: contra is, qui alienus a metu erat, interrogat quid illud sit. Ergo parum intelligenti congeminat sensum, *hujus patrem* cum dicit *vidisse me, patruum tuum*. E.

23 *Nam quod ego huic nunc subito*] *Nam* aut subjunctiva conjunctio est superiori dicto, quod ait, *quid agam?* aut ἀναστροφὴ est *nam quod*, pro *quodnam*. *Huic subito exitio remedium*] *Subito*, et adverbium, et nomen est. *Quum subito assurgens fluctu nimbosus Orion*. Æn. I. 539. *Inveniam miser!*] Quum *ego* supra dixerit, ἐμφατικῶς addidit. *miser*. D.

24 *Quod si eo meæ fortunæ redeunt*] Tragice amator hoc negotium *fortunas* omnes dixit esse. *Fortunæ redeunt*] Bene *redeunt*: quasi in pejus, et a processu retro, et in deterius. *Phanium, abs te ut distrahar*] Amatoria περιφώνησις per ἀποστροφήν. *Abs te ut distrahar*] Non dixit, *a me distraharis*. Et vide verbum vim cohærentis ostendere. D.

Si eo meæ fortunæ redeunt] H. e. si in eas angustias coguntur, rediguntur res meæ. R. D.

25 *Nulla est mihi vita expetenda*] *Nulla*, pro *non*: aut nullius conditionis. quasi dicat, ne deorum quidem vita mihi dulcis est sine te. *Nulla est mihi vita expetenda*] Sine Phanio. D.

26 *Tanto magis te advigilare*] *Ad*, vim auctivam nunc habet: ut *adlaudabile, admirabile. Fortis fortuna adjuvat*] Παροιμία. Et *fortis* accusativus pluralis est. D.

Advigilare æquum] Exhortatur ut forti animo sit, et, quo magis periculum majus est, quod imminet, hoc debet .... vigilare (*hoc debeat magis advigilare*. Z.) Simul ei spem meliorem promisit dicendo: *fortis fortuna adjuvat*. E.

Fortis fortuna] Sophocl. οὐ τοῖς ἀδύμοις ἡ τυχὴ συλλαμβάνει L.

27 *Non sum apud me*] Id agitur, ut

Digitized by Google

Nam si senserit te timidum pater esse, arbitrabitur
Commeruisse culpam. P. Hoc verum'st. A. Non possum immutarier.
G. Quid faceres, si aliud gravius tibi nunc faciundum foret? 30
A. Quum hoc non possum, illud minus possem. G. Hoc nihil est, Phædria: ilicet.
Quid conterimus operam frustra? quin abeo? P. Et quidem ego. A. Obsecro:

supra diximus, quemadmodum Antipho præsens non sit: quem neque convenit contra patrem aliquid dicere, neque rursum præsentem opprimi a patre ex argumento est. *Atqui opus est nunc quum maxime, ut sis, Antipho*] *Apud te*, subauditur. D.

28 *Nam si senserit te timidum pater esse, arbitrabitur commeruisse culpam*] Sic Sallustius in Historia, *ita fiducia, quam argumentis purgationes dimittuntur. Nam si te senserit timidum*] *Timidum*, pro timentem. Ut, *addit se sociam, timidisque supervenit Ægle*, Virgil. Ecl. VI. 20. *Commeruisse culpam*] Pro *commisisse*. D.

Nam si te timidum] Adjecit ad consolationem animi et ad (*etiam*. Z.) causam; si enim pater tuus te timidum esse cognoverit, continuo culpam in te esse cognoscet. E.

29 *Hoc verum est*] Congrue fit, ut et Geta et Phædria audaciores sint, qui et absque amore sunt: et hos oportet objici, pro Antiphone, irato seni. *Non possum immutarier*] Vim negantis hoc habet, quod ait *immutarier*: ostendit enim, naturæ suæ timiditatem nullis adhortationibus ejici posse. D.

Commeruisse culpam] I. e. contraxisse culpam, ideoque castigationem sive pœnam commeruisse. Plaut. in Captiv. II. 3. 43. *neque te commeruisse culpam neque me adversatum tibi*; est igitur antecedens pro consequenti. R. D.

30 *Quid faceres, si aliud gravius tibi nunc faciundum foret*] Bene *gravius*: quia hoc *grave*. ut videas ipsam abhortationem vim habere concedentis, *grave* esse quod geritur. D.

Etsi Faernus illud *quid* post *aliud* ob fidem suorum codd. delet; ego tamen ob librorum meorum auctoritatem et accentus rationem retinendum esse existimo. B.

31 *Quum hoc non possum, illud minus possem*] Hoc intulit παρὰ προσδοκίαν. Nam videbatur hac interrogatione adduci posse ad sententiam percontantis. Et hæc ars est dialectica contra ἐπιχειρήν, quum male respondendo callide interrogantis interrumpimus argumentum. *Hoc nihil est, Phædria: ilicet*] Utrum *hoc* relativum? an *hoc* cum contemtu, pro *hic Antipho nihil est*. Sic Cicero in Verrinis, *etsi hoc nescio, quid nugatorem sciebam?* pro *hunc*. *Ilicet*] Semper *ilicet* finem rei significat, ut *actum est*. *Ilicet*] Per συγχωρήν. Sic judices de consilio dimittebantur, suprema dicta, (cf. Calpurn. ad Heaut. V. 2. 21.) quum præco pronunciasset *ilicet*: quod significat *ire licet*. D.

Cum hoc non possum] Scilicet facere, ut apud me sim. R. D.

32 *Quin abeo?*] Hic terrore commovet Antiphonem. et *quin* dicit, pro *cur non*. *Et quidem ego*] Ordo. et ego quidem. et deest *abeo*. D.

Quid hic conterimus] Cum parum crederet se perficere, uti animum confirmaret Antiphonis, minitatur discessum. E.

Nostri omnes libri cum Bemb. et Victor. recte habent, *quid hic conterimus*, &c. Sed *abeo pro abeam* tantum meliores libri habent. B.

Digitized by Google

Quid si assimulo, satin' est? G. Garris. A. Voltum contemplamini : hem.
Satin' sic est? G. Non. A. Quid si sic? G. Propemodum. A. Quid si sic? G. Sat est :
Hem, istuc serva: et verbum verbo, par pari ut respondeas,
Ne te iratus suis sævidicis dictis protelet. A. Scio.
G. Vi coactum te esse invitum, lege, judicio : tenes?
Sed quis hic est senex, quem video in ultima platea? A. Ipsus est :

33 *Quid si assimulo*] Audacem scilicet. *Obsecro, quid si assimulo, satin' est*] Adeo morale vitium est, ex conscientia pavor, ut ipse quoque Antipho mitatur contra, neque quioquam promoveat. *Satin' est?*] Hio locus actoris magis, quam lectoris est. ostenditur enim conari ad simulandam audaciam, quo magis ridicula est formidolosa persona. D.

Nostri perperam *assimulabo*. B.

34 *Propemodum*] Et hoc non plene consensionis est, quod ait *propemodum*. *Sat est*] Non dixit, *bene est*, sed *sat est*. et vide vix ad hoc ipsum esse perventum. D.

Ut *sic* ubique aequatur, lege, *satin est sic?* B.

35 *Hem! istuc serva*] Dicendo *serva*, ostendit jam incipere deperire, quod finxit atque assimulavit audaciæ. *Hem! istuc serva : et* verbum *verbo, par pari ut respondeas*] Animadverte, et quid doceat, et commachinetur artifex poeta, qui debitum reddat rebus atque personis. *Verbum verbo, par pari*] Duo dixit: non tantum *verbum verbo*, sed *par pari*. D.

Serva] H. e. retine hunc vultum. R. D.

36 *Ne te iratus suis sævidicis dictis protelet*] Causalem vim habet quod ait hoc, *iratus*: hoc est, qui ob præsentem iram vehementius tecum agat. *Protelet* et *protelum* a πρὸ et ἐλαύνω dictum est, quod est *ante* et *trahere*. Alii ab assiduo telorum jactu existimant dici. ut Lucretius, II. 531. *undique protelo plagarum continuato*, hoc est, tenore. *Protelet*] Protrahat, præveniat, exagitet. *Scio*] Apparet hoc verbum eo vultu dici, ut manifestum sit, absenti animo esse eum, qui loquitur. D.

Protelet] Tela in te frequenter verborum mittens vulneret. E.

Sævidicis dictis] Ita ex Mss. editum. al. *sævis dictis*. Vid. Non. Marcell. L.

Sævis dictis] Ex Donato et Mss. legendum est *sævidictis*. R. D.

Protelet] *Protelare* est propellere, perturbare. Sisenna apud Non. Marcell. p. 363. *Romanos impetu suo protelant* v. Duker. de latinit. ICtorum 333. R. D.

37 *Vi coactum te esse invitum*] Mira brevitas, in qua tota defensio continetur. et subauditur *fac respondeas*, aut quid tale. *Invitum*] Bene idem repetit ad confirmandam memoriam trepidantis. non enim diversa sunt, sed repetantur, ut teneri possit id, quod causæ opus est. Nam *vi coactum esse*, idem significat quod *invitum*. An ideo *vi coactum*, *invitum* jungendum est, quia interdum etiam ipsi nos cogimus propria voluntate? ut ipse in Andria, *tu coactus tua voluntate es. Tenes?*] Exquisite addidit *tenes*: ut appareat Antiphonem vultu ostendere, quod horum nihil perturbatus advertat. D.

38 *Sed quis hic est senex*] *Sed*, ut diximus, (supra 1. 2. 7.) transitum significat ad aliam rem, ab ea quæ agebatur. *Quem video in ultima platea*] Sic dixit *ultima platea*, quemadmodum Virg. Æn. II. 449. *imas obsedere fores*. *Ipsus est*]

Digitized by Google

P. Aliis quia defit quod amant, ægre'st: tibi, quia superest, dolet.

Amore abundas, Antipho.

Nam tua quidem hercle certo vita hæc expetenda optandaque est.

Ita me di bene ament, ut mihi liceat tam diu, quod amo, frui:

Jam depecisci morte cupio: tu conjicito cætera,

10 *Aliis quia defit, quod amant*] Magnificentius *aliis* dixit, quam si diceret *mihi*. *Tibi quia superest, dolet*] Laboravit ut ostenderet plus esse *dolet*, quam *ægre est*. Et ideo insanum ait Antiphonem: qui in ea fortuna positus, quæ adversa et contraria est, idem patiatur quod miser. Et est figura ὑπερβάτου. Nam ad utrumque *ægre est* sufficere potuit. Scire autem debemus, et pronunciative, et per interrogationem hoc ipsum pronunciari posse. *Tibi quia superest*] Id est, eo quod desideras, abundas. Ordo est, tibi dolet, quia superest. D.

11 *Amore abundas, Antipho*] Sic hoc pronunciandum, quemadmodum solet cum stomacho dici vituperanti cibum *non esuris*, aut *pleno ventre es*. vult enim ostendere satietatis hoc esse, non ratiocinationis, quod nunc queritur Antipho. *Amore abundas Antipho*] *Abundare* dicitur, qui successu prospero affluit. Lucilius libro tertio, *ille alter abundans cum septem in locum Hispanus r a r p* * (Douza legit sic, *cum septem incolumis pinnis redit, ac recipit se*). *Amore abundas, Antipho*] Hoc cum pronunciatione infert. D.

Amore abundas] Hoc est, tibi quod desideras abundat et præsto est, neque eges. E.

12 *Nam tua quidem hercle certo vita hæc expetenda*] Bene *certo*: quia supra omnia cum εἰρωνείᾳ dixit. *Vita hæc expetenda*] *Vita* dixit, ut ostenderet, etiamsi non felicitas, sed vita dicatur, optandam esse. *Vita* autem et mores significat, et animam, et alimentum, et spatium vivendi, et fortunam accidentem viventibus: ut modo. *Expetenda optandaque*] Proprie dixit *expetenda, optandaque*. omnia enim quæ amamus, aut industria, aut voto proveniunt: hoc est, aut in nobis sunt, aut in fortuna posita. D.

Pro *certe* placet meliorum codd. *certo*. B.

13 *Ita me di bene ament, ut mihi liceat*] Necessario jurat: quia quod dicturus est, solis amatoribus videtur esse credendum. *Ita me di bene ament, ut mihi liceat tam diu quod amo, frui*] Opportunus locus, in quo ostendatur quam magno amore sit possessus Phædria, cui par impenditur argumentum. *Tam diu quod amo frui*] Quamdiu uxore fruitur Antipho. An *tam diu*, διατριβῆς? *Tam diu*] Tantisper, hoc est, vel tantillo tempore. *Quod amo, frui*] Deest *eo*: *ut sit, eo quod amo, frui*. D.

Ita me di] Ut feliciorem multo Phædriam Antipho posset ostendere, qua solum . . . . . mala esse vita numerat verum etiam juravit (*ut feliciorem se multo Phædria Antiphonem posset ostendere, non solum inter mala suam vitam numerat, verum etiam jurat*. Z.) per id ipsum quod Antipho habet, quod tam diu fruatur amore suo. E.

Frui] *Frui* proprie in re amorum dicuntur, qui potiuntur eo, quod amant. Florus IV. 11. p. 847. R. D.

14 *Jam depecisci morte cupio*] Pactionem transigere. *Tu conjicito cætera*] Aut *cætera* abundat: aut deest *per*: ut sit, *per cætera*. D.

Jam depecisci morte] Hoc est, mori

Digitized by Google

Quid ego ex hâc inopia nunc capiam, et quid tu ex istac copia.
Ut ne addam, quod sine sumtu ingenuam, liberalem nactus es:
Quod habes, ita ut voluisti, uxorem sine mala fama palam:
Beatus; ni unum hoc desit, animus qui modeste istæc ferat.
Et si tibi res sit cum eo lenone, quocum mihi est, tum sentias.
Ita plerique ingenio sumus omnes, nostri nosmet pœnitet.

volo vel pacisci mortem. Deinde ipsa incommoda commodis vitæ Antiphonis enumerat: siquidem ille habet sine sumtu ingenuam: quod habeat quam desideravit uxorem: quod sine mala opinione: quod publice. Contra quod hic cum lenone rem agitet. E.

Pro *cætera* repone *cæterum*; quia non plura erant, quæ conjiceret. Illud *cæterum* hoc sensu sæpenumero occurrit apud Plautum. B.

Depecisci] *Depacisci* vel *depecisci morte* est talem pactionem inire, ut ne mortem quidem recuses, dummodo rem gratam habere liceat. Cic. ad Attic. IX. 7. *cur non honestissimo periculo depecisci velim.* Virg. Æn. XII. 49. *letumque sinas pro laude pacisci.* Poterat etiam Terentius dixisse *depecisci vita*, ut Virg. Æn. V. 230. *vitamque volunt pro laude pacisci.* Nam utrumque eodem redit. v. Bentl. ad Horat. Carm. III. 14. 2. R. D.

15 *Quid ego ex hac inopia nunc capiam*] Infortunium scilicet. *Et quid tu ex istac copia*] Fructum ac felicitatem. D.

Repone, *quid ego hâc ex inopia nunc copiam, et quid tu ex istac c.* Ut opposita illa, *hac istac*, ambo acuantur. B.

16 *Ut ne addam*] Παράλειψις figura, in qua velut ex abundanti enumerantur adjecta. *Ut ne addam*] Σχῆμα παράλειψις. *Ut ne*] Quod Græci ἵνα μή. *Ingenuam, liberalem nactus es*] Hoc natalium, illud morum est. *Sine sumtu, ingenuam, liberalem nactus es*] Contra ea quæ patitur, ista posuit omnia. hujus in amore copiam: suam inopiam. hujus desiderium nullo constitisse sumtu: sibi a lenone fuisse emendam puellam. hujus ingenuam: suam servam. hujus liberalem: suam citharistriam. hunc nactum esse: se sectari tantum. hujus uxorem: amicam suam. hujus amorem maritalem esse: suum velut prodigi, velut scortatoris. D.

17 *Quod habes, ita ut voluisti*] *Voluisti* subdistinguendum est, et sic legendum *uxorem*. Erit enim ἐμφατικώτερον. *Ut voluisti, uxorem*] Bona præparatio uxoris futuræ. D.

18 *Ni unum hoc desit, animus qui modeste istæc ferat*] *Modeste*, moderate. Sallustius libro secundo, *modestus ad omnia alia, nisi ad dominationem. Modeste*] Cum modo. D.

Beatus ni unum] Omni parte felix ac beatus, ni tibi tantummodo unum, animus videlicet, desit, qui hæc tolerabiliter sustineat. E.

19 *Et si tibi res sit cum eo lenone*] *Et* modo non connexiva, sed inceptiva conjunctio est. Sallustius libro secundo, *et pœni ferunt adversus a n c m* * *Sentias*] Sic alibi, *sit rogas? sensi.* D.

Pro *et si* Bentl. cum aliis edidit *quodsi*. Sensus est idem. Z.

20 *Ita plerique ingenio sumus omnes,*

Digitized by Google

A. At tu mihi contra nunc videre fortunatus, Phædria,
Cui de integro est potestas etiam consulendi, quid velis;
Retinere, amare, amittere: ego in eum incidi infelix locum.
Ut neque mihi ejus sit amittendi, nec retinendi copia.
Sed quid hoc est? videon ego Getam currentem huc advenire?
Is est ipsus: hei timeo miser, quam hic nunc mihi nunciet rem!

nostri nosmet pœnitet] Παρίλιον tertium. In Andria, *quod plerique omnes faciunt adolescentuli.* et est ἀρχαϊσμὸς: ut, *accede ad ignem hunc, jam calesces plus satis. Nostri nosmet pœnitet*] Pœnitet eum, qui parum putat. ergo ipsi nos, inquit, nostra contemnimus. Sic et in Heaut. *at enim hic dices, me quantum hic operis fiat pœnitet.* D.

Nostri nosmet pœnitet] Cicero lib. VI. Epist. I. ad Famil. *suæ quemque fortunæ maxime pœnitet.* Publii Syri versus apud Salvianum huc pertinet: *aliena nobis, nostra plus aliis placent.* Plura in eum sensum apud Horatium lib. I. Satyr. I. Gell. noct. Attic. lib. XX. cap. 6. L.

Placet ordo, quem cod. C. C. exhibet, *ita plérique omnes súmus ingénio.* Cf. And. I. 1. 28. B.

21 *At tu fortunatus*] Revocat comparationem Antipho, et hæc causa *(ex hac causa.* Z.) ut meliorem felicioremque dicat Phædriam, quod in potestate habeat omnem consultationem, utrum velit mittere, an vero retinere. E.

22 *Cui de integro est potestas*] Post, deinceps. An *de integro*, id est, integris rebus? *Quid velis: retinere, amare, amittere*] An conjuncte legendum est, *quid velis retinere?* ut duo sint, *amare, amittere:* quia et infra duo reddit, *ut neque mihi sit ejus amittendi, neque retinendi copia. Amittendi* propter amorem: *retinendi*, propter patrem. D.

De integro] I. e. de rebus adhuc integris in Hec. I. 2. 5. *alias ut uti possim causa hac integra*, ubi vid. not. R. D.

23 Pro *amittere* repone *an mittere.* Nam primum post verbum *consulendi, deliberandi*, debet sequi *utrum, an, ne.* Deinde quomodo *amittere* potuit, quam nondum habuit? B.

24 *Amittendi, nec retinendi copia*] Servius Æneid. XI. 699. L.

Placet lectio, quam in codd. tribus reperi, et Guyetus in Puteano, *jus*, pro *ejus.* Nempe non *jus amittendi*, repudiandi, ob leges, quibus coactus eam duxerat: non *copia retinendi*, ob patrem. Nam *jus*, quod fieri licet; *copia*, quod fieri potest. B.

Ejus amittendi] Notandum *amittendi* poni pro *amittendæ.* Nam gerundia in *di* adjunguntur genitivis utriusque generis et numeri. infra V. 6. 40. de muliere *potestatem eius habendi se dare.* Ovid. Epist. XX. 74. *copia placandæ sit modo parva tui.* v. Sanct. Minerv. III. 8. et ibi Perizon. p. 457. Sunt qui h. l. legant *ut neque mihi jussit amittendi*, sed vulgatam scripturam bene defendit Servius ad Æn. XI. 675. R. D.

26 *Hei timeo miser, quam*] Recte jam timet: quia in meta semper est præsaga mali mens. Et *hei* interjectio ingemiscentis est. ut, Æn. XI. 57. *hei mihi, quantum Præsidium, Ausonia, et quantum tu perdis, Iule!* D.

Nostri codd, meliore numero, *quam hic mihi nunc n. r.* B.

Digitized by Google

ACT. I. SCENA IV.

GETA. ANTIPHO. PHÆDRIA.

NULLUS es, Geta; nisi jam aliquod tibi consilium celere reppereris:
Ita nunc imparatum subito tanta te impendent mala:
Quæ neque uti devitem scio, neque quomodo me inde extraham:
Nam non potest celari nostra diutius jam audacia:
(Quæ si non astu providentur, me aut herum pessumdabunt.) 5
A. Quidnam ille commotus venit?

1 *Nullus es, Geta*] In hac scena servi concurrentis (*currentis* edd. ante Steph.) officium est, tendens ad perturbationem Antiphonis, quem oportet abesse a conspectu patris usque ad cognitionem rerum, et κατασκευὴν fabulæ. *Consilium celere*] *Hoc celere* neutraliter dicitur. D.

Nullus es, Geta] Hæc scena nuncium tenet domini venientis. Unde turbatio efficit (*efficitur*. Z.) Antiphonis, quod patrem suum audiat venire, quod eo absente duxit uxorem. R.

Jam aliquod tibi] In V. C. *tibi* deest. Vid. Priscian. lib. VII. *Consilium celere*] Diomed. lib. 2. Prisc. lib. V. L.

Repone. *núllu's Getá; nisi áliquod jam consílium celere répereris.* Nam plerique nostri habent *repereris* pro Faerni lectione *repperis*; cod. C. C. et Priscianus, *aliquod jam*; *tibi* apud Priscian. deest. B.

2 *Subito tanta te impendent mala*] Accusativo casu *impendent*: aut ἀναστροφῇ, pro, *in te pendent mala*. Quum supra *nullus es, Geta*, dixerit: hic transitum fecit ad primam personam. D.

Imparatum subito] Ita tanta mala impendent in te et parantur. E.

Donatus, quantum ex scholio colligi potest, haud dubie pro *te* legit *me*; quod ipsum exhibet cod. acad. Id quod utique est commodius, cum mox sequatur *devitem*, non *devites*. Igitur ob usum loquendi repono, *tanta in me impendent m.* B.

Tanta me impendent mala] Eadem constructione utitur Lucilius apud Festum voce *me*: *ut quæ res me impendet agatur*, qui locus fugit Bentleium scribentem *in me impendent mala*, addita ratione quod *impendere* nusquam alibi reperitur nisi aut dativo junctum aut cum præpositione accusativo. v. Perizon. ad S. Min. III. 5. p. 416. R. D.

3 *Quæ neque uti devitem, scio*] Ruina aut vitanda est, aut extrahenda sunt ex ea corpora quæ oppresserit. *Devitem*] Ante quam irruant. *Inde extraham*] Quum irruerint. D.

Uti devitem] Duo posuit. omnia enim mala devitemus, consilio, ita ut nos non contingant; aut quod secundum est, si forte celeri adventu in nos irrepserint, in hoc prospicere, quo modo inde nos liberare possimus. E.

Extraham] I. e. expediam, liberem. in Hec. V. 4. 36. R. D.

4 *Nam non potest celari nostra diutius jam audacia*] Bene *nostra*: quia ipse partem maximam culpæ sustinet, ut magister. *Celari*] Nigidius, *celari*, quærit, utrum plenum sit, an pressum? D.

5 Versus est insititius ex And. I. 3. 4. qui ab hoc loco est alienus. Recte igitur abest ab cod. veterrimo nostro. B.

6 *Quidnam ille commotus venit?*] Modo *commotus*, perturbatus atque con-

Digitized by Google

G. Tum, temporis mihi punctum ad hanc rem est: herus adest. A. Quid istuc mali'st?
G. Quod quum audierit, quod ejus remedium inveniam iracundiæ?
Loquarne? incendam: taceam? instigem: purgem me? laterem lavem.
Eheu me miserum! quum mihi paveo, tum Antipho me excruciat animi:
Ejus me miseret: ei nunc timeo: is nunc me retinet: nam absque eo esset,

territus. *Quidnam ille commotus.* Hic ostendit poeta, idcirco confusum Getam induci, ut de ejus metu Antipho terreatur. D.

7 *Tum, temporis punctum mihi*] *Punctum*, pro momentum. ut Lucilius in decimo-quarto, *puncto uno, hora* * *et qui quoque invasit. Punctum*] Angustissimum spatium. *Ad hanc rem*] Ad deliberandum quod ago. *Herus adest*] Vultu tristi ac supercilliis arduis (*adductis*) hoc dicendum est. *Quid istud mali est*] Mire πρὸς τὸ, *herus adest, quid istuc mali est*, posuit, ex persona Antiphonis: cui pro calamitate est patris adventus. D.

8 *Quod quum audierit*] Scilicet quod uxorem duxit Antipho. *Quod quum audierit*] Bene non addidit quid: secum enim loquitur. *Quod ejus remedium inveniam iracundiæ?*] Plus est, quam si diceret *nullum. Quod ejus remedium invenium iracundiæ?*] Proprie *remedium*, quasi iracundia morbus sit. D.

9 *Loquarne: incendam*] Quia iracundia ignis est. *Taceam, instigem*] *Instigari* proprie fera dicitur. *Loquarne? incendam. taceam? instigem*] Σχῆμα διαπόρησις. Duo sunt quæ fieri in placando solent: aut loqui, aut tacere. Sed quid vult sibi *purgem me*, quum idem sit *loquar*? an quia potest purgatio et per defensorem, patronumve induci? sic quidam putant. Sed melius est hoc, ut perturbatæ et servilis imperitæque personæ verba sine arte esse, et vim significati non habere. *Purgem me? laterem lavem*] Παροιμία, πλίνθον πλύνις. D.

Purgem me? laterem lavem] Omnia adversa sunt, inquit. si loquar, magis incendam: si conticescam, vehementer instigem et compellam ad iracundiam: si me purgavero, nihil est. Hoc est enim laterem lavare. Si me purgavero, culpa orescet. *Laterem lavem*] Qui non purior fit lavando, dum semper auget se sterous fricando. Tam enim non puriorem laterem lavando reddimus, quam ipsum laterem perdimus. E.

Laterem lavem] Græcorum proverbium est πλίνθους πλύνειν. Zenob. libr. VI. num. 84. Diogen. Centur. VI. n. 50. Suid. Cent. XI. n. 86. L.

Elegantius *loquar* sine *ne*, ob sequentia. B.

Laterem lavem] I. e. operam perdam, de quo proverbio v. Erasm. R. D.

10 *Quum mihi paveo*] *Quum, præterquam quod* significat modo. *Tum Antipho me excruciat animi*] Τῷ διατιθέναι, pro eo quod est, propter Antiphonem me excrucio. *Me excruciat animi*] Sic in Hecyra, *fecit, animi* ut *incertus foret.* Genitivo enim casu veteres figurabant hanc locutionem. D.

11 *Ejus me miseret: ei nunc timeo*] *Miseret* præteritorum, *timeo* de futuris. *Ejus me miseret: ei nunc timeo: is nunc me retinet*] Figura πολύπτωτον, *ejus, ei, is. Is nunc me retinet*] Si *retinet*, quomodo *excruciat? Nam absque eo esset*] Si ad eum res non pertineret: id est, si meum tantummodo peccatum esset hoc ipsum. D.

Digitized by Google

Recte ego mihi vidissem; et senis essem ultus iracundiam:
Aliquid convasassem, atque hinc me conjicerem protinus in pedes.
A. Quam hic fugam, aut furtum parat?
G. Sed ubi Antiphonem reppériam? aut qua quærere insistam via? 15

12 *Recte ego mihi vidissem, et senis essem ultus iracundiam*] Facete servus occasionem melioris conditionis esse existimat fugæ causam, tanquam sibi per eam et libertatis genus præstare posset, et prædam. *Recte ego mihi vidissem*] Ut dicimus, *vide tibi, et videte vobis*. Et recte *vidissem, ἀντὶ τοῦ providissem. Et senis essem ultus iracundiam*] *Senis* maluit, quam *domini*, dicere: ut in ipso nomine et hortamentum impune fugiendi appareat. et simul quia non *iram*, sed *iracundiam* dicturus erat. Nam *ira* causa, *iracundia* de moribus. *Et senis ultus essem iracundiam*] Non dixit *evasissem*, sed *ultus essem*. faciunt enim servi fugiendo, ut dominos pœniteat iratos fuisse. *Ultus essem*] Sic Virg. Æn. IV. 646. *ulta virum; pœnas inimico a fratre recepi*. D.

Ultus essem iracundiam] Ultus hoc more, dum aliquid sustulissem, quod dixit: *aliquid convasassem, et me protinus conjicerem in pedes*, hoc est, fugissem. Discessio enim quodammodo ultio est, in * gmalionem, * *in ulta de loco fugit; cum dicit vita virum (ultio est. Sic apud Virgilium Dido Pigmalionem ulta, de loco fugit; cum dicit,* ULTA VIRUM. Z.) E.

Senis essem ultus] Glossæ Philoxeni: ἐκδικος, τιμωρὸς ultor, ultus. Terent. Phormio: *et senis essem ultus iracundiam*. L.

Recte mihi vidissem] H. e. bene mihi providissem. In omni *recte* dicitur de rebus ita comparatis, ut debent, ut optamus. in Heaut. I. 1. 107. II. 1. 16. Plaut. in Mostell. III. 3. 23. *cavi recte* Liv. XXXIV. 35. *si qua ante educta forent, dominis recte restituerentur* ubi v. Drak. R. D.

13 *Aliquid convasassem*] Figuratum est a colligendis vasis. *Hinc me conjicerem*] (Πρὸς τὸ addunt edd. vett. recte) recte ego mihi vidissem. *Protinus in pedes*] *Protinam* fuit: et sic Nigidius legit. D.

Protinus in pedes] Charis. lib. 2. L.

Pro *convasassem*, quod non nisi duo e nostris habent, plesique exhibent *concessissem*: tres vero recte *convasissem*, nempe aliquid pecuniolæ a debitoribus, ab amicis. Certe non vasa erant colligenda, sed aliquid, quo expeditior fugeret. cætera lege numeris melioribus *hinc me protinam conjicerem* i. p. Nam *protinam* et Plauti usu probatur, et versus ratione. Ordo *Protinus conjicerem* extat in duobus nostris. B.

Convasassem] *Convasare* est vasa sive cujusvis generis supellectilem colligere, et in sarcinam conjicere. Translatio est a re militari, ubi conclamari vasa dicebantur, cum signum dabatur vasorum colligendorum, ad castra movenda. v. Gronov. in lection. Plaut. p. 265. Musti quidam legunt *convasisset* quod Bentl. in *convasisset* ut in Ad. II. 2. 34. Sed non opus est emendatione. R. D.

Protinus] Bene Bentleius revocat *protinam* quod veteres grammatici in hoc loco legerunt. Ilia forma Plauto usitata ut in Bacchid. III. 1. 7. *me continuo contuli protinam in pedes*. R. D.

14 *Quam hic fugam*] (Πρὸς τὸ addunt edd. vett.) *conjicerem in pedes. Aut furtum parat*] (Πρὸς τὸ) *aliquid convasassem. Quam hic fugam, aut furtum parat?*] Secunda *διπλοῦς* (*notanda μετάθεσις*;) prius enim *furtum*, quam *fuga* occurrere debuit. D.

Ob versum leg. *quamnam hic*, &c. B.

15 *Sed ubi Antiphonem reppériam?*]

Digitized by Google

P. Te nominat. A. Nescio quod magnum hoc nuncio exspecto malum.
P. Ah! sanusne es? G. domum ire pergam: ibi plurimum'st. P. revocemus
Hominem. A. Sta ilico. G. Hem,
Satis pro imperio, quisquis es. A. Geta. G. Ipse est, quem volui obviam.
A. Cedo quid portas, obsecro? atque id, si potes, verbo expedi.
G. Faciam. A. Eloquere. G. Modo apud portum. A. Meumne? G. Intellexti. A. Occidi! G. Hem!

Sed, pro ergo: ut sit, ergo ubi Antiphonem reperiam? an *sed*, finis superioris sententiæ est? ut Sallustius, *sed Metellus in ulteriore provincia. Reperiam?*] Si alicubi cesset. *Aut qua quærere insistam via?*] Si alicubi ambulet: omnis enim qui quæritur, aut cessat, aut ambulat. D.

Etsi Bemb. et noster cod. 900 annorum habet *viam*: tamen vulgare *via* placet. B.

16 *Te nominat*] Ad hoc diu auditur Geta, et ipse non videt adolescentes, ut plus illis terroris incutiat, dum secum loquitur. *Nescio quod magnum hoc nuncio exspecto malum*] Diserte locutus est, *nescio quod magnum hoc nuncio exspecto malum*: pro eo quod est, *nescio quod magnum malum hunc mihi nunciaturum arbitror*. D.

Exspecto] *Exspectamus* cum ea quæ speramus, tum quæ metuimus futura. Virg. Æn. VI. 14. *inclusi pœnam exspectant* Plin. in Panegyr. c. 35. *exspectent paria præmio damna*. R. D.

17 *Domum ire pergam*] Hoc nos ἐλλειπτικῶς dicimus, *domum pergam, Ibi plurimum est*] Ostendit ab initio se domum pergere, et sic videtur deliberasse. *Ibi plurimum est*] Scilicet propter amorem uxoris suæ. *Plurimum*] Τὸ πλεῖστον. D.

Ibi plurimum est] Charis. lib. 2. L.

Alii aliter hos versus distribuunt. Illud *ah*, quod ab plerisque abest, si retines, appone versui præcedenti. Reliqua unum faciunt versum trochaicum pentametrum, *sánun es? domum íre pergam: ibi plúrimumst. revocémus nominem. stá ilico. hem.* Hephæstion p. 19. καὶ τῷ πενταμέτρῳ δὲ τροχαϊκῷ, καίπερ ὄντι ὑπερμέτρῳ, πολλοὺς κεχρῆσθαι συμβέβηκεν, οἷόν ἐστι καὶ τὸ Καλλιμάχου: Ἔρχεται πολὺς μὲν Αἴγαιον διατμήξας ἀπ' οἰνηρῆς Χίου. B.

18 *Revocemus hominem*] Comice et moraliter addidit *hominem*. *Sta illico*] Ille, *revocemus hominem*, dixit: hic, non progredi jussit. D.

19 *Satis pro imperio quisquis es*] Hic ostendit, culpæ conscientia nullam auctoritatem reliquam in magistro Geta. *Satis pro imperio*] Id est, imperiose. D.

Pro imperio] Scilicet agis vel loqueris. Pro imperio agere dicitur, qui fidenter agit, sine timore, ut solent homines imperio freti Liv. I. 51. *pro imperio palam interfici non poterat*. III. 49. *jam pro imperio Valerius discedere a privato lictores jubebat*. R. D.

20 *Credo, quid portas obsecro? atque id si potes, verbo expedi*] Mire expressit affectum de timore properantis. *Cedo quid portas obsecro!*] Ut Æn. II. 161. *si vera feram, si magna rependam*. Nam *ferre* et *portare*, de negotiis majoribus dicitur. *Verbo expedi*] Deest, *uno*. D.

Verbo expedi] Ms. R. *verbo expedi uno*. L.

21 *Eloquere*] Aliter ostendit quid est, *verbo expedi*, dicendo *eloquere*. *Modo*

Digitized by Google

A. Quid agam? P. Quid ais? G. Hujus patrem vidisse me, patruum tuum.
A. Nam quod ego huic nunc subito exitio remedium inveniam miser!
Quod si eo meæ fortunæ redeunt, Phanium, abs te ut distrahar,
Nulla'st mihi vita expetenda. G. Ergo istæc quum ita sint, Antipho,
Tanto magis te advigilare æquom'st: fortis fortuna adjuvat.
A. Non sum apud me. G. Atqui opus est nunc quum maxime, ut sis, Antipho:

apud portum] *Patrem vidi*, dicturus Geta, præventus est ab eo, quem timor intelligentem fecerat. *Hem!*] Propria, et sua cuique personæ exhibuit: celeritatem ex præsagio metuenti Antiphoni: et tarditatem intellectus quieti pectoris secure Phædriæ. D.

Illud *hem* non Getæ tribuendum, sed Phædriæ. vid. Donat. B.

22 *Quid agam?*] Jam flet Antipho, et adhuc non intelliget Phædriæ. *Hujus patrem vidisse me, patruum tuum*] Mire poeta Antiphoni minus quam oportet, et Phædriæ plus quam oportet, fecit loqui nuncium. Ille enim pene divinat ex metu: hunc tardum securitas facit. *Hujus patrem vidisse me, patruum tuum*] Reddit utrique proprium: ut et ille qui timebat, paucis intelligeret: et ille qui securus erat, pluribus edoceretur. D.

Quid ais? hujus patrem] Expressum bene est, quod ille qui metuebat, facile etiam intelligit, quod sermonibus non fuerat explicatum: contra is, qui alienus a metu erat, interrogat quid illud sit. Ergo parum intelligenti congeminat sensum, *hujus patrem* cum dicit *vidisse me, patruum tuum*. E.

23 *Nam quod ego huic nunc subito*] *Nam* aut subjunctiva est superiori dicto, quod ait, *quid agam?* aut ἀναστροφὴ est *nam quod*, pro *quodnam*. *Huic subito exitio remedium*] *Subito*, et adverbium, et nomen est. *Quum subito assurgens fluctu nimbosus Orion*. Æn. I. 539. *Inveniam miser!*] Quum *ego* supra dixerit, ἐμφατικῶς addidit. *miser*. D.

24 *Quod si eo meæ fortunæ redeunt*] Tragice amator hoc negotium *fortunas* omnes dixit esse. *Fortunæ redeunt*] Bene *redeunt*: quasi in pejus, et a processu retro, et in deterius. *Phanium, abs te ut distrahar*] Amatoria ἀφοσφώνησις per ἀποστροφήν. *Abs te ut distrahar*] Non dixit, *a me distraharis*. Et vide verbum vim cohærentis ostendere. D.

Si eo meæ fortunæ redeunt] H. e. si in eas angustias coguntur, rediguntur res meæ. R. D.

25 *Nulla est mihi vita expetenda*] *Nulla*, pro *non*: aut nullius conditionis. quasi dicat, ne deorum quidem vita mihi dulcis est sine te. *Nulla est mihi vita expetenda*] Sine Phanio. D.

26 *Tanto magis te advigilare*] *Ad*, vim auctivam nunc habet: ut *adlaudabile, admirabile*. *Fortis fortuna adjuvat*] Παροιμία. Et *fortis* accusativus pluralis est. D.

Advigilare æquum] Exhortatur ut forti animo sit, et, quo magis periculum majus est, quod imminet, hoc debet .... vigilare (*hoc debeat magis advigilare*. Z.) Simul ei spem meliorem promisit dicendo: *fortis fortuna adjuvat*. E.

Fortis fortuna] Sophocl. οὐ τοῖς ἀθύμοις ἡ τυχὴ συλλαμβάνει L.

27 *Non sum apud me*] Id agitur, ut

Digitized by Google

Nam si senserit te timidum pater esse, arbitrabitur
Commeruisse culpam. P. Hoc verum'st. A. Nam possum immutarier.
G. Quid faceres, si aliud gravius tibi nunc faciundum foret?
A. Quum hoc non possum, illud minus possem. G. Hoc nihil est, Phædria: ilicet.
Quid conterimus operam frustra? quin abeo? P. Et quidem ego. A. Obsecro:

supra diximus, quemadmodum Antipho præsens non sit: quem neque convenit contra patrem aliquid dicere, neque rursum præsentem opprimi a patre ex argumento est. *Atqui opus est nunc quum maxime, ut sis, Antipho*] *Apud te*, subauditur. D.

28 *Nam si senserit te timidum pater esse, arbitrabitur commeruisse culpam*] Sic Sallustius in Historia, *ita fiducia, quam argumentis purgatiores dimittuntur. Nam si te senserit timidum*] *Timidum*, pro timentem. Ut, *addit se sociam, timidisque supervenit Ægle*, Virgil. Ecl. VI. 20. *Commeruisse culpam*] Pro *commisisse*. D.

Nam si te timidum] Adjecit ad consolationem animi et ad *(etiam. Z.)* causam; si enim pater tuus te timidum esse cognoverit, continuo culpam in te esse cognoscet. E.

29 *Hoc verum est*] Congrue fit, ut et Geta et Phædria audaciores sint, qui et absque amore sunt: et hos oportet objici, pro Antiphone, irato seni. *Non possum immutarier*] Vim negantis hoc habet, quod ait *immutarier*: ostendit enim, naturæ suæ timiditatem nullis adhortationibus ejici posse. D.

Commeruisse culpam] I. e. contraxisse culpam, ideoque castigationem sive pœnam commeruisse. Plaut. in Captiv. II. 3. 43. *neque te commeruisse culpam neque me adversatum tibi*; est igitur antecedens pro consequenti. R. D.

30 *Quid faceres, si aliud gravius tibi nunc faciundum foret*] Bene *gravius*: quia hoc *grave*. ut videas ipsam abhortationem vim habere concedentis, *grave* esse quod geritur. D.

Etsi Faernus illud *quid* post *aliud* ob fidem suorum codd. delet; ego tamen ob librorum meorum auctoritatem et accentus rationem retinendum esse existimo. B.

31 *Quum hoc non possum, illud minus possem*] Hoc intulit παρὰ προσδοκίαν. Nam videbatur hac interrogatione adduci posse ad sententiam percontantis. Et hæc ars est dialectica contra ἐναντιολογίαν, quum male respondendo callide interrogantis interrumpimus argumentum. *Hoc nihil est, Phædria: ilicet*] Utrum *hoc* relativum? an *hoc* cum contemtu, pro *hic Antipho nihil est*. Sic Cicero in Verrinis, *etsi hoc nescio, quid nugatorem sciebam?* pro *hunc. Ilicet*] Semper *ilicet* finem rei significat, ut *actum est. Ilicet*] Per συγκοπὴν. Sic judices de consilio dimittebantur, suprema dicta, (cf. Calpurn. ad Heaut. V. 2. 21.) quum præco pronunciasset *ilicet*: quod significat *ire licet*. D.

Cum hoc non possum] Scilicet facere, ut apud me sim. R. D.

32 *Quin abeo?*] Hic terrore commovet Antiphonem. et *quin* dicit, pro *cur non. Et quidem ego*] Ordo. et ego quidem. et deest *abeo*. D.

Quid hic conterimus] Cum parum crederet se perficere, uti animum confirmaret Antiphonis, minitatur discessum. E.

Nostri omnes libri cum Bemb. et Victor. recte habent, *quid hic conterimus*, &c. Sed *abeo pro abeam* tantum meliores libri habent. B.

Digitized by Google

Quid si assimulo, satin' est? G. Garris. A. Voltum contemplamini: hem.
Satin' sic est? G. Non. A. Quid si sic? G. Propemodum. A. Quid si sic? G. Sat est:
Hem, istuc serva: et verbum verbo, par pari ut respondeas,
Ne te iratus suis sævidicis dictis protelet. A. Scio.
G. Vi coactum te esse invitum, lege, judicio: tenes?
Sed quis hic est senex, quem video in ultima platea? A. Ipsus est:

33 *Quid si assimulo*] Audacem scilicet. *Obsecro, quid si assimulo, satin' est*] Adeo morale vitium est, ex conscientia pavor, ut ipse quoque Antipho nitatur contra, neque quioquam promoveat. *Satin' est?*] Hic locus actoris magis, quam lectoris est. ostenditur enim conari ad simulandam audaciam, quo magis ridicula est formidolosa persona. D.

Nostri perperam *assimulabo*. B.

34 *Propemodum*] Et hoc non plenæ consensionis est, quod ait *propemodum*. *Sat est*] Non dixit, *bene est*, sed *sat est*. et vide vix ad hoc ipsum esse perventum. D.

Ut *sic* ubique æquatur, lege, *satin est sic?* B.

35 *Hem! istuc serva*] Dicendo *serva*, ostendit jam incipere deperire, quod finxit atque assimulavit audaciæ. *Hem! istuc serva: et* verbum *verbo, par pari ut respondeas*] Animadverte, et quid doceat, et commachinetur artifex poeta, qui debitum reddat rebus atque personis. *Verbum verbo, par pari*] Duo dixit: non tantum *verbum verbo*, sed *par pari*. D.

Serva] H. e. retine hunc vultum. R. D.

36 *Ne te iratus suis sævidicis dictis protelet*] Causalem vim habet quod ait hoc, *iratus*: hoc est, qui ob præsentem iram vehementius tecum agat. *Protelet* et *protelum* a προ et ἐλαύνω dictum est, quod est *ante* et *trahere*. Alii ab assiduo telorum jactu existimant dici. ut Lucretius, II. 531. *undique protelo plagarum continuato*, hoc est, tenore. *Protelet*] Protrahat, præveniat, exagitet. *Scio*] Apparet hoc verbum eo vultu dici, ut manifestum sit, absenti animo esse eum, qui loquitur. D.

Protelet] Tela in te frequenter verborum mittens vulneret. E.

Sævidicis dictis] Ita ex Mss. editum. al. *sævis dictis*. Vid. Non. Marcell. L.

Sævis dictis] Ex Donato et Mss. legendum est *sævidictis*. R. D.

Protelet] *Protelare* est propellere, perturbare. Sisenna apud Non. Marcell. p. 363. *Romanos impetu suo protelant* v. Duker. de latinit. ICtorum 333. R. D.

37 *Vi coactum te esse invitum*] Mira brevitas, in qua tota defensio continetur. et subauditur *fac respondeas*, aut quid tale. *Invitum*] Bene idem repetit ad confirmandam memoriam trepidantis. non enim diversa sunt, sed repetuntur, ut teneri possit id, quod causæ opus est. Nam *vi coactum esse*, idem significat quod *invitum*. An ideo *vi coactum, invitum* jungendum est, quia interdum etiam ipsi nos cogimus propria voluntate? ut ipse in Andria, *tu coactus tua voluntate es. Tenes?*] Exquisite addidit *tenes*: ut appareat Antiphonem vultu ostendere, quod horum nihil perturbatus advertat. D.

38 *Sed quis hic est senex*] *Sed*, ut diximus, (supra 1. 2. 7.) transitum significat ad aliam rem, ab ea quæ agebatur. *Quem video in ultima platea*] Sic dixit *ultima platea*, quemadmodum Virg. Æn. II. 449. *imas obsedere fores*. *Ipsus est*]

Digitized by Google

Non possum adesse. G. Ah! quid agis? quo abis, Antipho? mane,
Mane, inquam. A. Egomet me novi, et peccatum meum:
Vobis commendo Phanium, et vitam meam.
P. Geta, quid nunc fiet? G. Tu jam lites audies:
Ego plectar pendens, nisi quid me fefellerit.
Sed quod modo hic nos Antiphonem monuimus,
Id nosmet ipsos facere oportet, Phædria.
P. Aufer mihi Oportet: quin tu, quod faciam, impera.

Et quia timidior est, et quia postea de proximo ipse agnoscit magis. D.

39 *Non possum adesse*] Apparet ex conspectu patris magis confundi, quam ex nuncio adventus ejus, filium. *Quo abis, Antipho?*] Sic Virgil. X. 649. *quo fugis, Æneа?* Et X. 369. *quo fugitis, socii?* Sic enim loquitur, qui vult ostendere conditionem locorum, in qua perverso modo alius petatur, alius linquatur. *Mane, mane inquam*] Omnia hæc habent singularem vim in se revocantis. *Ha! quid agis?*] Et perturbati intercessoris est dicere, *quid agis?* ut in Andria, *mea Glycerium, inquit, quid agis? cur te is perditum?* D.

Non possum adesse] Omnis illa confirmatio, simul atque patrem vidit, perturbata est, et parat dicessum. E.

Quó non patitur Synalœpham, quia prima est syllaba anapæsti, et in iotu. Igitur dele in fine *mane*, præsertim cum in duobus Faerni, et totidem nostris libris, iisque optimis, absit. B.

40 *Egomet me novi, et peccatum meum*] Duo dixit: et *hominem pavidum*, et *peccatum grave*. D.

41 *Vobis commendo Phanium, et vitam meam*] Comice duobus duo retulit: *me* et *peccatum* meum, *Phanium* et *vitam* meam. Et animadverte, quod amator prius ponit *Phanium*, quam *vitam* suam. D.

Vobis commendo Phanium] In commendatione prius illam collocavit, quam diligebat: dein subjunxit salutem suam. quoniam in amore ea salus est (*quoniam amatori puella salute potior est.* Z.) E.

42 *Geta, quid nunc fiet?*] Apparet, hæc sic pronuncianda, quasi adhuc tuto (*quasi a destituto* edd. vett.) dicantur. *Tu jam lites audies: ego plectar pendens*] Non intulit quod quærebatur: sed verba sunt hominis omnia desperantis. *Tu jam lites audies: ego plectar pendens*] Tu audies, ego verberabor. ut alibi, *tibi erunt parata verba, huic demum verbera.* Quod ipsum mire: non, *facies lites*, sed *audies*. D.

43 *Ego plectar pendens*] *Plectar*, feriar: unde et *plectrum*, et *plagæ* dictæ. D.

Ego plectar pendens] Ego puniar pendens. at tu tantummodo audies lites, et ex verbis tibi periculum erit. E.

Ego plectar] Priscian. lib. X. L.

Pendens] Scilicet a trabe. v. not. ad Eun. V. 6. 20. R. D.

Nisi quid me fefellerit] Scilicet opinio, quod sæpe additur Cic. pro Domo, c. 43. *tantumne te fefellit cum mihi summa et quotidie majora præmia in republica fore putabas.* ad Div. V. 20. *nisi quid me fallit.* R. D.

44 *Sed quod modo hic nos*] Deest *tamen*: ut sit, *sed tamen*. D.

45 *Id nosmetipsos facere oportet*] Quia *nos* supra dixit in significatione actus proprii, *ipsos* addit. D.

46 *Aufer mihi oportet*] Τῷ ἀπιστουμένῳ addidit *mihi*. sine hoc enim plena sententia est. *Quin tu, quod faciam, impera*] Mire ad omnia paratum se indicat, qui *impera* dicat servo. D.

Aufer imo oportet] Rebus faciundis cum necessitas cogit, non id quærea-

Digitized by Google

G. Meministin', olim ut fuerit vostra oratio
In re incipiunda ad defendendam noxiam,
Justam illam causam, facilem, vincibilem, optumam?
P. Memini. G. Hem, nunc ipsa 'st opus ea: aut, si quid potest,
Meliore et callidiore. P. Fiet sedulo.
G. Nunc prior adito tu: ego in insidiis hic ero
Succenturiatus, si quid deficies. P. Age.

dum quod oporteat. Ideo adjecit, tolle *oportet*, potius mone quod faciundum sit. E.

Bemb. Victor. et quatuor nostri habent *quid faciam*. B.

Aufer mihi oportet] I. e. omitte verbum *oportet*. infra V. 6. 11. Horat. Serm. II. 7. 42. *aufer me vultu terrere*. Juven. VI. 170. *tolle tuum precor Hannibalem*. v. Burmann. ad Phædr. III. 6. 8. R. D.

47 *Meministin' olim ut fuerit vestra oratio*] Mire et consilio et oratione compendiosus est: quo magis Phædriam propriis consiliis ac domesticis promoveret. *Ut fuerit vestra oratio*] Ut magis excitaret, non *nostra* dixit, sed *vestra*. D.

Præter quatuor libros, ubi *nostra* extat, cæteri omnes recte exhibent *vostra*. B.

48 *In re incipiunda*] *Incipiunda* proprie, quasi de re magna, dixit. Sic alibi, *vide quod inceptet facimus*. *Ad defendendam noxiam*] *Noxiam* nunc culpam: alias pœnam. Et est ἐναντίωσις, ab eo quod est *noxam*: et hoc factum est propter iambum. D.

In re incipiunda] Quasi sæpius peccaverit adolescens, et se defenderit: ideo quærit exemplum defensionis. E.

49 *Justam illam causam, facilem, vincibilem, optumam?*] Considera singula, et invenies et naturali ordine, et per αὔξησιν dicta. *Causam* pro defensione posuit: et *vincibilem*, quæ facile vincat. D.

50 *Nunc ipsa est opus ea*] *Causa* scilicet. D.

Si quid potest] V. C. *potes*. L.

Versus probat illud *ea*, quod in Bemb. reperitur. B.

51 *Meliore et callidiore*] Bene *meliore et callidiore*: quia tunc prolusio fuit, nunc ipsum prælium. *Fiet sedulo*] Παρέλκει *sedulo*. Nam suffecerat, *fiet*. D.

52 *Nunc prior adito tu*] *Adito*, quasi ad prælium. Virg. V. 378. *nec quisquam ex agmine tanto Audet adire virum. Ego in insidiis hic ero*] Tota μεταφορὰ de re militari est. D.

Hic ero succenturiatus] Metaphora a bello. Illi qui priori loco pugnant, in principiis sunt: qui vero secundum vel in aliis posterioribus, *succenturiati* dicuntur: quasi suppositi ad aciem, ut illis deficientibus ipsi in certamen procedant. E.

Pro *insidiis* placet *subsidiis*; quod extat apud Priscianum, in cod. aliquo regio, et Coloniensi apud Palmerium, et sic quoque legisse videtur Donatus. Corn. Fronto de Differentiis vocum, *subsidium*, inquit, *est, quod subest deficientibus*. B.

In insidiis] Alii libri habent in *subsidiis* quod Bentleius præfert. *Subsidia* dicuntur milites, qui primis deficientibus submittuntur. Hinc sæpe *subsidiarii* opponuntur primæ aciei. R. D.

53 *Succenturiatus*] *Succenturiari* dicuntur, qui explendæ centuriæ gratia subjiciunt se ad supplementum ordinum. Et est translatio a re militari. *Age*] Potuit dicere *vero*, aut *ita*. sed *age* dixit, quod verbum vim hortantis maximam præbet. D.

Melius videtur *deficias*, quod est in Bemb. in nostro cod. 900 annorum, et apud Priscianum. B.

Digitized by Google

ACT. II. SCENA I.

DEMIPHO. GETA. PHÆDRIA.

ITANE tandem uxorem duxit Antipho injussu meo? Nec meum imperium. age, mitto imperium: non simultatem meam

Succenturiatus ero] H. e. tibi deficienti succedam. *Centuriare milites* est in suas classes deferre, succenturiare, centuriam deficientem explere. v. Festum in voce et Donat. ad h. l. R. D.

1 *Itane tandem uxorem duxit Antipho injussu meo?*] In hac scena accusatio est et contradictio, per remotivam qualitatem: ergo controversia. *Itane tandem uxorem duxit Antipho*] Hic exemplum vitæ est: in quo spectatur nullum esse tam justam, et gravem iracundiam patris, quæ non et fiducia defensoris, et intervallo temporis evanescat. *Itane tandem uxorem duxit Antipho injussu meo?*] Non potuit vehementius incipere, quam ut ipse crimen, quod objicit, miraretur. *Itane tandem uxorem duxit*] *Tandem*, hic expletiva conjunctio: ut Cicero, Cat. I. 1. *quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? Itane tandem*] Hic totus versus in hoc est, an factum sit? quid factum sit? a quo factum sit? in cujus injuriam factum sit? D.

Itane tandem] In portu senex duxisse filium suum uxorem audivit. Secum ergo conqueritur satis admiratus, quod ille tantum facinus ausus sit implere. Hæc ergo scena continet accusationem, et habet controversiam talem: quod contra imperium patris uxorem duxerit filius, reus est. Qui defenditur: se fecisse dicit (*defenditur sic, ut fecisse dicatur*. Z.) coactus in judicio, et coactus legibus. Cui occurritur: potuisti ducere uxorem, maxime cum lex sit: *orba nubat proximo. orbam proximus ducat, aut dotem det.* At si in parte legis est ut dotem adhibeat, etiam te dare oportuit. Sed hoc solvitur, quod inopia non potuit istud implere: ut et hic venialis status sit. Huic rursus quæstioni opponitur, quod mutua pecunia sumi potuit. Sed hic occurrit qualitate absoluta; an filio in familia constituto pecuniam mutuam accipere liceat; an aliquis huic pecuniam potuerit credere? Ita omnis oratio argumentis, sed per quæstiones proponitur, et per argumenta dissolvitur. E.

2 *Nec meum imperium*] Rara ἀποσιώπησις: nam non sequitur *sed*. intulit enim *age*, subauditur autem *revereri*. Sic Lucretius, *nonne videre* * (adde, *nil aliud sibi naturam latrare, nisi ut, cum Corpore sejunctus dolor absit, mente fruatur Jucundo sensu*, &c. Locus extat II. 16. Z.) *Age, mitto imperium: non simultatem meam*] Σχῆμα διανοίας, ΜΗCΟΛΟθωσις (ἐπανόρθωσις. Z.) Ut Virg. XI. 347. *cujus ob auspicium infaustum, moresque sinistros. Age, mitto*] Legitur et *taceo* (*legitur et jeci* habet Faerni Donatus. Sed idem Faernus legendum putat, *Legitur et* ac. Z.) *Simultatem*] Jurgium, contentionem. D.

Nec meum imperium] Citat hunc locum Cicero lib. 2. Ep. 19. ad Atticum: *mihi nihil est molestius, quam Statium manumissum nec meum imperium, at mitto imperium, non simultatem revereri saltem? nec, quid faciam, scio.* Etiam auctor glossarii huc respexit, cum dicit: πρόσταγμα, *præceptum, præceptio, imperium. Terent.* L.

Etsi omnes nostri habent *age*; lectio tamen Bembini et Victoriani, quam

Digitized by Google

Revereri saltem? non pudere? O facinus audax! O Geta
Monitor! G. Vix tandem. D. Quid mihi dicent? aut quam causam reperient?
Demiror. G. Atqui reperi jam: aliud cura. D. Anne hoc dicent mihi, 5
Invitus fecit: lex coegit? audio, et fateor. G. Places. D. Verum scientem, tacitum, causam tradere adversariis,

ipse Cicero Attic. II. ep. 19. expressit, *ac mitto*, melior esse videtur. B.

Non simultatem meam revereri] I. e. non veritus es, ne animum meum offenderes. R. D.

3 *Non pudere?*] Hoc absolutum est, et nulli adnexum. *Non pudere*] Hic Nigidius adnotavit, neminem videri pudere ante delictum. D.

4 *Vix, tandem*] Convenit hoc dictum ei, qui jam pridem se male audire putat: et ideo sero videtur ad hunc senex pervenisse, quum ille metuens, se primum ad accusationem crederet (*se primum ab eo accusatum iri c.* Z.) An *vix, tandem*, ad hoc pertinet, quia ille *monitor* dixit: quasi dicat, vix tandem factum est, ut me senex laudare cœpisset: quia *monitor*, quamvis in contrarium dixerit, tamen est nomen laudis. *Vix tandem*] Εἰρωνεία, quasi dicat, pene mei oblitus est. An, quia tarde ad ipsum pervenit senex, quem ille ob conscientiam a se cœpturum esse credebat? *Quid mihi dicent? aut quam causam reperient?*] Quid dicent, si negare voluerint: quam causam reperient, si purgare? Omne enim crimen a defensore aut negatur, aut purgatur. D.

Puto ab auctore fuisse, *aut quid causæ reperient*. Vide Heaut. IV. 3. 23. B.

Monitor] I. e. magister. Horat. de Arte Poet. v. 163. *cereus in vitium flecti monitoribus asper*. v. Cort. ad Sall. Jugurth. c. 85. R. D.

5 *Demiror*] Pro nescio. Nam admirationem ignorantia facit. *Atqui reperi jam: aliud cura*] Eo animo hoc dixit, quo supra dixit *vix tandem*. Et quum ille pluraliter *reperient* dixerit, hic singulariter *reperi* respondit; quasi in se solo sit crimen. D.

Illud *ne*, cum nec orationi, nec versui quioquam prosit, recte abest in Bemb. et ibidem extat recte *dicet*, sc. Antipho. B.

Demiror] I. e. nescio, quoniam, ut Donatus ait ad Andr. IV. 4. 11. admiratio ab ignorantia descendit. Plaut. in prol. Aulular. v. 1. *ne quis miretur, qui sim, paucis eloquar*. Cic. de Amicit. c. 11. *quanquam miror illa superbia et importunitate, si quemquam habere potuit*. R. D.

6 *Invitus fecit: lex cœgit?*] Bene poetam jam scire facit senem, quid isti dicturi sint; ut videatur frangi posse, qui jam partem defensionis admittit. D.

Invitus feci: lex coegit?] Reperit argumentum senex, quo ostenderet non invitum uxorem duxisse filium, ex eo quod ad judicium ductus tacuerit, et nihil responderit; quæ res indicat voluntatem. E.

Bentleius ob auctoritatem unius Bembini ἀνυπόστατος edidit *audio, fateor*: atque pro *fecit* cum Faerno exhibuit *feci*; quod utique opus est, si pro illo *dicent* legeris *dicet*. Sin autem *dicent* vera lectio habetur, necessario legendum est hic *fecit*. Z.

7 *Causam tradere adversariis*] Hoc cum majore exclamatione dicitur. non enim dixit *concedere adversariis*, sed

Digitized by Google

Etiamne id lex coegit? P. Illud durum. G. Ego expediam: sine.
D. Incertum'st quid agam: quia præter spem, atque incredibile hoc mihi obtigit:
Ita sum irritatus, animum ut nequeam ad cogitandum instituere.
Quamobrem omnes, quum secundæ res sunt maxume, tum maxume

quod prius (*pejus*) esset, *causam tradere*. D.

Causam tradere adversariis] Idem significat quod *causam perdere* h. e. pati facile se vinci. ICti dicunt causam adversariis donare et prævaricari. R. D.

8 *Illud durum*] *Illud durum* dicit, qui supra dixit, *atqui reperi jam*. *Ego expediam: sine*] Vide præparationem futuræ defensionis: quam nisi hoc modo Terentius intulisset, incredibile videretur subito sedatum senem. D.

Verba *illud durum* sunt Getæ, et sequentia Phormionis. Primum ob Donati auctoritatem: tum ob cod. C. C. qui ita personas distribuit; denique ob rei naturam. Cæterum ut *id* acuatur, repone, *etiam idne lex*, &c. Præsertim cum cod. reg. habeat *etiamne idne*; et infra V. 1. 9. Codex bonæ notæ exhibeat *etiam idne*. B.

9 *Incertum est quid agam*] Nonnihil jam fracta indignatio est. Nam in his verbis, non jam ira, sed admodum mœror est. *Quia præter spem, atque incredibile hoc*] Virg. Æn. IV. 419. *hunc ego si potui tantum sperare dolorem: Et perferre, soror, potero. Atque incredibile hoc mihi obtigit*] Gravius est *incredibile*, quam *præter spem*: et ideo posterius et in auctu (*actu*) est. *Obtigit*] Pro *accidit*: cujus reciprocum est, siquis bonum accidisse dicat, non obtigisse. D.

10 *Ita sum irritatus*] *Irritatus*, provocatus, in iram impulsus: hoc est, commotus et perturbatus. *Animum ut nequeam ad cogitandum instituere*] Bene *instituere* dixit: quo verbo quies ostenditur cogitativæ mentis, quæ non adest. D.

Ita sum irritatus] Ita sum provocatus, ut non possim animo consistere ad cogitandum. E.

Animum ad cogitandum instituere] H. e. animum componere, ut cogitet quid agendum sit. Bouherius ad Cic. quæst. Tusc. III. 14. e Msstis quibusdam legere mavult *instruere*, sed bene habet lectio vulgata. R. D.

11 *Quum secundæ res sunt maxume, tum maxume*] Ut, Georg. I. 299. *nudus ara, sere nudus: hiems ignava colono*. Et bona sententia; tum maxime sapienti metuendum, quo tempore maxime securus est stultus. D.

Quamobrem omnes] Ergo, inquit, quoniam ita sunt, oportet omnes rebus felicioribus constitutis magis de adversariis cogitare, quo pacto possint ea quæ acciderunt sustinere. E.

Omnes quum secundæ res] Ausonius in Periand. *adversa rerum, vel secunda prædicat Meditanda cunctis comicus Terentius. Locare sedes, bellum gerere, aut ponere*. Terentius autem dubio procul Euripidis versus in mentem habuit, quos citat Galenus lib. IV. cap. 7. de Hippocrat. Platon. Placit. et Plutarchus in Consolat. ad Apollon. pag. 195. ubi Theseus ita ait: Ἐγὼ δὲ τοῦτο παρὰ σοφοῦ τινος μαθὼν Εἰς φρεντίδας νοῦν συμφορὰς τ' ἐβαλλόμην. Φυγάς τ' ἐμαυτῷ προστιθεὶς πάτρας ἐμᾶς, Θανάτους τ' ἀώρους, καὶ κακῶν ἀλλὰς ὁδοὺς· Ἵν' εἴ τι πάσχοιμ', ὧν ἐδόξαζον φρενὶ, Μή μοι νεαρὸν προσπεσὸν μᾶλλον δάκῃ. Utrumque locum expressit Cicero Tuscul. III. 14. *futuras mecum commmentabar miserias, aut mortem acerbam, aut exilii mœstam fugam, aut semper aliquam molem medi-*

Digitized by Google

Meditari secum oportet, quo pacto advorsam ærumnam ferant:
Pericla, damna, exilia, peregre rediens semper cogitet
Aut filii peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiæ:
Communia esse hæc: fieri posse: ut ne quid animo sit novom:
Quicquid præter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro.

tabar mali: ut si qua invecta diritas casu foret. ne me imparatum cura laceraret repens. L.

Tum maxime] Zinzerlingius in promuls. critica juven. c. 22. legere tentat *cum maxime*; frustra. v. Duker. ad Flor. II. 16. p. 430. R. D.

12 *Meditari secum oportet*] Bene additum *secum*: insani enim videbitur, hoc palam agere. *Adversam ærumnam ferant*] Abundat *adversam*. D.

13 *Pericla, damna, exilia peregre rediens*] Superiora ἀσύνδετα sunt, inferiora intermistis conjunctionibus. Sallustius, *non quidem a Pyrrho, Hannibale, et æquore et terra. Peregre rediens semper cogitet*] Mire a genere ad speciem non semel transit. Nam quum dicit, *peregre rediens*, jam de se loquitur, sed latenter. *Semper cogitet*] A singulari ad pluralem (*a plurali ad singularem*. Z.) transit. supra dixit *omnes*: at nunc *cogitet*. Et est ordo, semper peregre rediens, quicunque peregre redit. D.

Lectionem, quæ extat apud Cic. Tusc. III. 14. *Pericla, damna, peregre rediens semper secum cogitet*, veram esse censeo. Nam illud *exilia* in libris habet sedem incertam: a cod. C. C. prorsus abest: exiliis pluribus in una eaque modica familia locus non est. Denique quomodo sibi quis exilia cogitet, qui ipse tum peregre abest? Haud dubie *exilium* ortum est e verbis *ex Cilicia*, quæ quis explicandi gratia adscripserat ad verba *peregre rediens*. B.

14 *Aut filii peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiæ*] Quamvis iratus filio, non potuit tamen dicere, *filii mortem*. Convenit autem seni, uxoris mortem non putare magnum incommodum. *Aut filii peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiæ*] Varie, post enumerationem conclusam, hæc etiam intalit. Virg. Ge. II. 136. *sed neque Medorum sylvæ, ditissima terra, Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus Laudibus Italiæ certent: non Bactra, nec Indi, Totaque thuriferis Panchaia pingnis arenis.* D.

Pro *filii* rescribe *fili*, ob versum, Bemb. et consuetudinem, quæ Terentii ætate et paulo post obtinuit. B.

15 *Communia esse hæc: fieri posse*] Ordo est, semper cogitet communia esse, et fieri posse peccatum filii, uxoris mortem, filiæ morbum. *Communia esse*] Commune est, quod accidere omnibus potest. D.

Ut ne quid animo sit novum] Quod utique est sapientis, omnia quæ accidere possint prævidere, ne nova sint. Ut est illud sapientis Æneæ, *non ulla laborum, O virgo, nova mi facies, inopinave surgit. Omnia præcepi, atque animo mecum ipse peregi.* E.

Veram lectionem servavit nobis Cicero l. l. *communia esse hæc: ne quid horum unquam accidat animo novum*. Nam vulgaris lectio est inepta et insipida. Si enim *communia* sunt, quis dubitet *fieri posse?* Ciceronis lectionem comprobat quoque Getæ apodosis versu 20. B.

16 *Quicquid præter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro*] Vide jam senem fractum, non culpam filii magnam ducere: sed ideo indignari, quod non crediderit peccaturum. in quo ipse se reprehendit: et quod a peccatoribus

Digitized by Google

G. O Phædria, incredibile'st, quantum herum anteo sapientia!
Meditata mihi sunt omnia mea incommoda: herus si redierit,
Molendum usque in pistrino: vapulandum: habendæ compedes:
Opus ruri faciundum: horum nihil quicquam accidet animo novom. 20

(*precatoribus.* edd. vett.) dici solebat, hoc dicit, *communia esse, et fieri posse.* D.

Deputare esse] Ms. R. *deputa esse.* L.

17 *Herum anteeo sapientia*] Legitur et *Anteo:* sed pro concunctivo pronunciandum, *anteo* pro *anteeam.* D.

Incredibile est quantum] Servus dicit de suis se incommodis ante cogitasse: unde sapientia sua (*se.* Z.) ait dominum præterire. E.

Dele illud *est*, ut codd. omnium *anteeo* retinere possis. Nam ita *incredibile quantum* absolute ponitur, ut *mirum quantum, nimium quantum, immane quantum.* Vide infra IV. 3. 38. B.

18 *Meditata mihi sunt omnia mea incommoda*] Nimis comice non clades, aut serumnas posuit servus, sed incommoda: molere in pistrino, vapulare, habere compedes, et cætera: quum hoc nomen leve quiddam significet. ut ipse in Eunucho, *imo enim infeliciter: nam incommoda alia sunt dicenda, Parmeno. Herus si redierit*] *Si* aut pro *cum*, aut serviliter. ut dubitet ex voto suo utrum dominus redeat, an non: quod cupit. D.

Meditata mihi] Priscian. lib. VIII. L.

Meditata] Passive dicitur pro *cogitata.* Cic. Catil. I. 10. *ad hujus vitæ studium meditati illi sunt qui feruntur labores tui.* Multa participia deponentium passive ponuntur, quod eorum forma activa aliquando usitata fuit; ita interdum reperitur *aucupo, tumultuo, fabulo, lucto, intermino,* &c. v. Voss. de analog. III. 7. R. D.

19 *Molendum usque in pistrino*] Facete enumerat servus universa supplicia suæ conditionis, excepta cruce et furca: quarum pœnam verbis extenuare non potuit. *Habendæ compedes*] Vitiosam locutionem servili personæ dedit Terentius. Nam integra esset, si diceret, *habendas compedes.* unde quidam non *esse*, sed *usque* legunt. D.

Molendum usque in pistrino] Lactant. divin. instit. lib. VII. cap. 26. *si sapientes, si beati esse volumus, cogitanda et proponenda sunt nobis non tantum Terentiana illa, Molendum esse usque in pistrinum, vapulandum, habendæ compedes: sed his atrociora, carcer, catenæ, tormenta patienda, sustinendi dolores, mors denique ipsa et suscipienda est et ferenda.* L.

Faernus ob Bemb. Victor. et Donat. pro *usque* edidit *esse.* At leg. *molendumst in pistrino, vapulandum, habendum compedes.* Nam ita omnia sunt Gerundia, et vitatur ἀναπόλουθον. B.

20 *Opus ruri faciundum*] Varie, *molendum, vapulandum, compedes habendæ, opus ruri faciandum.* et supra, verba gerundia sunt: infra, participia. *Horum nihil quicquam accidet animo novum*] Recte addidit *animo.* omne enim, quicquid acciderit, novum erit, sed non animo. *Horum nihil quicquam*] Παρίλυον quartum. *Horum nihil quicquam accidet animo novum*] Tale est illud sapientis Æneæ Æn. VI. 103. *non ulla laborum, O virgo, nova mi facies inopinave surgit.* Et XI. 18. *arma parate animis, et spe præsumite bellum.* Et IV. 419. *hunc ego si potui tantum sperare dolorem, Et perferre, soror, potero.* D.

Digitized by Google

Quicquid præter spem eveniet, omne id deputabo esse in lucro.
Sed quid cessas hominem adire, et blande in principio alloqui?
D. Phædriam mei fratris video filium mihi ire obviam.
P. Mi patrue, salve. D. Salve: sed ubi est Antipho?
P. Salvom advenire. D. Credo: hoc responde mihi.
P. Valet: hic est. sed satin' omnia ex sententia? 26
D. Vellem quidem. P. Quid istuc? D. Rogitas, Phædria?
Bonas, me absente, hic confecistis nuptias.

21 *Quicquid præter spem eveniet, omne id deputabo esse in lucro*] Totidem verbis est usus, quot senex, ad irrisionem ejus. Sic et in Adelphis, *postremo tanquam in speculum, in patinas, Demea, inspicere jubeo. Omne id deputabo esse in lucro*] Hoc idem senex oportere fieri dixit, quod hic facit: ergo sapientior Geta. D.

22 *Sed qui cessas hominem adire*] Bene *adire*, quasi terribilem, et pugnaturum: ut Virg. V. 379. *audet adire virum.* et *hominem* comice addidit. *Et blande in principio alloqui?*] Recte monuit, non perpetuo blande, sed in principio agendum: secundum præceptum Socratis, qui ait, Μηδὲ πρὸς τὰς τῶν πλησιαζόντων ὀργὰς τραχίως ἀπαντᾶν, ἀλλὰ θυμουμένοις μὲν αὐτοῖς εἶκειν, πεπαυμένοις δὲ τῆς ὀργῆς ἐπιπλήττειν. D.

23 *Phædriam mei fratris*] Hæc verba ostendunt, quam miti pectore suscipiatur Phædria. D.

24 *Mi patrue, salve*] *Mi*, vim blandimenti habet: nam significat, *meus. Salve: sed ubi est Antipho?*] Bene expressit promtum animum ad litigandum, partim (*raptim.* B.) addita salute, et potius (*protinus.* B.) ad jurgium prævertendo. D.

25 *Salvum advenire*] Ἔλλειψις, vel ἀποσιώπησις secunda: *gaudeo* enim subauditur. quod nisi acceperis, non intelliges cur hic responderit, *credo. Salvum advenire*] Iracundiam frangere conatur obsequio et mora. *Salvum advenire*] Altera salutatio et ad leniendum, et ad criminis dissimulationem. sed et tertio addit, *satin' omnia ex sententia? Credo: hoc responde mihi*] *Hoc*, incerta distinctione pronunciatur. D.

Salvum venire] Cum interrogatus sit, ubi sit Antipho, perseverat in salutatione, ut iracundiam obsequio frangat. E.

Ut *hoc* acuatur, lectionem codd. plurimorum recipiendam puto, *responde hóc mihi.* B.

Salvum advenire] Scilicet te gaudeo. R. D.

Credo] I. e. gratias ago. vim formulæ explicuimus ad Andr. V. 4. 36. R. D.

26 *Valet*] Hic oratorie dissimulat, atque ita respondet, quasi senex non iratus quærat, sed de salute sollicitus sit Antiphonis. *Sed satin' omnia ex sententia?*] Quod vulgo, *omnia recte?* Et deest *quæris*, aut quid tale. D.

Valet, hic est] Cum ille de loco quæreret, ubinam esset Antipho, hic de salute respondit. E.

27 *Vellem quidem*] Semper hoc verbum dolentis est, ac negantis evenire quod voti sit. *Quid istuc?*] Magnam vim habet contra iram hujusmodi interrogatio. D.

Quid istuc?] Ms. R. et vett. codd. *quid istuc est?* L.

Lege *quid istuc est?* ob Faerni et nostrorum codd. consensum. B.

28 *Bonas me absente*] Mire consue-

Digitized by Google

P. Eho, an id succenses nunc illi! G. O artificem probum!
D. Egone illi non succenseam? ipsum gestio
Dari mihi in conspectum, nunc sua culpa ut sciat
Lenem patrem illum factum me esse acerrimum.
P. Atqui nihil fecit, patrue, quod succenseas.
D. Ecce autem similia omnia: omnes congruunt:
Unum cognoris, omnes noris. P. Haud ita'st.
D. Hic in noxa est; ille ad defendendam causam adest:

tudinem expressit, dicendo *bonas*. *Me absente*] Summa criminis. *Bonas me absente hic confecistis nuptias*] Crimen in duobus esse demonstrat: quod non *bonas*, et quod *absente* patre. D.

Bonas me absente] Et accusaret (*est accusatio*. Z.) totius criminis: sed summæ est collocatio. Subjungitur iracundia, quod dixit: *ipsum gestio dari mihi in conspectum*. *Gestio* autem, cupio et desidero, ut sua culpa intelligat, patrem lenem acerrimum factum. E.

Confecistis] Sunt qui capiant pro *una fecistis*. v. Broukhus. ad Propert. Sed melius est capere pro simplici *fecistis*. R. D.

29 *Eho, an id succenses nunc illi?*] Huc tendebat interrogatio, ut tam integris rebus admiraretur irasci senem. *O artificem probum!*] Εἰρωνεία. Nam non est artifex, cujus deprehenditur jocus. D.

30 *Gestio*] Plus *gestio*, quam *volo*. D. In Bemb. et Basilicano est *egon*; quod parvi refert. B.

Gestio] Proprie est lætitiam vel desiderium gestu sive corporis motu exprimo, quæ proprietas cognoscitur e Cic. de Orat. II. 23. deinde ponitur pro *vehementer cupio, desidero*. R. D.

31 *Dari mihi in conspectum*] Non dixit *venire*, ut filium: sed *dari*, ut reum. D.

Concinnius colloca *nunc sua ut culpa sciat*. B.

32 *Lenem patrem illum*] O artificium poetæ! in media patris sævitia mentionem lenitatis induxit: ut ostendat quam facile placari possit. *Lenem patrem illum, factum me esse acerrimum*] Nota ἀντίθετον. non enim leni asperrimum, sed acerrimum reddidit. et mutavit gradum, positivo superlativum opponens. *Lenem patrem illum factum*] Sic Virg. Æn. II. 274. *quantum mutatus ab ille Hectore!* D.

33 *Atqui nihil fecit, patrue*] Summa contradictionis. et non dixit, *leniter peccavit*: sed, *nihil fecit*. neque quod punias, sed quod succenseas: id quod levissimum est. D.

Atqui nihil fecit] Hic jam defensionis est generale principium. E.

Ecce autem similia omnia] *Ecce autem*, vox est apta his, quæ nova et improvisa animo accidunt. Sic Virg. Æn. II. 203. *ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta. Similia omnia: omnes congruunt*] More stomachantis, *omnia* et *omnes*, de his dicit, quæ ad duos pertinet. D.

Omnes congruunt] Omnes conveniunt, æquales universi sunt. E.

35 *Unum cognoris, omnes noris*] Iterum non *duos*, sed *omnes*. et varie, *cognoris, noris*. *Unum cognoris, omnes noris*] Sic Virg. Æn. II. 65. *accipe nunc Danaum insidias et crimine ab uno Disce omnes*. D.

Gratior simplicitas existit, si cum codd. aliquot nostris legeris, *unum cum noris, omnes noris*. Sic And. prol. *qui utramvis recte norit, ambas noverit*. B.

36 *Hic in noxa est, ille ad defendendam causam adest*] Hoc Demipho non sine quadam delectatione dixit: quam

Digitized by Google

Quum ille est, hic præsto est: tradunt operas mutuas.
G. Probe eorum facta imprudens depinxit senex.
D. Nam ni hæc ita essent, cum illo haud stares, Phædria.
P. Si est, patrue, culpam ut Antipho in se admiserit,

tamen premit ob iram (*Phædriam*) præsentem. D.

Hic in noxa est] Ascon. Pedian. actione II. 12. in Verrem. L.

Hunc et seq. repone ita, *cum in nóxia hic est; ille ad defendendum adest:* | *Cum ille est; præsto hic est*, &c. Nam noxia habent Faerni tres præstantissimi libri, et quinque nostri vett. *causam* inutile est, cum præcesserit *noxia*. Et eod. reg. recte, *præsto hic est*, ut *hic* acuatur. B.

Hic in noxa est] *Noxia* non *noxa* legendum esse patet ex iis, quæ ad Eun. V. 2. 13. notavimus. R. D.

Adest] *Adesse* et *præsto esse* proprie dicantur patroni, qui causas defendunt. Cic. pro Murena c. 9. *Servius—præsto multis fuit*. v. Heins. ad Ovid. Remed. Amor. v. 663. Hinc utrumque dicitur pro *auxilio esse*. Liv. III. 25. *nostrisque et nunc querelis adsint et mox armis*. Contra *longe esse* dicitur qui non prodest, non adjuvat. v. Drak. ad Liv. VI. 38. R. D.

37 *Quum ille est, hic præsto est*] Huic loco reddidit Cicero illum locum in Verrinis II. 12. *qui cives Romani erant, si Siculi essent, cum Siculos eorum legibus dari oporteret: qui Siculi, si cives Romani essent*. Nam subauditur ad *qui cives Romani erant, judices dabantur*. ad *si Siculi essent*, subauditur *rei*. *Quum ille est*] ζεῦγμα secundum. Nam et hic subaudiendum est, *in noxa*. *Hic præsto est*] Ad defendendam causam, subauditur. D.

38 *Probe eorum facta imprudens*] Ideo *imprudens*: quia nescit in amore citharistriæ esse Phædriam. *Imprudens*] Modo inscius. D.

Probe eorum] V. C. *probe horum*. L.

Pro *eorum* omnes Faerni et nostri libri, præter duo, habent *horum*. B.

39 *Nam ni hæc ita essent, cum illo haud stares, Phædria*] Vide quemadmodum jam præstruat poeta ad ea quæ futura sunt, ad adjuvandum amorem Phædriæ. *Cum illo haud stares, Phædria*] Cum Antiphone scilicet. Et *cum illo, ἀντὶ τοῦ pro illo*. In ejus parte *stamus*, pro quo facimus. Sic Virg. XII. 565. *Juppiter hic stat*. D.

Nam ni hæc ita] Si hæc quemadmodum dicis non essent, ut nobis pariter ad vestra crimina defensionem præberetis, cum Antiphone tu non stare potuisses. E.

Nam ni hæc ita essent] Servius Æn. VIII. 653. L.

Servius ad Æn. VIII. 653. habet *pro illo haud stares*. Nostri omnes *cum illo*. Utrumque recte et more dicitur, sensu eodem. B.

Cum illo stares] *Stare cum aliquo* est partium alicujus esse, aliquem adjuvare. Nep. in Agesil. c. 5. *qui nobiscum adversus barbaros steterunt*. dicitur etiam stare ab aliquo Nep. in Datame c. 6. *coacti sunt ab eis stare quos reliquerant*. item *stare pro aliquo*. Ovid. Trist. I. 25. *mulciber in Trojam pro Troja stabat Apollo*. Sæpe hoc verbum a stantibus in acie militibus transfertur ad advocatos in foro. Phædr. III. 10. 37. *stant patroni fortiter causam tuentes innocentis feminæ*. R. D.

40 *Si est, patrue, culpam ut Antipho in se admiserit*] Principium per insinuationem subtilem. Et honesta locutio, *si est ut admiserit*: pro, si admisit. *Si est, patrue, culpam ut Antipho*] Oratorium principium *ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας τοῦ ἀντιφῶντος*. *In se admiserit*] Bono ornatu addidit, *in se*: quum ut sine hoc plenum videri possit. Et hic est, quem Cicero succum orationis appellat Orat. 23. D.

Digitized by Google

P. Eho, an id succenses nunc illi! G. O artificem probum!
D. Egone illi non succenseam? ipsum gestio
Dari mihi in conspectum, nunc sua culpa ut sciat
Lenem patrem illum factum me esse acerrimum.
P. Atqui nihil fecit, patrue, quod succenseas.
D. Ecce autem similia omnia: omnes congruunt:
Unum cognoris, omnes noris. P. Haud ita'st.
D. Hic in noxa est; ille ad defendendam causam adest:

tudinem expressit, dicendo *bonas*. *Me absente*] Summa criminis. *Bonas me absente hic confecistis nuptias*] Crimen in duobus esse demonstrat: quod non *bonas*, et quod *absente* patre. D.

Bonas me absente] Et accusaret *(est accusatio.* Z.) totius criminis: sed summæ est collocatio. Subjungitur iracundia, quod dixit: *ipsum gestio dari mihi in conspectum*. *Gestio* autem, cupio et desidero, ut sua culpa intelligat, patrem lenem acerrimum factum. E.

Confecistis] Sunt qui capiant pro *una fecistis*. v. Broukhus. ad Propert. Sed melius est capere pro simplici *fecistis*. R. D.

29 *Eho, an id succenses nunc illi?*] Huc tendebat interrogatio, ut tam integris rebus admiraretur irasci senem. *O artificem probum!*] Εἰρωνία. Nam non est artifex, cujus deprehenditur jocus. D.

30 *Gestio*] Plus *gestio*, quam *volo*. D. In Bemb. et Basilicano est *egon*; quod parvi refert. B.

Gestio] Proprie est lætitiam vel desiderium gestu sive corporis motu exprimo, quæ proprietas cognoscitur e Cic. de Orat. II. 23. deinde ponitur pro *vehementer cupio, desidero*. R. D.

31 *Dari mihi in conspectum*] Non dixit *venire*, ut filium: sed *dari*, ut reum. D.

Concinnius colloca *nunc sua ut culpa sciat*. B.

32 *Lenem patrem illum*] O artificium poetæ! in media patris sævitia mentionem lenitatis induxit: ut ostendat quam facile placari possit. *Lenem patrem illum, factum me esse acerrimum*] Nota ἀντίθετον. non enim leni asperrimum, sed acerrimum reddidit. et mutavit gradum, positivo superlativum opponens. *Lenem patrem illum factum*] Sic Virg. Æn. II. 274. *quantum mutatus ab illo Hectore!* D.

33 *Atqui nihil fecit, patrue*] Summa contradictionis. et non dixit, *leniter peccavit*: sed, *nihil fecit*. neque quod punias, sed quod succenseas: id quod levissimum est. D.

Atqui nihil fecit] Hic jam defensionis est generale principium. E.

Ecce autem similia omnia] *Ecce autem*, vox est apta his, quæ nova et improvisa animo accidunt. Sic Virg. Æn. II. 203. *ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta. Similia omnia: omnes congruunt*] More stomachantis, *omnia* et *omnes*, de his dicit, quæ ad duos pertinet. D.

Omnes congruunt] Omnes conveniunt, æquales universi sunt. E.

35 *Unum cognoris, omnes noris*] Iterum non *duos*, sed *omnes*. et varie, *cognoris, noris*. *Unum cognoris, omnes noris*] Sic Virg. Æn. II. 65. *accipe nunc Danaum insidias et crimine ab uno Disce omnes*. D.

Gratior simplicitas existit, si cum codd. aliquot nostris legeris, *unum cum noris, omnes noris*. Sic And. prol. *qui utramvis recte norit, ambas noverit*. B.

36 *Hic in noxa est, ille ad defendendam causam adest*] Hoc Demipho non sine quadam delectatione dixit: quam

Digitized by Google

Quum ille est, hic præsto est: tradunt operas mutuas.
G. Probe eorum facta imprudens depinxit senex.
D. Nam ni hæc ita essent, cum illo haud stares, Phædria.
P. Si est, patrue, culpam ut Antipho in se admiserit,

tamen premit ob iram (*Phædriam*) præsentem. D.

Hic in noxa est] Ascon. Pedian. actione II. 12. in Verrem. L.

Hunc et seq. repone ita, *cum in nóxia hic est; ille ad defendendum adest:* | *Cum ille est; præsto hic est, &c.* Nam *noxia* habent Faerni tres præstantissimi libri, et quinque nostri vett. *causam* inutile est, cum præcesserit *noxia*. Et cod. reg. recte, *præsto hic est*, ut *hic* acuatur. B.

Hic in noxa est] *Noxia* non *noxa* legendum esse patet ex iis, quæ ad Eun. V. 2. 13. notavimus. R. D.

Adest] *Adesse* et *præsto esse* proprie dicuntur patroni, qui causas defendunt. Cic. pro Murena c. 9. *Servius—præsto multis fuit.* v. Heins. ad Ovid. Remed. Amor. v. 663. Hinc utrumque dicitur pro *auxilio esse*. Liv. III. 25. *nostrisque et nunc querelis adsint et mox armis.* Contra *longe esse* dicitur qui non prodest, non adjuvat. v. Drak. ad Liv. VI. 38. R. D.

37 *Quum ille est, hic præsto est*] Huic loco reddidit Cicero illum locum in Verrinis II. 12. *qui cives Romani erant, si Siculi essent, cum Siculos eorum legibus dari oporteret: qui Siculi, si cives Romani essent.* Nam subauditur ad *qui cives Romani erant, judices dabantur.* ad *si Siculi essent*, subauditur *rei*. *Quum ille est*] Ζεῦγμα secundum. Nam et hic subaudiendum est, *in noxa*. *Hic præsto est*] Ad defendendam causam, subauditur. D.

38 *Probe eorum facta imprudens*] Ideo *imprudens*: quia nescit in amore citharistriæ esse Phædriam. *Imprudens*] Modo insciens. D.

Probe eorum] V. C. *probe horum*. L.

Pro *eorum* omnes Faerni et nostri libri, præter duo, habent *horum*. B.

39 *Nam ni hæc ita essent, cum illo haud stares, Phædria*] Vide quemadmodum jam præstruat poeta ad ea quæ futura sunt, ad adjuvandum amorem Phædriæ. *Cum illo haud stares, Phædria*] Cum Antiphone scilicet. Et *cum illo*, ἀντὶ τοῦ *pro illo*. In ejus parte *stamus*, pro quo facimus. Sic Virg. XII. 565. *Juppiter hic stat*. D.

Nam ni hæc ita] Si hæc quemadmodum dicis non essent, ut nobis pariter ad vestra crimina defensionem præberetis, cum Antiphone tu non stare potuisses. E.

Nam ni hæc ita essent] Servius Æn. VIII. 653. L.

Servius ad Æn. VIII. 653. habet *pro illo haud stares*. Nostri omnes *cum illo*. Utrumque recte et more dicitur, sensu eodem. B.

Cum illo stares] *Stare cum aliquo* est partium alicujus esse, aliquem adjuvare. Nep. in Agesil. c. 5. *qui nobiscum adversus barbaros steterunt.* dicitur etiam stare ab aliquo Nep. in Datame c. 6. *coacti sunt ab eis stare quos reliquerant.* item *stare pro aliquo*. Ovid. Trist. I. 25. *mulciber in Trojam pro Troja stabat Apollo.* Sæpe hoc verbum a stantibus in acie militibus transfertur ad advocatos in foro. Phædr. III. 10. 37. *stant patroni fortiter causam tuentes innocentis feminæ.* R. D.

40 *Si est, patrue, culpam ut Antipho in se admiserit*] Principium per insinuationem subtilem. Et honesta locutio, *si est ut admiserit*: pro, si admisit. *Si est, patrue, culpam ut Antipho*] Oratorium principium ἀπὸ τῆς ἐπιεικίας τοῦ αἰτοῦντος. *In se admiserit*] Bono ornatu addidit, *in se*: quum ut sine hoc plenum videri possit. Et hic est, quem Cicero succum orationis appellat Orat. 23. D.

Digitized by Google

Ex qua re minus rei foret aut famæ temperans: 41
Non causam dico, quin quod meritus sit, ferat:
Sed si quis forte malitia fretus sua
Insidias nostræ fecit adolescentiæ,
Ac vicit: nostrane ea culpa est? an judicum, 45

Si est, patrue] Hoc est exordium plenissimæ intentionis et defensionis, in quo docet non se deprecari, neque defendere Antiphonem, si modo aliquam culpam in se Antipho admiserit, unde famam suam vulneraret. Deinde subjunxit: *sed si aliquis forte malitia sua fretus insidias fecit nostræ adolescentiæ.* Et bene *nostræ* adjecit, ut societatem non tam culpæ, quam malorum * sese adjunxit *(ut ad societatem non tam culpæ, quam malorum judiciorum sese adjungeret.* Z.) E.

41 *Ex qua re minus rei foret aut famæ*] Nota; hic comparativa qualitas est pauperis neque strenui. Et docuit in negotio nuptiarum duabus rebus consuli, *rei* et *famæ*, hoc est, facultatibus dotis, honestatique natalium. *Ex qua re minus rei foret*] Hæc tractatio est criminis oratoria: in qua defensor accusat *(excusat)* crimen, reumque purgat. *Ex qua re*] Haud venuste insertum *re*, cum præposuisset *culpam*. *Minus rei foret*] Quia pauperem. *Famæ*] Quia ignobilem. *Temperans*] Consulens, providens, moderatus. ut Georg. I. 360. *jam sibi tum curvis male temperat unda carinis.* D.

Minus rei aut famæ temperans] I. e. minus consulens rei familiari vel existimationi v. Donat. ad h. l. Sallust. in Catil. c. 25. *pecuniæ an famæ minus parceret, haud facile decerneres.* R. D.

42 *Non causam dico*] Non recuso, non depreeor. *Quin quod meritus sit, ferat*] Rhetoricum θεώρημα in hujusmodi exceptionibus: quo uti solet, qui propositæ causæ fiduciam gerit, si hoc aut illud, non oro veniam, non deprecor pœnam. *Quin quod meritus sit*] Hunc defensorem magis et non judicem dicam. sed hic colligitur patrocinantis auctoritas: non enim dixit, *quod voluerit (volueris)*, sed *quod meritus sit*, manente eo, si peccaverit tamen. D.

Pro *sit* unus e nostris habet *est*, male. B.

Non causam dico] I. e. non recuso, non intercedo. Elegans ratio loquendi. Plaut. in Capt. III. 4. 92. *hoc si secus reperies, nullam causam dico quin mihi Et parentum et libertatis apud te deliquium siet.* Cas. V. 4. 26. *nulla causa est quin pendentem me uxor verberes.* Cic. agrar. III. 1. *quid est causæ quin illa criminatione non solum meam sed etiam vestram diligentiam prudentiamque despexerit*, &c. ubi v. Græv. R. D.

Quin quod meritus sit ferat] H. e. quin meritas pœnas luat. R. D.

43 *Sed siquis forte malitia fretus sua*] *Forte*, quasi non defensurus, sed simul causam cogniturus advenerit. nec contendit verum esse quod dicit, ne sollicitum faciat ad credendum. Sic apud Virgilium Sinon, Æn. II. 136. *dum vela darent, si forte dedissent.* D.

44 *Insidias nostræ fecit adolescentiæ*] Bene se adjungit ad crimen, ut elevet culpam. *Insidias nostræ fecit adolescentiæ*] Mire *insidias* dixit: ut diu comparata causa, per ignorantiam dolosque capti videantur. *Adolescentiæ*] Opportuna ætatis commemoratio, πρὸς τὴν συγγνώμην. D.

45 *Nostrane ea culpa est, an judicum?*] Potentior facta sententia est τῷ ἐρωτᾶσθαι. Et oratorie, *nostrane culpa, an judicum?* duplex μετάθεσις: altera in accusatorem, altera in judices. Et bene suam miscuit personam, ut reum sublevet et suo merito, et multitudine reorum. *Nostrane ea culpa, an judicum?*] Mire assurrexit in fiduciam defensoris. Nam quum supra de Antiphone dixerit, nunc intulit *nostra*. D.

Nostra est culpa, an judicum?] Quod

Digitized by Google

Qui sæpe propter invidiam adimunt diviti,
Aut propter misericordiam addunt pauperi?
G. Ni nossem causam, crederem vera hunc loqui.
D. An quisquam judex est, qui possit noscere
Tua justa, ubi tute verbum non respondeas, 50
Ita ut ille fecit? P. Functus adolescentuli est
Officium liberalis: postquam ad judices
Ventum'st, non potuit cogitata proloqui:

si oppressi judicio sumus, crimen nostrum nullum est, sed judicum potius: qui frequenter invidia tollunt divitibus, aut propter misericordiam addunt pauperibus. E.

Tres Faerni libri præstantissimi, et nostri optimi exhibent, *nostram culpa ea est?* B.

46 *Qui sæpe propter invidiam adimunt diviti*] Notum alteri * (*notum est, alteri detrahere.* Z.) qui invident. D.

47 *Aut propter misericordiam addunt pauperi*] Posteriorem causam honestiorem posuit, ne non Antiphonem defendere, sed accusare judices videretur. *Aut propter misericordiam*] Primum ἀντίθετον. Et oratorie naturam judicum τῷ διοχισμῷ expedivit. D.

Propter misericordiam] Sotades: Ὁ πένης ἐλεεῖται, ὁ δὲ πλούσιος φθονεῖται. Antiphanes: Καλῶς πένεσθαι μᾶλλον, ἢ πλουτεῖν κακῶς· Τὸ μὲν γὰρ ἔλεον, τὸ δ' ἐπιτίμησιν φέρει. L.

48 *Ni nossem causam, crederem vera hunc loqui*] Suavissime laudavit oratorem: qui omnia ad persuadendum idonea advocans, solum conscium non adduxit ad credendum. *Ni nossem causam, crederem vera hunc loqui*] Oblique poeta se laudavit. D.

Ni nossem causam] Satis laudavit orationem Phædriæ, siquidem tantam vim argumentorum duxit esse in oratione, uti crederet vera dici, ni ipse melius nosset veritatem. E.

49 *An quisquam index est, qui possit, &c.*] Apparet jam persuasum seni esse, verum adversarium fuisse Phormionem, non subjectum atque appositum sycophantam. unde ad aliud transit, ut accuset segnitiem in respondendo, quæ levior culpa est. Ita, ut cedentibus mos est, paulatim sensi singula extorquentur e manibus. D.

An quisquam est judex] Hoc proponit, quod (*quod haud.* Z.) invitus coactus sit: siquidem tacuit, neque verbum ullum respondit. Hic defensio illa ponitur, quod adolescens cogitare quidem potuit (*adolescens cogitata loqui non potuerit.* Z.) ut præ dolore et verecundia oppressus. E.

50 *Tua justa*] Diserte magis et absolute, *tua justa*: quam si aliter diceret. *Ubi tute verbum*] Non dixit: *parum dicas*: sed *verbum*. D.

Justa] Justa sunt, quæ causam continent, defensionis firmamenta. v. Casaub. ad Theophr. charact. I. 18. 308. R. D.

51 *Ita ut ille fecit?*] Unde scit? an illa poetæ virtus est, quod omnia ante inducit cognovisse: ne in scena, hæc ut nova audiens, tragicis motibus insaniret? *Functus adolescentuli est officium*] Oratorie quod objectum est, non purgavit modo, sed etiam ad laudem convertit. quod rhetores στοχάσασιν, dicunt. Et hoc de Appollodoro. *Functus adolescentuli est officium liberalis*] Derivatio causæ: et est venialis status. *Functus adolescentuli est officium liberalis*] Ingeniose non negavit hoc crimen, occasionem laudis de confessione sumturus. D.

52 *Officium liberalis*] Potenter *officium* nominat, quod ille *crimen* appellat. Et nota, *functus officium*, accusativo casu, quod nos ablativo. D.

53 *Postquam ad judices ventum est*,

Digitized by Google

Ita eum tum timidum obstupefecitpudor. 54
G. Laudo hunc: sed cesso adire quam primum senem?
Here, salve; salvom te advenisse gaudeo. D. Ho!
Bone custos, salve, columen vero familiæ,
Cui commendavi filium hinc abiens meum.
G. Jam dudum te omnis nos accusare audio

non potuit cogitata proloqui] Hæc apud oratores μετάθεσις αἰτίας dicitur, hoc est, translatio causæ facti: quem vulgo *colorem* nominant. *Non potuit cogitata proloqui*] Ergo quod cogitavit, industriæ est: quod nihil dixit, pudoris. D.

Cogitata non potuit proloqui] Hæc pars venialis est, ex ætate. E.

Non potuit cogitata proloqui] Simile quid de Thucydide narrat Aristophan. in Vespis:—ἐκεῖνο μὲν δοκεῖ πεπονθέναι, Ὅστις ποτὲ φεύγων ἔκαδε καὶ Θουκυδίδης, Ἀπόλλωνος ἐξαίφνης ἐγένετο τὰς γνάθους, Ubi vid. quæ notat scholiast. Similemque causam silentii allegat Decius Brutus apud Dionys. Halicarn. lib. VI. pag. 369. et de Antonio Crassoque Cicero de Oratore libr. 1. Vid. Ælian. Var. VII. 12. Gell. VIII. 8. L.

54 *Ita eum tum timidum*] *Timidum*, perturbatum. Plautus Bacch. I. 1. 73. *nam ut ex mari timida es.* Et ipse in Adelphis, *me miseram! quidnam est quod sic video timidum, et properantem Getam?* D.

Versus probat post *timidum*, illud *ibi*, quod in Bemb. Victor. et uno e nostris reperitur. B.

55 *Laudo hunc. sed cesso adire*] Satis defensionis est, ubi Geta jam adire non timeat dominum. D.

56 *Here, salve: salvom te advenisse gaudeo*] Principium a benevolentia. Et vide vernilitatem aptissimam servo callido. credasne hunc esse, qui supra dixerit, *herus si redierit, molendum esse in pistrino, vapulandum*, et cætera? D.

Salvum te advenire] Oportune servus cum duos locos perdidisset accusator, vehementer jam confractam senis iracundiam videret, supponit se. E.

57 *Ho! bone custos, salve*] Ab initio idem motus (*modus*, vel, *mos.* Z.) servatus est seni. Nam idem hoc est quod supra dixit, *O Geta monitor.* quamquam per αὔξησιν plus significat quod dicit, *bone custos*: quam quod supra, *monitor. Columen vero familiæ*] *Columen*, culmen an *columen*, columna? unde *columellæ*, apud veteres, dicti servi majores domus. Lucil. XXII. *Servus neque infidus domino, neque inutilis cuiquam, Lucili columella, hic situs Metrophanes.* Tubero, *hinc in millesimum annum eorum columine civitas continebitur.* Horatius Carm. I. 35. 13. contra pro columine columnam, *infuriosone pede proruas Stantem columnam.* Ennius X. *regni vertatum summamve columnam. Columen vero familiæ*] Sustentatio vel decus. unde *columnæ* dictæ. et moralis αὔξησις in sententia. D.

Columen vero familiæ] Dignitas vel certe sustentatio, unde *columnæ* dicuntur. E.

Columen familiæ] I. e. præsidium, auxilium. Plaut. in Cas. III. 2. 6. *sunt columen præsidium populi* Cic. pro Sext. *columen reipublicæ diceres intueri*, Curt. IX. 6. *quis deorum hoc Macedoniæ columen ac sidus diuturnum fore polliceri potest.* Horat. Carm. I. 35. 14. *Stantem columnam*; nam voces columen, culmen, columna, ut ejusdem sunt originis, ita ejusdem fere significationis, v. Donat. ad h. l. et Burmann. ad Serv. ad Æn. VII. 664. R. D.

58 *Cui commendavi filium hinc abiens meum*] Duplex excusatio (*accusatio.* edd. vett.) est de eo quod fecerit. Hæc conveniunt in eas personas. quas spectare non oportuerit. D.

59 *Jamdudum te omnes nos accusare audio immerito*] Vide quam in his verbis etiam vultus quidam servi contuma-

Digitized by Google

Immerito, et me omnium horum immeritissimo. 60
Nam quid me in hac re facere voluisti tibi?
Servom hominem causam orare leges non sinunt:
Neque testimonii dictio est. D. Mitto omnia:

cis appareat, et versute mali. Et hoc est quod dixerat, *ego in insidiis hic ero succenturiatus.* D.

Jam dudum te omnes nos accusare audio] Id est quod supra dixit, *ego hic in subsidiis ero.* Ita defensio superior unam instituit pugnam. E.

60 *Immerito, et me omnium horum immeritissimo*] Tantum impudentiæ superest: ut non solum se, sed alios etiam defendat. Horum omnium immeritissimo ὁ πλήϱης *horum*: et sic nos *hanc* et *hunc* dicimus. *Immeritissimo*] Ut parvo, falso, de adverbiis est in o desinentibus. D.

Cum Faerno legendum puto, *et me horunc omnium immeritissimo.* Nam hic ordo extat in Bemb. et Faerni Donatus, in secunda expositione, ita laudet, *horum commerito*, h. e. *horunc o. immerit*, h. e. *horunc omnium immeritissimo.* Etiam in Basilic. et nostro aliquo vet. est *horunc.* B.

61 *Nam quid me in hac re facere voluisti*] Bona exceptione locutus est, quasi in aliis omnia fecerit. *In hac re voluisti tibi*] Quam contemnat iram domini, ut hoc ipso purgatior videatur, ex hoc apparet, quod addidit *tibi.* Sic enim dicere solemus, *quid tibi vis faciam?* quum alieno negotio frustra nos ostendimus laborare. D.

Nam quid me in hac re voluisti facere tibi?] Optime fecit. Et adjecit alia sui nominis adjumenta: nam si utique dominus coactus fecit omnia, quæ facta sunt, neque libertas ulla fuit ad contradicendum, quanto magis servulus, cui in conditione servitutis libere loqui non licet, neque testimonium dicere, neque causam agere? E.

62 *Servom hominem causam orare leges non sinunt*] Hoc enim (*nunc*) quasi ignoranti dicit: sed stomachose admonet, velut stultum, qui rem manifestam non cogitet. *Servom hominem causam orare leges non sinunt*] Vetuste *hominem.* Sallust, in Jugurtha 12. *quum interim Hiempsal reperiretur occultans se in tugurio mulieris ancillæ. Servom hominem causam orare leges non sinunt*] Mire extenuavit conditionem suam, dicendo non *me*, sed *servum.* Et addendo *hominem*, moraliter locutus est. Sic Virg. X. 719. *venerat antiquis Coriti de finibus Acron, Graius homo. Causam orare*] Non improprie (*causam orare leges non sinunt. proprie.*) Sic Virg. VI. 849. *orabunt causas melius.* D.

Servum hominem causam orare] Comicus apud Philon. οὐ γὰϱ μετεῖναι τῶν νόμων δούλοις ἴφυ. Imp. Constant. *servi rejiciant in jure personae: quia hujuscemodi conditionis hominibus causas orare fas non sit.* L.

Causam orare] I. e. in judicio agere, dicere Virg. Æn. VI. 846. *orabunt causas melius.* Liv. XLV. 36. *integro sibi die ad càusam eam orandam opus esse. Orare* simpliciter dicunt Sueton. in Tito c. 3. *Latine, Græce vel in orando vel in fingendis poematibus promtus*, et Rhetores latini. R. D.

63 *Neque testimonii dictio est*] Vis scire, inquit, quam non liceat servo pro domino dicere? nec testis loco produci potest. *Neque testimonii dictio est*] Varie: non enim dixit, *neque testimonium dicere. Mitto omnia*] Et jam hoc perdidit senex, quod videbatur validum ad accusationem. Ita gradatim illi singula subducuntur, et accusationis impetus evanescit. D.

Neque testimonii dictio] Harmenopul. lib. 1. Tit. 6. §. 51. Δοῦλος οὐ μαϱτυϱεῖ. l. 13. C. Theod. de Fid. test. l. 11. C. Just. de Testib. Novel. Justin. 90. cap. 6. Novel. Leon. 49. Servi tamen responso tum credendum est, cum alia probatio ad eruendam veritatem non est, Modestin. lib. 3. Regul. L. 7. ff. de testib. L.

Digitized by Google

Addo istuc: imprudens timuit adolescens: sino.
Tu servus: verum si cognata est maxume,
Non fuit necesse habere: sed, id quod lex jubet,
Dotem daretis: quæreret alium virum.
Qua ratione inopem potius ducebat domum?
G. Non ratio, verum argentum deerat. D. Sumeret
Alicunde. G. Alicunde! nihil est dictu facilius.

Neque testimonii dictio est] I. e. non potest servus testis esse in judicio. R. D.

64 *Adde istuc, imprudens timuit adolescens*] Hæc omnia verba cessalem ad argumentandum vim habent. *Imprudens timuit adolescens; sino*] Σχῆμα διανοίας, συγχώρησις. Et singula pronunciandæ, ut plura videantur. *Mitto, sino*, vim habent contra voluntatem concedentis. D.

Pro *adde*, quod nostri habent, præfer Bembini *addo*, quod magis convenit illi *mitto*, et *sino*. B.

65 *Tu servus: verum si cognata est maxume*] Sub obtentu hujus propositionis, in qua pars legis ostenditur, jam poeta præparat locum fallaciæ Phormionis de dote accipienda. *Verum si cognata est maxume*] Τῷ ἰδιωτισμῷ addit τὸ *maxume*. Nam sive est cognata, sive non est, non recipit τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον. Hoc est, non dicitur maxime cognata, et cognata minime: sed aut est, aut non est. Alii sic ordinant, non fuit necesse maxime habere. Alii, sed id quod lex jubet, maxime dotem daretis. D.

Verum si cognata est] Senex omnia argumenta concedit . . . . ad *(concedit, non tamen admittit.* Z.) veniam, sed oppouit leges, quæ jubent ut dos orbæ dari possit. Sed hic, ut supra diximus, occurrit per venialem statum, quod argentum defuit. Quam rem cum solvisset, senex dicit *sumeret alicunde*, vel fœnore. Soluta est tamen . . . . *(tamen objectio hæc a servo.* Z.) quod negavit licere filio familiæ mutuam . . . . . pecuniam credi *(mutuam, vivo patre, sumere pecuniam a creditoribus.* Z.) E.

66 *Sed id quod lex jubet, dotem daretis*] Id quod lex jubet: ordo. sic *(jubet orbæ sci.)* Virg. Ecl. III. 35. *verum, id quod multo tute ipse fatebere majus.* D.

Pro *necesse* duo vett. nostri *necessum*. B.

67 *Quæreret alium virum*] *Quæreret*, quam idoneum est ad significationem odiorum! Virgilius, *quærat sibi fœdera Turnus.* D.

Quæreret] Pro quærere potuisset vel debuisset ut mox v. 69. *sumeret alicunde argentum.* v. Duker. ad Liv. XLV. 37. R. D.

68 *Qua ratione inopem potius ducebat domum?*] Magno sonitu intulit, quod minus momenti habet adversus eos qui accusantur, quam illa superiora. *Inopem potius ducebat domum?*] Non *inopem potius*, sed *potius ducebat* subdistinguendum est. D.

69 *Non ratio, verum argentum deerat*] Hoc ita ludibundus absolvit Geta, ut etiam quasi per jocum responderet. D.

Sumeret] Scilicet mutuo. Cic. in Bruto c. 19. *a Nævio vel sumisti multa vel si negas surripuisti.* Mutuum distinguitur a fœnore, nam mutuum datur sine usuris. Plaut. in Asin. I. 389. *nam si mutuas non potero sumam fœnori.* v. Salmas. de usuris p. 17. R. D.

70 *Alicunde! nihil est dictu facilius*] Hoc quasi subridens, et averso ab illo vultu pronunciavit Geta. quod genus actionis securitatem ostendit hominis, manifesta dicentis. *Alicunde!*] Demipho *alicunde* ad facilitatem retulit: hic sic intelligere se fingit, ut quasi non habens ipse Demipho de proximo a quo dicere incipiat, dixerit *alicunde. Nihil est dictu facilius*] Mire, ut solet, pro-

Digitized by Google

D. Postremo, si nullo alio pacto, fœnore.
G. Hui! Dixti pulchre, siquidem quisquam crederet,
Te vivo. D. Non, non sic futurum'st: non potest.
Egon' illam cum illo ut patiar nuptam unum diem?
Nihil suave meritum'st. hominem commonstrarier 75

verbio uno dissolvit totam senis intentionem. ut in Heautont. *Quid si hoc pater resciverit? Quid si redeo ad illos qui aiunt, Quid? si nunc cœlum ruat?* D.

Fallitur Faernus, qui ex Bemb. vult legi *dicto*. Nam *dictu* et libris et sensu comprobatur; quia post *facilius* intelligi debet *quam illud alicunde*. B.

71 *Postremo, si nullo alio pacto, vel fœnore*] Ostendit se senex hæc perdere: quam ab his ad alia transcendit exclusus. D.

Illud *vel* vulgare ante *fœnore* a versu respuitur, et abest in Bemb. Victor. et tribus nostris. B.

Fœnori] *Fœnus* rectius scribitur per simplex *e* quam per *æ*. Nam derivatur ab antiquo *feo, fero*, unde etiam *fetus* et *fecundus*. *Feo* autem non nisi forma differt a Græco φύω, v. Gesner. ad Claudian. de nuptiis Honorii v. 37. Veteres plerumque dicunt *sumere, accipere fenore*, ICti *sumere fenori*. R. D.

72 *Dixti pulchre, siquidem quisquam crederet*] Vide quam non laboret ad respondendum Geta: siquidem illi per *sycophantias* respondit. *Crederet*] Pecuniam committeret. D.

Siquidem quisquam crederet] Vid. Tit. D. de SCto Macedoniano. Justinian. Instit. lib. IV. Tit. VII. §. 7. Ecolog. Basilicor. 18. Tit. IV. et ibid. Scholiast. L.

73 *Non, non sic futurum est: non potest*] Hic jam palmæ locus est debitæ poetæ, siquidem et omnia objecerit Demipho, et omnia solverit Geta: quibus actis, sola irrationabilis exclamatio relinquetur seni. *Non, non sic futurum est: non potest*] Moralis abnegatio frequenti repetitione firmata. D.

Non sic futurum'st] Convictus in omnibus senex ad iracundiam redit, negatque permissum esse, uti cum filio suo maneat illa nupta. E.

Non, non sic futurum est] Magna vis est in repetitione negantis Liv. XXX. 14. *non est, non (mihi credas), tantum ab hostibus—periculum* ubi v. Gronov. R. D.

74 *Egone illam cum illo ut patiar nuptam unum diem?*] Hic est de quo supra dictum est, *illene indotatam virginem atque ignobilem daret illi? nusquam faceret. Egone illam cum illo ut patiar nuptam*] Hic jam præstruitur, quam facile triginta minas perditurus, sit Demipho, dum illam vult excludere. D.

Egone ut patiar] Supplendum *credis, postulas* vel simile quid Andr. I. 5. 28. Horat. Serm. II. 5. 18. *utne tegam spurco Damæ latus? Liv. IV. 2. illinc ut concitent bella* ubi v. interpretes.

Nuptam cum illo] Pro *nuptam illi* quod frequentius est. Cic. ad Div. XV. 3. *quocum esset nupta regis Armeniorum soror* Gellius VII. 1. *Scipionem cum quo nupta erat*. R. D.

75 *Nihil suave meritum est*] Ordo et sensus hic est, nihil mihi mercedis suave est, ut ego illam cum illo nuptam feram. *Suave meritum* enim, suavem mercedem significat. *Hominem commonstrarier*] Bono ordine pervenit ad Phormionem: a quo magis confutabitur. D.

Ob sententiam corrige *nil suave merita'st*, sc. illa dolo et malitia obtrusa filio, ut genere proxima. Nec est, quod cum Goveano et Guyeto corrigas *meritu'st*, sc. Antipho. Hic enim jam excusatus erat. B.

Nil suave meritum est] I. e. nulla est tam magna merces, nullum tantum pretium, quod libens capiam, si habendam sit ea conditione, ut illam patiar cum

Digitized by Google

Mihi istum volo: aut ubi habitet, demonstrarier.
G. Nempe Phormionem. D. Istum patronum mulieris.
G. Jam faxo hic aderit. D. Antipho ubi nunc est?
P. Foris.
D. Abi, Phædria; eum require, atque adduce huc.
P. Eo,
Recta via equidem illuc. G. Nempe ad Pamphilam.
D. At ego deos penatis hinc salutatum domum 81

illo nuptam uno die. Ita h. l. egregie explicat magnus Gronovius Observat. in scriptor. ecclesiast. VII. 77. Cic. de Nat. Deor. I. 24. *quid mereas ut Epicurus esse desinas!* v. Ferrar. ad Cic. Philipp. I. 44. *putasne illum immortalitatem mereri voluisse!* R. D.

76 *Aut ubi habitet, demonstrarier*] Mire ostendit, quam hic senex contemnat Phormionem modo, a quo mox superabitur (*magis confutabitur.* ed. Du B.) D.

77 *Istum patronum mulieris*] Hic et contemtum adversarii, et sui fiduciam monstrat. D.

Pro *istum* lege *istunc*, accentus causa. B.

78 *Jam faxo hic aderit*] Virg. IX. 154. *haud ibi cum Danais rem, faxo, et pube Pelasga. Antipho ubi nunc est?*] Mitius nunc quærit ubi sit Antipho: et utrum amatæ adhæreat, subtiliter quærit. Quod servus intelligens, respondet *foris*. *Foris*] *Foris* dixit, quum fugisse eum sciat. D.

Antipho ubi nunc est?] Callide interrogavit senex, sive (*filius ubi sit.* Z.) ut ex hoc possit intelligere, illum diligere uxorem. Quam rem astute servus agnoscens nihil aliud respondet, nisi *foris*. B.

Illud *foris* Donatus et alter ex Meadianis recte tribuit Getæ. Nam Phædria, qui in alia domo vivebat, rem scire non poterat. B.

Faxo aderit] Faxo cum fut. indicat. non nisi comici jungunt. v. Bun. II. 2. 54. IV. 3. 21. R. D.

79 *Abi, Phædria: eum require, atque adduce huc*] Opportune et apta simplicitas attribuitur Demiphoni, nihil tale de Phædria suspicanti. D.

80 *Eo recta via equidem illuc*] Et amatorem ostendit Phædriam: et simul id agit, ne in conspectum patris veniat Antipho. *Nempe ad Pamphilam*] Nisi hoc Geta dixisset, non intelligerent spectatores quid dixisset Phædria. D.

Ne versus laboret, sume lectionem Bembini, Donati et aliorum libb. *quidem* pro *equidem*. B.

81 *At ego deos penatis hinc salutatum domum devortar*] Nulla mentio fit uxoris apud Demiphonem. non enim convenit argumento ut habeat. neque quid in Cilicia gesserit, demonstratur ideo, quia jam dictum est, *noster in Ciliciam ad hospitem antiquum.* causa enim quæsita est cur abesset, dum uxorem ducat Antipho: et causa ex argento, id est, avaritia, quo minus videatur pati rerum pauperem, qui ob spem lucri ab Attica in Ciliciam navigarit. *Hinc salutatum*] Ab hoc loco. *Salutatum*] Adoratum prima post reditum prece (*quod est primum post redditam precem.* Uterque lib.) D.

Deos penates hinc salutatum] Elegans locutio *deos salutare*, quam Servius etiam probat, Terentii hunc locum laudans, ad Virgil. Æneid. XII. vers. 257. *Augurium salutant.* Sic Livius XXXVIII. 51. *ego hinc extemplo in Capitolium ad Jovem optimum maximum, Junonemque et Minervam cæteroque deos, qui Capitolio atque arci præsident, salutandos ibo.* Passim autem hujus devotionis, qua penates salutabantur, in comœdiis exempla. Sed optime Hieronymus in

Digitized by Google

Devortar: inde ibo ad forum, atque aliquot mihi
Amicos advocabo, ad hanc rem qui adsient;
Ut ne imparatus sim, quum adveniat Phormio.

ACT. II. SCENA II.

PHORMIO. GETA.

ITANE patris ais conspectum veritum hinc abisse?
G. Admodum.

Essiam lib. XVI. cap. 58. *nullus fuerit locus, qui non idolatriæ sordibus inquinatus sit, in tantum ut post fores domorum idola ponerent, quos domesticos appellant Lares, et tam publice quam privatim animarum suarum sanguinem funderent. Hoc errore et pessima consuetudine vetustatis multarum provinciarum urbes laborant, ipsaque Roma orbis domina in singulis insulis domibusque Tutelæ simulacrum cereis venerans ac lucernis, quam ad tuitionem isto appellant nomine, ut tam intrantes, quam exeuntes domos suas inoliti semper commoneant erroris.* Penates plures erant: id quod Procopius indicat, cum ait, in eorum numerum Janum bifrontem olim quoque relatum fuisse: Gothicor. lib. I. pag. 205. ὁ Ἴανος πρῶτος μὲν ἦν τῶν ἀρχαίων θεῶν, οὓς δὴ Ῥωμαῖοι γλέσσῃ τῇ σφετέρᾳ Πένατας ἐκάλουν. Inde Penates familiares utriusque sexus nominantur in inscriptione vett. p. 2. num. 9.

DIIS. DEABUS.
PENATIBUS.
FAMILIARIBUS.
ET. IOVI. CÆTERIS
VE DIIBUS. L.

Illud *at* damnatur a versu et sensu. B.

Deos salutare] I. e. venerari. Plaut. in Bacchid. II. 3. 113. *deos atque amicos iit salutatum ad forum.* Cic. pro Rosc. Amer. c. 20. *cum deos salutatum aliqui venerint.* v. Brisson. de formul. p. 30. R. D.

82 *Devortar*] Bene *devortar*, quasi de via. *Atque aliquot mihi amicos advocabo*] Jam præparat ridiculam advocationem: qua plures adhibendo jurisconsultos incertior reddetur. D.

83 *Amicos advocabo*] *Amicos* et pro testibus, et pro advocatis veteres posuerunt. *Adsient*] Proprie *adsient*. *Adesse* enim dicuntur advocati. D.

84 *Ut ne imparatus*] Pro *non*. D. Bembini *si*, pro *quum*, placet. Nam poterat dubitare, an hoc die esset adventurus. B.

1 *Itane patris ais conspectum veritum hinc abisse?*] In hac scena de parasitis vilioribus Terentius proponit imaginem vitæ: ut in Eunucho de potioribus, et his qui nuper processerint, id est, de assentatoribus. Animadvertendum autem hujusmodi genus hominum magis a Terentio lacerari. *Itane patris ais conspectum veritum hinc ubiisse?*] Adhuc narratur fabula de Terentio et Ambivio ebrio: qui acturus hanc fabulam, oscitans temulenter, atque aurem minimo inscalpens digitulo, hos Terentio pronunciavit versus. quibus auditis exclamaverit poeta, se talem quum scriberet, cogitasse parasitum: et ex indignatione, quod eum saturum potum-

Digitized by Google

P. Phanium relictam solam? G. Sic. P. Et iratum senem?
G. Oppido. P. Ad te summa solum, Phormio, rerum redit:
Tute hoc intristi; tibi omne est exedendum: accingere.
G. Obsecro te. P. Si rogabit? G. In te spes est. P. Eccere.
Quid si reddet? G. Tu impulisti. P. Sic opinor. G. Subveni.

que deprehenderat, delinitus statim sit. *Itane patris ais*] Hæc et labia lingens, ut ebrius: et ructans, utpote satur, pronunciavit actor bonus. *Admodum*] *Admodum* annuendi vim habet duntaxat modo: et subauditur *veritum*. D.

Itane patris adventum] Hæc scena Phormionem loquentem habet, ac se (*servo*. Z.) promittentem adversus patris iracundiam purgaturum (adde, *filium*. Z.) Hæ solæ allocutiones hic tenentur. E.

2 *Phanium relictam solam?*] Subauditur, *ais*. *Iratum senem?*] Iterum *ais* subauditur. D.

3 *Oppido*] Non *aio*, sed *iratum* intellige. *Ad te summa solum, Phormio, rerum redit*] Ideo velut expergefactus ad has causas accedit Phormio, quia non diu sollicitum convenit esse parasitum: nec quicquam aliud, nisi de convivio, vel propter convivium cogitare. adeo, nisi a Geta cogatur, modo etiam negotiorum Antiphonis negligens est, atque securus. D.

Ad te summa solum] Hoc est, a te cuncta explicanda. E.

Ad te rerum summa redit] Locutio sumta ab iis, quibus aut reipublicæ cura aut bellorum gerundorum præfectura mandata. Iis enim *summa rerum* committi dicitur. Cæs. de B. C. III. 5. *ad hunc summa imperii respiciebat*. v. Drak. ad Liv. VIII. 26. R. D.

4 *Tute hoc intristi, tibi omne est exedendum*] Παροιμία apta parasito: quæ de cibo est. Hoc autem inter rusticos de alliato moretario dici solet. Et bene *intristi*: proprie enim *intrita*, dicitur hujusmodi cibus. *Accingere*] Appara te, atque expedi. D.

Tute hoc intristi] Ex proverbio natum, quod est apud rusticos, cum male intritum cibum coactus est sumere, qui intrivit. Et est sensus: a te confecta (*incepta*. Z.) res est, quam debes absumere (*absolvere*. Z.) E.

Tute hoc intristi] Ausonius ad Paulum. Idyll. 7. *tibi, quod intristi, exedendum est: sic vetus verbum jubet. Compedes, quas ipse fecit, ipsus ut gestet, faber*. L.

Tute hoc intristi] I. e. tu hujus mali auctor es, tu etiam pœnam luces. Metaphora a genere cibi quod *intritum* vocant. v. interpret. ad Phædr. I. 26. 7. R. D.

5 *Eccere. quid si reddet?*] Totum hoc quasi alia agens loquitur parasitus: ut ex hoc appareat quid intersit inter audaciam sycophantæ improbi, et patrisfamilias perturbationem minime litigiosi. Nam ille in bona causa advocatos quærit, et ipse sollicitus in toto actu est; hic in puncto temporis se ad calumniam præparavit. D.

Eccere] Ms. R. *ecce res*. sed alterum rectius. Glossar. *eccere*, κατὰ τῆς Δήμητρος. *Eccire* ἰδεῖν. Vid. Festus et Charis. L.

Pro *rogitabit* plures et meliores codd. habent *rogabit*. B.

Eccere] Vel pro *ecce* dicitur, vel est jusjurandum, quasi dicas: per Cererem, ut *Ecastor*, *Ædepol*, &c. v. Fest. in hac voce. R. D.

6 *Quid si reddet?*] Bene jam ad il-

Digitized by Google

P. Cedo senem: jam instructa sunt mihi corde consilia omnia.
G. Quid ages? P. Quid vis, nisi ut maneat Phanium; atque ex crimine hoc
Antiphonem eripiam; atque in me omnem iram derivem senis? 9
G. O vir fortis atque amicus! verum hoc sæpe, Phormio,
Vereor, ne istæc fortitudo in nervom erumpat denique.
P. Ah,

lâd respicit fabula, quod futurum est, propter Phædriam. *Quid si reddet?*] Hoc est, quid si respondebit? An, quid si mulierem reddet? *Sic opinor*] Non ad *tu impulisti* hoc pertinet; sed ad id, quod secum tacitus volvit Phormio. D.

7 *Cedo senem*] Hic alii exclusisse (*excussisse*) torporem somni inducunt parasitum. alii transglutisse quod in ore mandebat: quasi hoc moræ fuerit ad vincendum senem. *Cedo senem*] Non parvi moliminis certamen impendet, quum senex dixerit, *hominem commentarier mihi istum volo;* parasitus dicat, *cedo senem.* D.

Instructa sunt] Cicero de Nat. Deor. III. 29. L.

Ut *mihi* acuatur, sequor ordinem multorum codd. *jam instructa mihi sunt corde c. o.* cæterum pro *in corde*, meliores libri recte omittunt *in.* B.

Cedo senem] I. e. veniat si vult, Phædr. V. 2. 4. *cedo illum jam curabo sentiat quos,* &c.

8 *Quid ages?*] Non interrogantis, sed metuentis hoc dictum est. *Quid vis, nisi ut maneat Phanium*] Tria promittit, in quibus omnis causa Antiphonis est constituta. *Atque ex crimine hoc*] Sic dixit, ex crimine eripiam, quasi ex incendio. Considera trium rerum, quas promittit, gradus per αὔξησιν esse servatos (*separatos.* Lib. uterque). *Phanium*] Uxorem scilicet Antiphonis. D.

Quid vis?] Secum deliberat, quærens potius consilium Phormio. Tandem reperit, ac serio pollicetur, quod amplius desideretur, Phanium manere apud maritum, atque Antiphonem (adde, *culpa liberari.* Z.) E.

Versus ratio suadet Bembini *nisi uti.* B.

9 *Antiphonem eripiam*] Bene *eripiam* dixit: quo vim significat doli, pro eo qui jam teneatur oppressus. Virg. XII. 947. *tune hinc spoliis indute meorum Eripiare mihi? In me omnem iram derivem senis*] *Derivatio* dicitur inflexio criminis ab eo ad quem pertinebat, ad eum ad quem non pertinet. D.

Ex nostris duo tantum *senis*, cæteri *Patris.* Utramvis recte. B.

In me omnem iram derivem] I. e. convertam. Cic. ad Attic. IV. 3. *id poterat inficiari, poterat in alios derivare* pro Milone c. 10. *dicam non derivandi criminis causa sed ut factum est.* v. Lambin. ad Lucret. II. 365. R. D.

10 *O vir fortis atque amicus!*] Ordine laudavit. plus est enim *amicus*, quam *vir fortis.* Et apparet adversum (*aversum*) Getam exclamasse: quod majorem vim habet, quam si *amice* dixisset. *O vir fortis, atque amicus!*] Nominativum pro vocativo posuit. *Verum hoc sæpe Phormio*] Bene *sæpe* addidit, ut sententiam faceret de speciali dicto. D.

Malim *O Phormio;* ut in illa sede trochæus evitetur. B.

11 *Vereor ne istæc fortitudo in nervum erumpat denique*] Quid est *istæc?* nimium audax scilicet. Et convenit hoc dictum Getæ: qui et supra dixerat, est parasitus, quidam Phormio, homo confidens. *Verum hoc sæpe, Phormio,*

Digitized by Google

Non ita est: factum est periculum: jam pedum visa'st via.
Quot me censes homines jam deverberasse usque ad necem,
Hospites, tum cives? quo magis novi, tanto sæpius.
Cedo dum, en unquam injuriarum audisti mihi scriptam dicam? 15

vereor, ne istæc fortitudo in nervum erumpat] Ex consuetudine Romana dixit: quia sæpe in nervum conjiciebantur, ex aliquo maleficio in carcerem missi. An numquid (*nunquid* abest in edd. vett.) proverbium a sagittariis natum est: quod immoderatæ plerumque vires, adducendo arcu non telum incitent, sed nervum rumpant? An ex eo, quod sæpe fortius ferientes, nervum sibi aliquem lædant? Ergo fortitudine nimia sæpe vinci, sæpe decipi contigit. *In nervum erumpat denique*] *Denique* modo παρέλκον, Terentiana consuetudine, qui hanc particulam in ultima ponit sententia. D.

Fortitudo in nervum] Denique vehementer metuo, ne hæc virtus et fortitudo mittatur *in nervum*, hoc est, in contrariam rem. Facile enim patitur fortitudo, (adde *ut*. Z.) si nervum forte percusserit, solidiore parte resistente, ille qui percutit vulneratur (*vulneretur*. Z.) E.

Ne istæc fortitudo in nervum erumpat] H. e. ne propter istam fortitudinem in vincula conjiciaris. infra IV. 4. 15. *nostra causa in nervum ibit*. Nervus est ligneum vinculi genus, in quod pedes reorum immittebantur et nervis animalium vinciebantur. v. Fest. in h. voce et Salmas. de modo usurar. p. 812. R. D.

12 *Jam pedum visa est via*] *Pedum* pro pedibus. et *visa* ἀντὶ τοῦ *provisa*. Et totum μεταφορικῶς. D.

Jam pedum visa est via] Jam res quemadmodum it, habe. E.

Versus exigit *Periclum*, quod ipsum extat in Vatic. Vict. Basilic. et aliis. B.

Jam pedum visa est via] I. e. jam perspecta mihi ratio est, qua pedes nervum effugere possint. R. D.

13 *Quot me censes homines jam deverberasse usque ad necem?*] Parasitice totam translationibus loquitur. hujusmodi est enim vis umbraticorum hominum, scurrilis oratio. D.

Me censes homines] Profert exemplum, quo docet, nihil sibi fieri posse, ex hoc, quod multos homines usque ad necem verberaverit; et, cum tantas injurias fecerit, nunquam injuriarum sit accusatus. E.

Deverberasse usque ad necem] H. e. per fraudem et calumniam bonis evertisse ac spoliasse. Sic *verberare* pro *argento emungere* apud Plaut. in Pseud. I. 5. 60. *alio tu modo. Me verberare, atque ego te soleo cogitas*. Simile ratione *jugulare, interimere, conficere, lacerare*, &c. non mortem, sed grave aliquod damnum significant, quas locutiones exquisita eruditione illustrat Duker. de latinit. veter. lCtor. p. 433. R. D.

14 *Hospites, tum cives*] Ἀνακόλουθον secundum: deest enim supra, *cum*. Et bene posterius posuit id quod majus est. D.

15 *Cedo dum, en unquam injuriarum audisti mihi scriptam dicam?*] Plus est hoc per interrogationem intulisse, quam si diceret, nunquam mihi scripta est injuriarum dica. *Injuriarum audisti mihi scriptam dicam?*] Ἀκυρολογία. sic enim et Tullius, Ver. II. 15. *Scribitur Heraclio dica. Dica*] *Dice* causa est Græce, quæ fit Latine *dica*: ut *acte acta, calliope calliopa*. D.

En unquam] Formula frequens et elegans eorum qui per interrogationem

Digitized by Google

G. Quid istuc? P. Quia non rete accipitri tenditur neque milvo,
Qui male faciunt nobis: illis qui nihil faciunt, tenditur:
Quia enim in illis fructus est, in illis opera luditur.
Aliis aliunde est periculum, unde aliquid abradi potest:
Mihi sciunt nihil esse. dices, ducent damnatum domum.

vel optant vehementer vel indignanter. Plaut. in Trin. II. 4. 189. *O pater! En unquam aspiciam te.* Liv. IV. 3. *En unquam creditis fando auditum esse.* Sil. Italic. XVI. 91. *an unquam lucebit in orbe Ille dies* interpret. ad Liv. XXIV. 14. XXX. 21. R. D.

16 *Quid istuc?*] Interrogare dicitur et fingitur Geta, ut parasitica progrediatur oratio. *Quia non rete accipitri tenditur, neque milvio*] Rursus per ἀλληγορίαν loquitur parasitus: ut totum triviale sit, a conviviis escisque translatum. *Quia non rete accipitri tenditur, neque milvio*] Legitur et *tennitur.* habet enim *n* litera cum *d* communionem. D.

Quia non rete accipitri tenditur, neque milvo, qui male faciunt nobis] Idcirco, inquit, non sum accusatus post tot injurias, quas feci civibus, quum ea (*retia.* Z.) non fiant malis avibus, ut capiantur. *Non recte* ergo *tenditur, qui nobis male faciunt,* quod quidam legunt, at contra illis aliis tenditur, qui nobis non male faciunt. E.

Pro *milvio,* codd. Faerni et nostri *miliio* habent, et ita apud alios auctores libri vett. B.

17 *Qui malefaciunt nobis*] Ore et unguibus scilicet. *Illis qui nihil faciunt, tenditur*] Non sic accipe, *nihil faciunt,* quasi dicat, nec bene nec male: sed quum legeris *nihil faciunt,* subaudito *nobis male.* D.

18 *Quia enim in illis fructus est*] Παρέλκει tertium: quo aut *quia,* et sic *enim* subjugatur, aut ipsum *enim* supervacuum est. *In illis fructus est*] Quia nihil faciunt nobis male. *Quia enim in illis fructus est*] *Fructus,* cibus: quia *frumen* dicitur tractus gulæ, qua cibus in alvum demittitur. *In illis opera luditur*] Qui male faciunt nobis. *Luditur*] Exercetur (alii, *exterretur.* Forte, *conteritur.*) An *illuditur,* id est, frustratur? D.

Pro posteriore *illis,* alii habent *his.* Sed repone *istis* sc. accipitre et milvo. *Isti* enim dicitur de iis, qui contemnuntur. B.

19 *Aliis aliunde est periculum, unde aliquid abradi potest*] Utrum hic sensus est, quasi dixerit, aliud aliis periculum affertur, a quibus aliquid auferri potest? an alii aliunde periclitantur, quam oreduntur? est enim illis causa periculi, non quæ videtur (*quia invidetur*), sed quia ab his aliquid auferri potest. *Unde aliquid abradi*] *Abradi,* per vim auferri. D.

Aliis aliunde periculum] Qui habent, unde detrimentum sentiant. E.

Lege *Periclum,* ut vers. 12. ob eandem causam. B.

Unde aliquid abradi potest] H. e. a quibus aliquid pecuniæ auferri potest. Imitatur Cicero pro Cæc. c. 7. *postea quam videt nihil se ab Cæcina posse litium terrore abradere.* R. D.

20 *Mihi sciunt nihil esse*] Rei scilicet. *Ducent damnatum domum*] Secundum jus scilicet, quo obærati, quum solvendo non essent, ipsi manu capiebantur. *Ducent damnatum domum*] Miris usus est verbis ad extenuandam pœnam, et rem ad commodum transferendam. Nam quod obæratis inimicum est, id parasitus maxime optat, duci ab aliquo domum. Addidit autem *damnatum,* quasi qui irrideat genus damnationis, in qua victor pascere compellitur, et pascitur victus. D.

Dices, ducent damnatum domum] Sed

Digitized by Google

Alere nolunt hominem edacem. et sapiunt mea quidem sententia, 21
Pro maleficio si beneficium summum nolunt reddere.
G. Non potest satis pro merito ab illo tibi referri gratia.
P. Immo enim nemo satis pro merito gratiam regi refert.
Ten' asymbolum venire, unctum atque lautum e balneis,

proponis mihi, quod etiamsi fortunas non habeam, ex quibus condemnatus pœnam sustineam, tamen addici possum ad servitutem: hoc est enim *ducere damnatum*. Sed rursus itaque mihi maximum beneficium præstabunt, si addictum me sibi pascere incipiant, ut pro maleficio, quod illis intuli, beneficium cogantur restituere. E.

21 *Alere nolunt hominem edacem*] Sensus est, sciunt edacem, et ideo nolunt alere. Et hoc sic pronunciandum, ut facete totum videatur illatum. Quando obæratus sit sub hujusmodi pœna: nec accusari ab aliquo se queritur, neque damnari. *Hominem edacem*] Se significat. *Sapiunt*] Sibi consulunt. D.

Versus causa dele cum Bembino illud *quidem*. B.

22 *Pro maleficio si beneficium summum nolunt reddere*] Parasitice *beneficium summum* dixit alere. *Pro maleficio*] Pro injuria. *Reddere*] Retribuere, reponere. D.

23 *Non potest satis pro merito ab illo tibi referri gratia*] Multum promittit Geta parasito, quum dicat, nihil futurum, quod pro merito possit accipere. *Non potest satis pro merito ab illo*] Hujusmodi sententias inferunt poetæ parenthesi, cum his quæ volunt inferre *Ab illo tibi referri gratia*] Non ab eo, qui te damnatum duxerit: sed Antiphone, de quo sermo est. D.

Non potest satis] Hoc est, dominus, qui te utique addictum habebit, potest tibi bonam gratiam referre pro meritis tuis. E.

Pro *potest* versus poscit *pote*. B.

24 *Imo enim nemo satis pro merito gratiam regi refert*] Bene parasitus, quicquid præstat, debere se dicit. Et est proprium personæ inferioris. Virg. Æn. I. 82. *tu mihi quodcunque hoc regni, tu sceptra, Jovemque Concilias; tu das epulis accumbere divum. Gratiam*] Vicem. *Nemo satis pro merito gratiam regi refert*] *Rex* alias regnator, alias dominus, alias dives significat. Sed nunc rationem habet nominis ad aliquid dicti, ad significandum parasitum. ut enim parasitus regis est, et libertus patroni: sic e contrario rex parasiti est, et patronus liberti. quod si non esset, non *nemo* tantummodo, sed *nemo parasitus* diceret. D.

Immo enim nemo satis] Cum servus dixisset, potest tibi referre gratiam, hic contra, *gratiam*, inquit. *regi nemo refert*, vel qui nutritor (forte, *nutrit alios*. Z.) vel qui pascit solum. E.

25 *Tene asymbolum venire unctum, atque lautum e balneis*] Hæc non ab Apollodoro, sed e sexto satyrarum Ennii translata suat omnia: *quippe sine cura, lætus, lautus quom advenis, Infertis* (alii *insertis*) *malis, et expedito brachio, Alacer, celsus, lupino impetu, exspectans, Mox dum alterius obligurias bona: quid Censes dominis esse animi? Pro divum fidem! ille tristis cibum dum servat, tu ridens voras. Tene asymbolum venire*] Et hoc nomen constat, inter parasitos confictum, atque compositum esse. Contra illud in Andria, *symbolum dedit, cœnavit*. D.

Venire unctum] Quanta commoda sint servientis, enumerat, quod sine collatione lautus, atque unctus e balneis rediens otiosus est animo, dominus vero cura et sumtu absumitur. E.

Asymbolum venire] Ἀσυμβόλως δειπ-

Digitized by Google

Otiosum ab animo: quum ille et cura et sumtu absumitur,
Dum tibi sit quod placeat: ille ringitur; tu rideas:
Prior bibas, prior decumbas: cœna dubia apponitur?

νεῖν. Eustath. in Homer. Diodor. ἀπέρχεται οἰκάδ' οὐ καταβαλὼν σύμβολας. L.

Unctum atque lautum] Veteres quotidie solebant se ante cœnam lavare in balneo et ungere. v. Cic. ad Attic. XIII. ep. ult. *post horam VIII. in balneum—unctus est, accubuit.* R. D.

26 *Otiosum ab animo*] Πλεονασμός. Nam addidit *ab*, quum sufficeret *animo*. *Quum ille cura et sumtu absumitur*] *Cura* in apparando, *sumtu* in coemendo. D.

Otiosum ab animo] I. e. vacuum curis et sollicitudine. Sallust. in Jug. c. 52. *animo vacuum accepit.* ubi. v. Cort. Præpositio *ab* plerumque omittitur. R. D.

27 *Dum tibi sit quod placeat*] Acuenda vox in eo, quod ait *tibi*. Et hoc eminenter adjectum est, non sui curam, sed convivarum gerere illum qui vocat. *Ille ringitur, tu rideas*] Poetico lepore et iisdem syllabis diversa significantia prope invicem posuit, *ringitur* et *rideas*. *Ille ringitur, tu rideas*] Varie: nam pronunciativo conjunctivum miscuit. Non enim dixit, *ringatur*. *Ringi* est stomachari tacitum, est enim translatio a canibus latraturis. D.

Ille ringitur] Hoc est, stomacho commovetur et iracundia. Et facit *ringor*, id est, os aperio. Unde *rictus*. E.

Ut *tibi* acuatur, lege, *dum fit, tibi quod placeat*. Certe *fit* est in Bemb. Victor. et duobus nostris. B.

Dum tibi sit] Guilielmius quæst. Plaut. c. 81. e Mastis eleganter legit *dum tibi fit*. Nam *fieri* proprium verbum est in conviviis, cum deliciæ instruuntur. Petron. c. 26. *noscitis hodie apud quem fiat?* ubi v. interpret. edit. Burm. p. 127. R. D.

Ringitur] H. e. irascitur, stomachatur. Cic. ad Attic. IV. 5. *hi subringentur qui villam me moleste ferunt habere*. *Ringi* proprie dicuntur canes, cum rictum deducunt latraturi vel morsuri. v. Lambin. ad Hor. Epist. II. 2. 128. R. D.

28 *Prior bibas, prior decumbas*] Hoc ad procacitatem parasitorum retulit. *Prior decumbas*] Cic. alibi, Verr. I. 26. *mature veniunt, discumbitur*, inquit. *Cœna dubia apponitur*] Et hoc adeo parasiticum verbum est, ut id non intelligat Geta. D.

Prior bibas, prior discumbas] Hæc utique servorum est quædam libertas, ut ista prius sibi præstent. E.

Cœna dubia] Πανδαισία. Aristophan. in Pace: πυκνὸν καὶ γοργὸν ὥσπερ μᾶζα καὶ πανδαισία. Ubi vid. Scholiast. Horat. libr. II. Sat. 2. 76.—*vides, ut pallidas omnis Cœna desurgat dubia?* Hieronym. ad Eustoch. de Virginit. *castæ vocantur et Nonnæ, post cœnam dubiam Apostolos somniant.* Sic Pacuvius apud Nonium in COPIS, *O multimodis varie dubium et prosperum copem diem.* L.

Malim versus causa, *prior bibas tu, prior*, &c. B.

Decumbas] Proprium verbum de convivis. Sueton. in Claud. c. 33. *ictus nidore prandii quod in proxima Martis æde Saliis apparabatur—ascendit ad sacerdotes unaque discubuit* ubi v. Oudendorp. Frequentius est *discumbere*. R. D.

Cœna dubia] *Cœna dubia* quæ sit, ipse explicat Terentius nempe lautissima, in qua dubites, quid appositarum deliciarum potissimum sumas. Horat. Serm. II. 2. 76. *pallidus omnis cœna desurgit dubia.* Sic *dubia cuspis* a Sil. Ital. IV. 188. *dubia meditatus cuspide vulnus* dicitur, quam quis manu tenet, dubitans quem primum impetat. v. Drakenb. ill. loc. R. D.

Digitized by Google

G. Quid istuc verbi est? P. Ubi tu dubites, quid sumas potissimum.
Hæc cum rationem ineas, quam sint suavia, et quam cara sint;
Ea qui præbet, non tu hunc habeas plane præsentem Deum?
G. Senex adest: vide quid agas; prima coitio'st acerrima:
Si eam sustinueris, postilla jam, ut lubet, ludas licet.

29 *Quid istuc verbi est?*] Ut intelligat populus, idcirco non intelligit, et vult doceri Geta. Ostendit autem poeta, pro unaquaque re verba propria esse, neque communia cum iis, qui diversi sunt actus. *Ubi tu dubites, quid sumas potissimum*] Non *potius*, sed *potissimum* dixit: ut in re omni aliis alia monstraret potiora. Plautus, Men. I. 1. 27. *standum est, in lecto, si quid de summo petas.* D.

Quid sumas potissimum] Priscian. lib. 3. L.

30 *Hæc cum ratione ineas*] Intelligas, æstimes. *Quam sint suavia, et quam cara sint*] Nonnihil philosophatus est poeta, ostendendo multis suavia esse quæ cara sint. *Cara*] Magni pretii. D.

Hæc si cum ratione] Cum hæc igitur ratione collegeris, quam sint suavia, sine dubio illum, qui tibi hæc præbuerit, præsentem deum poteris nominare. E.

Pro *ratione* vett. libri melius habent *rationem*. B.

31 *Ea qui præbet, non tu hunc habeas plane præsentem deum?*] Hoc est quod ait, *imo enimvero nemo satis pro merito gratiam regi refert. Non tu hunc habeas plane præsentem deum?*] *Præsentes* dii sunt, vel qui coluntur et videntur, ut Sol et Luna. Alii *præsentem* pro potentissimo accipiunt. ut Virg. Ge. II. 127. *quo non præsentius ullum.* D.

Præsentem deum] Præsentes dii perpetuo epitheto dicuntur, quod promti sint ad opem ferendam, faventes, propitii. Virgil. Ecl. I. 42. *nec tam præsentes alibi cognoscere Divos.* Ovid. Trist. V. 2. 45. *alloquor en absens præsentia numina supplex* ubi v. Heins. Hinc etiam manarunt locutiones *præsens animus, præsens venenum, præsens auxilium, præsens pestis.* v. Lambin. ad Horat. Carm. I. 35. 2. R. D.

32 *Senex adest: vide quid agas*] Intervenit senex ultimo. Et quidem, quod extra argumentum per inventionem dici potuit, consumtum est. *Vide quid agas*] Non terrentis est, sed excitantis. *Prima coitio est acerrima*] Translatio est a prælio. Nam et congredi milites, et coire dicuntur. D.

Prima coitio est acerrima] Sola tibi inceptio et ingressus est arduus, cætera pro voluntate, ut videbitur, illades. E.

33 *Si eam sustinueris*] Multum de illo exigit, quando non dicit, si eam repuleris; sed potius si eam sustinueris. *Postilla jam, ut lubet, ludas licet*] In officio militari omne negotium vel pugna, vel ludus. D.

Ludas] *Ludere* est ad armorum peritiam exerceri, non vere pugnare. Ovid. Trist. III. 12. 19. *levibus nunc luditur armis.* v. Broukhus. ad Tibull. I. 4. 51. R. D.

Digitized by Google

ACT. II. SCENA III.

DEMIPHO. GETA. PHORMIO.

EN, unquam cuiquam contumeliosius
Audistis factam injuriam. quam hæc est mihi?
Adeste quæso. G. Iratus est. P. Quin tu hoc age. st.
Jam ego hunc agitabo: pro deum immortalium!

1 *En unquam cuiquam contumeliosius audistis factam injuriam*] In hac scena, ut rhetoribus placet, veluti quædam controversia est, quæ uno tempore ex utraque parte tractatur. Ut si quis dicat, legem esse, ne de eadem re bis agatur: et item, ut orbam proximus ducat: quidam absente patre sub hoc nomine uxorem coactus est ducere: vult illam pater adveniens ejicere matrimonio: contradicitur. Meminisse autem debemus, in omni contentione ea maxime dici, quæ simplici patrifamilias et calumnioso sycophantæ, improbissimoque parasito congruere, poetæ visa sunt. *Et unquam cuiquam contumeliosius audistis factam injuriam*] Jam instructi sunt advocati: et recte. longum enim fuerat omnia hæc post scenam geri. *En unquam*] *En* vim habet indignationis post enarratam injuriam. D.

En unquam cuiquam] Hæc scena tenet controversiam talem: *orba proximo nubat; orbam proximus ducat; bis de eadem re actio ne sit.* Quidam quasi orbam in judicio coactus est ducere absente patre. Pater cum redisset vult agi, an illa sit proxima. Contradicitur. Hic prima præscriptio est, quod non licet ex eadem re aliquid bis agere: et hoc plurimum valet. Veruntamen tentatur, ut orba esse dicatur: tentatur et illud, quod in lege scriptum est, vel positum; orbam proximus ducat, aut decem millia dotis det, ut accepta dote discedat. Verum hoc frangitur, non licere: propterea quod matrimonio collocata est. Esse enim iniquum, uti nunc in matrimonium accepta, dote data, discederet. Liberum fuisse ante aut ducere, aut dotem dare: cum alterum sit factum, alterum esse non posse. E.

2 *Quam hæc est mihi?*] *Facta injuria*, subauditur. D.

3 *Adeste, quæso*] Interim advocati *κῶφα πρόσωπα* (alii edunt, *interim advocati Demiphonem sequi.* Z.) inducuntur. et ridicule tacent prius, postea locuturi. Et *adeste* proprie. *Adesse* enim sanusse, proprie dicuntur patroni et amici. *Adeste, quæso*] Proprie advocatis *adeste* dixit. Et quia ipse properantius pergit, rogat ut assequerentur. *Iratus est*] Hoc ad excitandum Phormionem dicitur. *Quin tu hoc age*] Annuit ut taceat: et *(st)* significat silentium. D.

Illud *st* Faernus defendere studet, quia primum Donatus videatur sic legisse, apud quem legendum sit, *si significat silentium*: tum omnes vett. libri pro *age* habeant *ages*; deinde in Victoriano post *ages* vestigium rasæ literæ appareat. Verum Donati verba explicari possunt sine isto st. quia *quin tu age*, vel *agis* silentium significant, et Phormio hic vel innuit Getæ, vel cubito eum fodit. Tum *st* cum per se syllabam faciat, non potest cum *age* in iambum coalescere. B.

4 *Jam ego hunc agitabo*] Modo *jam* celeritatis est signum: *hunc* cum contemtu dixit. *Agitabo*, perturbabo. *Pro deum immortalium!*] Ἔλλειψις, deest

Digitized by Google

Negat Phanium esse hanc sibi cognatam Demipho? 5
Hanc Demipho negat esse cognatam? G. Negat.
D. Ipsum esse opinor, de quo agebam: sequimini.
P. Neque ejus patrem se scire qui fuerit? G. Negat.
P. Nec Stilphonem ipsum scire qui fuerit? G. Negat.
P. Quia egens relicta est misera, ignoratur parens, 10

fidem, aut quid tale. Cicero in Œconomico, *quid igitur, pro deum immortalium! primum eam docebas quæso? Pro deum immortalium!*] Artificiose prior exclamat, ut Demipho qui injuriam passus est, ultro impetum accusationis incurrat. D.

Pro deum immortalium!] Hic indignationem sibi suscitat Phormio, qui terrere possit facile senem: quod egens relicta est misera, quod ignoratur parens, quod ipsa divitiis orba, pauperrima est; idcirco pater irascitur. E.

Agitabo] I. e. vexabo. Flor. I. 8. p. 35. ubi v. Duker. Translatio est a feris, quæ a venatoribus excitantur cubilibus suis et agitantur. R. D.

5 *Negat Phanium esse hanc sibi cognatam?*] Additum pronomen est: quasi notam omnibus diceret. *Phanium esse hanc sibi cognatam?*] Magno ingenio Terentius impudentiam calumniatoris expressit. Nam et prior incipit, et prior accusat. Et quia non potest dicere, expellit Phanium Demipho? *negat cognatam*, inquit. *Cognatum Demipho?*] Hæc est flagitatio, quæ etiam nomen tumultuose persequitur atque exagitat. Ideo callidus sycophanta patrisfamilias proprium nomen non solum invidiose infert, sed etiam repetit. D.

Negat Phanium esse] Vid. Aquila Rom. de Nominib. figurar. in Anadiplosi. L.

6 *Negat*] Una opera Geta in duplici versatur dolo. Nam et audiente jam sene, se ejus defensorem tanquam absentis, assimulat: et irritat ad vociferationem Phormionem, qui clamandi ulterius causam non haberet, si taceret Geta.

7 *Neque ejus patrem se scire, qui fuerit?*] Ambiguitas: quæ tamen sensu discernitur. D.

8 *Sequimini*] Apparet, Demiphonem, ut patremfamilias, perturbari non mediocriter: quippe qui et advocatos conquisiverit adversus hominem sine advocatis agentem, et progredi non audeat, nisi illi sequantur. *Sequimini*] *Sequimini* dicit, qui properantius et concitatiore gradu pergit iratus. D.

9 *Nec Stilphonem ipsum scire qui fuerit?*] Hæc asseveratio mentientis est, imitata veritatem. *Nec Stilphonem ipsum scire*] Quam multa calumniatores clamandi causa dicunt, et vociferandi: ut ipso strepitu terreant! *Nec Stilphonem ipsum*] Tantundem quod supra, *neque ejus patrem*. Scire debemus hoc nomen non fictum a parasito, sed auditum a puella, quæ uxor ducta sit, dici. *Negat*] Συλλῆψις prima. Nam extrinsecus audiendum est, *pater*. D.

Bentleio videtur versus esse spurius propterea, quod Phormio hic nomen Stilphonis teneat, quod infra vers. 40. repente oblitus sit. Male. Nam mendax, perturbatusque non semper memor est dictorum. Fere etiam ubi quis de rebus laborat, solent nomina fugere. Z.

10 *Quia egens relicta est misera*] Communis locus in avaritiæ generalitate approbatior. facilius enim hoc de omnibus, quam de Demiphone credatur: et ideo *ignoratur* dixit, et *negligitur*: non, ignorat, nec, negligit Demipho. *Ignoratur*] Non agnoscitur, ignorarique fingitur. hoc enim significat modo. *Parens*] Pater. Nam ut variaret, *parentem* dixit, quem supra dixerat *patrem*. Patrem ergo dicit puellæ a Demiphone ignorari. D.

Digitized by Google

Negligitur ipsa: vide, avaritia quid facit.
G. Si herum insimulabis avaritiæ, male audies.
D. O audaciam! etiam me ultro accusatum advenit?
P. Nam jam adolescenti nihil est quod succenseam,
Si illum minus norat: quippe homo jam grandior,

Ignoratur parens] I. e. contemnitur quasi ignotus. *Ignorare aliquem* significat, aliquem agnoscere nolle, quasi alienum et ignotum negligere. Plaut. in Amphitr. IV. 5. 14. *quem omnes mortales ignorant Vel ludificant ut lubet.* v. Jan. Guilielm. in quæst. Plautin. p. 16. R. D.

11 *Negligitur ipsa*] Quia fieri potest, ut qui ignoret parentes puellæ, id est, ignorare se dicat, tamen ipsam non negligat puellam. utrumque conquestus est. *Avaritia vide quid facit!*] Hæc conversus ad circulum et coronam circumstantium dicit, et conqueritur. Nulla enim re magis populus concitatur, quam siquis egenum contemnat: inde et Sallust. Catil. 37. *bonis invident, et malos extollunt. Avaritia vide*] Proprie *vide* stomachantibus convenit, qui indignatione coguntur quasi cum aliquo colloqui. Sic in Adelphis, *illud sis vide, exemplum disciplinæ!* Sunt qui putent illum alicui de corona circumstantium dicere moraliter. D.

Avaritia quid facit] Menand.—ἔργον ἐυρεῖν συγγενεῖ Πέπτιτός ἐστιν, οὐδὲ εἷς γὰρ ὁμολογεῖ Αὐτῷ προσήκειν, τὸν βοηθείας τινὸς Δεόμενον. L.

12 *Si herum insimulabis avaritiæ*] *Insimulare*, est crimen ingerere. *Si herum insimulabis*] *Insimulatio* est et falsi et veri criminis incusatio. sic Cic. Cat. III. 5. *nihil eorum quæ Galli insimulabant, negarunt. Insimulo* genitivo jungitur. *Male audies*] Scilicet a me. D.

Insimulabis malitiæ] V. C. *avaritiæ*. L.

Omnes codd. et Donatus Faerni, *malitiæ*. it. ex tot nostris unus tantum *avaritiæ*. B.

Male audies] *Male audire* est vituperari. Contra *bene audire*, laudari. R. D.

13 *O audaciam!*] Hæc exclamatio ostendit quid absente patre defenderit (*offenderit*. Ms. Bœnd.) filius. *O audaciam! etiam me ultro accusatum advenit*] Hic jam ostenditur, persuasum esse Demiphoni, vim adhibitam filio suo, uxorem ducere: uno, quum hunc *audacem* appellat: altero, quod dicit *etiam*; quæ conjunctio et Antiphonem complectitur, et sic accusatum. E.

Lege cum cod. reg. *etiamne* pro *etiam me*. Sic Adel. IV. 3. 5. *accusare* quoque absolute ponitur. B.

14 *Nam jam adolescenti nihil est quod succenseam*] Sic subtiliter ac latenter purgatur a Phormione apud patrem Antipho. Nam quum dicit, *nihil est quod succenseam adolescenti*, ostenditur adhuc succensuisse, et inimico fuisse animo. Quum autem addit, *si illum minus norat*, ostenditur contradixisse sibi, et restituisse judicio. Et sic dicit, quod si adolescens non agnoscens puellam, veniam non (dele *non*. Z.) meruerit, pater negata cognata ferri non possit. *Nihil est quid succenseam*] *Succensere* dicimus eum, qui quum amare (forte, *amari*. Z.) debeat, læsus irascitur. Et vide, ut veteratorie ostendat contradixisse adolescentem. D.

15 *Si illum minus norat*] Non dixit *non norat*: sed, *minus norat*: quasi et ipse nosse debuerit. *Quippe homo*] Repente transit ad nominativum, quum supra dixerit *illum*: ei deest *erat*, quod assumitur ab inferiore. *Jam grandior*] Hic comparativus non habet significationem, qua magis sive minus significet a positivo. Ut Æn. VI. 304. *jam senior, sed cruda deo, viridisque senectus. Quippe homo jam grandior*] Argumentalis narratio dicitur, quæ nunc subjecta est ad fidem faciendam, et constituendam personam defensoris. Et *grandior*, non *grandis*: quasi dicat, qui grandior fuit,

Digitized by Google

Pauper, cui opera vita erat, ruri fere
Se continebat: ibi agrum de nostro patre
Colendum habebat: sæpe interea mihi senex
Narrabat, se hunc negligere cognatum suum: 19
At quem virum! quem ego viderim in vita optumum,

quam ut illum adolescens optime nosse posset. *Jam grandiur*] Proprie *grandis* ad speciem refertur ætatis, ut *grandis puer*, et *grandis virgo; grandis natu* senex dicitur. D.

16 *Cui opera vita erat*] Hic ostendit quam pauper fuerit, et *opera* septimi (alii, *sexti*) casus est, et *vita* nominativi. *Cui opera vita erat*] *Opera* pro victu posuit. et *opera* hic ablativus casus est. *Ruri fere*] Id est, ruri opera faciendo quærebat cibum. Et bene addidit *fere*. non enim semper, sed plerumque. D.

Cui opera vita erat] Expressit paupertatem, cui victus quotidianus opera quærebatur. E.

Cui opera vita] Ita meliores libb. ne aliter Priscian. lib. XV. Estque Atticum loquendi genus, ut illud veteris poetæ apud Athenæum, Dipnos. lib. I. cap, 7. οὐδὲν ὁ μάγειρος τοῦ ποιητοῦ διαφέρει, Ὁ νοῦς γάρ ἐστιν ἑκατέρου τούτων τέχνη. Simili enim modo dictum ὁ νοῦς, τέχνη, ut a Terentio *vita, opera*. Aliud ergo Donatus egisse videtur, cum hæc aliter explicat. L.

Donati explicatio a Bentleio et Cupero Obs. 1. 17. recte repudiatur. Sed Bentl. ob versum et consensum omnium codd. legi vult *cui in opere*, h. e. qui opere rustico faciendo victum sibi quærebat. Sic *opus* absolute pro opere rustico ponitur Eun. II. 1. 14. Cuperus vero tuetur vulgarem lectionem *opera* in casu recto, et explicat, cui opera victus erat, qui ex opera se alebat. Bentleii rationem, ut latiniorem, præferendam esse censeo. Z.

17 *Ruri fere se continebat*] Expresse ostendit miseriam hominis, qui in urbe natus interdixerat sibi accessu ejus, ob pudorem inopiæ. Nam hoc significat *continebat*: unde *contenti* dicuntur, in malis durantes. Hoc autem veteres faciebant nobiles, quum ad paupertatem redacti essent. *Ruri fere se continebat*] *Continere se* dicitur, qui contra voluntatem se continet. D.

Cui opera vita erat] H. e. qui ex opera quotidiana sibi victum comparabat. *Vita* pariter ac βίος apud Græcos pro *victu* ponitur Plaut. in Sticho III. 2. 9. *nam ut illa vitam repperit hodie sibi.* v. Gronov. de pecun. vett. II. 7. R. D.

18 *Colendum habebat*] Virg. XIII. 529. *conductaque pater tellure serebat. Sæpe interea mihi senex narrabat*] Miserabiliter et invidiose positum *senex*: et majore fide *narrabat* dixit, non *querebatur*. Et vide congestionem argumentorum. Et ordo est, *sæpe narrabat senex hunc suum cognatum se negligere. Sæpe interea mihi senex narrabat*] Habet misericordiam odiosa narratio. D.

Colendum habebat] Conductum agrum colere, paupertatis judicium erat. Virgil. Æn. XII. 520. *conductaque pater tellure serebat.* v. Broukh. ad Tibull. Eleg. I. 7. 50. R. D.

19 *Se hunc negligere cognatum suum*] Ἀμφιβολία. sed in sensu dissolvitur. *Cognatum suum*] Hoc crimen et causa est, quod *cognatum* addidit. D.

Negligere cognatum] Cognatum narrabat, quod se negligeret hic cognatus suus. E.

20 *At quem virum!*] Qualitas injuriæ a dignitate personæ. multi enim tales sunt, ut cognitione abdicandi sint. *quem ego viderim in vita optimum*] Modo in vita ac moribus. Et *in vita*. hoc est, quum viveret, et in eo quod a vivo fit. *Quem ego viderim in vita optimum*] Modo *in vita*, in actu, in moribus. D.

At quem virum] De hac laudandi formula. v. not. ad Eun. III. 5. 42. R. D.

Digitized by Google

G. Videas, te atque illum ut narras. P. In malam crucem:

Nam ni ita eum existimassem, nunquam tam gravis,
Ob hanc, inimicitias caperem in nostram familiam,
Quam is aspernatur nunc tam illiberaliter.

21 *Videas te, atque illum*] Melius hoc clare dictum a servo accipimus, ut defendisse dominum videretur. *Videas te, atque illum ut narras*] Hoc est, perentem *(parem)* te illi existimo, atque illum tibi. An potius servus sciens hanc personam fingi, vel certe etiam mortuum hominem induci, male precatur parasito: ut etiam ipse, aut nusquam sit, ut fictus: aut pereat, ut mortuus? An sic accipiendum, ut servus submissa voce hoc per jocum dixerit, tantum in vita te videas optimum, quam fuit ille quem narras? An sic intelligendum, ut servus hoc dicat, si optimum est, vicinum opera quærere, et in alieno agro esse: ita te videas atque illum vidisti, quem ad hunc modum narras vivere? et allusit ad illud quod ait, *quem ego viderim in vita optimum. Videas te, atque illum*] Deest *vidisti*. scit enim illum non vera dicere. *In malam crucem!*] Adverbialiter, ut *huc viciniæ*. D.

Videas te atque illum] Servus narrat *(simulat. Z.)* pro domino sese agere: cognosce, inquit, te atque illum cum quo loqueris. E.

In malam crucem] Vett. liber. et Ms. R. *hinc in malam crucem*. L.

Bentleius corrigit *vidisti nullam, ut narras*. PH. *I in malam crucem*: sed temere et contra fidem omnium codd. Nam recepta lectio commodum efficit sensum, dummodo *narrare* interpreteris *mentiri, fingere, falsa dicere, ea de aliqua re dicere, quæ facile falsitatis argui possunt*. Sic de Thrasone Eun. III. 2. 29. occurrit *pugnas narrat*, h. e. fingit, jactat perperam: it. Adel. IV. 2. 18. *quid malum, Bone vir mihi narras?* i. e. male irrides me et vocas bone vir. it. Heaut. II. 1. 8. *sua quæ narrat facinora!* cf. Plaut. Truc. II. 2. 28. *quas tu mulieres mihi narras? ubi misce nulla femina est in ædibus*. Sensus igitur nostri loci est: vide, cogita, quam falsa et repugnantia fabuleris de *te*, qui istum virum optimum non vidisti, et de *illo*, qui vir optimus non fuit. Sequentia nostram interpretationem comprobare videntur. Cæterum illud *i in m. c.* quod Bentleius præfert, facile ferre possumus, quia in Bemb. extat. Z.

Videas te atque illum] Locus fœdissime corruptus de quo v. Bentl. conjecturas. R. D.

22 *Nam ni ita eum existimassem*] Ut vita optimum judicarem. *Nunquam tam gravis*] Hoc non quasi timidus, sed quasi religiosus et fidelis loquitur Phormio. D.

Nunquam tam graves] Nisi talem . . . virum credere puellæ patrem propter eam pu . . . . *(nisi enim talem virum credidissem puellæ patrem, propter eam nunquam. Z.)* tales inimicitias caperem, adversus dominum tuum, in familiam meam. E.

Liber Bemb. habet *nam ni eum esse existimassem. Eum*, h. e. talem. Donatus sane legit *existimarem*, quod magis videtur convenire cum *caperem*. FAERN.

23 *Ob hanc*] Tanquam præsens sit mulier, de qua lis est; sic demonstrativa particula usus est dicendo *hanc*. *Ob hanc*] Id est, pro filia ipsius. *Inimicitias caperem*] *Capere* dicimus, quum id quod in nobis est, assumimus, unde *capere* pro eligendo ponitur. D.

Pro *nostram*, quod plerique nostri habent, Bemb. et alii exhibent *vestram*. B.

24 *Quam is aspernatur*] Ordo est: ob hanc quam hic aspernatur. ἀνάδοσις. *quam* enim supra *(enim ad superiora. Z.)* revocavit, ad puellam referens. ut, Æn. IV. 355. *quem regno Hesperio fraude*.

Digitized by Google

G. Pergin' hero absenti male loqui, impurissime? 25
P. Dignum autem hoc illo est. G. Ain' tandem, carcer? D. Geta.
G. Bonorum extortor, legum contortor. D. Geta.
P. Responde. G. Quis homo est? ehem! D. Tace. G. Absenti tibi
Te indignas, seque dignas contumelias
Nunquam cessavit dicere hodie. D. Ohe desine. 30
Adolescens, primum abs te hoc bona venia peto,

Et Sallustius: *nam Syllæ dominationem audebat.* Et interpositis quibusdam, *neque est offensus dominationem Syllæ. Quam is aspernatur nunc tam illiberaliter*] *Aspernari* est averti, non solum corpore, sed etiam animo. *Aspernari*, recusare, avertere, non agnoscere. Est autem dictum a sperno. *Illiberaliter*] Apud veteres *illiberaliter* dicebant *factum*, si quis excessisset omne genus maleficii. Sic in Adelphis, *factum a vobis duriter Immisericorditerque: atque etiam, si est, pater, Dicendum magis aperte, illiberaliter.* Vides more αὐξητικῶς *illiberaliter* pro magno hic ultimum poni. D.

25 *Pergin' hero absenti male loqui*] Ἀπόστροφος per παράθεσιν. *Male loqui*, pro *male dicere.* Et quærit Probus, quis ante Terentium dixerit. *Hero absenti*] Argute *hero absenti*: ut videatur fidelior, qui defendat absentem: quod præstans argumentum est, id in animo habuisse Getam etiam peregrinante domino. *Impurissime*] Improbissime. D.

26 *Dignum autem hoc illo est*] Non negat male loqui: sed hoc esse dignum contendit malo homine. *Ain'*] Ἀπόστροφος nota est, quæ separat *e* ab *n*, et intermittit *s* literæ sonum: est enim integrum, *ainne? Ain' tandem? carcer?*] Non *carcerarium*, sed *carcerem* asperius appellavit. sic Lucilius, *carcer vix carcere dignus.* Et *vix* pro *non.* D.

Pro *tandem*, quod et versui et sententiæ officit, reponendum puto *tamen.* B.

Carcer] *Carcer* dicit pro carcerario vel carcere digno. Lucil. apud Donat. ad h. l. *carcer, vix carcere dignus.* Ad eandem normam a comicis dicuntur *crux*, patibulum. v. celeb. Hemsterhus. ad Thom. Magistr. p. 140. R. D.

27 *Bonorum extortor*] Ingeniose de ipso negotio sunt inventa convicia. *Bonorum extortor, legum contortor*] Fingit illi crimina de causa, et de negotio. D.

Bonorum extortor] Prisc. lib. IX. L.

28 *Responde*] Timuit poeta, ne hujusmodi vociferatio Getæ, quasi veram discordiam apud populum fingeret: et ideo facit jam a Phormione ipsum admoneri. *Quis homo est?*] Mire servus finxit, se non vidisse senem: ut ea quæ dixerit, in Phormionem sincere dixisse credatur. Et mira dissimulatione addidit *homo*: ut videatur nihil de præsentia domini cogitasse. *Absenti tibi*] Tunc fidelis opera est, si absens aliquis defendatur. hoc ergo confirmat, velut indicando. Sic in Andria, *O Chreme, per tempus hic advenis, ausculta.* D.

29 *Seque dignas contumelias*] Id est, quas ipse debet audire. D.

30 *Ohe! desine*] Hac voce ostendit plus justo pro se locutum videro Getam. Nam *ohe* interjectio est, satietatem usque ad fastidium designans. *Desine*] Imponit silentium Getæ: quasi validiora dicturus sit. et supra *tace* dixit senex. D.

Illud *hodie*, præter unum, nullus habet ex nostris. Igitur lege vel, *N. e. dicere. ôhe desine*; vel cum tribus nostris, *N. e. dicere. ohé jam desine.* B.

31 *Adolescens primum abs te*] Est hæc auctoritas in senibus, ut, qui minoris ætatis fuerint, illos appellatione pue-

Digitized by Google

Si tibi placere potis est, mihi ut respondeas:
Quem amicum tuum ais fuisse istum, explana mihi:
Et qui cognatum me sibi esse diceret.
P. Proinde expiscare, quasi non nosses. D. Nossem?
P. Ita. 35
D. Ego me nego: tu, qui ais, redige in memoriam.
P. Eho tu sobrinum tuum non noras? D. Enicas:
Dic nomen. P. Nomen? maxume. D. Quid nunc taces?
P. Perii hercle: nomen perdidi! D. Hem; quid ais?
P. Geta,
Si meministi id quod olim dictum'st, subjice. hem, 40

ri, vel adolescentis, vel juvenis etiam ostendant (*appellat*: liber uterque:) ut hoc de nomine illis (*ut hoc nomine de illis.* Z.) quidem detrahant, sibi vero auctoritatem attribuant. Sic Virg. XII. 19. *O præstans animi juvenis, quantum ipse feroci Virtute exsuperas. Bona venia*] Sine ira, sine discordia. D.

Adolescens, primum abste] Prima pars actionis quæritur, quæ est, an illa proxima sit? cui respondet Phormio, scire ipsum qui interrogat. E.

Pro *peto*, quod libri Faerni multi habent, nostri omnes rectius exhibent *expeto*. Noster enim solet liquefacere postremas syllabas, et aversari homœoteleuta. B.

Bona venia] Idem valet, quod *pace tua*. Pro eo etiam dicitur *cum bona venia, cum bona pace* ut ap. Liv. XXIX. 17. *Cuh bona venia audiatis id quod invitus dicam.* Utrumque conjungit Arnobius I. p. 5. *cum pace hoc vestra et cum bona venia dixerim.* v. Drak. ad Liv. III. 19. VII. 41. R. D.

32 *Si tibi placere potis est*] Pro, *potest. Mihi ut respondeas*] Bene *mihi*: utpote patri adolescentis, vel domino Getæ, vel etiam seni. Et verbum est scrupulose aliquid interrogantium. Sic Virg. Æn. II. 149. *mihique hæc edissere vera roganti. Et*, Ecl. III. 1. *dic mihi, Damœta, cujum pecus?* D.

33 *Quem amicum tuum ais fuisse*] *Ais* dicimus de iis, qui vana loquuntur: *dicere* autem dicimus de iis, qui validiora. *Explana*] Manifesta, expone. D.

34 *Et qui cognatum*] Qui, quomodo, unde. D.

35 *Proinde expiscare, quasi non nosses*] *Proinde*, ita similitudinis adverbium est modo, non conjunctio; ut, *proinde tona eloquio solitum tibi. Expiscari*, est diligentissime quærere, ubinam pisces lateant: ergo verbum est tractum a piscatoribus. D.

Proinde expiscare quasi non nosces] Ita a me inquiris, quasi nescias. E.

36 *Ego me nego; tu qui ais*] Subauditur ad omnia *nosse*. D.

37 *Eho! tu sobrinum tuum*] Populari quadam vulgarique fatigatione, utpote scurra, respondit. D.

38 *Nomen? maxime*] Falsa non habent memoriam. hic ergo deest, nescio, vel necessarium est. *Quid nunc taces?*] Urget senex: quia intelligit eum nomen nescire. D.

Sic divide personas, *dic nomen*, P. *Nomen?* D. *Maxume, quid nunc taces?* B.

40 *Subjice*] Suggere. D.

Si meministi quod olim] Excidit enim nomen, quod supra posuerat: *nec Stilphonem ipsum qui fuerat.* E.

Subjice] I. e. suggere, mone. Virgil. Æn. III. 314. *vix pauca furenti Subjicio.* Propert. I. 7. 20. *nec tibi subjiciet carmina serus amor.* ubi v. Broukhus. R. D.

Digitized by Google

Non dico: quasi non noris, tentatum advenis.
D. Egone autem tento? G. Stilpho. P. Atque adeo quid mea?
Stilpho'st. D. Quem dixti? P. Stilphonem inquam, noveras? 43
D. Neque ego illum noram: neque mihi cognatus fuit
Quisquam isthoc nomine. P. Itane? non te horum pudet?
At si talentum rem reliquisset decem:
D. Di tibi malefaciant. P. Primus esses memoriter
Progeniem vostram usque ab avo atque atavo proferens.
D. Ita ut dicis, ego tum si advenissem, qui mihi
Cognata ea esset, dicerem: itidem tu face. 50
Cedo, qui est cognata? G. Eu noster! recte: heus tu, cave.

41 *Non dico: quasi non noris*] Mire. Nam videtur arte celare id, quod invitus nesciebat. D.

Non dico] Ascon. Pedian. I. 29. in Verrem. L.

43 *Stilpho*] Σύλληψις. Nam reddit ad nominativum *est* utique Stilpho; ut rursus ad accusativum, *noveras*, Stilphonem scilicet. *Stilphonem, inquam, noveras*] Figura ἐπιτροχασμός. Est autem ἐπιτροχασμὸς verborum semper se invicem effusio (*effusio, vel supermensio*, lib. uterque), quæ sit adversarii causa turbandi: sic Cicero *convicium est* * Virg. XI. 387. *nec longe scilicet hostes Quærendi nobis; circumstant undique muros. Imus in adversos? quid cessas? an tibi Mavors Ventosa in lingua, pedibusque fugacibus istis Semper erit? Stilphonem, inquam, noveras?*] Quasi dicat, convincam, si neges. D.

46 *At si talentum rem reliquisset*] Ἀξιόπιστον illud fecit. *At si talentum rem reliquisset decem*] More Romanorum, apud quos hereditas pecuniæ erat. *Talentum* autem quod dixit, more Græcorum admiscuit. D.

Talentum rem reliquisset] Hoc est, tale patrimonium quod in decem talentis est. E.

47 *Memoriter progeniem*] Memoriter totam progeniem parentum a summa origine contineres. E.

Di tibi male faciunt] Contraria formula est in Ad. V. 7. 19. *di tibi bene faxint*. R. D.

49 *Ita ut dicis*] Ita sum, inquit, ut dicis, avarus et superbus. Et vide senem de injuria non agere: quia justa confidit et nititur causæ. Plerumque enim hac constantia animi fulciuntur, qui juri confidunt: at contra, qui nullo jure freti sunt, litigant et ad injurias prosiliunt: ut his saltem perturbent adversarium, qui jure non valent. Condono igitur, inquit, tibi omne contumeliæ genus. *Ego tum si advenissem*] Deest *ad judicium*: ut sit, quum ad judicium venissem. *Qui mihi cognata*] *Qui*, unde, quomodo. D.

Ita ut dicis. ego tum] Si hereditatem peterem, necessitas mihi imponeretur, ut, unde mihi esset cognata, dicerem: nunc cum tu intendas, debes dicere unde sit ista cognata. E.

Pro *si*, quod in nostris omnibus est, in Bemb. et litura Victorianæ est *cum*, quod et Donatus legisse videtur. E.

51 *Eu, noster! recte*] Geta sic laudat senem, ut optet vincere Phormio.

Digitized by Google

P. Dilucide expedivi, quibus me oportuit
Judicibus: tum si id falsum fuerat, filius
Cur non refellit? D. Filium narras mihi?
Cujus de stultitia dici, ut dignum'st, non potest.
P. At tu, qui sapiens es, magistratus adi,
Judicium de eadem causa iterum ut reddant tibi;
Quandoquidem solus regnas, et soli licet
Hic de eadem causa bis judicium adipiscier.
D. Etsi mihi facta injuria'st; verumtamen
Potius quam lites secter, aut quam te audiam.
Itidem ut cognata si sit, id quod lex jubet

nem. *Eu noster! recte*] Plaudit sibi Terentius, supposita persona, quasi recte dixisset. D.

52 *Quibus me oportuit judicibus*] Probavi judicibus, inquit. D.

Dilucide expedivi] Continuo sumit argumentum præscriptionis, cum conturbatus esset Phormio. denique concluditur: *at tu, qui sapiens es, magistratus adi, judicium de eadem causa iterum ut reddant tibi.* Ut scilicet hic judicium bis de eadem causa adipiscatur (*adipiscaris.* Z.) E.

53 Meliores libri Faerni et nostri sic collocant, *tum id si falsum.* B.

54 *Filius cur non refellit?*] *Refellere*, est arguendo falsum ostendere. D.

55 *Cujus de stultitia dici, ut dignum est*] Compendium conviciorum est, nihil dignum invenire, pro magna injuria, quod respondeas. D.

57 *Judicium de eadem causa*] Juris axioma est, lite semel terminata de eadem re actio iterum ne detur. l. 6. et tot. tit. ff. de except. rei judic. Demosth. contra Leptinen, *οἱ νόμοι οὐκ ἐῶσι δὶς πρὸς τὸν αὐτὸν ὑπὲρ τῶν αὐτῶν οὔτε δίκας, οὔτε ἐυθύνας, οὔτε διαδικασίας, οὔτ' ἄλλο τοιοῦτο οὐδὲν εἶναι.* Syrianus et Sopater in Hermog. pag. 110. *δὶς περὶ τῶν αὐτῶν δικὰς μὴ εἶναι.* Vid. Andocid. *κατ' Ἀλκιβιάδου* pag. 30. Donat. in Andr. III. 1. 7. L.

Cum versu abhinc altero redeant fere eadem verba: crediderim hunc nothum esse; vel si retineatur, legerim, *judicium de eadem re iterum ut reddatur tibi.* Tres nostri *reddatur. Re* pro *ea*, hoc est, *causa.* In recepta lectione *iterum*, cujus emphasis præcipua est, in Thesi obmutescit. B.

58 *Quandoquidem solus regnas*] Quoniam regnum solutum legibus est, et opprimens libertatem. Sic alibi, *regnumne hic, Æschine, possides?* D.

Solus regnas] I. e. solus tam potens es, ut tibi liceat facere quæ lubet in Ad. II. 1. 21. R. D.

59 *Hic de eadem causa*] *Hic*, videlicet apud Athenas, ubi leges, ubi libertas omnibus communis est. D.

Ut versui consulas, pro *adipiscier* repone *apiscier*, quod inprimis Lucretio frequens est. Et Heaut. IV. 3. 15. occurrit *deorum vitam apti sumus.* B.

61 *Potius quam lites secter, aut quam te audiam*] Bis posuit *quam.* quod genus figuræ primo *ζεύγματι* contrarium est. ut in Heaut. *propter quam in summa infamia sum, et meo patri minus* (Bentleius addi vult, *sum.* Ut in hoc loco *sum* bis ponatur, sicut in seq. *ut*, todidem. Z.) *obsequens.* Item, *cepi rationem, ut neque tu egeres, neque ut hæc posses perdere.* D.

62 *Id quod lex jubet dotem dare*] *Id*, pro *ob id.* D.

Quod lex jubet dare dotem] Victus præscriptione senex, ad illam legem descendit, ut dotem det, etiamsi fit cog-

Digitized by Google

Dotem dare, abduce hanc: minas quinque accipe.
P. Ha ha he, homo suavis. D. Quid est? num iniquom postulo?
An ne hoc quidem adipiscar ego, quod jus publicum'st?
P. Itane tandem quæso, item ut meretricem ubi abusus sis, 66
Mercedem dare lex jubet ei, atque amittere? an,
Ut ne quid turpe civis in se admitteret
Propter egestatem, proxumo jussa'st dari;

nata. Cui ut supra dixi respondetur: *itane tandem quæso ut meretricem*, &c. quod utique iniquum est, ex eo quod jam una pars videtur impleta. Aliter ergo jam non potest rursus quemcunque diceret senex proximo ad hos unde aut quamobrem (*aliter ergo jam non potest surgere adversus Phormionem, nisi dixerit senex: proximo; at nos unde? aut quamobrem?* Z.) Redit etiam parasitus ad præscriptionem: *actum, aiunt, ne agas.* E.

63 *Abduce hanc; minas quinque accipe*] Modo id agit, quod reprehendit a filio non esse factum, *dotem daretis, quæreret alium.* Et *dotem* voluit custodem esse pudoris. D.

Accipe] Scilicet in dotem. Petron. c. 74. *sestertium centies accipere poteris* scil. in dotem v. Burm. p. 480. R. D.

64 *Ha ha he*] Hic risu destruxit, quod serio intendebat senex. *Homo suavis*] Præscriptio, quum jam alterum factum sit, fieri utrumque non posse. D.

Versus gratia illud *est* delendum puto. B.

Homo suavis] I. e. stultus. Sic Græci fatuum ἡδὺν et γλυκὺν dicunt. v. quæ notavimus ad Timæi lexic. Platonic. p. 95. R. D.

65 *An ne hoc quidem adipiscar ego*] Quia enim a lege stat, recitat tantum id quod scriptum est. D.

Jus publicum] Hoc loco est jus commune, quod ad omnes cives pertinet, nec, ut aliis locis, opponitur juri privato. Cic. de Offic. I. 19. *neque disceptatione vinci se nec ullo publico ac legitimo jure patiantur.* Idem pro Domo c. 13. intelligit civile vel privatum. *Nego potuisse jure publico, legibus iis quibus hæc civitas utitur, quemquam civem ulla ejusmodi calamitate affici sine judicio.* v. Duker. ad Liv. XLV. 18. et Ernest. in Clave Cicer. voce *jus*. R. D.

66 *Itane tandem quæso?*] Majora argumenta sunt quæ per interrogationem proferuntur. *Ubi abusus sis*] A scripti voluntate. *Utimur* cum honore, *abutimur* cum injuria. D.

Illud *civem* ante *item* recte a Faerni et nostris libris abest. Cæterum ut versus sanetur, pro *itane* rescribe *itan*. B.

67 *Atque amittere*] Bene *amittere*: quia finis cupiditatis amissio est. D.

Illud *an*, duobus Faerni libris omnibus, faciat principium sequentis versus. Cæterum *an* et *ut* corripiuntur. B.

68 *An, ut ne quid turpe civis in se admitteret*] Idoneum testimonium est, bonorum esse natalium, civem dixisse. Nam apud veteres peregrinæ mulieres in meretricum numero habebantur. Sic ipse alibi, *adeone est demens? ex peregrina?* Et alibi, *Samia mihi mater fuit, ea habitabat Rhodi.* Et Parmeno comprobans respondit, *potest taceri hoc*; id est, meretricem matrem te habuisse. *An, ut ne quid civis turpe in se admitteret*] A voluntate. D.

Lege et numero et ordine meliore, *an, ut né quid civis túrpe in sese admitteret.* Certe omnes nostri, præter unum, habent *civis turpe*. B.

Digitized by Google

Ut cum uno ætatem degeret? quod tu vetas.
D. Ita, proxumo quidem: at nos unde? aut quamobrem? P. Ohe,
Actum, aiunt, ne agas. D. Non agam? immo haud desinam,
Donec perfecero hoc. P. Ineptis. D. Sine modo.
P. Postremo tecum nihil rei nobis, Demipho, est:
Tuus est damnatus gnatus, non tu: nam tua
Præterierat jam ad ducendum ætas. D. Omnia hæc
Illum putato, quæ ego nunc dico, dicere:
Aut quidem cum uxore hac ipsum prohibebo domo.
G. Iratus est. P. Tute idem melius feceris.
D. Itane es paratus facere me advorsum omnia,
Infelix? P. Metuit hic nos, tametsi sedulo

70 *Ut cum uno ætatem degeret*] Quid enim est pudicitia, nisi unius scientia viri? D.

72 *Actum, aiunt, ne agas*] *Aiunt* dicimus, quum proverbium significamus. *Acta res* est, de qua sententia prolata sit. D.

Actum, aiunt, ne agas] I. e. noli frustra operam ponere in re jam judicata. v. not. ad Ad. II. 2. 24. R. D.

73 *Donec perfecero hoc*] Virgil. Æn. II. 719. *donec me flumine vivo Abluero.* *Perfecero*] Pro *perficiam.* *Ineptis*] Ut a *sapientia, sapis* dicimus: ita ab *ineptia, ineptis.* *Sine modo*] Hæc minantis sunt verba: et bene. imitatus est enim (*et bene imitatus est modum.* lib. uterq.) comminantem. D.

74 *Postremo tecum nihil rei*] Jam ludit parasitus: tu, inquit, senex jam alterius ætatis es, addictus filius tuus est. E.

75 *Tuus est damnatus gnatus, non tu*] Ludit Phormio quum dicit, *non tu*: et contemtibiliorem in hac causa sibi senem, quam Antiphonem fuisse, dicit: simulque ætatem illius esse despectam. *Tuus est damnatus gnatus, non tu*] Pro voluntate contendentis est prolatio sententiæ. D.

77 *Illum putato, quæ ego nunc dico, dicere*] Definitive respondit. D.

78 *Cum uxore hac*] Id est, tali. D.

Pro *prohibeo* meliores et plures libri exhibent *prohibebo.* B.

Prohibebo domo] Pro *a domo* Sallust. Jug. c. 21. *Numidas insequentes mœnibus prohibuit.* R. D.

79 *Tute idem melius feceris*] Locus est hic, ut ostendat Phormio de compacto egisse cum Antiphone. *Tute idem melius feceris*] Quidam sic intelligunt, *tute idem melius feceris*, ut senex potius exeat, quam ejiciat filium. Artificiose autem loquitur Phormio, ut adimat suspicionem seni consensionis et conhibentiæ (*conventionis.* Ms. Bosad, et ed. Du B.) inter parasitum et filium. D.

Tute idem faceris] Hoc ipsum tu recte feceris. E.

81 *Sedulo*] Sine dolo, instanter. D.

Metuit hic nos] Quoniam dixerat submissiore dictione, *itane es paratus facere me advorsum omnia?* Quæ res ostendit iracundiam esse linitam. E.

Infelix] I. e. improbus ut apud Græcos *κακοδαίμων*, apud Gallos *malheureux.* Plaut. in Cistell. IV. 2. 17. *me infelicem et scelestum.* R. D.

Digitized by Google

Dissimulat. G. Bene habent tibi principia. P. Quid, quod est
Ferendum, fers: tuis dignum factis feceris,
Ut amici inter nos simus. D. Egone tuam expetam
Amicitiam? aut te visum, aut auditum velim? 85
P. Si concordabis cum illa, habebis quæ tuam
Senectutem oblectet: respice ætatem tuam.
D. Te oblectet: tibi habe. P. Minus vero iram. D. Hoc age:
Satis jam verborum'st: nisi tu properas mulierem
Abducere, ego illam ejiciam: dixi, Phormio. 90
P. Si tu illam attigeris secus quam dignum est liberam,
Dicam tibi impingam grandem: dixi, Demipho.
Si quid opus fuerit, heus, domo me. G. Intelligo.

82 *Dissimulat*] Fingit, mentitur. D.

Quod est ferendum] Quia res tolerandas sustinere (*sustinere debes.* Z.) et dignum tuis factis feceris. E.

83 *Quin quod est ferendum, feras*] Cur non, inquit, accommodas necessitati voluntatem? D.

Pro *fers*, quod solum est probandum, Bemb. habet *feres*; alii *fer*; alii *feras*. Male. B.

84 Pro *egone* omnes Faerni et nostri codd. habent *egon*. B.

87 *Quæ tuam senectutem oblectet*] Non te, sed *senectutem tuam*. D.

88 *Minus vero iram*] Contemnentis est dissuadere iracundiam. *Hoc age*] Attentionis est. D.

89 Pro Bemb. Vict. et aliorum librorum Faerni *properas*, nostri habent *properes*. B.

90 *Dixi Phormio*] *Dixi* solent dicere peroratis causis. D.

Dixi] Hic habet vim confirmandi et asseverandi, se non mutaturum sententiam. v. Eun. V. 8. 36. R. D.

91 *Si tu illam attigeris*] Revocat iracundiam, quia ille dixerat: *nisi tu properas mulierem abducere, ego illam ejiciam*, et hic contra: *si tu illam attigeris aliter quam dignum est liberam, dicam tibi impingam grandem*. E.

92 *Dixi Demipho*] Mire comminationem et ferocitatem ejus imitatus est simili verbo. D.

93 *Si quid opus fuerit*] Hæc repentina discessio habet aliquam majorem litigaturi denunciationem. Et bene breviter: ne multioquio infringeretur superior commissatio. D.

Si quid opus fuerit domo me] Scilicet compello, si quid opus est. Solemnis formula est Plaut. in Cistell. IV. 2. 56. *si quid est opus dic; imperu et tu*. R. D.

Digitized by Google

ACT. II. SCENA IV.

DEMIPHO. GETA. HEGIO. CRATINUS. CRITO.

QUANTA me cura et sollicitudine afficit
Gnatus, qui me et se hisce impedivit nuptiis!
Neque mihi in conspectum prodit; ut saltem sciam,
Quid de hac re dicat, quidve sit sententiæ.
Abi tu, vise redieritne jam, an nondum, domum. 5
G. Eo. D. Videtis quo in loco res hæc siet:
Quid ago? dic, Hegio. H. Ego? Cratinum, censeo,
Si tibi videtur. D. Dic, Cratine. CRA. **Mene vis?**

1 *Quanta me cura et sollicitudine afficit gnatus*] *Cura* est in spe bonorum: *sollicitudo* in metu malorum. *Quanta me cura et sollicitudine*] Hæc deliberativa est, in qua tres advocati sunt: quorum unus suadet, alter dissuadet, tertius qui se alteratri addere debuisset, ejusmodi sententiam dicit, ut rursus deliberatione opus esse videatur. D.

Quanta me cura] Hæc scena deliberativa tenet. Deliberat enim senex, an judicium, quod se absente filius egit, rescindat denso. Ideo sententiæ ab advocatis . . . . (*ab advocatis tribus feruntur.* Z.) una dissuadentis, persuadentis altera: tertia, quæ accedere ad sententiam (*sententiam alterutram.* Z.) possit, talis est, ut rursus deliberatione opus esse videatur. Est igitur prima pars, cujus principium tale est: *quod quæ in rem tuam sint, ea velim facias:* ego quæ tibi prosint, facere te volo. Deinde ipsa sententia: *mihi sic hoc videtur, quod te absente hic filius egit, restitui in integrum.* Deinde breviter a justo, *æquum est et bonum.* An fieri possit: *id impetrabis.* Contraria sententiæ; cujus hoc principium: *ego sedulo hunc dixisse arbitror;* ne contraria dicturus videatur inimicitias exercere, dedidit contrariæ partis patronum, ut dicat illum *sedulo*, hoc est, sine fraude et dolo dixisse, quod dixerit. Quod dixerit de se aliquam prolaturum esse sententiam, propterea (*quum decreverit se aliam p. e. s. præmittit.* Z.) *quot homines, tot sententiæ: suus cuique mos.* Deinde sententiam suam: *mihi non videtur, quod sit factum legibus, rescindi posse: et turpe ineptu est.* Hoc utique ab inhoneste dictum non (*nos.* Z.) intelligimus. Tertia illa sententia est: *ego amplius deliberandum censeo: res magna est.* E.

Impedivit] I. e. implicuit. v. not. ad Andr. III. 5. 11. R. D.

5 Lege ex cod. Petrensi, *abi vise.* Num *te* versum strangulat. B.

7 *Ego Cratinum censeo*] Potest *ego* subdistingui: ut subaudiatur, *ego dicam?* D.

Repone *Cratinus, censeo*, h. e. Cratinus dicat. B.

Dic Hegio] Verbo *dic* utebantur judices, cum advocatos causam narrare, et consules, cum senatores sententiam dicere jubebant. v. Brisson. de formulis V. 4. 23. R. D.

8 *Si tibi videtur*] Ex veteri formula senatusconsultor. qua utebantur cum senatus aliquid consulibus fieri demandaret. Justinus Trogi initio lib. XXXI. *senatus scripsit Flaminino,* SI EI VIDEATUR, *sicuti Macedoniam a Philippo, ita Græciam a Nabide liberet.* L.

Digitized by Google

D. Te. CRA. Ego quæ in rem tuam sint, ea velim facias: mihi
Sic hoc videtur. quod te absente hic filius
Egit, restitui in integrum, æquom est et bonum:
Et id impetrabis. dixi. D. Dic nunc, Hegio.
H. Ego sedulo hunc dixisse credo: verum ita est,
Quot homines, tot sententiæ: suus cuique mos.
Mihi non videtur, quod sit factum legibus,
Rescindi posse: et turpe inceptu est. D. Dic, Crito.
CRI. Ego amplius deliberandum censeo:
Res magna est. H. Num quid nos vis? D. Fecistis probe:

9 *Quæ in rem tuam sint*] Bene principio, ἀπὸ τῆς ΤΗΟΛΚΙΣ* ΚΑΙ ΤΟΥ συμβουλεύοντος (ἀπὸ τῆς ἐπιεικείας τῆς τοῦ συμβουλεύοντος. Z.) benevolentiam suam commendavit: et sic consilium dedit. D.

Responsum Demiphonis *te*, tanquam versui repugnans, et sensui in re levi inutile, delendum esse censeo. B.

11 *Æquom est*] Ab honesto. *Et bonum*] Ab utili. D.

Æquum est et bonum] Ms. Pith. *æquum ac bonum est*. L.

Repone *æquom esse ac bonum*. Nam *ac* est in nostris; et *esse* regitur a *videtur*. ut mox vers. 16. *posse*. B.

Restitui in integrum] *In integrum* ICti dicunt pro *restituere in pristinam causam, in pristinum jus*. Nec tantum personæ, sed etiam res in integrum restituuntur. Sic in lege VIII. §. ult. Pandectar. de bonis liberorum in integrum restituere rerum, fructuum, &c. R. D.

12 *Et id impetrabis*] A possibili. Et breviter deliberativæ tres locos tetigit, justum, utile, et possibile. D.

13 *Ego sedulo hunc dixisse credo*] Artificiose personam defendit, sententiam reprehensurus: ne si inimicus sit, adimat auctoritatem sententiæ suæ. *Verum ita est*] Subjunxit locum ἀπροφάσιστος oratoriæ: ut invidiæ contradictarus occurreret. D.

Sedulo] Hic pulchre convenit etymologica ratio, qua grammatici *sedulo* ex *se dolo* i. e. sine dolo natum putant. Cic. pro Cluent. c. 21. *hoc quanquam sedulo faciebat, tamen interdum non defendere sed prævaricari* [*accusationi*] *videbatur*. R. D.

14 *Quot homines tot sententiæ*] Horat. libr. II. Sat. I. 27. *quod capitum vivunt, totidem studiorum millia*. Arnob. advers. gent. lib. 2. *quot in orbe sunt homines, sunt sententiæ totidem*. L.

15 *Mihi non videtur*] A possibili. *Quod sit factum legibus*] Hic alio ordine locos suasoriæ tetigit: primum a possibili, secundum ab honesto. D.

16 *Et turpe inceptu est*] Ab honesto. Utilitatem autem prætermisit per artem, quæ, ubi non potest fieri, frustra spectatur. D.

Pro *inceptu* plures libri *inceptum*. Utrumvis probe. B.

17 *Amplius deliberandum censeo*] Formula e judiciis ducta. Nam judices cum significare vellent, rem intricatam esse et nondum definiri posse, vel cum spatium reo dare vellent, dicebant *amplius* aut *non liquet*. Unde *ampliare* est differre sententiam, diutius velle de causa deliberare. v. Brisson. de formulis V. 4. 55. R. D.

18 *Res magna est*] Causa ampliandi sententiam. D.

Res magna] I. e. magni momenti. Nep. in Attico c. 4. *et si qua res major acta est*. Cic. ad Div. II. 6. *si quæ magna res mihi petenda esset*. R. D.

Digitized by Google

Incertior sum multo, quam dudum. G. Negant
Redisse. D. Frater est exspectandus mihi:
Is quod mihi dederit de hac re consilium, id sequar.
Percontatum ibo ad portum, quoad se recipiat.
G. At ego Antiphonem quæram; ut quæ acta hic sint, sciat.
Sed eccum ipsum video in tempore huc se recipere.

ACT. III. SCENA I.

ANTIPHO. GETA.

ENIMVERO, Antipho, multimodis cum istoc animo es vituperandus:
Itane hinc abisse, et vitam tuam tutandam aliis dedisse?
Alios tuam rem credidisti magis, quam tete, animadversuros?

19 *Incertior sum multo quam dudum*] Ex tribus enim unus suasit, alter dissuasit, tertius nihil dixit. D.

Incertior sum multo, quam dudum] Dicta ratione incertiorem se factum dicit; siquidem suasit unus, dissuasit alter, contra tertius nihil dixit. E.

21 Pro *exequar* unus e nostris *sequar*: atque idem hunc ordinem verborum inducit, *is quod mihi de hac re dederit c. i. s.* quod placet. Cf. Adel. III. 5. 54. B.

22 *Quoad se recipiat*] Quando redeat. E.

23 Pro *sunt*, meliores Faerni et nostri libri, *sint*. B.

24 *In tempore huc se recipere*] Ἐυκαίρως. Sallustius, *maximeque ferocia regis Mithridatis in tempore bellaturi*. D.

1 *Enimvero, Antipho, multis modis cum istoc animo*] *Cum istoc animo*: pro, *hujus animi*. Ennius, *omnia (optima.* Lib. uterque) *cum pulchris animis Romana juventus*. D.

Enimvero, Antipho, multis modis cum istoc animo vituperandus es] Hæc scena rationem gestorum tenet, cum questione et objurgatione, quod dimiserit amorem, et irritus (*et deseruerit*. Z.) eam quam diligebat, neque ei ac sibi attulerit patrocinium. E.

Pro *multis modis* versus exigit *multimodis*; quod ipsum libri præstantiores exhibent. B.

2 *Itane hinc abisse, et vitam tuam*] Ἐν ὑποφορᾷ. ut Æn. XI. 270. *invidisse deos, patriis ut redditus oris, Conjugium optatum et pulchram Calydona viderem?* Et, *servon' fortunas meas commisisse futili?* D.

Lectio Victoriani, et Ubaldini Bandinelli, *itane te hinc abisse*, orationi et versui commodissima videtur. B.

3 *Alios tuam rem*] Ab infinitivo ad indicativum transitum fecit. *Credidisti*] Pro putasti. D.

Pro vulgari *te* versus probat Bembini *tete*. B.

Digitized by Google

Nam ut ut erant alia, illi certe, quæ nunc tibi domi'st, consuleres,
Ne quid propter tuam fidem decepta pateretur mali,
Cujus nunc miseræ spes opesque sunt in te uno omnes sitæ.
G. Equidem, here, nos jam dudum hic te absentem incusamus, qui abieris.
A. Te ipsum quærebam. G. Sed ea causa nihilo magis defecimus.
A. Loquere obsecro, quonam in loco sunt res et fortunæ meæ:
Num quid patri subolet? G. Nihil etiam. A. Ecquid spei porro'st? G. Nescio. A. Ah!
G. Nisi Phædria haud cessavit pro te eniti. A. Nihil fecit novi.

4 *Num, ut erant alia, illi certe, quæ nunc tuæ domi est, consuleres*] Nam qualiacunque cætera essent circa te, illi saltem auxilium ferres, quæ tuæ domi est. E.

Pro vulgari *tuæ domi* placet Bembini *tibi domi*. ut infra III. 2. 19. B.

5 *Pateretur mali*] Legitur et *potiretur*: quia *potiri τῶν μέσων* fuit. Plautus Epid. IV. 1. 35. *hostium potitus est*. D.

Altera Donati lectio *potiretur* a Terentio profecta esse videtur; quæ vero postea a magistris ob archaismum est ejecta. B.

Ne quid potiretur mali] *Potiri* ex iis verbis est quæ in meliorem et deteriorem partem dicuntur. Plaut. in Epidic. IV. 1. 35. *hostium'st potita*. In Rud. I. 3. 7. *haud labori est, laborem hunc potiri* v. Gronov. in lection. Plaut. c. 66. et Broukhus. ad Propert. II. 7. 64. R. D.

6 *Spes opesque sunt*] Hæc quidem de his sunt, quæ amant jungi. *Spes opesque sunt*] Ut, *res fortunæque*. D.

Spes opesque] Plaut. capt. III. 3. 2. *spes, opesque, atque auxilia, a me segregant spernuntque se*. Sallust. in Jugurt. 114. *spes atque opes civitatis in illo sitæ*. L.

7 *Qui abieris*] Mollius, quam *fugeris*. D.

Cum Terentii ætate *equidem* non nisi primæ personæ singulari jungeretur, placet *et quidem*, quod in nostris omnibus, et Faerni præstantioribus extat. B.

8 *Sed ea causa*] Quia abieris. D.

Sed ea causa nihilo defecimus] Sed licet te accusaret magis, quod abesses esses, ea causa non defecimus. E.

10 *Numquid patri subolet?*] Sub convenientia sua et Phormionis dicit (*subolet? Conniventia tua et Phormionis*). D.

Numquid patri subolet?] Numquid suspicatur pater, sua voluntate cessisse, an etiam ei veniam tribuit, ut eandem uxorem habeat? (*pater, scilicet mea voluntate cessisse; an etiam mihi veniam t. v. e. v. habere liceat?* Z.) E.

Ne *patri* in Thesi totum lateat, lege *num patri quid subolet*; et *spei* δευτεράβας pro *spei*. B.

Lege *ut aliis*. Nam *in* abest in Bemb. et a versu repudiatur. B.

11 *Nisi*] Pro *nisi quod* i. e. *sed*. v. not. ad. Andr. IV. 1. 40. R. D.

Digitized by Google

G. Tum Phormio itidem in hac re, ut in aliis, strenuum hominem præbuit.

A. Quid is fecit? G. Confutavit verbis admodum iratum patrem.

A. Eu, Phormio. G. Ego quod potui porro. A. Mi Geta, omnis vos amo.

G. Sic habent principia sese, ut dico: adhuc tranquilla res est;

Mansurusque patruum pater est, dum huc adveniat. A. Quid eum? G. Ut aiebat,

De ejus consilio sese velle facere, quod ad hanc rem attinet.

A. Quantus metus est mihi, venire huc salvom nunc patruum, Geta!

Nam per ejus unam, ut audio, aut vivam, aut moriar, sententiam.

G. Phædria tibi adest. A. Ubinam? G. Eccum ab sua palæstra exit foras.

12 *Hominem strenuum præbuit*] Intelligendum pronomen *se*, quod adfunt alii. R. D.

13 *Confutavit verbis*] Convicit: ut si diceret, *refutavit*. sed *refutatio* in rem est: *confutatio* in personam. D.

Confutavit verbis.—Ego quod potui] Bonum ordinem servus tenuit, ut primo dominum, deinde Phormionem, sic se supponeret, ad narrandum, quæ sint præstita adolescenti. E.

Pro vulgari *patrem* Bembinus habet *senem*; quod consuetudini Terentii magis convenit. B.

14 *Ego quod potui porro*] De se mediocriter per ἔλλειψιν, moraliter satis. *Ego quod potui porro*] Ordine, primo dominum, post Phormionem, ultimum se posuit. D.

15 Hic versus et seq. sunt trochaici tetrametri acatalectici. FAERN.

16 Ut ἀνακόλουθον tollatur, rescribe *id aibat*. B.

17 Ex cod. reg. et cum edd. vett. lege numeris melioribus, *vélle sese fácere*. B.

De ejus consilio] Pro *ex ejus consilio*. Sic *de sententia alicujus aliquid facere* est apud Plaut. in Bacchid. IV. 9. 115. et sæpe apud Cic. R. D.

18 *Huc salvom nunc patruum, Geta*]. Non optat salvum patruum venire, secundum Apollodorum: et (*sed*) ostendit non congruere salutem ejus cum commodo suo. An vero dicit, malum (*an dicit, non malum*) esse et incommodum sibi: sed tantum magni terroris plenum adventum patrui? D.

Pro Bemb. *quantum* retine cæterorum codd. *quantus*. B.

19 Pro iambico restitue trochaicum, uti series poscit, *nám de ejus una, ut aúdio, aut vivam aút moriar senténtia*. B.

20 *A sua palæstra exit foras*] Bene *palæstram* ejus dixit lenonis domum, in

Digitized by Google

ACT. III. SCENA II.

PHÆDRIA. DORIO. ANTIPHO. GETA.

DORIO, audi obsecro. D. Non Audio. P. Parumper. D. Quin omitte me.

P. Audi quod dicam. D. At enim tædet jam audire eadem millies.

P. At nunc dicam, quod lubenter audias. D. Loquere, audio.

P. Nequeo te exorare, ut maneas triduum hoc? quo nunc abis?

D. Mirabar, si tu mihi quicquam afferres novi. 5

A. Hei, metuo lenonem, ne quid suo suat capiti. G. Idem ego metuo.

qua est exercitus amator assidue. Plautus Bacchid. I. 1. 32. *homo adolescens Penetrem hujusmodi in palæstram, ubi damnis desudascitur!* D.

Ut illud *ubinam*, cum sit interrogatio, acuatur, nec in Thesi deprimatur, repone ex duobus regiis, *ubinamst?* B.

Palæstra] *Palæstram* metaphorice dicit lenonis domum, in qua amor assidue exercebatur. Similis translatio est apud Plaut. in Bacchid. I. 2. 33. *homo adolescentulus Penetrare hujusmodi in palæstram, ubi damnis desudascitur.* R. D.

1 *Dorio, audi obsecro*] Hæc scena in petitione est, quæ sæpe admittit deliberativæ locum. *Dorio, audi obsecro*] Sunt qui sic legant, ut *Dorio*, Phædria dicat, *audio* leno, *obsecro* iterum Phædria. *Quin omitte me*] *Quin*, modo corripiendi vel imperandi vim habet. ut Virg. Ecl. III. 52. *quin age.* D.

Dorio, audi obsecro] Hæc scena petitionem tenet, quod deliberativæ sæpe genus diximus. quippe cum leno peteret argentum ab adolescente, ille dilationem postulavit. Hic ergo petitionis modus ab utili, et honesto, et cæteris partibus tractabitur. Denique opponitur, *nequeo te exorare, ut maneas triduum hoc?* Extra positus adolescens irascitur, *vereor ne leno*, &c. E.

Hæc scena expressa est ad Plaut. Pseud. I. 3. W.

2 Ducibus nostris plerisque et edd. vett. pro *quod* rescribe *quid.* ut And. IV. 4. 7. Eun. V. 8. 7. Hec. I. 2. 3. B.

6 *Hei, metuo lenonem, nequid suo suat capiti*] Deest *mali. Suat* autem, appingat atque affigat. *Suo suat capiti*] Ἀποσιώπησις. διὰ τὸν ἐνφαμισμόν. *suo capiti* dixit, quum dicturus esset, Phædriæ. ut Æn. IV. 640. *Dardaniique rogum capitis.* D.

Pro *metuo* Bembinus habet *vereor.* Guyetus hunc versum ut spurium repudiavit. Muretus, duce suo codice, sic legit et distinxit, *ne quid suat. Suo capiti*, h. e. quod in lenonis ipsius caput vertat. At vero primam nec *sucre* nec *βάπτειν* absolute positum signifi-

Digitized by Google

P. Non mihi credis? D. Hariolare. P. Sin fidem do? D. Fabulæ!

P. Fœneratum istuc beneficium tibi pulchre dices. D. Logi!

P. Crede mihi, gaudebis facto: verum hercle hoc est. D. Somnium!

P. Experire; non est longum. D. Cantilenam eandem canis. 10

P. Tu mihi cognatus, tu parens, tu amicus, tu. D. Garri modo.

eat *struere et machinari aliquid, quod alteri sit damnosum*; qui est error Mureti. Deinde non poterant metuere, ne leno quid moliretur adversus Phædriam, quia leno ipse rem non dissimulabat; sed id tantum mutuebant, ne leno odore lucri allectus Fidicinam aliis venderet. Denique si Antipho dixisset *suo capiti*; Geta non subjunxisset *idem ego vereor*, sed *idem ego precor, opto*. Igitur illud *hei*, quod sæpe in fine versus ponitur, præcedenti apponendum, et, duce cod. nostro 900 annorum, verba *idem ego metuo* seu *vereor*, plane delenda puto, et versum restituendum sic, *metuó lenonem, né quid*. G. *Suo capiti fuat*. Post *nequid* dixisset, nisi interpellatus esset, *novæ turbæ faciat*, aut quid simile. Et *fuat* est *sit*. Vide nos ad Adel. V. 4. 1. certe *capiti esse* sic occurrit Cic. Fam. VII. 1. et Tibull. I. 2. 12. B.

Ne quid suo suat capiti] H. e. ne quid machinetur, quod in ipsius caput recidat. Sic *consilis dolis* Plaut. in Amphitr. I. 1. 211. et simplex *sutelæ* pro *fraudibus* apud eundem in Captiv. III. 5. 35. Posteriore loco refellitur Bentleius, negans *suere* absolute dici pro *struere, machinari*. Sed locus ne sic quidem satis integer videtur, de quo vide Bentleii conjecturas. R. D.

7 *Hariolare*] Divinas. Hoc pertinet ad illud, *non mihi credis?* E.

Non mihi credis? hariolare] Tale illud Plautinum, Asin. I. 3, 51. *nihili concio est*. L.

8 *Fœneratum*] Ab utili. *Fœneratum istuc beneficium tibi*] Id est, mihi *(ei* Lib. uterque. Forte, *tibi a me)* a te fœneratum. D.

Fœneratum istuc beneficium tibi pulchre dices] Hoc ab utili in petitione positum, quod prodesse possit, etsi non cesserit tempus. E.

Omnes Faerni et nostri libri, *pulchre tibi dices*. B.

Fœneratum istuc beneficium dices] I. e. dices hoc beneficium a te in fenore positum esse. Fateberis, te pro hoc beneficio longe majus accepisse. Cic. de Amicit. c. 9. *ut benefici liberalesque simus; non ut exigamus gratiam (neque enim beneficium fœneramur) sed natura propensi ad liberalitatem sumus*. R. D.

9 *Verum hercle hoc est*] Bene ipse dictum suum confirmavit. D.

Nostri codd. *somnium*; sed placet recte Faerno *somnia* Bembini; quia *fabulæ* et *logi* in plur. præcesserint. B.

10 *Cantilenam eandem canis*] Ita dicit: ut, *vetus et vulgata cantio*. D.

Experire, non est longum] Hoc a facili, etiam an fieri possit. E.

Cantilenam eandem canis] Cantilena est etiam id quod canitur et quod crebris sermonibus usurpatur. v. Cic. ad Div. XI. 20. *et totam cantilenam ex hoc pendere, ut quam plurimum lucri faciant*. R. D.

11 *Tu mihi cognatus*] Ab honesto.

Digitized by Google

P. Adeon' ingenio te esse duro atque inexorabili,
Ut neque misericordia, neque precibus molliri queas?
D. Adeon' te esse incogitantem atque impudentem, Phædria,
Ut phaleratis dictis ducas me, et meam ductes gratiis?
A. Miseritum'st. P. Hei veris vincor! G. Quam uterque est similis sui!

Tu parens, tu amicus, tu] Secunda ἀποσιώπησις. D.

Tu mihi cognatus, tu parens] Hoc a Pour (*propinquitate*. Z.) E.

Ne repente iambicus oriatur, cum antecedentes fuerint trochaici; illud *mihi* tollendum puto. B.

Tu mihi cognatus] Similis blanditia est apud Propert. I. 11. 23. *tu mihi sola domus tu Cynthia sola parentes, Omnia tu nostræ tempora lætitiæ* ubi v. Broukhus. R. D.

12 Recte Faernus trochaicum claudicantem ex libris Bemb. et Victor. sic sanat, *esse duro te a. i.* B.

Duro ingenio] I. e. rigido aspero. cui opponitur *ingenium lene* in Heaut. I. 1. 99. R. D.

14 Cum nimis sit contumeliosum, a lenone adolescentem ingenuum *impudentem* dici; ex codd. Petrensi et Mead. repone *imprudentem*, h. e. rerum humanarum imperitum. Vid. And. V. 4. 7. B.

15 *Phaleratis dictis*] Honestis atque ornatis: quia dixit, *tu mihi cognatus, tu parens*. Et, quasi lene, irridet honestatem et despicit. D.

Ut phaleratis dictis ducas me] Quia supra dixit, *tu mihi cognatus*, ideo addit *phalerat adicta*, cum tenentur (forte, *habentur*. Z.) verba honestatem, et quasi ornamenta habentia. E.

Pro vulgari *gratis* ratio trochaici probat Bembini *gratiis*. B.

Phaleratis dictis ducas] *Phalerata verba* sunt speciosa, sed eadem inania. *Phaleræ* proprie sunt ornamenta argentea equorum, quæ speciem non usum habent. v. Duker. ad Flor. I. 5. p. 58. Translata sic dicitur omnis externa corporis vel fortunæ pompa. Persius Sat. III. 30. *ad populum phaleras; ego te intus et in cute novi*. *Ducere* est differre. Cæsar. de B. G. I. 16. *diem ex die ducere Ædui, conferri comportari, adesse, dicere*. v. Gronov. observat. I. 12. R. D.

Meam ductes gratiis] H. e. mea fruaris gratis sine merce. *Ductare* obscœnum verbum Plaut. in Asin. V. 2. 12. *qui quidem cum filio Petet una atque una amicam ductet decrepitus senex*. v. Rivium ad h. l. Burmann. ad Quinctil. VIII. 3. R. D.

16 *Meritum est*] Εἰρωνεία. *Hei veris vincor?*] Hoc sibi dicit adolescens. D.

Hic locus est crux interpretum, adeo ut Guyetus, cum se ex difficultate expedire non posset, hunc versum cum duobus seqq. delendum putaret. Vulgo *uterque* de lenone et Phædria intelligunt, sed non uno modo: alii enim accipiunt de similitudine pertinaciæ, Phædriæ in petendo, et lenonis in concedendo: alii de similitudine ingenii, quod uterque conservare studeat; Phædria nimirum in honestate, lene in duritie servanda. Utraque ratio contorta esse videtur. Si vulgaris interpretatio de nomine *uterque* est tuenda; equidem a Geta verba *veris vincor* spectari puto, ut sensus sit, utrumque veris vinci et moveri, Phædriam veris quæ dicta sint, lenonem rebus ipsis, i. e. pretio, non promissis. Verum fortassis melius et rei convenientius est, si *uterque* de duobus miseris adolescentibus acceperis, ita ut Geta dicat, vel utrumque veris vinci, Antiphonem vera miseria Phædriæ, et Phædriam veris dictis lenonis; vel suo utrumque laborare male, Antiphonem vinci veris argumentis pa-

Digitized by Google

P. Neque, Antipho alia quum occupatus esset sollicitudine,
Tum hoc esse mihi objectum malum? A. Ah! quid istuc autem est, Phædria?
P. O fortunatissime Antipho! A. Egone? P. Cui, quod amas, domi'st:
Nec cum hujusmodi unquam usus venit ut conflictares malo.
A. Mihin' domi'st? immo, quod aiunt, Auribus teneo lupum:

tris, Phædriam lenonis. Si cui vero nihil horum placeat; verba Getæ de lenone et Phædria per *ἐιρωνίαν* dici intelligat. Z.

Veris vincor] H. e. veritate, ut vulgus loquitur, mihi os obfercitur. Plaut. in Mostell. I. 2. 12. *profecto ita esse ut prædico, vero vincam.* R. D.

17 *Neque Antipho alia quum occupatus esset sollicitudine*] Hoc dolet Phædria, quod in eadem re laboravit Antipho, id est, in amore: quodque (*quodque una*) amare contigerit. *Neque Antipho alia*] Minore aliqua sollicitudine quam hæc est, quam nunc gerit. An *alia*, præter hanc, quam de me gerit? Ordo et sensus hic est, neque tum esse mihi hoc objectum malum, quum Antipho alia sollicitudine esset occupatus levi quapiam, non hac de nuptiis, quæ est gravissima. D.

Neque, Antipho alia cum occupatus esset sollicitudine, tum hoc esse mihi objectum malum?] Vere nunc ingemisco, me hoc tempore cogi amare, quo Antipho in alia sollicitudine occupatus mihi auxilium ferre non potest. E.

Neque, Antipho alia, &c.] Bentleius putat, hæc a Phædria ex invidia dici, eumque queri, se tum in sollicitudine esse, cum Antipho sit beatissimus. Verum placet ratio eorum, qui intelligunt de dolore Phædriæ, quod nunc ab Antiphone, ipso quoque laborante, sibi nihil præsidii sit exspectandum. Nam postquam concessit, se veris vinci, circumspicit unde lenoni avaro satisfacere possit. Statim sibi venit in mentem Antipho amicus et cognatus; sed contemplatio sollicitudinis, qua ille ipse sit occupatus, exprimit hanc querelam. Cæterum hic est ellipsis perturbato Phædria dignissima; nam post *neque* intellige *velim* aut simile aliquid. Atque *alia* non h. l. est *diversa*, sed *aliqua ejusdem generis*; ut in illo Virg. Ecl. II. 49. *tum casia, atque aliis intexens suavibus herbis.* Z.

20 *Unquam usus venit*] Opus aut necesse fuit. D.

Usus venit] Tibi contigit. E.

21 *Auribus teneo lupum*] Græcum proverbium, *τῶν ἄτων ἔχω, τὸν λύκον, οὔτ' ἔχειν, οὔτ' ἀφεῖναι δύναμαι.* D.

Auribus teneo lupum] Sueton. in Tiberio cap. 25. *cunctandi causa erat metus undique imminentium discriminum, ut sæpe lupum tenere se auribus diceret.* Aristænet. lib. 2. Ep. 3. *ἐγὼ γὰρ τὸν λύκον τῶν ἄτων ἔχω, ὃν οὔτε κατέχειν ἐστὶ πολὺ δυνατὸν, οὔτε μὴν ἀκινδύνως ἀφεῖναι.* Querolus: *auribus lupum teneo: neque uti fallam, neque uti confitear, scio.* Locum Terentii imitatus est Hieronym. epistola ad Pammachium, advers. errores Io. Hierosolym. *nunc vero auribus lupum apprehenderis, nec tenere potes, nec audes dimittere.* L.

Faerni et nostri libri omnes habent, *immo id quod aiunt.* B.

Digitized by Google

Nam neque quomodo a me amittam, invenio: neque uti retineam, scio.

D. Ipsum istuc mihi in hoc est. A. Eia, ne parum leno sies:

Num quid hic confecit? P. Hicine? quod homo inhumanissimus:

Pamphilam meam vendidit. G. Quid? vendidit? A. Ain, vendidit? 25

P. Vendidit. D. Quam indignum facinus, ancillam ære emtam suo!

P. Neque exorare, ut me maneat, et cum illo ut mutet fidem,

Triduum hoc: dum id, quod est promissum ab amicis, argentum aufero.

Si non tum dedero, unam præterea horam ne oppertus sies.

D. Obtundis. A. Haud longum id quod orat, Dorio: exoret sine: 30

22 Hunc versum spurium puto, cujus ad formam versus superioris I. S. 14. Nam credibile non est, eandem sententiam in eadem fabula ab eadem persona bis dici; præsertim cum proverbium *auribus teneo lupum*, satis notæ sit significationis. B. Bentleius refelli potest ex proverbio Græco, quod refert Donatus. Z.

23 *Ne parum leno sies*] Ἐλλιψις. deest enim, *vereris?* D.

Parum leno sies] Aliquantam officii tuque consuetudinem mutans avaritiam referens (*aliquantum officii præstans, tuamque consuetudinem mutans, et avaritiam remittens.* Z.) E.

Ne parum sis leno] Plaut. Persa IV. 6. 4. *ne non sat esses leno, id metuebas miser.* Ascon. Pedian. I. 3. in Verrem. L.

Ne parum leno sis] H. e. ne quid facias, quod lenonem non deceat. Sæpe personæ exquisita elegantia ponuntur pro moribus personarum. Ovid. Metam. VI. 629. *sed simul ex nimia metrem pietate labare Sensit* ubi v. Heins. Valer. Flacc. V. 8. in Heaut. V. 3. 3. v. Schulting. ad. Quinctil. declamat. I. 2. R. D.

26 *Ære emtam suo*] Bene *suo*, quasi de tertia persona. D.

27 *Mutet fidem*] *Mutare fidem cum aliquo* est fidem alicui datam fallere: quæ locutio frustra suspecta erat viris eruditis. Sic in Plaut. in Pseud. I. 3. 141. dixit *perdere cum aliquo fidem*. Cic. de Offic. III. 29. *servare fidem cum aliquo* et ad eandem modum Liv. XXVIII. 17. *firmare fidem cum aliquo* ubi v. Drakenb. R. D.

29 Pro *sies* repone *siet*, ut simile fiat verbis præcedentibus *maneat, mutet*. B.

30 *Haud longum est id, quod orat*] Reperisse ea quæ desideraret (*repertum esse se ea, quæ leno desideraret, promiserat.* Z.) adolescens. Accessit etiam persuasor alius, fieri posse certe facile,

Digitized by Google

Idem hoc tibi, quod bene promeritus fueris, conduplicaverit.
D. Verba istæc sunt. A. Pamphilamne hac urbe privari sines?
Tum præterea horunc amorem distrahi poterin pati?
D. Neque ego, neque tu. G. Di tibi omnes id, quod es dignus, duint!
D. Ego te compluris advorsum ingenium meum menses tuli,
Pollicitantem, flentem, et nihil ferentem: nunc, contra omnia hæc,
Repperi qui det, neque lacrumet: da locum melioribus.
A. Certe hercle, ego si satis commemini, tibi quidem est olim dies,
Quam ad dares huic, præstituta. P. Factum. D. Num ego istuc nego?
A. Jam ea præteriit? D. Non: verum hæc ei antecessit. A. Non pudet

quod non sit longum. Deinde quod utile; siquidem *quod bene promeritus fueris, tibi conduplicaverit.* E.

Ne iambicus sit inter trochaicos, restitue trochaicum sic. D. *Optume.* A. *Haud longumst quod orat,* &c. Præsertim cum in quibusdam libris pro *obtundis* legatur *obtunde.* B.

31 *Conduplicaverit*] Conjunctivum pro indicativo, id est, *conduplicabit.* Hoc est aliter, *fœneratum istuc beneficium pulchre tibi dices.* D.

Placet Victoriani et Basilicani *hic* pro vulgari *hoc;* id tamen non adverbium putamus, sed pronomen. B.

33 Basilicani *horunc* pro vulgari *horum* probat versus ratio. B.

34 Pro *est dignum* meliores libri exhibent ns *dignus.* B.

36 *Flentem, nihil ferentem*] Ὅμοιον τῷ γένι ὁμοιοτέλευτον. ed. vet. Venet.) usitatum veteribus. D.

Bentleius cum aliis edidit, *pollicitantem et nil ferentem, flentem.* Cæterum illud *contra omnia hæc* est *e contrario;* ut Adel. I. 1. 19. Z.

38 *Tibi quidem olim est dies*] Hic *olim,* futuri temporis. Nam leno de accipienda ab adolescente pecunia diem constituerat: et inventa meliori conditione, anticipaverat tempus cum adolescente præscriptum. D.

Certe hercle ego si satis commemini, tibi quidem est olim dies, quam ad dares huic, præstituta] Si satis in memoria teneo, præstituta dies est, in quam diem pecuniam huic dares. E.

39 Lege ex cod. Petrensi *quoad dares.* Nam *quoad* signif. ad quam diem. ut supra. I. 2. 98. II. 4. 22. B.

Quam ad dares] *Ad diem dare, solvere* est præstituta die dare, solvere. Cæs. de B. C. II. 19. *edictum præmittit ad quam diem magistratus—sibi esse præsto Cordubæ vellet;* ubi v. interpret. Cic. ad Div. IX. 5. *mihi vero ad Nonas bene maturum videtur forum.* R. D.

40 *Jam ea præteriit?*] Interroga-

Digitized by Google

Vanitatis? D. Minume, dum ob rem. G. Sterquilinium. P. Dorio.
Itane tandem facere oportet? D. Sic sum: si placeo, utere.
A. Sicine hunc decipis? D. Immo enimvero, Antipho, hic me decipit:
Nam hic me hujusmodi sciebat esse: ego hunc esse aliter credidi.
Iste me fefellit: ego isti nihilo sum aliter ac fui.
Sed ut ut hæc sunt, tamen hoc faciam: cras mane argentum mihi
Miles dare se dixit: si mihi prior tu attuleris, Phædria,
Mea lege utar, ut potior sit, qui prior ad dandum'st. Vale.

tive pronunciandum. *Non, verum ei hæc antecessit*] Urbane leno, *hæc antecessit*: ut alii putant, meretrix vendita: ut alii, dies qua lenoni constitutum fuit. An aperte leno perfidus mentitur? unde sequitur, *non pudet vanitatis*. Ergo plus est *antecessit*, quam *præteriit*. *Non pudet vanitatis?*] Apparet, supra lenonem de perfidia anticipati temporis esse confessum. D.

Jamne ea præteriit? Non verum hæc ei antecessit] Duo tempora ambo tenuerunt diversa: hæc dies numquid præteriit? Contra leno respondit: immo retro pedem tulit, et propagavit se, h. e. antecessit, ut adhuc futura sit. E.

41 *Sterquilinium*] Plautus in Milite II. 1. 11.—*gloriosus, impudens, stercoreus, plenus perjurii atque adulterii*. Et in Pseudol. I. 3. 132. *fraudulente*. C. *Impure leno*. P. *Cœnum*. Sic Græcis in usu est, *ῥύπιος ἀνήρ*. Suid. L.

Pro *stercilinium*, quod in aliquot extat libris, versus suadet lectionem codicis vet. *Sterculinum*. Gloss. vet. *sterculinum, κοπρολοχεῖον, κοπριά*. Idem apud Plautum et Phædrum occurrit. B.

Vanitatis] I. e. mendacii, perfidiæ. Cic. pro Quint. c. 6. *si veritate amicitia —colitur: necesse est, iste qui amicum, socium, affinem fama ac fortunis spoliare conatus est, vanum se et perfidiosum et impium esse fateatur*. v. Ernest. in Clave Ciceron. h. voce. R. D.

Ob rem] I. e. ob utilitatem. Sallust. in Jug. c. 31. *id frustra an ob rem faciam, in vestra manu situm*; ubi v. Cort. usitatius dicitur *in rem*. R. D.

Sterquilinium] Convitium in hominem improbum v. Plaut. in Cas. I. 1. 26. *ex sterculino est osse*; scribendum vero *sterculinum* vel *stercilinum* ut sit quadrisyllabum v. Bentl. ad h. l. R. D.

42 *Sic sum*] I. e. tales sunt mores mei, tale ingenium. v. not. ad Andr. V. 4. 16. R. D.

Utere] I. e. vive, versare mecum. R. D.

43 Lege versus gratia, *immo enimvero hic, Antipho, me decipit*. B.

46 *Sed ut hæc sunt, tamen hoc faciam*] Exoratus tandem conditionem leno dat, uti cras argentum qui prior attulerit, ad ducendum potior sit. E.

48 *Mea lege utar*] Lenonia scilicet: in qua semper commodum est prius, quam fides. D.

Mea lege utar] Id lenonis, apud quem semper commodum prius. R.

Unus reg. cum edd. vett. *sit potior*. Repone *ut sit pótior, prior ad dandum qui est*. B.

Digitized by Google

ACT. III. SCENA III.

PHÆDRIA. ANTIPHO. GETA.

QUID faciam? unde ego nunc tam subito huic argentum inveniam miser,
Cui minus nihilo est? quod si hic potuisset nunc exorarier
Triduum hoc: promissum fuerat. A. Itane hunc patiemur, Geta,
Fieri miserum, qui me dudum, ut dixti, adjuverit comiter?
Quin, quum opus est, beneficium rursum ei experiamur reddere? 5
G. Scio equidem hoc esse æquom. A. Age ergo, solus servare hunc potes.
G. Quid faciam? A. Invenias argentum. G. Cupio: sed id unde, edoce.
A. Pater adest hic. G. Scio: sed quid tum? A. Ah, dictum sapienti sat est.

1 *Quid faciam?*] Οἰκονομία ad futurum exitum comœdiæ. D.

Quid faciam?] Hic cogitatio est, quemadmodum brevi tempore invenire possit argentum. E.

2 *Minus nihilo*] Ὑστερβολή. D.

Rescribe, *cui minus nihilo est? quód si hinc pote fuisset exorárier.* In Bemb. enim, Victor. et Meadiano est *pote fuisset. Pote* est neutrius generis, et *triduum* casus recti. *Hinc* est ab hoc lenone; ut Adel. III. 3. 7. atque illud *nunc* plane extra contextum est additum. B.

4 *Adjuverit*] Secundum *v* pronunciari debet (Guyetus conjicit legi debere, *non debet*). *Adjuverit comiter*] *Comiter*, veteres dixerunt παρὰ τὸ κόμος. D.

Pro Faerni emendatione *adjuverit* si scripseris *adjurit*, versui magis consuluerit. Certe *adjuro* usus est Ennius apud Cic. de Senect. B.

5 Pro vulgari *experiamur*, et Bembini *experiemur*, recte Faernus legendum esse conjicit *experimur*. B.

Experimur reddere] I. e. nitimur, conamur. R. D.

7 *Quid faciam?*] Comiter (*comice,*) quamvis uterque intelligat quid alteruter dicat, dissimulant tamen. D.

Edoce] I. e. plane doce. Cæs. de B. C. III. 108. *hunc incitatum suis—quæ fieri vellet literis nunciisque edocuit.* Sallust. in Catil. c. 48. *eadem quæ Volturcius—de itinere hostium Senatum edocet.* ubi v. Cort. R. D.

8 *Dictum sapienti sat est*] Plautus Persa IV. 7. 18. *ubi cum lenone me videbis colloqui: tum turbam facito.* S. *Dictum sapienti sat est.* L.

Digitized by Google

G. Itane? A. Ita. G. Sane hercle pulchre suades. etiam tu hinc abis?
Non triumpho, ex nuptiis tuis si nihil nanciscor mali;
Ni etiam nunc me hujus causa quærere in malo jubeas crucem?
A. Verum hic dicit. P. Quid? ego vobis, Geta, alienus sum? G. Haud puto:
Sed parumne est, quod omnibus nunc nobis succenset senex,
Ni instigemus etiam, ut nullus locus relinquatur preci?
P. Alius ab oculis meis illam in ignotum hinc abducet locum? hem!
Tum igitur, dum licet, dumque adsum, loquimini mecum, Antipho;
Contemplamini me. A. Quamobrem? aut quidnam facturu's, cedo?
P. Quoquo hinc asportabitur terrarum, certum est persequi,
Aut perire. G. Di bene vortant, quod agas: pedetentim tamen.

9 *Itane* non potest pedem hic sustentare. cod. reg. *itane dicis?* Lege potius, *itan ais?* B. Si codd. concederent, legerem *et me tu hic adis?* h. e. tu quoque in hoc negotio alieno me obtundis? Certe *adire* etiam alibi pro *aggredi* ponitur. Sed retinenda lectio recepta, et explicanda, *jam hinc abi, apage.* Nam *etiam* eleganter in jubendo adhibetur; ut Heaut. II. 2. 6. *etiam caves?* h. e. cave quæso. Z.

10 *Non triumpho*] Maximum mihi gaudium est, si te tuis nuptiis nihil patior mali, et adhuc me cogis, uti in malo aliud malum quæram, et *nullus locus relinquatur preci:* ut ex omni parte circumcludamus nostris precibus senex. E.

11 *Ni etiam nunc me hujus causa quærere in malo jubeas crucem*] Quasi dicat, in malo aliud malum. D.

Pro *crucem* forte leg. *malum:* certe Donatus ita legisse videtur. B.

Quærere in malo crucem] Proverbialiter dicitur, qui in parvo malo magnum sibi malum ultro arcessit. R. D.

12 *Alienus*] Alienus est, quocum nulla nobis intercedit amicitia. v. Cic. ad Div. I. 9. *enitor ut neque amicis neque alienioribus opera, consilio, labore desim* et ibi Manut. R. D.

14 *Relinquatur preci*] Bene *preci.* D.

15 Τὸ *hinc* ob versum recte abest in Bemb. Victor. et duobus nostris. D.

16 Veram lectionem servavit Servius ad Æn. IX. 484. *quin igitur dum licet, dumque adsum.* In principio versus, ut in membranis solet, initiali littera omissa, ut minio postea scribatur, restat *um;* quod nescias utrum ad *dum, tum, cum,* an ad *quin* pertineat. Inde errato initium. B.

19 *Pedetentim*] Caute. a pedibus et tentando. *Pedetentim tamen*] Hoc

Digitized by Google

A. Vide, si quid opis potes afferre huic. G. Si quid! quid? A. Quære obsecro,
Ne quid plus minusve faxit, quod nos post pigeat, Geta.
G. Quæro: salvos est, ut opinor: verum enim metuo malum.
A. Noli metuere: una tecum bona, mala, tolerabimus.
G. Quantum opus est tibi argenti? loquere. P. Solæ triginta minæ.
G. Triginta! hui, percara'st, Phædria. P. Istæc vero vilis est.
G. Age, age, inventas reddam. P. O lepidum caput! G. Aufer te hinc. P. Jam opus est. G. Jam feres:
Sed opus est mihi Phormionem ad hanc rem adjutorem dari.
(P. Abi: dic, præsto ut sit domi.)

quidem sic accipiunt, tanquam Getæ dicat Antipho, ut caute aggrediatur senem fallere. D.

Pedetentim tamen] Omnia tenta, omnia experire, ne aut plus aut minus facias. E.

Pedetemptim scribitur in omnibus Faerni et nostris codd. Omnino in codd. cum vetustioribus, tum recentioribus vel *temptare* scribitur, vel, sed rarius, *tentare*; nunquam, quod hodie obtinet, *tentare*. B.

20 Ex repetitione, quæ prioris accentum servare debet, repone, *vide opis si quid potes adferre huic. Si quid*. B.

21 *Plus minusve facere*] Dicitur qui quid facit, quod in alterutram partem conspici et notari possit vel in excessum vel in defectum, ut barbari vulgo loquuntur. Plaut. in Captiv. V. 3. 18. *cur ego plus minusve feci illi quam æquum fuit*. v. Schulting. ad Sen. Suaser. VII. 45. R. D.

24 A cod. Petrensi abest *tibi*: cod. C. C. habet *eloquere*: et cod. Mead. *quantum est opus tibi argenti, eloquere*. Igitur ut *opus* sit in ictu, repone *quantum est opus argenti, eloquere*. B.

25 *Istæc vero vilis est*] Amatorie. D.

Istæc vero vilis est] Amatoris animo pretium non credit pro ea magnum esse, quam diligebat. E.

Plerique nostri, *ista vero*. B.

26 In Bemb. abest *caput*. Tres codd. boni *auferte*: a veterrimo abest *hinc*. Repone, *age, age, inventas réddam*. P. *O lepidum!* G. *Auférte*. P. *Jam opust*. G. *Jám feres*. Absolute positum est *auferte* sc. *amplexari*; quia uterque præ gaudio in amplexus Getæ ruebant. B.

28 Hic versus recte a Faerno subditicius judicatur. Nam Bemb. et Victor. plane omiserunt: atque Phædria cum ipse Getam comitetur, non videtur hæc posse recte imperare, quæ hic reperiuntur. B.

Digitized by Google

A. Præsto'st: audacissime oneris quidvis impone, et feret:
Solus est homo amico amicus. G. Eamus ergo ad eum ocius.
A. Numquid est quod opera mea vobis opus sit? G. Nihil; verum abi domum,
Et illam miseram, quam ego nunc intus scio esse exanimatam metu,
Consolare. cessas? A. Nihil est, æque quod faciam lubens.
P. Qua via istuc facies? G. Dicam in itinere: modo te hinc amove.

ACT. IV. SCENA I.

DEMIPHO. CHREMES.

QUID? qua profectus causa hinc es Lemnum, Chreme,
Adduxtin' tecum filiam? C. Non. D. Quid ita non?
C. Postquam videt me ejus mater esse hic diutius;

29 *Præsto est: audacissime*] Optimus ac necessarius utrinque semper adest, quodcunque onus impositum. E.

30 *Solus est homo amico amicus*] Apollodorus, *μόνος ἐπίστασθαι φιλεῖν τοὺς φίλους* (Guyetus reposuit, *μόνος φιλεῖν γὰρ τοὺς φίλους ἐπίστασθαι.*) D.

34 *Modo te hinc amove*] Hinc discede. Vult enim solus secum consilium quærere, quomodo fieri possit, ut inveniatur argentum. E.

Lege, *dicam in itere*. Vid. ad Heaut. II. 3. 30. B.

In itinere] Iter etiam de brevi itinere intra ipsam urbem dicitur. Phædr. III. 19. 5. *circueunti fuerat quod iter longius effecit levius.* et Schwarz. ad Plin. Paneygr. c. 76. *iter illi sæpius in forum, frequenter tamen et in campum.* R. D.

Te hinc amove] I. e. hinc discede. Sueton. in Tiber. c. 10. *statuit repente secedere seque e medio quam longissime amovere.* R. D.

1 *Quid? qua profectus causa*] Hæc est narratio simplex. D.

Qua profectus causa hinc es Lemnum?] In hac scena narratio itineris et reversionis simplicem continet expositionem. E.

Quid? qua causa] Est formula interrogandi. Plaut. in Bacch. II. 3. 15. *quid hoc? qua causa eum hinc in Ephesum miseram.* ubi v. Gronov. Petron. c. 26. *quid? vos, inquit, nescitis hodie apud quem fiat?* R. D.

Digitized by Google

Simul autem non manebat ætas virginis
Meam negligentiam: ipsam cum omni familia
Ad me profectam esse aiebant. D. Quid illic tam diu
Quæso igitur commorabare, ubi id audiveras?
C. Pol me detinuit morbus. D. Unde? aut qui? C. Rogas?
Senectus ipsa'st morbus. sed venisse eas
Salvas audivi ex nauta, qui illas vexerat.
D. Quid gnato obtigerit me absente, audistin, Chreme?
C. Quod quidem me factum consilii incertum facit:
Nam hanc conditionem si cui tulero extrario;

4 *Manebat*] I. e. exspectabat. v. Lambin. ad Horat. I. 28. 33. *vicesque superbæ Te maneant ipsum.* R. D.

6 Scribe *aibant*. Semper enim apud Nostrum est disyllabon. B.

9 *Senectus ipsa est morbus*] Apollodorus, τὸ γῆρας ἰσχὺν αὐτὸ νόσημα. D.

Senectus ipsa'st morbus] Aristotel. Τὸν μὲν νόσον εἶναι γῆρας ἐπίκτητον, τὸ δὲ γῆρας νόσον φυσικήν. Galen. ὑγιεινῶν lib. I. τὸ γῆρας νόσον ἤδη λέγουσιν ἔνιοι. Plautus Menæch. V. 2. 4.—*consitus sum senectute; onustum gero corpus; vires Reliquere. ut ætas mala merx est tergo! Nam res plurimas pessimas, cum advenit, affert.* L.

11 *Quid gnato obtigerit*] Quoniam præterito tempore senes fecerant pactum, ut filiam Chremetis uxorem duceret filius Demiphonis: aliter enim res celari non potest, nisi per hujusmodi nuptias puella vinceretur, et hunc per hanc errorem, quo credit filium suum aliam duxisse, idcirco cupit excusatum esse, et potius quasi causam quandam esse, quod uxorem duxerit filius. E.

12 Deniquo adjungit: *quod quidem me factum consilii incertum facit; nam hanc conditionem si cui tulero extrario*] Rationem reddit, cur ex eo quod filius ejus uxorem duxerit, non eam quam hic voluit, sibi consilium vacillet et incertum sit. Hanc enim conditionem si extraneo ante detulero, habeo necessitatem exponendi, *unde mihi sit.* Te autem fidelem esse mihi ita, quemadmodum ego mihi sum, cognovero (*cognoveram.* Z.) At ille alienus, ad quem conditionem istam defero, si voluerit affinitatem, tacere poterit, quousque familiaritas copuletur: sin autem me contemserit atque spreverit, plus sciet quam opus est, siquidem in potestate habebit narrare quod ceperit. Quæ res mihi magnam sollicitudinem generat, ne aliquo pacto hanc uxorem meam (*uxor mea.* Z.) cognoscat. Est . . . . mihi (*est enim istius mihi haud.* Z.) levis metus. Nam hoc si ceperit, superest, ut me exoludat, et domo egrediar. *Ego enim meorum solus meus sum*, hoc est, illa dives est, ego pauper. E.

13 *Hanc conditionem si cui tulero*] Κυριολογία: quia *ferre conditionem alicui* dicimus. D.

Hanc conditionem si cui tulero] *Ferre conditiones* est offerre. Cæs. de B. G. IV. 11. *ea conditione quæ a Cæsare ferretur.* Liv. XXXIV. 59. *ex duabus conditionibus, quæ datæ sunt, legite;* ubi v. interpretes. *Conditio* h. l. est matrimonium vel uxor, quam vocis vim supra explicuimus. R. D.

Extrario] I. e. alieno, nulla nobis cognatione conjuncto. Forma *extrarius* Mureto ad h. l. non satis latina videbatur, sed ab idoneis scriptoribus usitatam esse ostendimus ad Rutil. Lup. p. 43. R. D.

Digitized by Google

Quo pacto, aut unde mihi sit, dicendum ordine'st.
Te mihi fidelem esse æque, atque egomet sum mihi,
Scibam: ille si me alienus affinem volet,
Tacebit, dum intercedet familiaritas:
Sin spreverit me, plus, quam opus est scito, sciet;
Vereorque, ne uxor aliqua hoc resciscat mea.
Quod si fit; ut me excutiam, atque egrediar domo,
Id restat: nam ego meorum solus sum meus.
D. Scio ita esse: et istæc mihi res sollicitudini'st;
Neque adeo defetiscar unquam experirier,
Donec tibi id, quod pollicitus sum, effecero.

15 *Te mihi fidelem esse æque*] Mire admixtum ante completam sententiam de extraneo, *te mihi fidelem esse*, &c. D.

16 Pro vulgari *scibam* metri leges probant Bembini *scibam*. B.

17 *Tacebit, dum intercedet familiaritas*] Incertum, quando proditum iri se dicat, ante, an post nuptias. D.

20 *Ut me excutiam*] Legitur et, *excutiat*. D.

Inter interpretes de sensu verbi *excutiat* non convenit. Sunt, qui pro *explorare* accipiant, de ingenio adhibendo, quo de futuro prospiciatur. Alii de excutienda veste intelligunt, ne quid per furtum asportetur. Gesnerus in Thes. de ratione conficienda et subducenda; ut sensus sit, *resoluta dote discedam e matrimonio illius*. Equidem puto seriei orationis convenientius, si interpreteris per *spoliare se omnibus rebus, omnia reddere*. Sic *excussus* et *exhaustus* sc. pecunia, extat apud Cic. Har. R. 18. Etenim verba *ego meorum solus sum meus*, significant summam paupertatem hominis, præter libertatem, nil habentis. *Meus* enim est ejus, qui sui juris et potestatis est; atque *meorum* non est masculinum, qui est error vulgaris, sed neutrum: ut sensus sit, *nihil mihi est, nisi ego solus; præter corpus et libertatem nihil mihi est, quod meum dici possit*. E.

Ut me excutiam] I. e. ut me ejiciam domo, ut hinc fugiam. Cic. Philipp. II. 22. *consules ex Italia excusses*. v. Broukhus. ad Tibull. II. 6. 12. R. D.

21 *Meorum solus sum meus*] Apollodorus, ἐγὼ γὰρ εἰμι μόνος τῶν ἐμῶν ἐμός (Guystus metri causa illud μόνος apponit fini). D.

Meorum solus sum] Priscian. lib. 12. L.

Ego meorum solus sum meus] H. e. nemini domesticorum meorum credere possum, omnes cum uxore consentiunt. Ludit in duplici sensu pronominis *meus*. Nam *mei* primum sunt, qui e familia sunt, deinde qui mearum partium sunt, qui mecum sentiunt. Cass. Cicer. epist. XII. 12. *crede mihi hunc exercitum quem habeo senatus atque optimi cujusque esse, maximoque tuum*. R. D.

23 *Neque defetiscar*] Neque lassabor. *Adeo experirier*] Semper tentare. E.

Defetiscar] Vett. libb. *defesiscar*. Prisc. l. X. *Experirier*] V. C. *experier*. L.

Præ vulgari lectione, quæ est Bembini, ad evitandas elisiones duras, Terentio indignas, placet Prisciani p. 889. et 1147. *neque defetiscar neque adeo experirier*. Sic *atque adeo donec est*. And. IV. 1. 38. B.

24 *Donec tibi id, quod pollicitus sum, effecero*] Virg. Æn. II. 719. *donec me flumine vivo Abluero*. D.

Digitized by Google

ACT. IV. SCENA II.

GETA.

EGO hominem callidiorem vidi neminem,
Quam Phormionem. venio ad hominem, ut dicerem,
Argentum opus esse, et id quo pacto fieret.
Vix dum dimidium dixeram, intellexerat:
Gaudebat: me laudabat: quærebat senem:
Dis gratias agebat, tempus sibi dari,
Ubi Phædriæ se ostenderet nihilo minus
Amicum esse, quam Antiphoni. hominem ad forum
Jussi opperiri: eo me esse adducturum senem.
Sed eccum ipsum. quis est ulterior? atat Phædriæ
Pater venit. sed quid pertimui autem bellua?
An quia, quos fallam, pro uno duo sunt mihi dati?
Commodius esse opinor duplici spe utier.
Petam hinc, unde a primo institui: is si dat, sat est:
Si ab hoc nihil fiet, tum hunc adoriar hospitem.

1 *Ego hominem*] Hæc scena expositionem tenet, quid cum Phormione actum sit: nempe uti argentum quæreretur, quod lenoni ferri posset pro Phædria; ut Phædriæ se ostendat nihilo minus amicum esse, quam Antiphoni. Aiebat dis gratiam, datum sibi esse tempus, in quo ostendere se posset, simili modo se amicum Phædriæ esse, quemadmodum fuerat Antiphoni. Nam ipsius opera Antipho uxorem duxerat, rursus ipsius opera Phædria redimeret meretricem. E.

2 *Venio ad hominem*] Venuste repetitum *hominem*. D.

3 Vulgari lectioni *argento* præferenda videtur Bembini *argentum*; quia veteres sic loquebantur. B.

Fieret] I. e. conficeretur Plaut. in Pseud. I. 3. 67. *jam hercle vel ducentæ fieri possunt præsentes minæ*. R. D.

7 Rescribe versus gratia *Phædriaï*, ut supra *Cliniaï*, *Hospitaï*: atque tolle *se*, quod cum cod. reg. transferendum est in vers. seq. post *amicum*. B.

10 Corrige *qui est ulterior?* vel fortasse, *qui iste ulterior?* B.

11 Ex *pater* eliditur *r*; quod solemne est in primo versus pede. B.

14 *A primo*] Scilicet *principio* plene dicitur pro *primo*, ut *ad primum* pro *primum*. infra IV. 3. 37. Cic in Orat. c. 8. *Demosthenes summissus a primo deinde dum de legibus disputat pressus, post sensim incedens*. Philipp. II. 30. *consilium a primo reprehendere*. v. Gronov. ad Senec. de vita beata c. 7. et ad Quæst. natur. V. 14. R. D.

15 *Hunc adoriar hospitem*] Astute *hospitem*, de eo qui supervenit: nomen aptum imprudenti rerum, atque alieno ab earum scientia. Sallustius Catil. 2. *vitam sicuti peregrinantes transegere*, &c. D.

Pro *hoc* Bemb. recte *eo*; atque pro *fiat* omnes Faerni et nostri *fiet*. B.

Digitized by Google

Vanitatis? D. Minume, dum ob rem. G. Sterquilinium. P. Dorio.
Itane tandem facere oportet? D. Sic sum: si placeo, utere.
A. Sicine hunc decipis? D. Immo enimvero, Antipho, hic me decipit:
Nam hic me hujusmodi sciebat esse: ego hunc esse aliter credidi.
Iste me fefellit: ego isti nihilo sum aliter ac fui.
Sed ut ut hæc sunt, tamen hoc faciam: cras mane argentum mihi
Miles dare se dixit: si mihi prior tu attuleris, Phædria,
Mea lege utar, ut potior sit, qui prior ad dandum'st. Vale.

tive pronunciandum. *Non, verum ei hæc antecessit*] Urbane leno, *hæc antecessit*: ut alii putant, meretrix vendita: ut alii, dies qua lenoni constitutum fuit. An aperte leno perfidus mentitur? unde sequitur, *non pudet vanitatis*. Ergo plus est *antecessit*, quam *præteriit*. *Non pudet vanitatis?*] Apparet, supra lenonem de perfidia anticipati temporis esse confessum. D.

Jamne ea præteriit? Non verum hæc ei antecessit] Duo tempora ambo tenuerunt diversa: hæc dies numquid præterlit? Contra leno respondit: immo retro pedem tulit, et propagavit se, h. e. antecessit, ut adhuc futura sit. E.

41 *Sterquilinium*] Plautus in Milite II. 1. 11.—*gloriosus, impudens, stercoreus, plenus perjurii atque adulterii*. Et in Pseudol. I. 3. 132. *fraudulente*. C. *Impure leno*. P. *Cœnum*. Sic Græcis in usu est, κόπριος ἀνήρ. Suid. L.

Pro *stercilinium*, quod in aliquot extat libris, versus suadet lectionem codicis vet. *Sterculinum*. Gloss. vet. *sterculinum*, κοπροδοχεῖον, κοπριά. Idem apud Plautum et Phædrum occurrit. B.

Vanitatis] I. e. mendacii, perfidiæ. Cic. pro Quint. c. 6. *si veritate amicitia —colitur: necesse est, iste qui amicum, socium, affinem fama ac fortunis spoliare conatus est, vanum se et perfidiosum et impium esse fateatur*. v. Ernest. in Clave Ciceron. h. voce. R. D.

Ob rem] I. e. ob utilitatem. Sallust. in Jug. c. 31. *id frustra an ob rem faciam, in vestra manu situm*; ubi v. Cort. usitatius dicitur *in rem*. R. D.

Sterquilinium] Convitium in hominem improbum v. Plaut. in Cas. I. 1. 26. *ex sterculino est osse*; scribendum vero *sterculinum* vel *stercilinum* ut sit quadrisyllabum v. Bentl. ad h. l. R. D.

42 *Sic sum*] I. e. tales sunt mores mei, tale ingenium. v. not. ad Andr. V. 4. 16. R. D.

Utere] I. e. vive, versare mecum. R. D.

43 Lege versus gratia, *immo enimvero hic, Antipho, me decipit*. B.

46 *Sed ut hæc sunt, tamen hoc faciam*] Exoratus tandem conditionem leno dat, uti cras argentum qui prior attulerit, ad ducendum potior sit. E.

48 *Mea lege utar*] Lenonia scilicet: in qua semper commodum est prius, quam fides. D.

Mea lege utar] Id lenonis, apud quem semper commodum prius. R.

Unus reg. cum edd. vett. *sit potior*. Repone *ut sit pótior, prior ad dandum qui est*. B.

Digitized by Google